(18) Engelgrave
III


Coeleste
Pantheon
seu
Coelum Novum
In Festa & gesta
Sanctoru
COLONIÆ,
Apud Ioannem Busæum Bibliopolam,
Anno M.DC.LIX.

LUCIS EUANGELICÆ,

Sub velum Sacrorum

EMBLEMATUM,

RECONDITÆ,

PARS TERTIA.

HOC EST

CÆLESTE PANTHEON

Sive

CÆLUM NOVUM

IN FESTA, ET GESTA SANCTORUM TOTIUS ANNI,

Selectâ Historiâ, & Morali Doctrinâ

Variè Illustratum,

Per R.P. HENRICUM ENGELGRAVE,

Societatis JESU Theologum.

PARS PRIMA.

COLONIÆ,

Apud JOANNEM BUSÆUM Bibliopolam.

ANNO cIↄ Iↄc LIX.

Cum Privilegio Sac. Cæsareæ Majestatis speciali, & Catholici Regis Hispaniarum.

Illustrissimo ac Reverendissimo
DOMINO
D. ANDREÆ CRUESEN,
V. ARCHI-EPISCOPO MECHLINIENSI, BELGII PRIMATI.

LIceat mihi, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, de te Belgii *Primate*, quod olim Philosophus Romanus de Urbis Principe usurpavit: *Tibi non magis quam* SOLI *latere contingit*; eo, quæ lucem spectant, hæ tenues lucubrationes meæ, non tam in cæli, quàm mentis nocte conceptæ, queunt illuminari. PANTHEON illud vetustum, quod Plinius *inter pulcherrima operum* recensuit, infame quondam Deorum delubrum, nunc DIVûM DOMUS, supernè uni SOLI patet; vidisti. Habes & inter illos hîc,

Seneca l. 1. de Clement. c. 8

ANDREA, in quo Tuam videas effigiem, rudi quidem Penicillo. sed virtutum coloribus expressam. *Cælum* est: nam, si Dioni fides, PANTHEON sic dictum; *quia cælum referret*. Quàm aptè nos, dicat, qui docuit melleâ suâ facundiâ: *Habet Ecclesia* CÆLOS *suos, homines spirituales, vitâ conspicuos, fide puros, spe firmos, lætos charitate; pluentes pluviam verbi salutarem. Hi tonant increpationibus, coruscant miraculis. Hi enarrant gloriam Dei.* Illos refers; Plura non audeo, ne in modestiam Vestram inpingam. Utque *homines spirituales*, tuique gregis Pastores sanctè æmulentur, patere hoc CÆLUM NOVUM Tuo nutu, seu PRIMATE INTELLIGENTIA volvatur. Gandavi, Anno Christiano M.DC.LVII. Natalitiis MARIANis.

S. Bern. Serm. 27. in Cant.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ

infimus servus,

HENRICUS ENGELGRAVE

Societatis JESU.

PRÆ-

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

PAntheon dum tibi pando, mi Lector, ne in vestibulo offendas, dum plures tibi fortè Deos fingis, & verè. Sic porrò homines æterna Patris Sapientia indigitavit: *Ego dixi*, DII *estis vos*, *& filii Excelsi omnes.* Quæ sic illustrat Ecclesiæ lumen, & columen, Augustinus: *Si filii Dei facti sumus*, *&* DII *facti sumus*; *sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ generantis.* Hieronymus verò, illa cælestis tuba Euangelii, viros Apostolicos cumprimis, Deos rectè compellari docuit, dum dixit: *Pulchrè interrogat, quem dicunt homines esse filium hominis? quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt; qui verò divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed* DII *appellantur.* Atque hos inter, & vos accenseri posse, manifestò indicat, cùm ait: *qui Cooperatores sunt Christi*, DII *vocantur.* Quæ sacri divinarum literarum Commentatores uberiùs prosequuntur. Sed instar omnium, una nobis *Aquinas* Aquila, qui *non usitata, nec tenui penna,* hæc exaravit: *Unigenitus Dei filius suæ divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines* DEOS *faceret factus est homo.*

Psalm. 81. *& Ioan.* 10.

Aug. in Psalm. 49.

S. Hieron. in Matth. c. 16.

Hieron. in Ierē. c. 10.

Horat.

S. Thom. opusc. 57.

Quod si hîc in terris Justi, atque omnes, ad *quos sermo Dei factus est*, Dii nuncupentur; quantò magis *Divi*, qui in *Cæleste Pantheon* recepti, & superis adscripti sunt? Quod doctè & disertè tradit Hipponensis Antistes: *si homines*, inquit, *dicti sunt* Dii, *quod in populo Dei sunt*; *quantò magis immortales, eo nomine digni sunt, qui*

Ioan. 10.

Aug. l. 9. *de Civit. cap.* 23.

ea

ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire.

Accedit minimè insolens videri, hanc gestis Sanctorum frontem præfigi, quam Cardinalis Baronius ab aliis usurpatam asserit, qui res gestas Principum virorum, *Pantheon* appellârunt, atque Urbano III. Summo Pontifici dicârunt.

Baron. an. Chr. 1186.

Unum est in quo potissimum desudavi, ut Argumentum non festis dumtaxat, sed & Divorum gestis (quæ plures, Euangelio inhærentes, intacta relinquunt) accommodum seligerem, Principes in eo Ecclesiæ doctores, & Oratores, *Angelicum* & *Seraphicum*, sectatus.

Aug. l. 4. de doct. Christian.

Denique, ut alibi præfatus sum, *alii meros flores loquantur, & folia*; nos humili stylo, & tenui modulamur avena: sic tamen, ut si tuo, mi Lector, spiritu, hoc est, qui sacrum Ecclesiastem decet, Apostolico animetur, *vincet avena tubas.*

Martial. l. 7. Epig. 3.

FESTUM

FESTUM VISITATIONIS B. VIRGINIS.

Salutavit Elizabeth. Luc. 1.



Visitat, haud vitiat.

ARGUMENTUM.

APiculam hîc, alveari ſuo provolantem ſpectas; ſed quò? ad florem, quem illibato congreſſu, & oſculo *Viſitat, haud Vitiat,* nullo vel minimæ læſionis, aut corruptionis veſtigio relicto. Talis, quibus hactenus detenta fuit Virgo Maria ædibus provolans, ut ſalutaret Elizabeth, apicula exſtitit. Hæc non Zachariæ dum-

taxat domeſticis; Verùm omnibus quos unquam viſit, adeò non ſuo contubernio, conſpectu, colloquio eos vitiavit, ut integritatis decus afflârit, quam utinam in quotidianis ſuis viſitationibus Adoleſcentes noſtri, ac viri etiam conjugati apiculam ſectarentur, atq; ex ea, ut Sapiens ſapienter monet, diſcerent, qualiter abſque ullâ corporis, animique læſione, viſitationes ſuas inſtituerent; atq; eorum cumprimis conſuetudinem diligerent, è qua ſanctiores ſemper recederent. Quod ſi mortalium nonnulli, vel unico Sanctorum congreſſu conſecuti ſunt, nulli profectò efficacius, quàm qui omnium Sanctorum principem ac Dominam, perſæpe ſalutare, & vel in ſua effigie viſitare identidem conſueverunt.

§. I. VADE AD APEM, ET DISCE, *quomodò Viſitationes cautè, & caſtè inſtituendæ ſint.* Prov. 6.

§. II. *Felix domus, quam Maria cum Jeſu viſitat!*

§. III. *Viſitationes noxiæ cavendæ.*

FESTUM VISITATIONIS B. VIRGINIS.

Salutavit Eliſabeth. Lucæ 1. v. 40.

INter illuſtria heroum ſymbola, ſuum perappoſitum inſeruit Scipio Bargalius, nobilis Italus: qui pro Gentilitia teſſera Apem appinxit flori, quem dicitur nullo floris damno viſere, atque ſuo non tam morſu, quam oſculo, caſtiſſimè delibare, hoc lemmate ſubjecto:

Sine injuria; *ſeu*; VISITAT, HAUD VITIAT.

Hoc Scipio, ut credo, innuere volebat, in omni ſe congreſſu, illibatam ſervare corporis, animiq; integritatem: quoſcumque, aut quaſcumque viſeret, ne minimo earum caſtimoniam nævo, ſuâ conſuetudine contaminandos. At jure longè meritiſſimo, de integerrima Virgine Maria, id profectò hodierna die pronuntiaro quam Auguſtinus, a *acer ingenio, ſuavis eloquio*, Api diviniſſimæ conferre non dubitavit! *O Verè,* inquit, *beata, & mirabilis* APIS, *cujus nec ſexum maſculi violant, fœtus non quaſſant, nec filij deſtruunt caſtitatem; ſicut ſancta concepit Virgo Maria, Virgo peperit, & Virgo permanſit.*

a S. Proſper l. 3. de vita contempl. c. 31. Auguſtin. de benedict. cerei.

Acce-

Accedit D. Aldhelmus, Saxonũ Episcopus: *Apem, propter peculiaris castimoniæ privilegiũ, pudicissimæ Virginis typũ, indubitatam scripturarũ auctoritate, astipulamur.* Quod si ulteriùs similitudinẽ Apis, & Virginis requiratis, utriusq; inter se proprietates conferte. Aristoteles, a *Et*, inquit, APIS, *animal omniũ mundissimũ*; usque eò, ut Varro, experientiâ edoctus, affirmârit, *Nulla harũ assidet in loco inquinato, aut eo, qui malè olet.*

b AUT UBI ODOR CŒNI GRAVIS. Consentit Plinius, c solers naturæ speculator. Didymus vero, sic habet: c *Ex hoc animal per excellentiã purũ, nulli rei graviter olenti, atq; immundæ insidens.* Quæ, quam aptè purissimæ Virgini Matri conveniant, docet Richardus in illud Eccl. 11. d *Brevis in volatilibus est* APIS, *& initiũ dulcoris habet fructus illius.* Ubi sic ait: *Quantò Virgo est purior, magis fœtet ei luxuriosus; ipsa enim cùm sit Apis, fugatur fœtore. Eccl. 11. Brevis in volatilibus est apis.* Et alibi idem Auct: Prov. 14. *Ne dimittas eam, id est ne effuges eam peccando mortaliter; ipsa enim est apis, (Eccl. 11.) quam fugit fæx peccati.* e norat illa quemadmodũ divina Apis se visitaverat devolans ex alto: Bern. 2. de Adventu agens de Christo incarnato: *Apis ea quæ pascitur inter lilia, quæ florigerã inhabitat patriã Angelorũ. Unde & ad Civitatẽ Nazareth, quod interpretatur flos, ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis florẽ advenit, illi insedit, illi adhæsit, & ad nos veniens, solũ mel attulit, & non aculeũ, id est misericordiã & non judiciũ*; sed omnis aculei experti, candidissimo huic lilio gloriari licuit:

VISITAT, HAUD VITIAT.

a Arist. l. 6 hist. ani. c. 4. b Vir. 4. Georg. c Plin. l. 11. c. 16 d Rich. à S. Laur. l. 2. de laudib. B. Virg. part. 6. e Id. l. 2. p. 3.

quare ne alias, easque prope divinas apum proprietates, & operationes longius sectemur: d

Esse Apibus partem DIVINÆ MENTIS, *& haustus Æthereos*

eorumq; opera, *Aerii mellis cælestia* dona; unum in præsentiarum tractasse sufficiat, quanta cum integritate, Apis viridaria lustret, flores sine injuria visitet, non vitiet, lilia delibet, sed illibate, inter violas agit inviolate. In quo profecto Adolescentes, & Adolescentulas, vos omnes vult Sapiens discipulos esse apiculæ, Prov. 6. *Vade ad apem & disce operationẽ, quã Venerabilẽ faciat.* Salaz. e exponit quã gravem, seriã, pudicã, castã, severã, innocentem faciat. Conversationem, & societatem castam dici vult, Chrysostomus in Ps. 110. *diligentiã & laboris studiũ disces à formicis: ab ape vero, honesti amorem, societatem, & inter se communionem.* Disce castimoniam, disce conversationem sanctam, disce visitationes habere honestas, & mores, in omni congressu pudicos, ad quod nos ipse gentilis impellit Sen. l. 1. de Clem. c. 19. ubi cum plura de moribus apum disseruisset, sic demum concludit: *pudeat ab exiguis animantibus non trahere mores.* Aptissimè dixit pudeat, nã pudor est, homines rationis compotes, à tam exiguo animalculo moribus vinci: & tu, quicumque;

f *Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,*

illam potius imitabere, quare.

d Virg. 4. Geor. e Salaz. in Pr 6. f c. 4. Geor.

§. I.

VADE AD APEM, ET DISCE *quomodo visitationes caute, & caste instituendæ sint.* Prov. 6.

HAbet hoc omnis illibata Virginitas, & niveus mentis

corporisque candor, ut non attactu modo, sed vel aspectu, & affatu, etiam sui afflatu labefactetur. Hinc nemo non, facile perspexerit, quanta cum cautela, quanta cum parentum, & superiorum cura, mutui congressus, conspectus, affatus frequentandi sint, quanto cum integritatis periculo, Visitationes ultro citroque indies instituantur, ut sæpe sæpius labes nomini, & lues homini, nulla reparabilis arte, aspergatur. Quod præclare in aureis suis dictis S. Ægidius docuit, dicens: a *castitas, est tersum speculum, quod minimus anhelitus obfuscat, & LEVIS VAPOR RAPIT OMNE DECUS.* Alius non minus aptè, Virginitatem dixit nitidissimam bullam, quæ ut pulcherrima, sic tenerrima, *si tangas, frangas*; Et Eheu! nimis multis, b *tetigisse, periisse fuit*; ut alibi diximus. Cui malo, ut occurratur, atque ut visitationes vestræ sanctè, & salubriter institui queant, in exemplum vobis hodierna die Virginem visitantem proponere decrevi, de qua non me, sed suavissimum juxta ac sapientissimum Ecclesiæ Doctorem, in cujus nascentis ore mellificarunt apes, auscultate. Hic dulcissimo sermone, ex sola Sanctissimæ Virginis Mariæ visitatione gratissimam omnium virtutum, & cum primis castimoniæ, auram afflari asserit: *tanta* inquit, c *erat ejus gratia, ut non solum in se Virginitatem servaret; sed etiam si quos inviseret, integritatis insigne conferret.* Nihil usitatius, nihil frequentius olim apud Romanos, & nostris etiam in partibus, hoc corruptissimo sæculo, quam puellarum & matronarum salutationes, ac visitationes; sed utinam exemplo Virginis, *si quos, aut si quas inviserent, integritatis insigne conferrent!* & non potius pudorem auferrent, Virginitatis florem læderent, integritatem violarent. Melleo sermone suavissimè hic influit Claravallensis Abbas, qui serm. 48. in Cantica: d *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, sic ait: *non bonæ filiæ, quæ pungunt*; e *donec ergo in carne est anima, inter spinas profectò versatur: quod si Lilium est ipsa, juxta sponsi verbum, videat quam vigilem, solicitamque esse oporteat, super custodia sui, septa undique spinis: nec enim vel levissimam spinæ sustinet punctionem, floris teneritudo.* Tum ad cautelam, & vigilem custodiam, omnes adhortando exclamat: O f *candens Lilium! o tener, & delicate flos, increduli & subversores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Versari in his, & minime lædi; divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.* Tale unicum, intactum, illæsum, illibatum, adfert Rupertus qui super eadem divini Epithalamii verba: g *sicut lilium inter spinas*, ita disserit. Lilium Maria, Virgines, aliæ spinæ sunt, tum quia in se habent aliquid culpæ, tum quia peccati fomitem, tum denique etsi mundæ atque innoxiæ sunt spinæ, à quibus scilicet etiam solo congressu, vel levi attactu pungantur, lacerentur, ac cruententur. At Maria Lilium est miri candoris, à quo nec læditur oculus, nec animus: quia nihil in ea culpæ, nec fomitis, nihil unde aliorum concupiscentia exardescat

a Lib. de mundi contempt. b Lux Euan. p. 1. dom. 13. post pentec. c Ambr. l. 1. de Virginit. c. 7.

d Cant. 2. e Bern. serm. 48. in Cantica. f Bern. ibid. g Rupertus in Cant. 2.

ſcat; at plurimum, unde reſtinguatur. Hac quippe ſingulari prærogativâ excelluit, ut rara illa venuſtas ac pulchritudo, quam Virgineo corpori natura aſperſerat, quæ in aliis puellis eſſe ſolet blanda voluptatis illecebra, in Maria potens fuerit ad caſtimoniam, omnemque virtutem incitamentum. Teſtem habeo Doctorem Seraphicum, qui id hauſit ex fideli & certa Judæorum relatione, quod in omni congreſſu & viſitatione, a *nullus ex aſpectu glorioſæ Virginis, quamvis eſſet pulcherrima, urebatur, aut inflammabatur; ſed eam potius extinguebat ille divinus aſpectus: quaſi frigidus quidam ex oculis ros Virgineus expiraret, vel afflueret à mente illius caſtiſſima.* Hæc Gerſon ex Bonaventura, ſenſu atque verbis. Hauſerat id credo ab eximio ſuo Magiſtro Alexandro Halenſi qui 3. p. q. 2. *tanta* inquit, *fuit in Virgine ſanctificatio, ut etiam extenderetur ad alias; Unde etiam dicunt infideles, cum Maria pulcherrima fuerit, à nullo tamen unquam potuit concupiſci: & hoc erat, quia virtus ſuæ caſtitatis, & ſanctitatis extinguebat omnem motum carnalem, in aliis aſpicientibus ipſam*: cæterarum forma puellarum, ac venuſtas, flammas & fulgura ejaculatur:

a URITQUE *Videndo*
Fœmina.

Unde è gentilibus Xenophon: *pulchritudo eſt ignis, qui tangentes urit, diſtantes inflammat.* Theocritus dixit: *Forma eſt eburneum detrimentum.* Socrates: *pulchritudo eſt modici temporis tyrannis.* Theophraſtus: *pulchritudo eſt tacita deceptio*, quod in exemplo Helenæ probat Euripides, dicens: *pulchritudo eſt res infelix*; unde quis ſic cecinit

Mulier Melle mollior,
Et quo nitentior, eo nocentior:
Quæ dum ſe fovet, ſibi favet:
Et dum ridet, rodit, ac radit.
Quæ corpus carpit, & aurā haurit:
Idque latenter, atque lactenter.
Non Virgo, nec Virago, ſed Vorago.

Ex quo veriſſimum patet illud viri aſcetici pronuntiatum: tria D. D. D. ſunt hominis ruina, *Dæmon, denarius, Domina.* Unica inter filias Adæ *a* MARIA VIRGO, eſt MIRA VIRAGO; de qua Doctor Angelicus *b* affirmavit: *gratia ſanctificationis, non ſolum repreſſit in Virgine motus illicitos; ſed etiam in aliis efficaciam habuit ita, ut quamvis eſſet pulchra in corpore, à nullo tamen concupiſci potuerit.* Sed omnes inſuper; ut ſupra diximus, infames flammas conſpectu ſuo in aliis ſopierit, penituſque congreſſu ſuo extinxerit. Teſtem oculatum inducit Simon Caſſianus l. 2. c. 22. *talem* inquit, *Deus in Virgine Matre gratiam poſuerat, ut nec propter excellentem ejus pulchritudinem immunde poſſet conſpici: Et hoc noverat Ioſeph experimento ſui, qui quoties Virginem in conclavi orantem viſeret, aut aliud agentem uſpiam videret*, à Virgineis oculis, afflatu, quotidiana familiaritate pudicitiam & caſtimoniæ incrementum hauriebat, nec quis ad illā viſit, qui non ſanctior abierit.

Ad ejuſmodi caſtimoniæ ſpeciem videndam, ad tales Virgines viſendas, vos invito Adoleſcentes; ſed quis hac ſingulari gratiâ præditā invenerit? *procul*, c *& de ultimis finibus pretiū ejus.*

Ex Italia nobis illa petenda, ur-

a Gerſon ſer. de nativ. B. Virg. conſid. 3.

b Anagramma. c S. Thom. in 3. diſt. 2. q. 1. a. 1. ad 4. d Prov. 31.

be Senensi Virgo Catharina, quæ tantam non solum animo, virtutũ omnium officinâ instructam gerebat; sed in omni sermone, situ, habituq; corporis, eam sanctitatis speciem præseferebat, ut quiscunq; eam visitaret, *a nemo eam accederet, qui non melior abiret*: qui non ad peccatorum pœnitentiam commoveretur. Vidi ego, inquit S. Raymundus ejus confessarius, non nunquã, *b* ut mille & amplius homines ad eam videndam, atq; audiendam confluentes, ita statim commoti animo fuerint, ut lugentes properarent ad confessarios, quorũ unus ego eram. Ea de re Greg. XI. Pont. Max. mihi, ac duobus sociis meis, potestatem fecit omnes absolvendi: qui ad eam viserent. Hoc in omni visitatione sua quisq; secum expendat, an à tali puella, à tali fœminâ, *melior abierit*? sanctior redierit? An tu filia cujuscunq; conditionis homines visitaris, castior redieris, & sanctior? an ad peccatorum compunctionem, ad Dei amorem is inflammarit, *c* ut dicere possis: VISITATIO *tua custodivit*, auxit, confirmavit *spiritum meum*. Vt de vobis illud Hieron. usurpare liceat: *d multo ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, conversatione multarum, gauderemus Romam factam Hierosolymam.*

Fertur paucis abhinc annis, inter viros vere Religiosos, spiritu ferventes, hæc controversia ventilata: qua viâ, medio, modo aut methodo quis citissime, & certissime ad apicem perfectionis, & sanctitatis pervenire posset? Varii in varias abiere sententias. Primus nihil efficacius ad perfectionem conducere affirmavit, quam jugi orationi inhærere; hanc esse elevationem mentis in Deum, qua homo velut cæli civis, cum Deo consuescit, & familiarissime sermocinatur: atque huic ferventer, & constanter insistendo, plurimos ad sublimem sanctitatis gradum conscendisse. nam ut aureo ore Chrysostomus: *is novit recte vivere, qui novit recte orare.*

Alter brevissimã, ac certissimã, viam crucis assignavit, *mortificationem e Christi in corpore nostro circumferendo*, atq; hac nos ducere sanguinolenta Christi vestigia.

Tertius his longe sublimius, & sanctius duxit, in conversionem animarum incumbere, quia juxta S. Dionysium: *divinorum omnium divinissimum est, cooperare in salutem animarum*, pro iis se totum, vitam & sanguinem profundere; hinc divino fretus oraculo adjunxit: *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat.*

Quartus se rem acu tetigisse arbitratus, omnẽ perfectionem in contemptu rerum terrenarum, & volũtaria paupertate collocatam esse dictitabat, juxta illud Salvatoris consilium, *f* Adolescenti Euangelico datum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes.*

Post hæc tam varia, tam dissita, tam diversa Patrum suffragia, senior quidam spiritu Dei plenus, assurrexit: qui ubi prædictas omnes, aliorum sententias solidè refutasset, hanc suam edixit: nullum medium potentius ad perfectionem, nullum remedium præsentius ad omnes defectus, & imperfectiones exstirpandas, ad omnem sanctitatem, quam citissime, & certissime consequendã,

a Breviar. Rom. festo S Cath. b In vita. c Iob. 10. d Hierony. ad Principiam Marcellæ Epitap.

e 2. Cor. 4. f Mat. 19.

quam

quam viris perfectionis ſtudioſis, ſolidè ſpiritualibus ac ſanctis conſueſcere, cum iis commorari, colloqui, converſari, ſecundum illud Regii vatis: a *cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris.* Etenim quod primũ ſpectat, paucos reperire qui recte, qui attente, qui ferventer norunt orare; complures, qui negotiis ſæcularibus impliciti, tempus vacandi per diem orationi, ſibi deeſſe juſte queruntur. Quid, quod reperti ſint, qui in oratione ſua evanuerunt, & ſublimi contemplatione, ſpiritu arrogantiæ abrepti, miſerè perierunt; per ſe porro orationẽ ad perfectionẽ non ſufficere, recte S. b Bernardus obſervavit: *Videns aliquem frequenter in oratione devotũ, cujus oculi ſunt ſicut piſcinæ in Heſebon præ multitudine lachrimarum; ſed recuſat ferre jugum obedientiæ. Suam plangit in oratione ſuperbiam, ſed horâ compunctionis tranſacta, ita ſuperbus eſt ſicut ante; vel ſi levis in moribus, poſt orationis ſuæ devotionem, in eandem recidit levitatem.* Eadem mens fuit S. P. N. Ignatio, c qui P. Natali prolixiorem noſtris orationem præſcribendã vehementius urgenti, reſpondit: quod mortificatio, & abnegatio plus perfectionis uno horæ quadrante conferat, quã immortificato duæ horæ orationis; habebatq; dictum illud familiare: *ſe pluris facere hominem mortificationis, quã orationis.*

Ad 2. Mortificationem quidem præ oratione ſibi probari; ſed plurimos illas carnis afflictationes ut naturæ repugnantes, graviſſime averſari; quibuſdam ob corporis debilitatem, aliaſq; functiones neceſſarias, prudenter omittendas; repertos etiã qui in ſumma vitæ auſteritate, fœdiſſime lapſi ſint, carnem quoſdam domare, non animum ſubjugare ſtuduiſſe.

3. Vero ſaluti proximorum vacare, eſſe periculoſæ plenum opus aleæ, d *ne forte*, ut Apoſtolus monet, *dum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.*

4. Deniq; rerum omnium contemptu, generoſa opum ac divitiarum deſpicientia, ipſi gentiles, Crates, Bias, Diogenes, aliiq; excelluêre. At conſuetudinẽ Sanctorũ, eorumque conſpectum, convictum, colloquia, exempla, fortiſſima eſſe ad omnem virtutẽ & perfectionem adminicula; Quod ſæpius ipſa experientia comprobavit, quiq; nec orationi vacando, nec carnem domando, ad frugem reduci poterant, convictu ac conſortio aliorũ, velut extremo remedio in viros alios mutati, ſalutẽ conſecuti ſunt. quemadmodum in morbidis, & prope depoſitis uſu venit, quos ubi nec potiones, nec ſectiones ſibi reſtituerint, aëris mutatio, & clementius cælum, ut ultimũ & unicum remedium, medelam adferat præclara hac ſimilitudine uſus videtur Seneca, dum dixit: e *non tam valetudini profuit utilis regio, & ſalubrius calũ, quã animis parum firmis, in turba meliorum verſari.*

Argumento eſſe poterit, quod dicturus, ac docturus ſum, maximam vim quotidianæ conſuetudini, ac familiari conſortio ineſſe debere, cum vel ſola viri alicujus plane ſpiritualis Viſitatio, ſtupendã ac penitus divinã vitæ, morumque metamorphoſim inducere, ejuſque vel ſolus conſpectus, ac præſentia, præ cæteris omnibus adminiculis, virtutis

a Pſ. 17. b S. Bern. ſ. de duob. diſc. in Emmaus. c Lanc. opuſc. ſpirit. 10. c. 14. n. 202

d 1 Cor. 9. e Seneca l. 3. de ira c. 7.

quandam fragrantiam aspirare consuevit. Id nobis de se testatū reliquit P. Ludovicus Gonsaluus a Minister S. P. Ignatii, qui scriptis ad Ioannem III. Regem Lusitaniæ literis (à quo jussus erat, omnia dicta, factaque S. Ignatii accurate observare) sancte affirmavit, se nullo tempore lectionis, vel orationis ad pietatem tantopere commoveri, & ad amorem Dei accendi, quam eo tempore quo (ut minimum semel de die juxta regulam Ministri) sanctum Patrem visitaret, ejusque conspectu, & consuetudine frueretur. Ita S. Ignatius ex visitatione S. Philippi Nerei, & Caroli Borromæi inflammari consuerat; & magnus ille b Indiarum Apostolus, plus fructus privatis visitationibus, quam publicis concionibus fecisse perhibetur. Ejusmodi vos viros invisite, quibus pectus, & lingua, & vita, & mores nil nisi Deum spirant, si dignum ex visitationibus fructum speretis.

S. Greg. hom. 5. in c. 1. Ezech. de SS. animalibus: *aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*, sic exponit: *quisquis carbonem tangit, incenditur: quia qui sancto viro adhæret, ex ejus visionis assiduitate, usu locutionis, & exemplo operis, accipit ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis inardescit, ut per verum amorem ardeat, qui prius in iniquitate tantum mortuus, quantum frigidus jacebat. Quia ergo sancti Viri juxta se positos, quasi tangendo ad amorem patriæ cælestis accendunt*, CARBONES *sunt*. Ita Platus de bono status Religiosi asserit, Religiosum minus fervidum, tepidum ac frigidum, viridem stipitem manipulo arido insertum referre, qui si in luculentum ignem carbonum ardentium conjiciatur, flammam una concipiet, & cum cæteris succendetur; tantum refert quos visites, quibuscumq; verseris: c *Vis nosse hominem?* quærit Hier. *attende quorum familiaritate assuescat, talis quisq; censetur, qualis est quo cum versatur.* Vis nosse istum virum nobilem, illum, togatum? attende quo sæpius visitat, cujus *familiaritate assuescat. Vis nosse* istum Adolescentem? attende sero vespero quo tendat, *cujus familiaritate assuescat.* tritum illud:

Daer men mee verkeert /
Word men mee vereert.

Idem testatur Plutarchus l. de amicitia: talis eris, qualis conversatio quam sequeris, si cum viro literato agis, sermones erunt de literis, de studiis; si cum bellicoso de rebus bellicis, stratagematis, vallis, propugnaculis; si cum venatore, de silvis, de canibus, de feris; si cum lascivo, de amatoriis; si cum ebrioso, de poculis, quod genus vini præstantius? ita etiam qui cum viro Religioso, prudenti, pio, sancto, nil nisi de virtute, de perfectione, de divinis audies disserentem. S. Ambrosius ubi Virginitatis symbolum, apem expressit, subjungit qualis fuerit sermo Virginis, ad eos quos invisebat, ut ejus exemplo & tu filia, in omni visitatione sermonem tuum recte disponas: *digna*, d inquit, *Virginitas, quæ* APIBUS *comparetur: sic labriosa, sic pudica, sic continens; rore pascitur apis, mella componit. Ros quoque Virgi-*

a Lancicius. opusc. spir. 2. § p. 178. b in vita Xav.

c Hier. ad Nep. d Amb. B. 1. de Virg.

nis est sermo divinus: quia sicut ros Dei verba descendunt. Quam te velim filia, imitatricem esse hujus APICULÆ: *in hac enim velut in exemplari, magisteria expressa probitatis.* Quam te velim filia, imitatricem esse modestiæ, prudentiæ, pudicitiæ Virginalis! quam te velim filia, in omni Visitatione, imitatricem morum, & verborum Mariæ! quam omnibus Doctor Seraphicus, absolutissimam Ideam ad imitandum proponit.

a *Considerate*, inquit, *charissimi, in Maria gratiam labiorum, de qua in psalmo dicitur*: DIFFUSA EST GRATIA IN LABIIS TUIS. *Tanta siquidem fuit gratia labiorum in Maria, ut ipsa optime per* b *Iudith signari possit, de qua dicitur: non est mulier talis super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in* SENSU VERBORUM. *Revera non est, non fuit, non erit mulier talis super terram, qualis Maria fuit in aspectu clarissimæ Vitæ, in pulchritudine mundissimæ conscientiæ, & in* SENSU VERBORUM DISERTISSIMÆ LINGUÆ. Quid ni usurpem hic illud Cant. 5. *Labia ejus lilia stillantia Myrrham primam*; Lilia quippe sunt, ob insignem candorem, ab omni turpitudine alienum; stillantia Myrrham primam, mirabili odore fragrantem, quæ salutarem vim contineat arcendæ corruptionis, ut omnes qui audiunt, iis odoribus illecti, ad summi boni amorem trahantur, & cælesti spiritu repleantur. c Hinc ait Doctor Seraphicus: *Vide quanta virtus sit in verbis Dominæ, quia ad eorum pronuntiationem, confertur Spiritus Sanctus: sic enim abundanter ipsa erat plena, quod ejus meritis, ipse Spiritus Sanctus etiam alios replebat.* Dici non potest, quot sua conversatione, & colloquio ad Deum, ad virtutem traxerit, à perdita vita ad meliorem traduxerit, ut Ambrosius, Germanus Patriarcha, & Epiphanius testantur. Unde inquit Rupertus, hoc illi quadrat: d *Sicut* Vitta *coccinea labia tua.* Accedit pius iste Virginis cultor Bernardinus, qui ait: Omnia Mariæ verba fuêre sancta, & ædificatoria; Unde eam audientes poterant ei dicere, quod postea filio: *Verba vitæ æternæ habes.* At nunc, ô tempora! ô mores! justissima videtur illa Jeremiæ querimonia, in omni conversatione: e *attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur.* Nec Domini, nec Dominæ, nec Domicellæ, nec famuli, nec Ancillæ, nemo, nemo. Omnes passim non *Verba vitæ*, sed mortis evomunt, dum fœda, obscœna eructant, de quibus Propheta: f *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Gulielmus Peraldus Lugdinensis Episcopus, hæc verba, *sputa Diaboli*, spumam Cerberi recte vocitabat, qua candidissimas mentes, vel afflatu suo inficit, & interficit. Qua super re acerrimè g Doct. Mellifluus excurrit: *Unus est qui loquitur, & unum tantum Verbum profert; & tamen illud unum Verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, anima-*

a Bonav. in spec. Virg. lect. 6. b Iudith. c. 11. c S. Bonav. tom. 6. opusc. tract. de vita Christ. c. 13.

d Bernardin. de Busto. conc. 5. in natu. e Jeremiæ c. 8. f Psalm. 5. g Bernard. serm. 24. in Cant.

Interficit. In parthenone castarũ Virginum, in cœtu honestarum Matronarum, *Unus est qui loquitur, unum Verbum*(lascivum)*profert*, Et ilico, velut scintillæ in arundineto teneras mentes inflammat: nam teste S. Antiocho, *quisquis lasciva inter viventes in carne profert verba, is scintillas projicit libidinis*, quæ in luculentum erumpunt incendium. *Vnus est qui loquitur*, & innocentes animas pacatas, serenas, tranquillas ita conturbat, ut per omnem vitam gravissime inquietentur, ac divexentur; non secus ac scrupo in aquam, alias tranquillam, conjecto, ilico conturbatur & in Mæandros sese inquietè diffundit. Immensus sim, si hic pro rei indignitate exaggerare velim, quantum in communi consortio mali conferant, quæ dulci sono, lenocinioque verborum arguti gutturis, concupiscentiæ inflammandæ deserviunt; in scopulos, in syrtes impingant necesse est, quicunque has cantatrices viserint, & vocis sono illecti fuerint. Sirenes eas meritò dixerit Ambrosius, a *quæ vocis suavitate, canendi illecebris, audiendiq; studio allectos navigantes, naufragium facere compellunt.*

Quid invictissimum orbis Domitorem, ad infamem scopulum allisit, nisi cantatrix? non me, sed Famianum, b *fama super æthera notum*, audite. Ratisbonæ Barbara Blomberga, formâ ac genere juxta nobilis Carolum V. visitavit, ut mœrorem cantu levaret, quem ita incantavit ut integritatem expugnarit. Hoc itaque Cerbereum malum, & venenum Diaboli ut omnibus familiis vestris, & Vrbibus, & orbe eleniretur, gravissima Augustini parænesis sufficere deberet, qui Serm. 215. de tempore: c *Videte si justum est, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum, quasi venenum Diaboli proferatur*. Sed de his alibi uberius. Et profectò conveniret, ut eam laudem æmulari omnes conniterentur, quam Petrus Blesensis D. Thomæ Cantuariensi tribuit, de quo perhonorificum, & verum hoc tulit testimonium: *tota conversatio ejus, erat schola honestatis*, morum ædificatio, & structura salutis: quia omnis sermo ejus honestatem, ac sanctitatem spirabat; modestia morum vel tacita, divinaque ejus consuetudo secum conversantes, ad omnem virtutem incitare, atque exstimulare videbatur. Atq; ut ad nostra tempora veniamus, hanc laudem sibi etjam vindicavit lectissima Matrona Parisiensis, de qua P. Suffren, e vir linguâ & calamo celeberrimus, refert à paucis annis personam magnæ dignitatis, in aula Regis Franciæ sibi dixisse, si vel animo scelus dumtaxat obversaretur aut suggestio mali genii animum ad obscœna vehementius impelleret, non verba modo, quę cœlestia ac Spiritu Dei plena, sed conspectum aut præsentiam solam cujusdam Dominæ, quam nominabat, integerrimæ vitæ, ac raræ modestiæ in aula; ita animum suum à scelere avocare, ut pudore suffunderetur dum eam viseret, hac præsente vel solum cogitare: *tota quippe conversatio ejus, erat schola honestatis*, morum

a Ambr. in Psalm. 43. b Famian. Strada de bello Belgico.

c August. serm 215. de temp. d Petrus Blesen. ep. 27. e P Suffren. L'annee sacre pag. 54

ædi-

ædificatio,& structura salutis. Si ejusmodi scholam, atq; hac longe excellentiorem frequentare,& in familia vestra exstruere velitis, illius hodierna die disciplinam arripite,a *in qua tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis.* Sub qua Magistra quantum per trimestre Elisabetha, quantum Ioannes profecerint, attendite: b *Vt & vos sumatis exemplum conversationis ejus.*

Etenim si sola Virginis, Elizabetham, & Ioannem etiamnum in Vtero visitantis præsens affatus, tantum illis gratiæ ac sanctitatis contulerit, ut Spiritu Sancto repleti sint, quantum omnium virtutum copiam, & gratiarum cumulum, illa quæ per tres menses cum Virgine Matre intercessit familiaritas, & consuetudo contulerit, fusius ex dicendis patebit.

§. 2.

Felix Domus, quam Maria, cum Christo VISITAT.

O Ter, quaterque beatam domum illam, quam Christus cum Matre visitat, tota cœlestium benedictionum affluentia locupletatur 1. Paral. 6. *Mansit arca Dei in domo Obededom tribus mensibus,* c *& benedixit Dominus domui ejus, & omnibus quæ habebat.* Visitationis hujus typum in Virgine Matre cernimus. *Maria etenim,* ut loquitur B. Iustinianus d Venetus, *testamenti* ARCA *verissima, divinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, atque imputribilibus lignis spiritualiter facta, suavissimum in se manna continuit.* Hæc inquam arca totam domum Elizabeth, ubi per trimestre quievit, divinis benedictionibus replevit. Ioannes materno clausus utero, horrida originali noxę caligine involutus, derepente auroram sensit illucescere, & divino gratiæ radio, totam illam noctem dissipari, e *ipsum in benedictionibus dulcedinis* prævenerat, *Deus, cum adhuc in materno teneretur corpusculo.* Ac prima quidem hujus benedictio fuit de rore cœli: jam enim cœli roraverant, quod Isaias cap. 45. postularat. aureee f Chrysologus: *Ioannes ante pervenit ad cœlum quam tangeret terram: ante accepit divinum Spiritum, quam humanum: ante suscepit divina munera, quam humana corporis membra.*

Mortales inter, moris & consuetudinis receptæ, si Princeps aliquis, aut Regia Matrona aliò proficiscens ad privati cujusdam ædes visat, & divertat, hospitæ forte gravidæ, aut parturienti in perpetuam visitationis suæ memoriam patrinum se, aut matrinam ingenti cum munere & amplis beneficiis ultro offerre: ac nasciture proli, velut propriæ, peculiaris favoris, ac munificentiæ testimonia conferre, inque suam adoptare. Sed nulla hactenus Matrona, tantum donorum susceptæ è fonte baptismatis proli contulit, quantum Virgo Maria visitando Ioannem. Hæc illum è mancipio diaboli, filium fecit altissimi, & hæredem regni cœlestis: *prius pervenit ad cœlum,* g *quam tangeret terram.* Hæc illi non modo gratiam infudit, sed Sp. Sancto replevit. Qua de re melliflue h Bernardus: *neminem unquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Ieremiam, & Ioannem*

a Amb. l. 2. de Virg. b Bonav. in spec. virg. c 2 Reg. 6. d B. Lauren. Iustin. ser. de Nativ. vers. 29.

e B Laur I. st. serm. 1. de S. Ioann. Bapt. f Chrysolog. serm. 91. g Chrysolog. cit. h Bern. ser. de S. Ioan. Baptist.

Baptistam. Sed longe minor Ieremiæ sanctificatio, quam Ioannis; ille quidem in utero Matris sanctificatus est, hic repletus Spiritu Sancto fuisse cognoscitur: multo quippe excellentius est Spiritu Sancto repleri, quam sanctificari: ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem significat. Hæc illi etiamnum in utero, plenum rationis usum contulit; in quam sententiam conspirant unanimes tum Græci, tum Latini Patres: ex his unum: ne longior sim, audite Ambrosium: a *habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat effectum.* Carthusian. serm. 3. de S. Joanne: *in utero tam miraculose, & copiose illuminatus est à Spiritu Sancto, quod intellectualiter cognovit Dei Vnigenitum esse jam incarnatum, atque in utero Virgini præsentem.* Hæc illum nondum vagientem, fecit disertum, fecit Prophetam, in utero. Chrysologus: b *Beatus Ioannes ante Dei Spiritum meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu.* Ubi ingeniosus ac Religiosus interpres, eum artificiosissimæ Memnonis statuæ, ab Apollonio affictæ, apte comparavit; de hac Philostratus c, Plinius d, & Aldus Manutius ad Zenobium Florentinum: *legimus Memnonis statuam, Adolescentis impuberis imaginem referre, ex nigro lapide constructam; cumque primum solis radius ad illius os pervenit, locutam memorant, hilaresque oculos convertisse ad lucem.* Quid ni longe potentiùs, e ubi *aurora lucis perpetuæ*, benignissimo radio Joannem collustravit, os infantis fecit esse disertum?

Eusebius Emissenus: f *nondum natus est, & prophetat.* Et S. Cyrillus: g *Salutatio sanctæ Virginis Mariæ, adhuc secum Iesum ferentis in utero, movit Ioannem ad Prophetiam.* S. Leo: h *Præcursor Christi, Spiritum Prophetiæ intra viscera Matris accepit.*

Denique si sub primum congressum, & Virginis affatum, tantus gratiarum, ac cœlestium donorum cumulus Joanni accesserit, quantum excrevisse credimus, dum divinæ hujus arcæ præsentia toto trimestri fruitus est. Quod Ambrosius *i* in illa verba: *mansit cum illa* Elisabeth *mensibus tribus*, rectè observavit: *non sola*, inquit, *familiaritatis est causa, quod Virgo diu mansit; sed etiam tanti Vatis, id est Ioannis profectus: nam si primo ingressu tantus profectus exstitit, ut ad exultationem Mariæ, exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto Mater infantis: quantum putamus usu tanti temporis, Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Vngebatur itaque Ioannes, & quasi bonus athleta exercebatur in utero Matris Propheta: amplissimo enim virtus ejus certamini parabatur.* Quid, quod eâ prærogativâ Joannes à Virgine Matre dotatus sit, qua nemo mortalium, ut Mariam quasi divinam in ortu suo Lucinam ac dein gerulam nancisceretur. *Unde* Bernardus serm. de privilegiis Ioann. Baptistæ: *morata est*, inquit, *Maria, donec puerum beatissimo confoveret sinu, & propinquiorem*

a Ambr. lib. 1. in Lucam. b Chrysolog. ser. 88. c Philost. in iconib. d Plinius l. 35. cap. 7. e Bonav. in hym. &c.

f Eus. Em. feria 6. adven. S. g Cyr. in c. 1. Luc. n. 44. h S. Leo ser. 10. in Nativ. S. Joa. i Ambrosius in c. 1. Luc.

redderet præsentia Creatoris. Progreditur B. Petrus Cardinalis Damianii, sermone de S. Ioanne: *ipsa Dei Genetrix filium puerum* (Ioannem) *primo de terra levavit.* Quod & suo alter S.R.E. Cardinalis, Doctor Seraphicus, firmat testimonio lib. 5. vitæ Christi: *peperit Elisabeth filium, quem Dominæ levavit à terra, & diligenter aptavit, &* adoptavit: *& parvulus illam, quasi intelligens, aspiciebat*; ac tandem concludit: *considera magnificentiam Ioannis, nullus unquam talem* GERULAM *habuit.* 2. Reg. 6. benedixit Dominus Obededom & omnem domum ejus, in quem locum *a* Abulensis curiose, & studiose evolvit, quænam fuerit hæc benedictio? *credendum,* inquit, *est quod in illo modico tempore, quo fuit arca in domo Obededom, multiplicavit Dominus prolem ejus, & fructus agrorum, & omnem substantiam ejus: deditq; illi hilaritatem, & salutem.* Eadem insistit via Liranus: *benedixit*, inquit, *Obedom, multiplicando eum in bonis spiritualibus, & temporalibus.* Causam vero tantæ benedictionis hanc assignat, uti & *b* Carthusianus *eo quod circa arcam Domini, reverenter se habuerit, & devote.* Quod si hæc tanta bona contulit umbra, quid non conferet lux ipsa? si materialis arca, domum Obededom tantis terrenarum, cœlestiumque rerum divitiis locupletarit, quid non spiritualis ac cœlestis arca nostra, domui Zachariæ, ipsique comprimis Ioanni contulisse credenda est? qui quanta hanc arcam veneratione exceperit, ex Salmerone doctissimo sacrarum literarum interprete patebit.

c Tradunt inquit, nonnulli, in amplexu Mariæ & Elizabeth, Mariam in Spiritu vidisse Ioannem genu flexo coram Christo, & se mutuo mentis oculis respexisse: & Christum sedentem, illi *benedixisse* atque, ita sanctificasse, & Spiritu Sancto replevisse, ac præcursorem instituisse, eique nomen Ioannis indidisse; Ioannem vero lingua Angelica Christo canticum cecinisse, tuncque tripudiasse, saltumque exultationis edidisse. Atque hæc quidem dum fierent, matres erant in mutuo amplexu, linguaque propemodum Angelica ad se invicem loquebantur. Quo spectat illud *d* Ambrosii: *duplici miraculo prophetant Matres, Spiritu parvulorum: non prius Mater repleta quam filius; sed cum filius esset repletus, Spiritu Sancto replevit & Matrem.*

Hactenus diximus, quid Virginis visitatio Ioanni contulerit, nunc quid Elizabethæ, & Zachariæ collatum sit videamus: hæc enim animata arca, non solum benedixit Ioannem, *sed & repleta est Spiritu Sancto Elizabeth*, ac de præsenti, præterito, & futuro prophetavit, ut docet *e* Gregorius.

Admirabile Incarnationis mysterium, tot sæculis absconditum, à Spiritu Sancto didicit. Prima post Virginem Mariam & Joannem, illud agnovit, prima patefecit: prima Virginem, Matrem Dei appellavit; *Unde*, inquit, *hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me.* Prima in Dei-

a Abulens. in 2. Reg. 6. q. 11. b Carthus. l. 2. Reg. c. 6. n. 11.

c Salmer. tom. 3. Euang. hist tract 10. d Amb. lib. 2. in Lucam. e S. Greg. hom. 1. in Ezech.

paræ laudes, os illud Spiritu Sancto plenum reseravit. Tum ex quotidiana, cum Virgine Matre consuetudine, divinissimo colloquio, morum honestate, totiusque corporis supra omnem humanam formâ plane admirabili, virtutum ac gratiarum incrementum Elizabetham accepisse, præter Ambrosium etiam *f* Origenes testatur: *Si enim eo quod tantum venit Maria ad Elizabeth, & salutavit eam, exultavit Infans in gaudio, & Spiritu Sancto plena Elizabeth prophetavit ea, quæ in Euangelio scripta sunt: & in una hora tantos profectus habuit; nostræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecit, assistente Maria Elizabeth, valde quippe indignum est in puncto horæ, atque momento exultari infantem repletamque esse Spiritu S. Elizabeth; per tres vero menses, nec Ioannem, nec Elizabeth ex vicina Matris Domini, & ipsius Salvatoris præsentia profecisse.*

Atque ut totam domũ benedictionibus repletã, ab hujus arcæ præsentia cognoscatis, Zacharias quoque non exigua beneficia consecutus est: Messiæ adventum ex revelatione cognovit, divino amore exarsit, gratia crevit, ut fusius docet Barradius. *b* Ac demum in die quo Ioannes circumcisus, vocem recepit, & S. Sancto plenus, præclarum Vaticinium edidit. Ita sentit Origenes hom. 10. in Lucam: *mansit Maria cum Elizabetha, mensibus tribus, ut per ineffabilem quandam virtutem, non solum Ioannem, sed etiam Zachariam præsens Salvator instrueret: paulatim quippe & hic per tres menses S. Spiritus augmenta capiebat, & cum nescit erudiebatur, & de Christo prophetavit;* & impurissimæ Virginis amorem ita exarsit, ut dum eam simul & Matrem & Virginem coram Iudæis constanter astruit, ac tuetur, ab iis crudeliter interfectus, Martyrii palmam consecutus sit. Vt tradit Baron. an. Christi 1. n. 54. ex Cyrillo Alex. Greg. Nysseno, Basilio & aliis.

Habitavit ergo arca Domini, id est, Virgo Maria, in domo Elizabeth mensibus tribus, & benedixit Dominus Elizabeth, & omnẽ domum ejus. Adducamus arcam hanc, domum nostram, id est Virginem cum filio, in animum, in ædes nostras, ut benedicat & nobis Dominus. Audi quid fecerit David, ubi inaudiit Dominum propter arcam benedixisse Obededom 2 Reg. 6. *Nuntiatum est Regi David, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus propter arcam. Abiit David, & abduxit arcam Dei de domo Obededom, in civitatem David cum gaudio.* Nobis quoque nuntiatur quod benedixerit Dominus Elizabeth, & totam domum ejus, propter visitationem Mariæ. Eamus ergo, & adducamus *arcam Dei cum gaudio* in domum nostram, aram arcæ huic exstruamus, in vestibulo domus nostræ, in atrio, abaco, in cubiculo, omnium ædes hodierna die hæc arca visitet, in omnium conclavia inducatur, imago Virginis ubiq; resplendeat, si gratia, virtutibus, si benedictionibus cœlestibus adimpleri velimus; *c* Experto credite, minimorum maximus parens Franciscus de Paula, Sanctissimæ Deiparæ imaginem in oratorio suo collocatam, sæpius visitabat, cœle-

a Origenes hom. 9. in Lucam. b Barrad. tom. 1. l. 7. cap. 14.

c Barrii paradis Ouvert. c. 1. devot. 3.

colebat, venerabatur, quo factum ut mille benedictionibus à Dei Matre cumularetur. Hoc ut Regi Galliarum Ludovico XI. nunciatum est, hanc arcam portentosam? hanc D. Virginis imaginem, in civitatem suam, in regnum suum deferri optabat, oblata S. Francisco statua altera ejusdem Virginis 17000. aureorum; sed frustra; pluris enim huic Sancto, quantumvis vilis materiæ icuncula erat, quæ tot cœlestes gratias in ejus mentem depluebat; quodque potissimum inculcandum, & memori mente reponendum duxi: ut vivam morum, sermonum, conversationis, visitationis Marianæ, arcam, in familiam vestram inducatis. Hinc *sumatis* a *licet exempla vivendi, quid corrigere, quid effugere debeatis*, ut noxias illas, & diabolicas quæ hac tempestate intempestivis horis instituuntur visitationes, exstirpetis.

§. 3.

Visitationes noxiæ cavendæ.

FUit in Galliis puella nobilis, jam nubilis, ob formæ venustatem, & rarā indolem mille petita procis: quorum visitatione & consuetudine, cum non parū pudicitiā suam lædi, ac labefactari animadverteret, effigiem suam ad vivum, ac circumquaque examen muscarum & vesparum depingi curavit, in polita Crystallo, cui eæ adhærere nequibant, *geen vatten aen my.* Hac eleganti Epigraphe subjecta: *nil mihi vobiscum:* senserat enim vero visitatationes eorum, nunquam nisi acerrimo in mente relicto aculeo, institui consuevisse; quem utinam remorsum plures filiæ, ac Matronæ persentiscerent, & salubriter compungerentur, cessaret justissima illa gravissimi concionatoris querela: *Video*, inquit, b *pro dolor! fœminas non paucas, pluribus* VISITATIONE *maculis inφci, quam mente tota, familiaribus conversantes.* Intrat Maria domum Elizabethæ, & replet eam Spiritu Sancto. Intrat Adolescens domum Elizabeth, Isabellæ, Margaretæ, Catharinæ & implet eam, non Spiritu Sancto, sed Spiritu maligno, implet eam non Spiritu, sed carne & carnali concupiscentia. Intrat Adolescens VISITANS *speciem tuam*, & vitiat, ac inficit animam tuam. c Quod ne & tibi contingat, fœminam vobis conjugatam, illustri Suecorum familia proponam: hæc ut Spondanus d gravis historicus narrat, a. Christi 1239. cum formosissima esset, virque ejus nobilitate conspicuus, à multis aliis nobilibus frequenter visitaretur, illa animi decore præstantior, quam formâ corporis, graviter has visitationes ferens, ne curiose videntibus occasio scandali præberetur, oratorium suum semel sola ingressa, fusis ad Deum lachrimis, instantissime rogavit, ut specim suam in tantā fœditatem commutaret, ut esset carnis turpitudo, majori horrori, quam fuisset pulchritudo honori. Nec mora horribili leprâ ita vultus contabuit, ut vix à proprio viro & familiâ agnosceretur; qua de re cum ipsa mire gauderet, à viro tam religioso qui confessio-

a. Ambr. cit.

b Barth. Escobar. ser. 1. in Nativit. Virg. c Ib. 5. d Spond in. an. 1239 n. xxi. ex Cantip. l. 2. cap. 30. num. 29.

fessiones ejus audiebat, acriter increpita, quod in contumeliam, & periculum mariti sui, opus Dei in se destruxisset, & propinquos atque amicos suos ad blasphemandum compulisset, jussaque divinam clementiam pro priori forma interpellare: illa pari obedientia ad orationem prostrata, Dominum rogavit, ut dignaretur plasma suum in ipsa restituere, secundum quod divinæ ejus voluntati placeret. Vixque verba compleràt, cum facies ejus pristinæ forma restituta est; At sibi longe gravius metuens, ne fœdiori leprâ, aut contagione animus inficeretur, paulo post decedente viro suo, cum unica quam habebat filia, monasterio Linchercensi, sororum ordinis S. Dominici, sese inclusit. Porro quis vestrum non studiose etjam amicos, vel propinquos vitarit, leprâ, dysenteriâ, calidâ febri, peste, aliove contagionis malo correptos? quod ad morbos animi recte traduxit Seneca: a *sumuntur à conversationib9 mores, & ut quædam in corporis contactos vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit.* Visitationes eorum devita, qui obscœnis sermonibus, petulanti manu, oculo lascivo, virus afflant, pestem aspirant, interitum animis inferunt. Exploratum hoc & deploratum quam maxime Antistiti Carthaginiensi: b *mentior si non vidimus exinde interitus plurimorum: quanti & quales Episcopi, & Clerici, simul & Laici, post confessionum, victoriarumque calcata certamina, post magnalia, & signa mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare! quantos Leones domuit una infirmitas delicata, quæ cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam.* Unde mox subdit: *longe sit* PESTIS ILLA, ET LUES, *& clandestina pernicies.*

Ut alios omittam, exemplo sit lapsus ille viri magni, quem ætate sua B. Thomas Cantipratanus c accidisse commemorat: is cum Canonicatum præpinguem, in curam animarum convertisset, ut eas Deo lucri faceret, septuagenariam Virginem, quæ ad illum identidem visebat, & cilicium ejus lavare consuerat, deperire cœpit, & opportunitate pellectus, vitiavit. Quo scelere admisso, illa quidem pœnitens resipuit; at ille infixus limo profundi, misere periit; d *circa ignem sedens*, audi quid, cui scribat Bernardus etsi ferrea sis, *dissolveris; sæpe familiaritas vicit, quos vitium superare non potuit.* Et erit qui in istiusmodi visitationibus, nil sibi periculi timendum, nil cautelæ adhibendum duxerit? cùm tamen Hipponensis Præsul casu eorum, qui ex consuetudine, & visitatione mulierum gravissime lapsi fuerant, sic omnes terreat: *Experto crede coram Deo non mentior, cedros Libani, duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi, vel Ambrosii.* Hæc dum audimus, nobis obvenire posse, quæ aliis acciderunt merito formidamus, cumque sanctissimus hic Doctor, hanc ruinam etiam in

a Seneca l. 3. de ira, c. 8. b S. Cypr. de singul. Cleric.

c Cantip. l. 2. apum c. 30 § 47. d Bern. ser. 56. ad sororem.

Eccle-

Ecclesiasticis ac Religiosis viris observarit, juvat hic pauca delibare, quæ ex sapido vitæ spirituali fonte, P. Alvarez de Paz nobis fecit scaturire l. 5 part. 2. cap. 27. *quod religiosus superfluos discursus, & visitationes fugere debeat*; Vbi ex S. Basilio docet, quomodo, ac quorum visitationes utiles, & honestas, viri religiosi instituere queant: a *non perpetuo tanquam in custodia permanendum; sed quandocunque & res poscit, & conscientia non reprehendit, libere est, fidenterq; prodeundum, & de fratribus probatissimi quiq;, & propter insignem vitæ sanctimoniam maximè* UTILES INVISENDI, *& ex fructuoso eorum congressu, virtutum exempla capienda, ita tamen ut in prodeundo modus teneatur.*

Talem Viros Religiosos, ac Ecclesiasticos, atque ipsos etiam Laicos visitationem instituere convenit, *ex quorum fructuoso congressu, virtutum exempla capienda*, & ex quorum commercio, nihil de fervore remittant, nihil pulveris sæcularis contrahant; sed sicut candidissimi inter volucres cygni, nihil nitoris in aquarum illuvie deperdunt, sed hoc quasi sibi proprio symbolo gloriantur:

Tangor, non tangor ab unda; ita & hi, in mundi hujus fluctibus, conversationem habentes sanctam, castam, & plane divinam. Talis exstitit S. Præsul Turonensis Martinus, quem etiam aulas Regum, & Imperatorum, non modo citra fuliginem; sed summo cum fructu visere solitum. Sulpitius refet: b *Maximus Imperator sæpius evocatum (Martinum) receptumq; intra palatium. venerabiliter honorabat. Totus illi cum eo sermo erat de præsentibus, de futuris, de fideliumgloria, de æternitate Sanctorum; cum interim diebus ac noctibus, de ore Martini Regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes Sancti fletu rigabat, crine tergebat.* Idem B. Franciscus Borgia cum Carolo V. practicavit.

Perfectam quoque sanctissimæ conversationis normam expressit Chrysostomus, *qui in suis colloquiis familiaribus* (ut scribit Georgius Alexandrinus) *comme-minit vitæ Sanctorum Patrum, & Anachoretarum, eorumq; conversationis & virtutis; ita ut ejusmodi sermonibus compungerentur non pauci, atq; ex eorum oculis elicerentur uberrimæ, ac defluerent lachrimæ, & ingenti desiderio caperentur, solitariam exercendi vitam.*

Verum enim vero quis talem suam visitationem, & conversationem affirmare audeat? quis eo solidarum virutum fretus præsidio, ut nihil à sæcularium consuetudine sibi detrimenti imminere, gloriari queat? c *Omne agens, in agendo patitur*; ut docet maximus Philosophorum Aristoteles. Quæ doctrina non minus vera reperitur, dum quos invisimus, etiam meliores reddere studemus. Lima es, quæ rubiginem vitiorum abradis, à ferreo pectoris pectore; at dum deteris abradendo, non nihil ipse detereris. Scalpellum es, quo cor lapideum secularis hominis in pulcherrimam effingis statuam; at Scalpellum ipso usu hebescit. Sigillum quantumvis chalybeum, obsignando retunditur. Idipsum viris etiam Religiosis ole-

a S. Basil. li. consti. Monast. c. 2.
b Sulpit. dia. 2. §. 7.
c Arist. l. 4. de gen. animal. cap. 3

plerumque evenit, qui alios in vasa gloriæ, in imagines divinæ consortes naturæ, effingere student. Erudite Seneca ad Lucilium scribens, de frequenti conversatione, & visitatione: *Ego confiteor imbecillitatem meam; nunquam mores quos extuli refero, aliquid ex eo quod compositum, turbatur. Inimica est multorum conversatio: nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut allinit.* Quæ verba Iustus Lipsius explanat: *aut commendat* inquit, *exemplo, inprimit sermone, allinit conversatione.* At ne Ethnicis dumtaxat insistamus, agnovit damnum illud, vitæ spiritualis, peritissimus Magister B. Laurentius Iustinianus, qui sic deplorat incautorum ruinam: b *quot temporibus nostris fuerunt, & sunt, qui tanquam ardentes lampades, & Mundi luminaria lucebant, coram hominibus: paulatim ex frequenti secularium conversatione, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt!* & extincto Spiritu, & luce gratiæ, ardentes hæ flammæ, domum fumo, & fœtore repleverūt, c *dum commixti sunt, inter gentes didicerunt opera eorum.* Hinc sibi metuens, sincerissimus Doctor Campensis: d *maximi Sanctorum*, inquit, *humana consortia, ubi poterant vitabant, & Deo in secreto vivere eligebant. Dixit quidam: quoties inter homines fui, minor homo redii,* minor gratia, minor virtute, minor cœlestiū meritorum copia; sed ovis instar, quæ per sentes & spinas vagatur, multum de lana sua perdit:

Een Schaep dat door de dornē gaet,
Seer licht van syne wolle laet.

a Sen. ep 7. b B. Laur. Iust. l. de disc. c. 12. c Ps. 105. d Tho. à Kemp. l. 1. de imit. c. 20.

e O utinam exclamat P. Alvares, utinam non quotidie experiremur? utinam non videremus illos, f *qui nullo loco possunt consistere, & secū morari*, qui plateas, & limina externorum terunt, non ad quærendum sponsum, sed ad oculos pascendos, tempus fallendum, rumores captandos, vanitatem, & sensualitatē fovendam! Utinam non videremus illos innumeris peccatis sordidos, bonis operibus vacuos, & omni sensu vitæ spiritualis expertes! Radicem vero hujus frequentis excursionis, & visitationis, Cassianus pessimam assignat, g *acediæ*, inquit, *duo sunt genera; Unum quod ad somnū præcipitat æstuantes, aliud quod cellam deserere, ac fugere cohortatur, suggerit salutationes*, VISITATIONESQUE.

Corvus egressus ab arca, humani generis servatrice, putida in summis montium ejecta cadavera visitavit, iisque insedit, nec est reversus ad arcam. Et isti, inquit Alvarez, semel à vitæ religiosæ tranquillitate, ad seculares collocutiones, & visitationes egressi, ad bonum quod perdidere, redire non curant.

Quid? quod ii, qui frequentes illas, & prolixas visitationes sectantur, passim ut homines otiosi, ac vagi, aliis se viles, & contemptibiles reddunt. E Latinis Apulejus: h *parit conversatio contemptum, raritas conciliat ipsa rebus admirationem.* Expressius S. Gregorius, i explanans illa verba Sauli dicta, à Samuele: *festina nunc, hodie enim venit in civitatem.* Ait sic locutas fuisse puellas:

e Alvarez de Pax. cit. f Seneca. g Cassian. col 5. c. 11 & l. 20. de spiritu acēd. l. 1. h Apuleius l. 2. de Socrat. i S. Greg. l. 4. in 1. Reg. 9.

quia

quia raro videbatur in civitate, videlicet tardè veniens, cito recedens. Quo nimirum Magisterio Sanctæ Ecclesiæ Doctor instruitur, ut videlicet raro sit in publico, frequens in secreto, ut quo tardius aspicitur, devotius veneretur; Tunc quasi cœlestis excipitur. Quod si frequentius evagetur, diutius commoretur, & contemptui, & fastidio erit, ut sciteRabanus adnotavit, qui expendens illud Pro. 15. *Mel invenisti; comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* Sic in rem nostrā disertissime: *Etsi cujuslibet* VISITATIONEM *melle dulciorē inveneris, melius est ut rarius veniendo facias eum diligere adventum tuum, quā vel una vice tamdiu cū illo maneas, vel toties ad eum venias, ut fastidiat.*

Ut experientia quotidiana comprobat, dum non semel ex auditæ illæ voces, quā gaudeo illū decessisse, quam prolixo ac tetrico suo sermone fastidium parit? accedit, negotia domestica, aut externa sæpe aliò avocare, Ancillas, Famulos, Ephœbos, excandescere, diras omnes imprecari, ut recte observavit Hieronymus. a *interdum ut* VISITANTIBUS *reddamus vicem ad superbas fores pergimus, inter linguas rodentium ministrorum, postes ingredimur deauratos.*

Tandē ut eo revertamur, unde exorsi sumus, si visitationes honestissimas, utilissimas, jucundissimas spectetis, Virginem supra omnes mortales specie venustissimam, morum suavitate gratiosissimam, generis dignitate illustrissimam, omnibus corporis, animique dotibus excellentissimam, mundi Dominam, cæli Reginam, Dei Matrem visendā,

a Hieron. epist. ad Marcell.

ejusque cultui templa, sacella, aras, statuas, imagines, dicata, indies salutanda ac frequentanda, omnibus quo possum affectu flagrantissimo prædico, atque pronuntio. Qua in parte excelluit S. Bernardinus Senensis, qui Amasiā suā ut dictitabat indies bene mane salutatum, extra urbis pomeria, Sanctissimam Dei Matrem visebat.

b Consimili pietate excelluit B. Maria Ogniacensis, quæ statis temporibus ad ædem Deiparæ, duobus milliaribus domo dissitā, unica ancilla comite nudis pedibus, aspera & rigente hyeme revisit, impransa, & incœnata biduum, & totā noctem in templo hanc Virginem Matrem visitando, & cœlesti confabulatione transigendo insumpsit.

Quod si cui forte incommodum, longius ad eam visitandam excurrere, in interiori domus oratorio statuam ejus erectam colat, c ac veneretur, exemplo B. Mariæ de Victoria, quæ sæpius de die iconē inter claustra monasterii expositam piissime visebat, & amantissime salutabat. Unde prę[?]ferto alias delicias, alios favores, liquidissimasque voluptates, quā ex præstantissimarū filiarū visitationibus percipi soleant, referebat, de istiusmodi enim sincerissimus censor Hieronymus: d *pudet dicere frequentiam salutandi; qua aut ipsi quotidie ad alios, aut alias pergimus, aut ad nos venientes ceteros expectamus.* Deinde *itur in verba, sermo teritur, lacerantur absentes, vita aliena describitur, & mordentes invicem consumimur ab invicem.*

b In vita Drexel. tom. I. p. 401. c Barrii. Paradis Ouvert. c. 7. devot. 2 d Hieron. epist. ad Marcell.

Quanto

Quanto integrius, quanto tutius, quanto suavius, quanto sanctius Virginem Matrem visimus, atque cum ipsa, ejusque dilectissimo filio, cujus conversatio amaritudinem non habet, sermocinamur.[a] Stimulo hic etiam religiosis est puella Judaica Rachel nuncupata, quæ etiamnum quinquennis tanto in Deiparam ferebatur affectu, ut ad ejus encomia, tota exardesceret; quidquid Dominancisci poterat in Virginis gratiam pauperibus elargiretur. Tandem in presbyterum Ludimagistrum cum aliis puellis incidens, elementis fidei clam imbuta, illusis omnibus parentum ac propinquorum technis, à sponso profuga, in Parcense Cœnobium prope Lovanium, asylum invenit; ubi se totam Reginæ Virginum, dilectissimæ suæ Matri dedicavit: quæ ita ei in deliciis, ut si quando nobilium Monialium parentes & affines, ad filias aut cognatas *viserent*, hæc imaginem Beatissimæ Virginis visitabat, & gratioso vultu dicebat: aliæ sorores nostræ moniales à Matribus, & Amicis solatium habent & gaudium, ego autem paupercula, pupilla, & indigna, ad te Dominam, ut cognatam meam fidenter accedo. Tu sola pro omnibus, esto mihi refugium, & solatium. Nec dubium quin plus ex hac visitatione dulcedinis, & sincerissimæ voluptatis in animo perceperit, quam reliquæ omnes per horas plures, cum Amicis suis verba vana, profana, lubrica, commiscentes, ex quibus conscientiæ remorsus, & mentis amarities redundet. Denique qui hic sæpius Virginem visitarit, non modo uberes divinarum consolationũ, & cœlestium gratiarum fructus reportabit; sed & certo confidere poterit, se in suprema lucta omnibus charis destitutum, ab illa misericordiæ Matre visendum, gratissimaque præsentia dulcissimi Jesu, in throno gloriæ visendi & videndi recreandum. Fidem facit insignis Virguncula, & puella pastoritia, quæ velut flos campi, eximio nitore suo, omnium oculos animosque ad sese suaviter pellicere, & fortiter pertrahere videtur. Pudica hæc filia in pascendis gregibus, Patri suo famulabatur, eratque in vicino Ecclesia, deserta illa quidem, ac propemodum diruta, imaginem servans, carie licet ac vetustate collabantem, Virginis tamen Matris speciem, ac simulachrum repræsentantem, qua innocens puella vehementer delectata, tempore quo oves pascebantur, eo se conferre, illam visere, & coram illa preces fundere imprimis solebat. Unum erat quod ferre non poterat, neglectim haberi tantæ Matris effigiem, cui ipsa quamtumvis vel maxime cuperet, aliud adferre remedium non poterat, præter unum religiosæ pietatis studium, quo statuam hanc ab omnibus desertam, frequenti visitatione impensius coleret. Statuit ergo quod à domesticis laboribus invenire liberum tempus posset, illi suæ imagini honorandæ impendere. Et annos plures constanter visendi ac venerandi hanc iconem ea religio tenuit, donec pastoritiis curis, ac studiis fracto corpusculo morbo puella succumberet. V[b] autem constet, quam omnis Vr-

a Thomas Cantip. l. 2. apum c. 29.

b Ioannes Major in specul. hist.

banita-

banitatis etiam in pastoritia filia, Dei Mater memor, se visenti vices rependerit, accidit ut die illa qua hæc è vivis decederet, duo ad villam in qua ægra decumbebat, peregrini iter facerent qui meridiani æstus declinandi causa, nemus ingressi, unus somno obrui, alter orationi insistere cœperit; uterque vero speciosarum Virginum cœtum, quem ceteris augustior Matrona ductabat intuebantur. Obstupescere hic vigil, nec diutius continere valens, ecquæ tanti, tamque splendidi in silvis causa adventus exquirit? cum statim illa, quæ ceteris præcellentior videbatur: ego, inqvit, *Maria* sum Mater Dei, quæ neminem me invisentem respuo; sodales vero hæ, Virgines sunt, quæ virginitatem suam filio meo, mihique consecrarunt, pergimus autem in villam proximam, *visitare Virginem* quandam pastoritiam defectis viribus, ad extrema tendentem, quæ cum vivens valensqve me toties viserit, atque omne obsequium dicarit, vicissim ipsi visitationem nostram deesse noluimus. Dixerat, & omnis ilico chorus ex oculis ejus evanuit. Cumque ille socium suum è somno excitasset, ab eo narrari totum, quod vigil ipse conspexerat, audivit. Assurgunt itaque simul, & pagum intrant, atque ubi ægra puella cum morte conflictans delitescat, inquirunt: ac tandem stramineo in thoro decumbentem inveniunt, & perofficiose salutant. Quibus Virgo: disco operite vos amici, & orate Dominum, ut videre concedat, atque oculis intueri pulcherrimum hunc comitatum, juxta me consistentem. Qua monitione in genua provoluti, quem paulo ante in nemore virginum cœtum conspexerant, denuo intuentur; stabat juxta infirmam Virgo Deipara, sertum miræ pulchritudinis manu tenens, quod inter suavissimos concentus, & dulcis harmoniæ cantus, quibus chorus ille ad miraculum concinebat, animâ de corpore egressâ, ejus capiti imposuit; illam vero secum, insidiis omnibus, atque periculis à teterrimis hostibus eo potissimum tempore longe abactis, ad visendum, videndumque dilectum filium suum in cœlos evexit.

Hunc quantumvis pastoritiæ filiæ, in visitando Dei Matre cultum æmulamini, ut beatissima hac ejus visitatione perfrui valeatis, *a* ejusque filius vos exaltet in TEMPORE VISITATIONIS.

a 1. Petri 5.

FESTUM

FESTUM
S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Omnes iniquitates meas DELE. Psalm. 50.



Maria Magdalena. Anagramma. *Grandia mala mea.*

ARGUMENTUM.

PAlimpsestum hic vides, innumeris numeris, atque ingenti debitorum summâ conscriptum, quæ omnia, ne minimo quidem vestigio relicto, unâ simul spongiâ delentur. Peccatoris typum gessit ille, qui debebat Domino suo, decem millia talentorum; & nos cum illo, omnes debitores tenemur, innumeris animum debitis

debitis consignatum gerimus; At ne quis, se solvendo forte desperet, spongiam hodierna luce, qua feliciter Magdalena sua ipsa debita delevit, nobis suppeditat; quæ non alia quam lachrimarum, ut aurea dicendi facundia Antiochenus Præsul testatur, hom. 2. in Psalm. 50. *Peccata tua in libro scripta sunt*, SPONGIÆ *autem instar, sunt lachrimæ tuæ: lachrimas mitte, & oblitterantur: lachrimas funde, & purus ille liber invenitur. Magna lachrimarum vis est*; Vt qvamvis scelera, etiam maxime inveterata, scripta sint stilo ferreo, aut tetris nigrisque notis papyro inarata, lachrimæ vice Spongiæ, ea penitus inducere, ac delere valeant; quod non semel cœlesti prodigio comprobatum est. Tum ne quis dumtaxat eas, quæ ex oculis fluunt, requiri arbitretur, atque eas pumice siccior, se sibi exprimere non posse conqueratur, Doctor Angelicus, *internas* potissimum *lachrimas* a (ut fusius deducemus) requirit; quas sibi concedi Divus Augustinus hisce verbis ardentissime efflagitabat: *da mihi quæso Domine Iesu* LACHRIMAS *ex toto affectu* INTERNAS quas jugiter pro quovis delicto fundendas, si super nivem dealbari velimus, commonebo.

a *S. Thom.* 1. 2. *q.* 35. *a.* 7. b *Aug. medit. c.* 36.

§. I. *Lachrimæ, Spongia peccatorum.*

§. II. LACHRIMIS COEPIT RIGARE, *& in omnem vitam perrexit.*

§. III. *Perenni peccatorum memoria, & assiduo lachrimarum imbre, pœnitentis animam, Super* NIVEM DEALBARI, *qui est fructus ultimus, & utilissimus.*

FE-

FESTUM S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Remittuntur ei peccata multa. Lucæ 7. v. 37.

EZechiel ille, ut *a* Hieronymus loquitur, *scripturarum oceanus & mysteriorum Dei labyrinthus:* qui teste *b* Gregorio Magno, *Magistrorum speciem & typum prædicantum tenet:* purissimus ille Dei oculus, vidit Angelum, *qui Christum magni consilii Angelum repræsentavit. c* Atramentario accinctum: *atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis.* cap. 9. v. 3. Symmachus transtulit: *tabulas scriptoris, ut scilicet omnium peccata describeret.* Scriba hic, omnia quæ ab orbe condito, quæ à primo die, & hora, qua homo ratione uti cœperit, egerit, dixerit, cogitarit, in fastos accurate redegit, omnes oculorum nictus, pedum gressus, manuum motus, linguæ: cordis affectus, desideria, technas, dolos, nequitias omnes suis tabulis consignavit. Quidquid in angulis, in antris, in caveis, in solariis, in clausis cubiculis, in silvis, in tenebris peractum est, inspector ille cordium, omnia ad calculos revocavit. Hujus scriptoris manum, ideo Iob gravius, quam Rex Babyloniæ, digitos scribentis in pariete metuebat; ad omnia quippe adamantinus, de hac gravissime queritur, & lamentatur. *d* SCRIBIS *contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentia mea.* Id est, ut exponit *e* Pineda; scribis peccata, quæ ad amaritudinem Deum provocant, & quæ homini amaritudinem pariant, ac peracerba tandem peccatori existant. Hoc est quod sanctissimum Vatem conturbat: dum animo obversatur, quod in divinis pictaciis, & grandi libro Dei, omnia nostra dicta, atque facta, diligenter descripta, atque à pueritiâ usque ad ultimum vitæ diem, ut inquit Corderius, *f* exarata serventur; sed sive hæc exarata sint in papyro, sive celte sculpta in silice, aut plumbi lamina, sive ut *g peccatu Iuda, scripta sint stylo ferreo, in ungue adamantino;* delere tamen vales illas amaritudines, *h* contra te scriptas, amoris lachrimis, & merito amaræ Passionis Christi; aqua, & sanguine, qui fluxit de Latere Crucifixi, per canales Sacramenti pœnitentiæ hauriendus, atque illud verissimum quod per Isaiam dixit experieris *i: Ego sum, qui* DELEO *iniquitates propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

a Hieron. in Ezech. c. 37. b Greg. l. 26. mor. c. 5. & lib. 3. exp. in 1. Reg. c. 9. c Hieron. in Isa. S. Brunonem in Ezech. c. 9. v. 3. d Iob. 13. v. 26.

e Pineda hic. f Corderius hic. g Ierem. 17. 1. h Lorin. in Psal. 50. v. 3. i Isa. 43.

§. I.

Lachrimæ, spongia peccatorum.

INter omnia quamtumvis acerba, benignissimi Iesu opprobria, inter omnia etiam atrocissima

cissima tormenta, quam sudore, sanguine, spiritu vitali, viribus omnibus, exhausto corpore sitim toleravit, acerrimum cruciatum exstitisse, gravissimi Doctores suffragati sunt. Jam toto corpore saucius, largissimum sanguinem effuderat, illudque *a* Vatis Regi pie queri videbatur: *aruit tanquam testa virtus mea, & lingua me adhæsit faucibus meis*; unde exclamat: *Sitio.* Quid? ille qui olim contentissimis in templo vocibus, omnes ad se *b* magnificè invitabat *si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; hic clamat: *Sitio.* Qui Samaritanæ mulieri, aquam haurienti, arcanam aquam, qua delibata non sitiret amplius, promisit, clamat, *Sitio.* Qui aperuit olim in deserto rupes in fontes aquarum, clamat: *Sitio.* Quid hoc? *fons c hortorum, puteus aquarum viventium* SITIT. Mirum equidem est, & vere mirum, inquit *d* Bernardinus Senensis, quod FONS SITIT, imo *omnium aquarum redundantia* SITIT. Audiat hoc Moyses, qui olim hujus nutu Sinaiticas aquas, in perennem aquæ vivæ fontem eliquavit. Audiat hoc Samson, cui ne ipso in victoriæ æstu aresceret vita, aperto aridæ maxillæ molari, hic idem fontem elicuit. Audiat hoc Agar, cui ne Ismael siti conficeretur, Angelum suum aridâ & siticulosâ in regione fontem aut aperuit aut indicavit. Sed has aquas, hos latices, illos fontes, non sitit Iesus. Sitis hæc non aquæ; nam undiq; audita ea voce, SITIO, accurrerent, atq; opem latura, verè plauderent manibus flumina. Non etiam sitis vitæ fuit, nam apud illum est *fons vitæ.* Quid ergo sitis ardentissime Iesu? plura acerbiora, atrociora tolerare. *e* LASSUS *adhuc* SITIT, inquit de eo divinus Vates, & *vacua est anima ejus.* Pagninus: *& anima ejus appetit.* alii: *& desiderium ejus adhuc crescit.* Ven. Beda hanc piam Christi querimoniam: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, eodem revocat; quod deficientes jam vires, diutius adhuc roborari, quo plura pateretur, exoptaret. Quid sitit? *f* Laur. Iustinianus: *salutem populi, quia aquæ multæ, populi multi*, sitire affirmavit, sitit affectum nostrum, sitit desideria nostra, sitit amorem nostrum. *Quod Christus Samaritanæ dixerat, Mulier, da mihi bibere, hoc in cruce omnibus ait*, SITIO. *Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine nascitur.* Atq; ut Nazianz. *sitit sitiri.* Quid sitis, amantissime Iesu? Audi Hipponensem Antistitem: *Sitis mea*, g *salus vestra est, sitis mea, redemptio vestra:* SITIO *sitim vestram, salutem vestram, gaudium vestrum: plus animarum vestrarum, quam carnis meæ cruciatus me tenet.* Hæc piissima Ludolphi Saxonis meditatio, cum S. Bernardi verba referens, scripsit in hunc modum: *h* SITIO, inquit, *Christus, non doleo O Domine, quid sitis? salutem vestram; & si non mei, saltem vestri miseremini.* Ac dein subjicit: *O Domine Iesu, coronam sustines, de tua cruce & vulneribus taces, & pro sola siti, clamas* SITIO. Quid sitis? quid potissimum sitiat, attendite auditores, & arrectis auribus adstate: sitit Magdalenæ sitim, pecca-

a Psalm 21 b Ioan. 7. v. 37. c Cant. 4. d Bernard. de Passione Dom. ser. 55. c. 5.

e Isa. 29 f B. Laur. Iustin. de triumph. agone c. 19. g Aug. serm. 1. de ramis palm. h Rudolph. à Saxon. de vita Chri. p. 2. c. 63.

tricis fœminæ, ſitit peccatricis animæ ac cujuſq; veſtræ lachrymas, ut perappoſite ad rem noſtram Chryſologus *a*, Archiepiſcopus Ravennas, excellentis vir ingenii, & divinis in vita miraculis corruſcans, hic aureo dicendi flumine: b *Deus* inquit, *delinquentium gemitus eſurit*, SITIT LACHRIMAS PECCATORUM. Execramur, ac deteſtamur immaniſſimam Judæorum barbariem, ſitibundo jamque moribundo Domnino, ſpongiam feralibus addictam miniſteriis, ſordibuſq; carnificum infectam, & rerum attactu contaminatam obtruſiſſe; nos ipſi interim Judæis crudeliores eam domino exhibemus. Porro ut litteratiſſimus ſcriptor ſcitè adnotavit: c *ſpongiam aceto plenam, olim ad ſupplicium obtulerunt hoſtes impii, & crudeles. Spongiam Ieſu offerunt, qui ejus cruore (& ſuo dolore, ac lachrimis) veluti ſpirituali ſpongiæ, ſua ipſorum crimina deleri nolunt*, quantumvis ſceleratis ſicariis, ac latronibus ad extremum ſupplicium condemnatis, ex inſita hominibus commiſeratione, aliquid generoſioris vini ſolet offerri. Eheu tantillum ſolatii, tuo ſubtrahitur Redemptori: d *potemus Ieſum pœnitentiæ lachrimis, ut dicat de nobis bene potantibus*: SITIVI, *& dediſti mihi potum*. O Chriſtiani pro iſto innocente ita defatigato, ita ſaucio, ita prorſus exhauſto, emendico propter amorem Dei pauxillũ aquæ, ex oculo manantis, ex corde contrito depromptæ. Lachrimas, Antiochenus Præſul, aptiſſimè ſpongiam cæleſti rore madidam, qua peccata omnia deleantur, compellavit: e *peccata tua*, inquit *in libro ſcripta ſunt*. SPONGIÆ *autem inſtar, ſunt lachrimæ tuæ: lachrimas mitte, & oblitterantur. Lachrimas funde, & purus ille liber invenitur. Magna lachrimarum vis eſt.* Eccum tibi in præfixo ſymbolo Palimpſeſtus, cui debita, & rationes contractæ, multorum millium exarata cernuntur: At ſpongia deletili, liquore imbuta, omnia, ne veſtigio relicto, delentur & oblitterantur. f S. Leo de lachrimis Magdalenæ: *felices lachrimæ, quæ ad diluendas culpas criminum, virtutem ſacri habuere baptiſmatis: felices lachrimæ, quibus audire meruit*: REMITTUNTUR *tibi peccata tua, verbis ipſo Chriſti ore prolatis.*

Quod ſacer Euangeliſta obſervans, ait: *Mulier quæ* ERAT *in civitate peccatrix*; hic dicit erat; quid vero Phariſæus ſentit de hac muliere? *quia peccatrix* EST: Phariſæus peccata lachrimis deleta ignorabat, & etiamnum peccatricem affirmabat, unde g D. Chryſologus: *errabat ſiquidem, qui tanquam peccatricem adhuc horrebat.* & alter h exclamat: *O lachrima mentem purgans! hæc eſt lachrima ſanctæ compunctionis ſoror, herba cæleſtis illius fullonis, quæ veſtes ſervorum ſuorum deturpatas, a ſorde quotidie expurgat*: hac enim longe efficacius, quam ullo lixivio, aliave herbâ, aut liquore, labes eluuntur, penituſque delentur. Narrat in eam rem Cæſarius: Adoleſcentem multis onuſtum ſceleribus, cum meliori tandem ductus

a Trithem. b Chryſolog. ſerm 93. c Novarin. electa ſacra l. 3. n. 139. d Origenes in Matth. 25 v 35.

e Chryſoſtom. hom. 2. in Pſalm. 50. f S. Leo. ſerm. 9. de paſſione. g Chryſolog. ſermon. 4 h Auguſt. ſerm. 2. ad fratr.

ſpiritu, illam animæ ſentinam, pœnitentiæ ſacramento exhaurire ſtatuiſſet, & jam ſeſe ad confeſſarii pedes abjeciſſet, derepente ita totum exhorruiſſe, ut ne verbum quidem eloqui poſſet: adeò ipſe, quæ contraxerat debita, enormia, & illi in immenſum excreviſſe videbantur, ut nec rationem inire, nec proloqui valeret; ſed foro iſti conſcientiæ cedere, in animum induceret: hærebat nimirum in equuleo, tormentoque pudoris, & licet dolor oculos ſolveret in lachrimas; linguam tamen ſuis vinculis adſtrictam tenebat pudor: donec tandem ea mens injecta eſt, ut quas eloqui lingua non poterat, omnium ſcelerum rationes, ad calculum revocaret, & in charta conſcriberet: quam cum uberi fletu aſperſam, tremula manu confeſſario obtuliſſet, reperit ille, dum evolvere vellet, omnino candidam, atque omnia ſcelera, velut ſpongia deleta. Id plerique miraculum extollunt, id omnes jure admirantur, & deprædicant; aſt illud nimium, quantum exſuperat, quod indies fieri, certa fide tenemus: maculas noxæ lethalis, viperino, & cerbereo felle, ungue adamantino, animæ inſculptas, pœnitentis lachrimis deleri. O miraculum longe excelſiſſimum! prodigium longe diviniſſimum! & digito Dei digniſſimum! candor hic nitidiſſimæ papyri, animum deterſa omni labe, longe candidiſſimum ſignificabat. Si quæ turpis macula, pretioſæ veſti aſperſa eſt, moris eſt, ut chartæ bibulæ madefactæ, carbo ignitus inſeratur, qua omnis macula deletur. Magdalena tota liquitur in lachrimas, tota lachrimis madet, cor intus carbonis inſtar igniti ardet, & plorat, atque hac ratione omnes animæ maculas delet; ita & nos, inquit Chryſoſtomus: a *Si doleamus, & contriſtemur, peccati magnitudinem minuimus; ſæpe vero etjam funditus ipſum* DELEMUS. Ejuſdem omnino generis eſt, quod in S. Baſilii vita legimus: Mulier erat, quæ multis annis innoxie vixerat, ſed amiſſo tandem marito, & pudorem, & integritatem amiſerat. Abierant in eo ſcelere complures anni, quibus exactis, quantum Domino ſuo deberet, attentius ſecum recolens, ad debiti contracti magnitudinem ita expavit, ut nullis ſe verbis exprimere poſſe omnino ſtatueret. Dum divino lucis radio colluſtrata, hoc opportune conſilium cœpit, ut bene longam peccatorum ſuorum ſeriem, potius chartæ, quæ non erubeſcit, committat, claudat, obſignet, & clauſa, ritéque obſignata Epiſcopi ſui manibus tradat. fecit, & ſuo indulgens pudori, fuſis ubertim lachrimis, peccata ſcribit in charta, obſignat, & plumbo probe obſignata D. Baſilio defert, multum orans, & obſecrans, ne chartam aperiret; ſed unum tantum à Deo, ſuperiſq; ſuis impetraret horationibus, ut quidquid erat in ea exaratum, divina indulgentia deleretur. Tergiverſari primo ſanctus Pater: Verum ubi videt aggerari preces, ingeminari lachrimas, & omni commiſerationis genere vim quodammodo fieri, flectit & ipſe ſeſe, & in genua provolutus, diuque

a Chryſoſt. hom. 7. ad pop.

Deum precatus, chartam recludit, videtque omnia peccata deleta, uno duntaxat excepto, quod gravius, & atrocius reliquis, extrema hærebat in linea. Ex eo S. Præsul causatus, quod suæ videbatur infirmitatis, mulierem ad B. Ephrem remittit, ut qui plus apud Deum, Superosq; posset; sed & hic, quod erat submissionis, se peccatorem dictitans, ad S. Basilium delegat.

It mulier, & ultro citroque viam metitur, gressuque concitato Basilium requirit; sed ô fortunium infortunatum! jam vitâ functum reperit, & solenni pompâ ad sepulchrum deferri videt: amarè queritur, multaque comploratione, & muliebri ejulatu defunctum Præsulem, quasi deserti patrocinii incusat, chartamque male obsignatam supra pheretrum proijcit: quam cum unus è Clericis resignasset, nihil in ea scriptum invenit: scilicet eluerat, & delerat quid quid in ea fuerat exaratum. Hoc cælestis prodigii miraculum, & longe sublimius, quisq; vestrum, gratiæ cælestis adjutus patrocinio, in anima operari potest. Hæc divinæ misericordiæ ostenta, toties peraguntur, quoties tuis lachrimis, omnia in libro mortis scelera, & iniquitates conscriptas, deles; breviter, sed potenter hortatur a August: Dele *quod fecisti*. Sed erit forte è vobis nonnullus, qui oculos suos pumice ficciores queratur, nullam se unquam pro peccatis lachrimulam fudisse atque adeo anxium se, an peccata deleta sint? Ad querelas, & quæsitum respondet S. b Thomas. *Dolor interior, praeminet dolori exteriori*: & intra: *dolor interior, potior est quam dolor exterior: cujus signum est, quod etiam dolores exteriores, aliquis voluntarie suscipit, ut evitet interiorem.* Quem dolorem internum S. Climacus tanti facit, ut gradu 7. scriptum reliquerit: *mærentium dolorem ac gementium, pluris æstimari, quam lachrimas, puto quod & Deus sic judicet.* Quam verè hic senserit, patet ex eo, quod, ejusmodi dolorem cælestis Pater coram S. Catharina Senensi, c *ignitas, atque cordiales lachrimas* appellavit, dixitque non esse efficaciæ minoris, *istum fructum ignitarum hujusmodi lachrymarum, quam sit iste lachrimarum oculorum, imo frequenter esse amplioris efficaciæ, juxta mensuram amoris.*

Quare, error gravissimus est, in exterioribus illis lachrimis, verum dolorem, sinceramque contritionem consistere, cum illæ sæpe ex complexione tenerâ aut humida ex pia musica, ex motivo naturali, quod per se ad confessionem non sufficit promanent. Experientiâ quippe non semel compertum est, dum sacerdos quispiam carcerem adit, dum reo ad suppliciũ damnato aures præbet, tantis gemitibus lachrimis, lamentis, eum peccata sua enarrare, ut totus in lachrimas colliquescere videatur; hujus tam uberis fletus, si causam percuncteris? dicet, quia in flore ætatis, manu carnificis, tam infami morte plectendus, quia uxorem & liberos eodem infortunio involvit. Filia corrupta in illo sacro Confessionis tribunali, imbres lachrimarum fundit: quid causæ? quia apud parentes, propinquos, vici-

a S. August. cap. 12. in Ioann. b S. Thom. 1. 2. q. 35. a. 7.

c Cap. 9. Dialog.

vicinos,tam gravi infamia notatur: Famulus, ancilla in furto deprehensa, gemitibus inenarrabilibus, largissimo fletu crimen suum confitetur? at è quo fonte hæ tam uberes lachrimæ scaturiunt? quia domo deturbanda,gratia potentis Domini, aut Dominæ excidit, quia spes lucri præcisa. Quare tales lachrimæ, quamtumvis copiosæ, ne minimum veniale delere valent. Sed pete cum Augustino: a *Da mihi quæso*(Domine Iesu)*lachrimas ex toto affectu* INTERNAS, quæ ex fœditate peccati, ex injuria in Deum admissa,ex timore pœnæ, à Deo vindice infligendæ,aut ex ardentissimo motivo infinitæ illius bonitatis profluant, hæ sunt spongia, quæ delet omnes iniquitates nostras. Hic verus, & sincerus dolor nisi accesserit,hæ internæ compunctionis lachrimæ,nisi fusæ sint,peccatum non delebitur:frustra quis in confessione peccata exponit,frustra quis in pauperes opes effundit, precibus vacat,jejuniis se conficit,flagellis usque ad sanguinem in se sævit,facilior tibi via ostenditur. Audi disertissimum, ac divinissimum illum Antiochensem *b* Antistitem: *dicam tibi quid valeant lachrimæ: Martyres sanguinem fundunt, peccatores lachrimas fundunt, Meretrix illa non fudit sanguinem;sed fontes lachrimarum profudit*; ET DELEVIT *peccata sua.* Has tu peccator, tu perjurus, tu blasphemus, tu potator, tu scortator, tu adulter funde, & gravissimas iniquitates tuas defle: cum vel unicum veniale mereatur,ut tota vita defleatur; stimulo hic esse possunt. viri sanctimonia vitæ conspicui, qui levissimas noxas veniales, perpetuo deflebant; quod collaudans Gregorius ait: c *quanto electus quisque majori sanctitate præeminet,tanto magis de his,sive quibus hæc vita non ducitur venialibus peccatis dolet.* Unde nemo quisquam mirabitur, nostrum fratrem Alphonsum Rodriquez, uti in vita ejus manuscripta legitur l.1.c.3. ita abhorruisse, & deflevisse *d* quamvis venialem noxam, ut cum ei amarissime sua peccata deflenti, Christus Dominus aparuisset cum S. Francisco, & nonnullis aliis Sanctis, & S. Franciscus interrogasset, cur fleret? respondisse: quomodo non fleam,perspectam habens gravitatem „ peccatorum meorum?quandoquidē unum veniale peccatum, „ contra Deum commissum,mereтur ut tota vita defleatur. „ Quo dicto,visio illa disparuit, „ & in eo nova quædam lux remansit,quæ tota vita duravit, „ cum odio omnis peccati: Ut, „ cum ejus periculum se offerret, „ cum maximo fervore à Deo „ peteret,ut potius pænam inferni pateretur, quam in unam „ culpam Venialem prolaberetur.l.2 c.6.dicitur:inter monita, quæ sibi præscripserat,unum fuit, ut tale propositum „ ter die renovaret per longum „ tempus,& si fieri posset per horam integram, præsertim in „ materia castitatis,ne unquā ullum veniale peccatum contra „ illam addmitteret.Idem factitabat teste Hieronymo *e* S. Paula, quæ ita levia peccata plangebat, *ut illam gravissimorum criminum crederes ream*; tamque assiduum

a Aug. Medit.c.37.b Chrysost.in Psal.50

c S Greg.in ps 2 pœnit.d Lanc. opusc. 16.c.2.n.22. e S.Hier. ep. 27.ad Eust. cit.

& perpetuum voluit esse, de peccatis propriis dolorem Lactantius ut jubeat Christianum in Sacrificio laudis, a *nihil aliud precari, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint.* Id ipsum fixum, statumque erat SeraphicoFrancisco, assiduo plorare, & per actus contritionis & lachrimas, quotidianos defectus extergere, illud credo Augustini monitum secuti: b *continue dolendum est de peccato; quod declarat ipsa dictionis virtus: pœnitentia enim est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.* Estq, Deo peraccepta hæc peccatorum nostrorum, etiam levium, perpetua cum intimo doloris sensu recordatio, quemadmodum scribit S. Udo in Vita S. Gerardi Comitis l. 2. c. 16. *Peccata sine quibus humana conditio esse nequit, quæ nobis leviora, illi vero videbantur gravia: ita semper præ oculis studebat agnoscere, ut remissionem impietatis cordis, non ambigeret à Deo clemente, percipere,* hoc est, divinitus agnovit, remissa sibi esse graviora vitæ anteactæ peccata, ob amaram recordationem levium peccatorum suorum. Quod utinam, & vos animæ justæ, quæ etiam septies de die caditis, recogitetis & jugi fletu æmulari studeatis, atque hunc fructum pœnitentiæ longe utilissimum, hodie colligatis.

§. 2.

Lachrimis COEPIT *rigare, & in omnem vitam perrexit.*

SOlerter hic observandum est, cur cælestis ille Dei scriba, non dixit: rigabat lachrimis pedes ejus, quemadmodum addidit: c *tergebat, ungebat, osculabatur?* Sed emphatice usus sit verbo, COEPIT *rigare pedes?* causam hanc subtilissimus doctorum excogitavit, quod Magdalena ubi hodie flere *cœpit*, in omnem vitam nunquam à lachrimis temperarit: Non solum inquit Augustinus, d *in domo Simonis, sed etiam post adventum S. Spiritus, hoc quidem ardenter perfecit*: SEMPER *enim dolebat,* SEMPER *in vita sua flebat, quod commiserat.* Sacerdos summus, Christus Dominus, generalem omnium peccatorum absolutionem, ac plenariam ei remissionem impertierat: e *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; non tamen injuriam, quam dilecto suo Iesu per scelera intulerat, Magdalena unquam oblitterare potuit; exitiales illas scelerũ notas, animo inustas, calidissimis lachrimis indies irrigare non cessavit, ut ne cicatrix remaneret: f *Mulier flevit, & in fletu perseveravit.* Idẽ argumentũ confirmant lachrimæ Petri, de quo Chrysostomus: g *Vis videre exactam, & absolutã pœnitentiam? audi pœnitentiam Petri, post negationem: nam quæ ab eo gesta sunt, narrans Euangelista: egressus,* inquit, *flevit amare.* Hic ne Petrus flendi, & pœnitendi finem fecit? flevit, inquit S. Lucas, quasi jam lachrimæ illæ præteritæ exaruissent: at Marcus in rem nostram expressius, *recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus, priusquam gallus cantet bis, ter me negabis & CÆPIT FLERE.* Ubi diserte ac dilucide divinus interpres Antonius Escobar & Mendosa: h *Petrus* CÆPIT, *sicut* Magdalena la-

a Lactant. lib. divin. instit. c. 25.
b Aug. tom. 4. de vera, & falsa pœn. c. 29.

c Luc. 7. d August. serm. 2. ad frat.
e Luc. 7 f August. in medit. c. 36.
g Chrys. in Luc. 22. egressus foras. h Escobar Mendosa tom 6. in Euang. p. 304.

lachrimas profundere, & nunquam non ploravit, adeo ut teste Maximo *S.* Clemente canales in genis ejus exarati essent. Ambrosius post Petri lapsum, hunc uberem lachrimarum imbrem considerans, ait: a *etiam lapsus Sanctorum utilis est*: David flere cœpit, & in omnem vitam, etiam postquam audisset divino legato: b *transtulit quoque Dominus peccatum tuum*, flere non cessavit, per singulas noctes, lavit stratum suum lachrimis, in Hebræo, *natare fecit*, quasi ea fuerit lachrimarum copia, quas indies fundebat, ut cum strato suo, velut inter lachrimas natitaret, idque incessanter, cum subdat: c *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, ex quibus verbis S. Ambrosius concludere non dubitavit, d *quod cum fletu, ipsi descenderent oculi: habet enim hoc vis summi doloris, ut cum lachrimis, oculi quodammodo videantur descendere, eo quod tanta vis lachrimarum sit, ut putentur oculi in fletum resolvi*, in lachrimas effundi. Addit *e* Philo, & ex eo Hieronymus, *e* lachrimas Davidis, & Jonathæ collectas, vas, seu dolium replevisse & in terra repositum fuisse. Quod si tum temporis, amore Jonathæ, tantum lachrimarum, David fuderit, quid ni illæ ex dolore in Deum suum *in rivos, & juge profluvium* (ut Ambr. *f* loquitur) proruperint, quo detestandum suum peccatum expiaret? At quo in pretio, mulieris pœnitentis lachrimæ fuerint, ex eo manifestum est, quod Christus eas non in dolio, aut vase, *g* sed in pretioso calice asservatas aliquando ostenderit.

a Amb. l. 10. in c. 22. Lucæ. b L. 2. reg. c. 12. c Ps. 118. d S. Amb. ser. 17. in Ps. 118. e Phil. ant. Iud. f Amb. cit. g Gorus pag. 339.

Quare ad jugem peccatorum pœnitentiam, exemplo suo *h* S. Bernardus nos omnes efficacissime, allatis illis verbis sancti Regis Ezechiæ adhortatur, dicens: i *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Oportebat inquit, si fieri posset, revivere me, ut ita loquar, denuo, qui male vixi, sed quia hoc non possum, saltem recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, faciam recogitando, quod recuperando non possum.* Hæc praxis recuperandæ vitæ præteritæ, quam sanctissimi viri usurparunt, lachrymas fundunt post veniam, peccatum etiam remissum, quia semel commissum, assiduo plorant; quo spectat illud *i* Psaltis Regii: *Cogitatio hominis, confitebitur tibi, & reliquiæ diem Festum agent tibi*; in quæ verba Augustinus observat, primas cogitationes necessarias ad gratiam, cogitationis reliquias ad conservandam. *Sic debes recedere à peccatis prima cogitatione confessus Deo, ut non tibi recedat à memoria, quia peccator fuisti.* Quo salubriter monemur, ut & reliquiæ confessionis, diem festum, in anima agant: ut & nos præterita peccata etiam Adolescentiæ nostræ, assiduo recordemur: jugi imbre lachrimarum rigemus, *& de propitiato peccato non simus sine metu.* Ex qua perpetua scelerum recordatione, & dolore, fructus uberrimi colligendi sunt: *

1. Fructus humilitatis, ac agnitio propriæ infirmitatis.

2. Fructus patientiæ, ac tolerantiæ quarumvis difficultatum, cum æterni supplicii nos reos agnoscamus, & misericordia Dei

h Bern. ser. in Cant. Ezech. i Ps. 75. v. 11. Eccl. 5. * 1. Fructus humilitatis.

sit, quod non simus consumpti.

3. Fructus Gratitudinis in benignissimum Deum, cavendumque ne novo nos scelere ingratissimos exhibeamus.

4. Fructus, Amor in illum qui nos in gratiam recepit, & in filios, ac hæredes adoptavit.

5. Fructus, candor mentis, ut super nivem dealbemur. Quod primum spectat; humani generis parentem (dicam an peremptorem) *emisit Dominus Deus de Paradiso voluptatis*, & ut addunt Septuaginta, *a collocavit eũ ante paradisum voluptatis.* At cur non potius è tota circumRegione expulit, & in longius exilium ablegavit? Causam reddit Orator aureus: *Vt dolens*, inquit, b*continuo aspectu munitior, & cautio esset in alijs ne iterum in eadem peccata incideret.* Et paulo post: *Vt & spectando memor esset, & inde iterum faceret*; hoc nempe, ut propriæ infirmitatis memor, cautior esset, *ne iterum incideret.* Quasi nullum habere posset efficacius remedium, ad futura peccata vitanda, quam si præterita cum dolore recordaretur. Vbi illud occurrit, quod magnorum virorum testimonio, vero non absimile est: priusquam scelus in orbem intrasset, rosas sine spinis inermes vernasse; at post peccatum sentibus inhorruisse. Hæc ut alios omittam, maximi præsulis Mediolanensis doctrina est, qui l. 3. c Hexam. c. XI. sic ait: *Surrexerat ante floribus immixta teneris, sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine ulla fraude vernabat.* Quod autem spinæ postmodum adnatæ sint, alias inter rationes, hanc ad præsens institutum, peraccomodam adducit, ut spinæ de suis hominem peccatis admonerent *Cum* inquit, *unusquisque prosperioris vitæ successibus gratulatur, reminisci culpæ eum convenit, per quam nobis in paradiso amœnitate florentibus, spinæ mentis, animiq; sentes, jure condemnationis adscripti sunt.* Vt igitur hinc humilitatis fructum legamus, subdit: irrutiles *igitur ô homo licet, aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis*, (aut quod longe sublimius) *fulgore virtutis, semper* TIBI SPINA PROXIMA EST; SEMPER INFERIORA TUA RESPICE, (& anterioris vitæ delicta) *super spinas germinas.* Sunt qui velint rosam prius candidam prodijsse, sed ubi se spinis asperam sentibus horridam circumspexit, totam erubuisse. O pœnitens animal, *Spinæ* ut loquitur *d* Augustinus, *in peccatis significantur*; quoties candoris pristini deperditi recordaris, utinam salubri rubore suffundaris! & dicas cum Propheta: *tota die* EVERECUNDIA *mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me:* etenim ERUBESCENTIA f *ipsa partem habet remissionis.* Quoties admissi quondam sceleris reminisceris, toties in affectus erubescentiæ, confusionis, humilitatis, modestiæ, erumpe: *Oportet*, g inquit Chrysostomus, *recordari nos priora delicta, etiam ea de quibus veniam consecuti sumus: ut intuentes quod ingentem molem debiti nobis remisit Deus, & amplius eum diligere possimus, &* VERECUNDIAM, *pudoremq; concipere, atque ex his corde compungi.* Quidquid gloriæ laudis, æstimationis à donis naturæ,

a Gen. 3. v. 23. b Chrys st. hom. 18. in Gen. c Amb. l. 3. Hexam. c. XI.

d August. tom. 4. quæst. novi & veter. testam. q. 41. e Ps. 43. v. 16 f Aug. tom. 4. de vera & falsa pœnit. c. 10. g Chrysost. l. 2. de compunct.

turæ, aut gratiæ accesserit, interioris conscientiæ spinis compunctus erubesce, illudq; tecum tacitus expende; si scirent quid ego in Deum meum deliquerim, quam gravem noxam admiserim, omnes me velut peripsema abominarentur, nam ut vere Hipponensis *a* Antistes: *animus male sibi conscius, novit se non habere, quod alij ignorantes illi tribuunt.* Quoties te in habitu sancto conspicuum, quoties te doctrinâ & scriptis clarum, quoties in Cathedra, Pauli instar disertum suspiciunt, admirantur, & venerantur, toties anteactæ vitæ labes, quas teste Deo admiseris, tibi proponas. Paulus postquã in gratiam redisset, jam factus vas electionis, jam in Apostolicæ dignitatis culmen evectus, jam factus Doctor gentium, & ut Hieronymus *b* ait: Paulus *tuba Evangelii: rugitus Leonis, flumen eloquentiæ Christianæ*, ne se efferret, prioris vitæ suæ maculas oculis subjiciens, altos spiritus demisit, dicens: *non sum* c *dignus vocari Apostolus, quoniã persecutus sum Ecclesiam Dei.* & rursum: d *prius* inquit, *blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus*, & alibi vocat e se *Sanctorum*, hoc est Christianorũ *minimum*, & quod amplius: *peccatorum* f *primum*, hoc est maximum. Vnde Chrysostomus: *Ea Sanctis consuetudo, quæ perperam fecerunt, expendunt quotidie, deplorant, omnibusque ob oculos ponunt. Talis est hic sanctus noster, peccata sua vel nemine impellente, perpetuo versat, atque decantat.* Vbi nota illud, *perpetuo*; quidquid titillationis vanæ gloriæ, Paulo suboriri poterat, aut à raptibus, aut ab humanis laudibus, aut à gratiis gratis datis, unum omnibus scutum objiciebat memoriam præteritorum: *quia persecutus sum Ecclesiam Dei.*

Itaque quisque vestrum, quidquid boni fecerit, quidquid virtutis exercuerit, quidquid austeritatis assumpserit, id secum reputet: sed Deum meum temulentia, Deum meum adulterio, perjurio, blasphemia &c. persecutus sum; illudq; Senecæ, quamvis in re dissimili, sibi usurpet, qui Alexandri immane facinus inducit, quo Calisthenem *e* innocentem, barbarum in morem trucidavit: *hoc est*, inquit, *Alexandri crimen æternum quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet: nam quoties dixerit, occidit Persarum multa millia, opponetur & Calisthenem; quoties dictum erit, occidit Darium, opponetur & Calisthenem; quoties dictum erit, omnia Oceano tenus vicit; dicetur, sed & Calisthenem occidit; omnia hæc antiqua Ducum, Regumque exempla transierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Calisthenis.* Ita quisque in animum inducat suum, si grave quodvis crimen, vel semel admiserit, hic Adolescens, ille mercator, causidicus, senator, quidquid recte egerit, si quid Eleemosynæ erogarit, si quid pietatis exercuerit, si omnibus imitationi, & admirationi fuerit; hoc semper animo volvat; sed & Virginem violavi, sed & perjurium admisi, sed & fraude illum circumveni; alienam corrupi, innocentem oppressi. Hoc satis erit ut non evanescas, sed in omnibus de te modestè sentias, humiliter geras.

a Aug l. 12. de civit. c. 8. b Hieron. in apolog. ad Pammach c 1. Cor. 15. d 1 Tim 1. e Ephes. 3. f 1. Timoth. 1 Chrysost. hom. vltim in poster. epist. ad Corinth.

d Seneca quæst. natur. l. 6. c. 23.

illud quippe verissimum S. Ioannis *a* Climaci documentum est: *memoriam peccatorum perpetuam, esse humilitatis opificem.*

b Alter fructus ex jugi memoriâ delictorum, ut quidquid adversi irruerit, patienter toleremus, & identidem ingeminemus: hæc omnia venerunt super nos, quia peccavimus tibi, c *& non obedivimus præceptis tuis.*

Quemadmodum olim fratres Ioseph, durè ab eo excepti, & in carcerem conjecti, memores sceleris, quod in fratrē admiserant, palam confitebantur: d *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrū, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcirco venit super nos hæc tribulatio.* Dicamus & nos, & intimo corde confiteamur: *merito hæc patimur,* quidquid tentationis, tribulationis, afflictionis, *quia peccavimus, in fratrem nostrum, benignissimum Iesum.*

Verum enimvero, hic mihi animus non est probare, ut peccator sibi persuadeat, omnia flagella, ac mala, ob scelera perpetrata, à vindice Dei manu sibi intentari (quod alio spectat) sed (uni rei more nostro insistendo) ut ubi etiam peccata remissa sunt, pœnitens in animum inducat, quidquid procellæ, aut tempestatis immissum fuerit, longe se graviora cōmeruisse, juxta illud:

e *Æquo animo pœnam, qui meruere ferant.*

Ut quid David potentissimus ille Rex Israel contumacem illam linguam vilissimi mancipii non compescuit? Unde ei hæc mansuetudo, & injuriarum tolerantia, quas Semei in eum conjecit? *obmutui,* inquit, & *humiliatus sum f* ac mox subdit: & *dolor meus renovatus est.* Quis dolor renovatus est? præteriti adulterii cujus tunc recordabatur, ut annotavit Theodoretus, cujus hæc paraphrasis: *conviciis affectus,* PECCATI MEMINI, *& stimulis à peccato emissis configebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, & tyrannide opprimar, & à regibus domibus exactus fugere cogar.* Ab hac peccati memoriâ, hæc verba mansuetudinis plena emanarunt; g *Dominus præcepit ei, ut malediceret*: quia centuplo, & millecuplo plus merui; idcirco subjungit idem Theodoretus: *peccati memoriam habet hæc clausula.* In hanc sententiam audiamus Pontificem virtute & eruditione maximum *h* Gregorium: *David,* inquit, *exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animam malum quod patravit, & æquanimiter pertulit.* Ac tandem ad nos sermonē convertens, hortatur: ut si quid adversi obvenerit, si linguis virulentis impetamur, si calumniis proscindimur, si citra culpam rixis, & jurgiis obruamur, peccata, eorumq; reatum, in memoriam revocemus; *tum,* ait, i *illata convicia bene tolerantur, cum in secreto mentis, ad mala perpetrata recurrimus: leve quippe videbitur quod injuria percutimur, dum conspicimus* (mentis oculis) *quia pejus est quod meremur.* Si Morbi, si paupertas, si jactura bonorū, liberorum &c. nos affligant, *leve videbitur* quod his malis *percutimur, dum conspicimus, quia pejus est quod meremur.*

Est qui tibi grave damnum intulit, est qui procaciter famam violavit, est qui falso te traduxit, qui in faciem cedit, sentis graves

a Clim. grad. 22. b 2. Fructus. patientia. b Tobiæ 3. v. 4. d Gen 42. e Ovid, f Psal. 38. g 2. Reg. 16. v. 10. h Greg. l. 30. mor. c. 17. i Greg. ibid.

iræ motus effervescere, sanguinem ebullire: nosti qua ratione valeas restinguere? idem Doctor frigidam affundit: a *quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur.* Dum recordaris te peccante, Deum non ilico in iras exarsisse, fulmina cælo evibrasse; sed benigne te in gratiam acceptasse. Quapropter aureum illud monitū inculcat Chrysostomus: b *peccata nostra in memoria retinere debemus* (& deflere) *non enim solū ista extinguimus; sed fit ut inde adversus omnes homines, mitiores efficiamur, & Deo cum majori benevolentia inserviamus: ineffabilem ejus humanitatem, ex istiusmodi memoria perspicientes.*

Tertius c fructus gratitudinis, ne novo scelere nos ingratissimos exhibeamus. Anima pœnitens quæ nunquam non animo volvit unde, quo devenerit: quam horrenda & immani abysso erepta, quanto præcipitio & alta voragine educta, noctu diuq; jure meritissimo exclamare poterit; *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti:* aut cum Psalte Regio: *nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset ab inferno anima mea.* Aut illud Hipponensis Antistitis identidem ingeminet: *gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti: gratiæ tuæ deputo & quæcunque confeci mala: quid enim non facere potui: & omnia mihi demissa esse fateor, & quæ mea sponte feci, & quæ te duce non feci.* Assiduo secum ruminet, quibus vinculis, qua servitute & tyrannide exemptus, in libertatem filiorum Dei restitutus sit, & cantet d *anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* d Hæc Augustinus gratissima animi recordatione, perpetuo volvebat, atque hisce vinculis expeditus, Deum jugiter laudabat: e *Rupisti Domine vincula mea*, nec ultra se laqueis diaboli implicavit. Quin & quisque vestrum mētis oculis objiciat, è limo profundi eductus, quam sibi, Deo, & hominibus horrificum spectrum exstiterit, ac veteres sordes aversatus, cum sponsa sanctè obtestetur: f *expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Efficax in hæc verba motivum excogitavit Bernardus: *Si dixeris mihi Iesus, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profeci? erit sine dubio recidenti, quam jacenti deterius.* Si reus, Marte, vel arte se è carcere proripuerit, & iterum in manus incidat, quid exspectandum, nisi ut arctiori carcere, & gravioribus vinculis mancipetur? hoc si pœnitens omnis serio retractaret, tam execrandam scelerum recidivam facile devitaret. Quid, quod g *inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, & nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata.* Si homo perduellis, infamis proditor principis, aut Regiæ prolis sicarius, à Rege in gratiam receptus, in hæredem regni, & filium adoptatus, tam stupendæ benignitatis, ac benevolentiæ oblitus, in ipsum regem sicam vibrare non reformidet, quid hac ingratitudine magis inhumanum

a S. Greg. l. 20. mor. c. 5. b Chrysost. serm. de debitore decem mill talent. c Fructus gratitudinis. V. August. tom 4. de vera & falsa pœnit. c. 14. Thren. 3. v. 22. Psal. 93. v. 17. Aug. l. 2. conf. c. 7. & S. Thom. 3. q. 106. d. 2.

d Ps. 123. e Aug. l. 8. conf. c. 5. f Cant. 5. Bern. serm. 3. in Cant. g Aug.

quid magis barbarum, excogitari posset, quibus quamq; exquisitis tormentis eum dignum non judicabitis? Profectò de his sapienter sapiens, sic Deum loquentem inducit: *a in duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit: Vir bellator deficiens per inopiam, & vir sensatus contemptus*: ET QUI TRANSGREDITUR à JUSTITIA AD PECCATUM, *Deus paravit eum ad rhomphaeam*. Id est, ut Sanchez, Dionys. Carthu. & alii, *ad supplicium aeternum*.

Hoc vos rogo quotquot estis, quos benignus Deus non semel, sed iterum, & saepius intra viscera misericordiae suae complexus est, expendite, & severissimam Dei manum, si tanti beneficii oblivio vos teneat, merito expavescite. Illud enim Theologorum ac SS. Patrum judicio longe omnium gravissimum peccatum, & ut *b* Paulus loquitur: *impossibile est eos qui semel participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad paenitentiam.* Joannes *c* Medina Theologus non vulgaris, recidivam hanc tam grave peccatum esse asserit, ut sua malitia ob ingratitudinem peccatoris, exequet hoc unum omnia peccata ante remissa, & juxta illud *d* Petri 2. *melius erat illi non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti*: Sententiam suam confirmat exemplo illius nequam, cui Dominus omne debitum dimiserat; ubi tamen ille gratiae sibi factae immemor, peccavit in conservum suum, totum debitum quod dimiserat, rursus exegit; Haec omnia gravissima damna & supplicia, evadit poenitens, qui ut monet *e* Bernardus: *timet quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata.* Ea propter supremus Iudex gravissime interminatur: *nisi paenitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Non ait nisi paenitentiā egeritis, sed habueritis: habere enim importat retentionem & possessionē quandam.

Quaerit S. Thomas 3. p. q. 84. a. 8. utrum paenitentia durare debeat usque ad tempus vitae? & respondet: *Duplex est paenitentia, scilicet interior & exterior; interior quidem paenitentia est, qua quis dolet de peccato commisso, & talis paenitentia durare* DEBET USQUE AD FINEM VITAE. *Semper enim debet homini displicere quod peccavit. Exterior paenitentia est confiteri sacerdoti, & satisfacere pro peccatis, & hoc non oportet quod duret, usque ad finem vitae; sed ad tempus determinatum, secundum mensuram peccati*; & in solutione ad primum: *Vera paenitentia, non solum removet praeterita peccata, sed etiam praeservat hominem à peccatis futuris; Vnde oportet in homine* PERSEVERARE PAENITENTIAM, *ne iterum incidat in peccatum.* Verum illud, quibuscunque pellecti illecebris, irretiti blanditiis, circumventi lenocinijs, B. Mariae de Victoria usurpemus *f*: *mi Iesu, non amplius peccatum, non amplius peccatum, mi Iesu.*

Quartus fructus, *g* Recordatio delictorum praeteritorum, accendit poenitentem animam in amorem Dei. Augustinus: *Recordari volo transactas foeditates meas, & carnales corruptiones animae*

a Eccle. 26. b ad Heb. 6. c Medina de poenit. tom. 1. q. 9. d 2. Petri 1.

e Bern. in sent. f In vita. g 4 Fructus Lachrimae amoris, h Aug. l. 2. conf. c. 1.

meæ : non quod eas amem; sed UT AMEM TE DEUS MEUS. Hoc ipsum in paxim redegerunt insignes pietate viri, & fœminæ, qui ex memoria criminum suorum, toti in divinum amorem exarserunt, ut de S. Theresia, Catharina Senensi, B. Angela de Fulginio, de SS. Patriarcha nostro Ignatio, alijsque legitur. Hic profecto ita totus lachrimas, abibat, ut socii libellum supplicem (quem inquit Lancicius *a* Romæ vidi) Pontifici, obtulerint, quo ab horis Canonicis, Ignatium absolvi postulabant, ob periculum cæcitatis, quod ex copiâ lachrimarum timebatur. Ignis siquidem divini amoris, qui in ejus pectore æstuabat, has suavissimas aquas fugiter distillabat, facit huc symbolum, quod olim *b* Academicus quidam depingi, ut pœnitenti lachrimas amoris exprimeret, curavit : vasi eliquatorio ignem subiectum depinxerat, cum hisce versibus, Magdalenæ nostræ convenientissimis:

Ec quid adhuc debitas? testis sit lachrima flammæ
Semper ut occluso stillet ab igne liquor.

Quam pauci hanc saluberrimam eliquandi, & distillandi artem callent! quid mirum si ne gutta, nec stilla ex oculis decidat si intus in corde, amoris ignis non ardeat? qui ut tandem succendi possit, ferventissimus præsul faces subdat: *Amore amoris tui c* (mi Iesu) *facio illud, recolens vias meas nequissimas, in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax dulcedo felix, & secura.*

a Lancicius opusc. spirit. tom. 1. pag. 581. n. 3. 22. b Calamat. Selva, di concetti disc. 35. n. XI. c August. l. 2 conf. c. 1.

Verum notanda quædam circa hunc dolorem, & recordationem de peccatis gravioribus, potissimum in materia lubrica Monitum primum à cælesti Sponso datum *d* Catharinæ Senensi: *noli* inquit, *ipsos defectus in particulari considerare, sed in generali, ne mens inquinetur, sive contaminetur, in recordatione particularium atque turpium peccatorum*, idque ne antiquæ species, & veluti sopiti ignes rersus citentur, quod & suos monitos voluit Bernardus, agens de peccato per pœnitentiam deleto: *Sic de cetero* inquit, *insit memoria, ut eam nullatenus docoloret.*

Alterum monitum à Cælesti Magistro datum eidem Virgini Senensi, nobis maxime salubre: *Insuper admoneo, ne homines retineant in se considerationem, solum modo peccatorum, sive in particulari, sine memoria sanguinis & magnitudinis divinæ misericordiæ ne inde veniant in confusionem.* Vt attenta simul immensa Dei misericordia, & infinito sacratissimi sanguinis pretio, pusillanimitate, inquietudine, anxietate non doijciamur, quales complures miseras animulas reperire est, quæ de peccatis sæpius etiam sacra exomologeti expiatis, semper dubiæ, semper anxiæ, nec sibi, nec confessario vices dei gerenti acquiescunt. Expendant illæ quia maior est clementia ejus, & bonitas, quam nostra malatia.

Alias, inquit, *si notitia sui, & consideratio peccatorum non condiretur memoria sanguinis atque misericordiæ, homines pertingerent ad desperationem, & æternam damnationem.*

d In dial. c. 66. e Bern. serm. de convers. ad Cleric. c. 23.

Demum cum Augustino lachrimas amoris postulet, & sic Deum paucis exoret: *da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lachrimarum fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoque lachrimæ, tuum in me testentur amorem* Hoc irrigeo lachrimarum fontu, Magdalena amorem suum testata est, dum iis oculis, quibus flammas ejaculari consuerat, lachrimas quæ tuum testentur amorem profundens, ardorem libidinis in amorem divinum commutavit, & quibus antea oculis fulgura, nunc divini amoris flumina emittit.

Aula Regia Bruxellis, scitum & elegans in suo viridario exhibet spectaculum: amorem seu cupidinem arcu, & sagitta instructum hic videre est, labyrintho operis topiarii eminentem qui novo artificio non ignem, sed aquas ejaculetur. In quem, hujus ævi ingeniosus Poëta, Serenissimæ Isabellæ pudicitiam collaudans, lusit:

Non face, non jaculis, non sævis ignibus urit:
Pro jaculis frigus, pro face mittit aquas.

Arcum suum, & sagittas fregit igneas Cupido; pro iis, telis lachrimarum, divinus amor Magdalenam instruxit, ut oculi qui fulgura olim ejaculati, nunc imbres lachrimarum pluerent: juxta illud Psal. 134. *fulgura in pluviam fecit.*

Vos Adolescentes, & adolescentulæ, qui faces & fulmina oculis vibratis, nunc lumina flumina fiant: atque hanc non verbosam, sed nervosam Sanctissimi Pontificis Parænesim audite: b *ad vos ego. ad vos oculos mentis reducite, & pœnitentem peccatricem mulierem, in exemplum vobis imitationis anteferte. Quæcunque vos in Adolescentiæ, quæcunq; in juventute, deliquisse meministis, deflete, morum, operumque maculas lachrimis tergite.*

a Aug. medit. c. 36. b S. Greg. ho. 33. in Evang.

§. 3.

Perenni peccatorum memoriâ, & assiduo lachrimarum imbre, pænitentis animam super nivem dealbari: qui est fructus ultimus, & utilissimus.

Lintea quæ in campis expansa, b indies oculis subjiciuntur, frequenti aqua aspersa, sensim instar nivis dealbantur. Haud aliter Psaltes Regius, hac irrigatione jugiter aspersus, *Super nivem dealbatus est.* Chrysostomus in hæc verba, sic Davidem penitentem, Deumque deprecantem inducit: *non quæro solum peccata dimitti, sed candorem pristinum meum quæro*, ut ne vestigium supersit. Hoc sapientissimi Salomonis Proverbium adumbravit: postquam enim dixit: *tria sunt difficilia mihi: viam Aquilæ in cælo, viam colubri super Petram, viam navis in medio maris*, subdit: *talis est via mulieris* adulteræ. Ubi via mulieris peccatricis, postea pœnitentis, cum viis Aquilæ per aera, colubri super Petram, navis per Oceanum comparatur: ut enim ex his nullum vestigium relinquitur, ita ex illa, ne vestigium superest peccati; ut suavissima sua facundiæ Ambrosius, qui ex fœmina peccatrice, Virginem facit: *Post meretricem fit Virgo*, & alibi de

a 5. Fructus Ing. pœnitentia super nivem dealbari. Ps. 50. Prov. 30, v. 18.

Samaritana agens: a *novo admirationis genere, mulier quæ ad puteum Samariæ Meretrix advenerat, à Christo fonte Casta regreditur.* Quid, quod Modestus Archiep. Hierosolymit. apud Photium scribit: Magdalenam ob puritatem, & amorem, quo pœnitens Christum complexa est, *Mariam, de nomine Deiparæ, nuncupatam.* Quam multi, & multæ dolent, se hoc illibato Virginitatis flore privatos, quos animat idem Præsul: b *hæc virtus Christi est, ut quamtumvis peccator, qui ejus unda se laverit, denuo in Virginem reparatus, non meminerit ante quid fecerit, & rediviva nativitate, infantiæ innocentiam præferat, juventutis scelera non agnoscat, fitque Virgo fide Christi, qui fuerat Adulter, corruptione peccati.*

Considerandum insuper est, ut peccatum sincerâ contritione, ac Sacramentali confessione remissum sit, superesse reatum, superesse habitum pravum, propensiones malas, debilitatem in voluntate &c. atque adeo hanc teterrimam notam, non ita induci, quin fuisse deprehendatur; hæc causa est, quod David incessanter clamet *amplius lava me.* Quemadmodum enim inquit c Vrban. Pontifex. super deletas (literas nigras in pariete candido depictas) quædam ex ipsis literis remanet turpitudo, per quā adhuc perpendi possunt ipsarum deletarum vestigia; ita & deletam à Deo iniquitatem, in anima quandā deformitatem relinquere unde adhuc perpendi potest, quanta fuerit iniquitas, nisi ille paries, sæpe sæpius dealbetur, & anima amplius, & amplius abluatur, ut super nivem dealbetur, id est, inquit Hugo Card. d *incomparabiliter alba fiat, sine ulla macula nigredinis peccati.* Hinc est quod iterum iterumque ingeminet: *Amplius lava me;* quibus verbis significat se cupere ex omni parte; & undique lavari, ut exponit Augustinus! e *Vsquequaque Domine lava me ab iniquitate mea.* Lava, Domine, animam meam, quæ infixa fuit in limo profundi, lava intellectum, & densam ignorantiæ nubem deterge, & erroris tenebras dispelle. Lava voluntatem, saturatam fœdis voluptatibus, in omne malum pronam, ad bonum tardam; lava memoriam, quæ præteritorum scelerum simulachra assiduo, ut præsentia objectat, & mentem conturbat. Lava carnem, quæ Deo suo spreto, fornicata est cum amatoribus terræ. Lava omnia corporis membra, oculos, linguam, manus, pedes, quæ servierunt iniquitati, ut emundata, serviant justitiæ in sanctificationem.

Ita amplius, & amplius lavit se Magdalena, de qua Poeta: *totum pene meum vivere flere fuit.* Quo factum ut de illa, de David, de Paulo pœnitente Cardinalis Damiani gloriose declamet: f *Veniat nunc omnis innocentium Chorus, & tota Virginea puritas adunetur, qui ad istam gloriam aspirare, nedum transcendere audeat?*

Nunc quod nos spectat, ut & ipsi amplius lavari, & super nivem dealbari possimus, ferven-

a Amb. l. de Salom. c. 5. Serm in Euang. Photius Biblioth. pag. 1526. b Amb. cit. c Vrbanus Papa 2, apolog David, c. 8.

d Hugo Card. in Ps. 50. e Aug. l. quæst. de utroque testam. q. 117. tom. 4. f B. Pet. Damian serm. de S. Magd.

tes contritionis actus,(quos Suarez noster centum indies eliciebat) frequenter usurpemus, sæpius eadem peccata per confessionem generalem, aliasque expiemus: sic enim majorem de iis detestationem, dolorem quem forte antea minus sincerum habuimus, majorem concipimus, gratiam augemus, reatum minuimus, proposita renovamus, occasiones devitamus, & super nivem dealbamur.

Quid autem iterata eorundem peccatorum confessio (modo cum dolore & proposito instituatur,non quasi ex consuetudine)commodi & emolumenti adferat, è Theologis hauriamus.

Joannes Sanchez:*a* minus recte agunt confessarii non admittentes ad confessionem pœnitentes (quos non esse in mortali credunt) nam per Sacramentum il-
,, lud Confessionis, gratiam Sa-
,, cramentalem reciperet pœni-
,,tens,qua jam defraudatur,dum
,, non admittitur; defraudare
,, autem gratia Sacramenti pœ-
,, nitentem, minus justum est,
,, quam adjuvare ad illam con-
,, sequendam.

b Huc adducit Navarri gravis-
,, simi Theologi sententiam,qui
,, docet: quamvis nemo ad con-
,, fessionem peccatorum, semel
,, bene factam,iterandam tenea-
,, tur;sanctum tamen esse iterum
,, ea confiteri (saltem unum, al-
,, terumve quod potissimum stu-
,, duerit emendare,& eradicare,
,, quodque sibi molestissimum
,, experitur) si devotionis causa,
,, cum quietâ conscientia,&abs-
,, que aliorum bonorum operum
,, impedimento fiat: quia quamvis per primam confessionem,
,, remissa fuerit eorum culpa,
,, frequenter tamen non remittitur tota pœna temporalis, quæ per secundam & tertiam confessionem, tollitur, aut minuitur, tam ratione verecundiæ pœnitentis, quam virtute Sacramentalis absolutionis,quę non solum largitur gratiam, sed etiam diminuit pœnam temporalem, & sic intelligit dictum Augustini c. *quem pœnitet*. dist. 1. *Quanto pluribus confitetur in spe Veniæ, turpitudinem criminis; tanto facilius consequitur gratiam remissionis.* Quid? quod frequens Confessio venialium, aut etiam delicti per confessionem remissi, hominem inferno eripere,& salutem æternam conferre possit: ponamus quippe duos esse in peccato mortali, utrumq; in longum tempus confessionem suam differentem, peccati admissi oblitum esse, utrumque incidere in morbum lethalem, unum rite confiteri venialia,aut peccata alias clavibus subjecta; alterum vero non confiteri, atq; ita utrumque peccati mortalis quod commisêre, oblitum, è vivis discedere. Prior salvabitur quia per confessionem de venialibus, aut iteratò confessis, indirectè absolvitur à mortali, cujus non meminit; alter certò damnatur, quia in peccato mortali moritur.

Mitto alios innumeros fructus, qui ex frequenti, & iterata eorundem peccatorum confessione,ac dolore colliguntur.

Deniq;ut concludam,Magdalena quæ hic fierecœpit,nec destitit,vestem animæ,non solum super nivem suis lachrimis dealba-

vit,

a Joan. Sanchez selecta de Sacrament. disp. 31. in titulo v. n. 8. b Navarrus in summa. c. 21. n. 42.

vit, sed & eandem insuper velut tot Unionibus & Margaritis exornavit. peritus etenim rerum æstimator Chrysostomus, lachrimas Margaritis comparavit: a *Quidnam dic oro illis oculis* (Magdalenæ) *formosius, perpetuo lachrimarum imbre, quasi Margaritarum decore ornatis?* Quam doctrinam illustris visio confirmat, quam sibi divinitus ostensam, ipso festo Magdalenæ refert S. Gertrudis: *b* vidit quippe sanctam illam pœnitentium patronam, veste pulcherrima, pretiosissimaque indutam *c* cujus lumbi aureis floribus, mire radiantibus corruscabant; vestis autem variis gemmis collucebat. Porro significatum est Gertrudi, tot illam gemmis ejusmodi exornari, quot peccata à se commissa eluerat. In gemmas ergo, mirabilis atque omnipotens misericordia Dei, electorum lachrimas convertit, quæ animam pœnitentem exornant, atque condecorant. d *Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominum post peccata redeamus, si ejus penitentiæ luctus imitemur;* Si quisque vestrûm hic lachrimis super nivem fuerit dealbatus, in altera vita, veste gloriæ tot gemmis, & Margaritis corruscante condecorabitur.

a Chrysost. hom. 30. in Gen. b Insin. S. Gertrud. l. 4. c. 45. c Doutermans amor increat. p. 848.

d Greg. hom. 33. in Euang.

FESTUM
SANCTI IACOBI MAJORIS

Absit gloriari, nisi in CRUCE, Gal. 6.



Præclarum insigne cruentum, Lucret. l. 5.

ARGUMENTUM.

VEra, ac Germana nobilitas, non à famosis, ac fumosis Majorum imaginibus, originem duxit, sed ex præclaris, ac heroicis propriæ virtutis facinoribus, ut avita virorum Principum, ac bellicosorum Ducum insignia, & gentilitiæ tesseræ testantur; quæ ut nobilium familiis illustrissimæ obtigerint, potissimum tamen

men hodierna luce, Equitibus ſanĉti Iacobi,[a] *præclarum inſigne cruentum,* teſſeram Crucis Chriſti, de qua Paulus merito gloriatur, gratulabor: cujus gloriæ ardor, ſi & vos inflammet, omnes quotquot eſtis, Equites *de San Iago* efficiam: nec minore vos honore afficiam, quam olim principem regni ſui Aſſuerus, dum equo regio inſidere, ac palam proclamari juſſit: [b] *ſic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.* Equus ſiquidem regius, ut [c] S. Thomas docet, Crux eſt. hac ubi cælum invecti fueritis, omnium una beatorum civium vox reſonabit: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.* Quam gloriam, & honorem, ne in terris etiam, ſuis, Crucis militibus denegaſſe videatur, illud beneficii, quod nemini Sanĉtorum, nobiliſſimo ac Illuſtriſſimo Hiſpaniarum Apoſtolo impertivit, ut *ſepulchrum* ejus, præ omnium aliorum ſanĉtorum, teſte Bonaventura, [d] *eſſet glorioſum.*

§. I. *Nobilitas, ac gentilitia ſigna, per ardua, & Heroica facinora, recte ac rite comparantur.*

§. II. *Inter omnia nobilitatis inſignia, maxime elucet* CRUX: *e quibus* INSIGNIBUS INSIGNIS *eques S. Iacobi efficitur.*

§. III. *Abſit gloriari niſi in* CRUCE. Gal. 6.

§. IV. *Erit ſepulchrum ejus* GLORIOSUM Iſa. 11.

a Lucr. l. 5. *b* Eſth. 6. *c* S. Th. in 1. Pet. 4. *d* Bon. Feſto S. Jac. *e* Lucr. l. 5.

FESTUM
S. IACOBI APOSTOLI.

Abſit gloriari niſi IN CRUCE. Gal. 6.

QUæſtio curioſa, & ſcitu digniſſima, unde ſuam originem ducat omnis nobilitas? hoc etenim indubitatum eſt, primos parentes noſtros, eorumque Nepotes, & abnepotes, terræ colonos extitiſſe, ac in ſudore vultus ſui, eam excoluiſſe, unde quidam:

Als Adam ſpitten/en Eva ſpan/
Waer was dan den Edelman?

Unde ergo nobilitatis ſplendor,

dor, Comitum, Baronum, Marchionum tituli? unde Illustres familiæ, gentilitiæ tesseræ, ac insignia profluxere? non aliunde quam à robore, à magnanimitate, à virtute, à præclaris factis.

§. I.

Nobilitas, ac gentilitia signa, per ardua, & heroica facinora, rectè ac ritè comparantur.

AC primum quidem, *a* quid causæ existimatis, tot heroum insignia, Leones, Ursos, Apros, Tigres, aliaque ferocia animalia referre? non aliam reperio, quam Viros Magnanimos, in venatione primum se fortes, strenuos, audaces subinde, Duce ac Principe inspectante ostentasse, ac cruenta istiusmodi ferarum capita, dum ut opima spolia Dominis suis deferrent, eo honore decoratos, ut inter insignia referrent. Virtus quæ in venatione prælusit, in Martis Palæstra, in atrocissimis præliis incrementum sumpsit, & maxime eluxit: atque hæc est arena, hic campus, qui viros fuso sanguine, & mille adverso pectore exceptis plagis, vere Nobiles fecit. Ab hac bellica fortitudine omnes tituli, omnia insignia, gentilitiæ tesseræ, illustres Cassides profluxere.

Quid Davidem, pauperculum opilionem, Regis generum effecit? nisi excelsus ille animus, invictum animi, corporisque robur, quo Leonem & Ursum, quo gigantem prostravit? quæ Regia ejus insignia, nisi exuviæ Leonis, nisi caput Goliathi? sic eum sacræ paginæ depingunt, *b Caput Philisthæi habentem in manu.*

Quid Juditham, totius Bethuliæ dominam, ac Principem constituit, nisi fortitudo plus quam virilis? quæ ejus insignia, nisi cervix Holoferni cruenta?

Vultis & vos inter nobiles censeri, inter illustres conscribi? vultis vos Domicellæ, posthac *Dominæ, me Vrauw*, Dame, quo titulo tam multæ gloriantur, & esse, & nuncupari? mulieres fortes vos præbete, Stygium illum Holofernem subjugare debetis. Si vos mercatores, medici, causidici, præclara nobilitatis insignia ambitis, animos Davidis induite, Leonem & Ursum, iracundiam inquam & vindictam, atq; iram omnium belluarum animi ferocissimam, Goliathi instar, jugulare satagite. 1 Regum 24. Saul regnum Davidi vaticinatus est: *Scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu regnum Israel.* At unde obsecro hoc scivit? ex heroico Davidis facinore, ex illustri victoria, qua non leonem aut gigantem, sed iram omni bellua immaniorem superavit, dum hosti pepercit, nec ultus est; sed oram chlamydis rescidit, cum cervicem posset. Et hæc ipso Saule judice visa est virtus regia, unde merito insignia petenda.

Omnis Biscajæ nobilitas, pro insignibus *c* habet lupos (& hoc signum gentis avitæ) quibus ad aliquod familiarum inter se dif-

a P. Petra Sancta de Insignib. Hopingus de jure insignium cap. 9.

b 1. Reg. 17. c Lobbetius de fort. Christ. c. 3. §. 7.

cri-

crimen, additur aliud symbolum quod de more patriæ, peti consuevit ex insigni aliquo facinore. Quo in genere illustre est, quod de antiquissima, ac nobilissima Lojolæ familia referri solet: hæc in scuto suo gentilitio, duos habet lupos eosque in pedes erectos, atque in ollam è camino pendentem introspicientes. Id autem hinc ortum habet. Caput Lojolæ familiæ, ab alio nobili graviter dissidebat, in cujus ædes, cum inopinato esset ingressus, eumque alte sopitum, ac dormientem reperisset, nihil omnino mali illi intulit, sed ollam duntaxat (quæ forte è camino, subjecto etiam igne dependebat) abstulit, ut vel inde nosset adversarius, fuisse se in Lojolæ, id est hostis sui manu, ac potestate; & tamen etiam eo loci parcitum. Ex nobili illo, ac vere regio facinore, tota Lojolæ familia, pro symbolo suo sumpsit lupos, in ollam è camino suspensam, prospicientes, ut una cum illo & avita nobilitas, & nomen *Lobo en olla*, quasi lupus in olla, & illi quodammodo cognata virtus, injuriarum remissio, probaretur. Hæc Hispanorum Christiana fortitudo, longe illustrius, in Hispanorum Apostolo S. Iacobo sese manifestavit: hic porro tam benevolus, tam beneficus exstitit. in eum qui se *a* excarnificandum, Herodi prodiderat, ut cum duceretur ad mortem, proditorem forte obviam complexus & osculatus, non modo omnem injuriam ex animo remiserit, sed & eam gratiam capitali hosti suo cœlitus impetravit, ut & proditor & proditus Apostolus, pro Christi fide fortiter occumberet & Martyrii laurea, suo sanguine purpuratus, nobilis Athleta condecoraetur. Lubet hic aureo ore exclamare: b *ille clarus, ille sublimis, ille* NOBILIS, *ille tunc integram suam* NOBILITATEM *putet, si dedignetur servire vitiis, & ab iis non superari*: ille nobilis, qui dedignatur, servire iracundiæ, invidiæ, avaritiæ, luxuriæ, vindictæ, & ab iis non superatur. Quæ devicta vitiorum monstra, pro insignibus gestare, gloriosissimum est. Hisce certe vos omnes insignes esse, & familiam vestram nobilitare valetis: c *Summa* etenim, ut Hieronymus loquitur, *apud Deum* NOBILITAS *est, clarum esse virtutibus*, ac præclaris factis. Quod vel Thebanus ille vidit, qui rogatus quid de Romanis sentiret? respondit: *Romani in lanceis*, Græci *in eloquentia*, Thebani *in virtutibus gloriantur*; quanto magis Chistiani! stolida ac stulta profecto hominum jactantia, qui sibi à parentibus, ab avis, & proavis nobilitatem accersunt, atque interim imbelles ac inertes, sceleribus suis familiam dedecorant. Hinc scitè Philosophus, Atheniensi cuidam patriæ vilitatem sibi exprobranti, & Scytham quasi barbarum & immiti cœlo natum, probrose nuncupanti, respondit Anaxarchis: *mihi probro est patria, tu patriæ.* Perinde ac si diceret, tametsi genere, & patria minime sim nobilis; sum tamen virtute, & animi fortitudine; sed te, licet Atheniensis sis, & nobili loco nasci contigerit; vitia tamen, ac vitæ improbitas, ignobilem, igna-

a S. Antiochus hom. 116 Haræus in vita

b Chrysost. in Matt. c Hier. ad Celant.

vum, ac plane infamem reddiderunt. Qui cavilius hodierna die, in innumeros inani nomine gloriantes, locum habet: a

Feceris ipse aliquid, propter quod NOBILIS *esses.*

Tua te virtus, morum candor, vitæ probitas, nobilem reddant; ad hoc, ut Eugenium Papam, suum olim discipulum excitaret S. Bernardus: b *Vindica* inquiebat, *tibi* NOBILE *genus, quod non aliunde* NOBILE, *quam morum ingenuitate, & fidei fortitudine*; quod sibi Principes Ecclesiæ, origine piscatores peperere. Hanc si proferas nobilitatem, præferes non ab aliis haustam, sed à te petitam; Et in hac debet esse unicus magnæ mentis labor, studiumque ostentare, scilicet non tam fumosas, quam famosas imagines, & trophæa, quam expressam in moribus, virtutum omnium formam, & præclare pro cœlo Deoque gesta. Si quidem, vel gentili teste,

NOBILITAS *vera est, atque unica* VIRTUS

Ab hac nobilitate ne quis degeneret, aut abjecti nimis animi se inferiorem, aut indigniorem existimet, acutissimum calcar subdit Chrysostomus: c *animæ* inquit, NOBILITAS *quanta sit, nobis serio cogitandum, ne quid ea indignum operemur, ne coinquinemus eam illicitis operibus, ne sub carnis servitutem eam subjugemus, ac tam* NOBILEM, *tantaque dignitate sublimem, sic crudeliter & immisericorditer tractemus. Hæc* NOBILITAS *vera, atque unica virtus.*

Celebris olim, & omni laude digna, ea vox Marii septimum Consulis, d *non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum ostentare; at si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, aliaq; militaria dona: præterea cicatrices adverso pectore, hæ sunt meæ imagines, hæc mea* NOBILITAS. Itaque apud Romanos, aliasque nationes, primum sibi nomen, & nobilitatem compararunt, qui virtute bellica, per mille pericula, & mortes vallum hostile inscenderunt, expugnarunt, & non indecoro sanguine purpurati, vulneribus adverso pectore exceptis, saucii ad suos gloriosè redierunt, aut fortiter occubuerunt. Horum vel mutila membra, vel hiantes plagæ, vel fusus cruor, familiam præclaris insignibus, ac gentilitiis tesseris notarunt, atque nobilitarunt.

§. 2.

Inter omnia nobilitatis insignia, maxime elucet CRUX, *e quibus* INSIGNIBUS INSIGNIS, *Eques S. Iacobi efficitur.*

Reges Navarræ pro gentilitiis insignibus, graves ferreas catenas sibi implexas, gestare consueverunt, idque ex conflictu feliciter fortiterque confecto, f ut refert Rod. Archiepiscopus Toletanus, qui interfuit. Sic se res habet: Sanctius VIII. Navarræ Rex XXI. cognomento *Fortis*, qui cum Alphonso IX. Rege Castellæ, circa annum Christi 1212. Miramolinum Maurorum imperatorem

a Iuven. sat. 8 b Bern. l. 2. de consider. c Chrysost. hom. 12. in Gen.

d Salust. de bello. Iugurt. e Lucret. l. 2. f Rodericus Tolet l 8 c. 9 Hepingus de jure insignium c. 8. p. 3. §. 8. n. 482.

rem ad Tolosam, ingenti prælio vicit, in quo ducenta Maurorum millia cecidisse fama est, Christianorum duntaxat 225. Memorant historiæ Hispanicæ, inter alias acies, & turmas Maurorum, fuisse unam, quæ longe ceteras, numero & viribus excederet, in qua fuit ipse Miramolinus Imp. Hujus ingentis turmæ, (quæ Imperatoris velut *guardia* erat) milites omnes ita ferreis inter se catenis colligati & connexi erant, ut ordinem aut locum mutare, vel in fugam se dare non possent; sed necesse esset, signo belli dato, impetu semel facto, aut vincere, aut simul omnes emori: eratque in media hac acie, ingens rete ferreum, Clathri instar, ad quod omnium catenarum extremitates connectebantur: ipsique reti Smaragdus in medio insertus relucebat. Quo factum, ut in memoriam tam nobilis victoriæ, Sanctius VIII. catenas illas Smaragdo inserto, pro insignibus assumpserit; Hunc verò morem colligandi inter se milites, ne fuga, cuneos, aciemque turbarent, apud Cimbros etiam viguisse, Alexander ab Alex. testatur lib. 4. cap. 7. & alii. At generosissimus Heros noster Iacobus, longe illustriori titulo sibi catenas, quasi gloriæ, ac victoriæ insignia poterit ostentare. ubi enim innumeros in Iudæâ, & Samariâ devicto Hermogene mago, subjugasset, & Christo Regi servire jussisset, pro torque aureo, vincula & carceres perpessus est. Ejusmodi equites torquati, vos omnes hodierna die evadere potestis: a torques aureos, gemmeos, adamantinos, vobis cudere potestis, ex *vinculis a improperii*; Alii b *vincti in mendicitate*; alii quibus c *vincla Iugalia curæ* qui *alligati sunt uxori*, vincla conjugii quæ ferrea sunt, monito Augustini: d *ament, & aurea erunt*, Religionis vincula, quibus Deo colligaris, religiosus amet, *& aurea erunt.* Austriacorum virtutem, vel ipsa muta satis loquuntur insignia, quorum hæc, Lipsio testante origo est; e Leopoldum (Ducem Austriæ) Muros Aiconis superasse, albo paludamento indutum, quod totum hostili mox sanguine tinctum apparuit, ea parte dempta, quæ baltheo tegebatur; inde factum, ut area rubicans, cum fascia, sive segmento albo mediam dirimente, insigne deinceps Austriis esset, idque permissu, vel indultu Henrici VI. tum Imperatoris. f Consimilis prope Barcinonensium, & Aragonensium origo est, ut alibi videre est.

Atq; hæc illustris sane causa, quod multis retro sæculis, deferenti insignia. clypeosq,, consuetudo tenuerit, ut nobilissima signa præclarissimarum virtutum.

Verum enim vero, inter omnia quantumvis illustria principum, Regumque insignia, inter omnes optimatum gentilitias tesseras, nulla, virtutis, dignitatis, nobilitatis tantæ, nulla quæ majorem victoriā peperere, quam sacratissima Crux Redemptori nostro. *Hoc præclarū* INSIGNE g *cruentum.* Quicuncque in Ecclesia magni, imo summi, maximique ad Tolosam, ingenti prælio vi-

a Iob. 39 b Psal. 106. c Virg. 4. Æneid. d August. in Ps. 105. e Lipsius epi cent. ad Germ. & Belg. quæ. 4. epist. 36. ex Crispiano. f Festo Ascensionis. g Lucret. lib. 5.

sunt,

ſunt, ſeu profanis, ſeu ſacris honorum inſignibus, ſeu purpurâ & ſceptro, ſeu infulis pedoque venerandi, & his & illis ſuum à *Cruce* decus, atque ornamentum. Quod calamo ſuo acute, & argute, depinxit *a* Auguſtinus: CRUX *honorata eſt & finita eſt; finita eſt in pœnâ, manet in gloriâ: à locis ſuppliciorum, fecit tranſitum ad fontem Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis ſuis, quid ſervat fidelibus ſuis?* & alio loco illud idem ſignum, quod in Regia corona ſupereminet, radiatque medium inter gemmas, omnibus rubri maris anteponit Margaritis: Reges *b* inquit, *Signum* CRUCIS *Chriſti in fronte jam portant*, PRETIOSIUS SIGNUM, *quam quælibet gemma diadematis.* Id ſenſiſſe videtur Calixtus III. Pontifex, qui pro ſymbolo Crucem, ſuper tricoronidem tiaram Pontificiam adlegit, hoc lemmate ſubjecto: *Omnes Reges ſervient ei.*

Auguſtino accedit Hieronymus, qui Crucis ſignum, *non uſitatâ* d *penna* extollit, dum ait: *vexilla militum* CRUCIS *inſignia ſunt: ardentes diadematum gemmas, patibuli ſalutaris figura condecorat.* Crux in labaris, Crux in clypeis, Crux in coronis Regiis, Crux in ſceptris fulget, Crux in veſtibus, Crux in palliis, avitæ nobilitatis, ac heroicæ virtutis inſigne. Ipſi ſummi Pontifices in palliis, & à tergo, & à pectore; Cruces purpurei coloris geſtare conſueverunt quas *e* Venantius Fortunatus, appellat *pallia textili* CRUCE INSIGNIA. Ab Eccleſiæ capite, ſeu ſole, alii Chriſtiani Heroes lucem illam hauſere pietatis, & S. Iacobi comprimum illuſtriſſimi Equites *Crucigeri.*

Inter ordines militares Hiſpaniæ, primum *e* obtinet locum S. Iacobi, qui vulgo S. Iacobi de Spatha nuncupatur. Ejus originem ad Ramirum Caſtillæ Regem referunt: ſub quo ad Clavigium commiſſo prælio, auſpiciis S. Iacobi Apoſtoli, in equo candido niveum vexillum, rubræ Crucis figura diſtinctum præferentis, de innumerabili barbarorum multitudine triumphavit, atque hinc cœptum eſt in præliis nomen, patrociniumque Apoſtoli implorari (*Dios ayuda, y S. Iago*) victorque exercitus univerſam Hiſpaniam votó obſtrinxit, ut ex ſingulis agri, vineæque jugeris, Compoſtellano templo, corporis D. Iacobi cuſtodiâ celeberrimo, frumenti modium, aut vini amphoram quotannis omnes penderent. Anno 1175 ab Alexandro III. Pontifice Maximo vivendi ratio ſub D. Auguſtini Regula illis præſcripta eſt, & optimis inſtitutis ſtabilita: obligunturque voto ſingulari ad profligendòs Mauros, & Saracenos ex Hiſpania, eximendoſque eorum *f* ſervitute Chriſtianos. Magiſter ordinis, annuos redditus percipere dicitur, trecenta millia aureorum. Ex toto autem ordine, debent ad bella progredi trecenti equites, Religionem profeſſi, omnes rubra Cruce inſigniti.

Vt Equites S. Iacobi, *Chevaliers de S. Iago* longe illuſtriſſimos, vós comprobetis, Cruce omnes inſigniri debetis. Vt olim priuſquam huic ſacræ militiæ adſcri-

a Auguſt. in Pſal. 36. b Auguſt. in Pſal. 32. c Typotius, l. 1. Symb. pag. 36. d Horat. Hier. Epiſt. 7. ad Lætam. e Venan. Fortun. l. 2. c. 3.

f Lucas Tudenſis Marian. l. 11. hiſt. Hiſp. c. 13. Beyerlinc. theat. lit. E. pag. 331. g Sandæi milit Chr. tom. 4. pag. 117.

adſcriberetur, cœlitus edoctus eſt B. Henricus Suſo, Dominicanæ familiæ auguſtum lumen. Hic in cella ceu cœlo ſedens, meditanſque illud Iobi cap. 6. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, à ſenſibus abductus, in eo orationis æſtu, raptuque, Iuvenem vidit miri decoris, qui ocreas, ſcutum, haſtam, & reliqua Equeſtris militiæ inſtrumenta ad eum deferebat, hæc paucis præfatis: Noveris te hactenus, ô Henrice, in ſacratiore illa Dei tui militia, pedites inter numeratum; modo altius evocaris, ad Equeſtrem ſcilicet in eodem ordine: & inde ad labores, ad æſtus, ad invictam in malis conſtantiam, qualem nempe decet eſſe *in Milite Crucis*, & ſub ea magnarum virtutum exercitatio, & quidem:

Primò, hactenus teipſe prout libuit cæcidiſti, durus tibi ac crudelis: deinceps flagello linguæ iniquæ cæderis in fama, & quæ tibi vita carior eſt, in exiſtimatione.

Deinde tibi ipſi hactenus videri potuiſti inimicus, utpote in te ſævus; at in alios benevolus, omnibus acceptus, & pergratus fuiſti: hi deinceps & fidem fallent, & manus in te armabunt. Denique hactenus cœleſti manna in oratione paſtus, & quaſi lactatus ipſis Chriſti uberibus: poſthac, felle & aceto potaberis, ablactatus à Deo, & hominibus. Atque hac mirifica Cruce inſignitus, Equeſtris ordinis in Militia Chriſtiana, tiro Crucis adſcriptus es. Dicta præſagium confirmavit: nam die proximo ſequenti, cum à peracto Miſſæ ſacrificio, illa tacitus apud ſe expenderet; Ecce jubetur à bono genio proſpicere de feneſtra, paret ilico, & cernit canem, qui ore dentibuſque lacerum panni ſegmentum, toto Cœnobii ambitu circumferebat, mordebat, lacerabatque; tum vocem è cœlo audire viſus: ſic aliorum, & ſubinde fratrum tuorum dentibus laceraberis, hæc Crux tibi Henrice imminet. Quid ad hæc Vir Dei? è cubiculo mox deſcendit & ſegmentum illud, veluti Crucis ſuæ notam, ſymbolumque capit, affigitque pectori, eo ornatior quam Equites S. Iacobi, purpureis lacineis in Crucem decuſſatis. Neque vana illi oſtento fides, exinde in illum Cruces pluere, in pectus, in ſcapulas, quibus inſignitus, tandem tam illuſtris evaſit. Vos omnes hic pedites conſpicio, Equites & quidem Crucigeros *met een* CROSADE, ſi velitis, vos hodie conficiam.

§ 3.

Abſit gloriari, niſi in CRUCE. Gal. 6.

AMbroſius, de quo ſplendidum illud Elogium protulit Auguſtinus: a *Sed adhuc audi alium excellentem Dei diſpenſatorem, quem veneror ut patrem: in Chriſto enim Ieſu per Euangelium ipſe me genuit, & eo Chriſti Miniſtro lavacrum regenerationis accepi; beatum loquor Ambroſium.* Hunc in Epiſtolam ad Hebræos 2. *Abſit mihi gloriari niſi in* CRUCE, ſic diſſerentem audite: *Hic oſtendit Apoſtolus, quia gloria, & honor,* CRUX *eſt Chriſti: ſicut & ipſe Dominus eam*

a Aug. contra Iulian. cap. 7.

semper vocat, dicens: Ut GLORIFICETUR *filius hominis; si ille ea, quæ pro servis passus est, gloriam vocat multo amplius, tu O homo! quæ pro Domino pateris, tibi ad gloriam pertinere sempiternam, dubitare non debes.*

Attende infima aulicorum Ministeria, quæ Principi, aut Regi exhibere, sibi gloriæ, favori, & honori ducunt singulari.

Carolum Longovallium aBucquoii nostis saltem famâ, belli ducem tota Europa celeberrimum, & Imperii fortissimum propugnatorem. Hic aliquando cum Patribus Societatis agens Montibus Hannoniæ: obtemperandi studium apud vos inquit; ut par est, vigere scio quam maxime; at nobis profecto, qui in aula vivimus, graviorem obediendi necessitatem existimo incumbere: nam ad omne Principis imperium, adeo nos fingere necesse est ac refingi, ut si currum fimo gravem, agere me per urbem velit, atque nutu tantummodo significet, detrectare non modo sit liberum; sed velut insigne honoris, ambabus ulnis, illud quantumvis vile ministerium complecti, in votis est. Si adeo vilia, & abjecta imperio, aut nutu Principis suscepta ministeria, tantum splendoris atque existimationis etiam apud vulgus acquirunt, quis mirabitur quæ ex æterni Regis præscripto, aut consilio, humilitatis officia, generosè & alacriter accipiuntur, suos maxime condecorare & nobilitare.

Fimeto quid vilius, quid fœdius? huic tamen cui Iob insedit, plus honoris, quam Regiis thalamis, aut thronis, Deus voluit exhiberi. Aureâ, hoc licet vile argumentum appareat; exornandum eloquentia: b *Fimus* inquit Chrysostomus, *in quo sedebat Iob omni tribunali Regio venerabilior est. Et multi nunc longam transmarinam peregrinationem, à terræ finibus suscipientes, in Arabiam abeunt, ut fimum illum cernant: & conspicati, terram deosculantur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro præstantiorem excepit.* Ita vero illud longe est verissimum, *qui se humiliat, exaltabitur.* c Ut alibi fuse egimus.

Expendit Doctor Seraphicus, quibus in rebus hic homines, & quam vanè glorientur: Nonnulli sectantur gloriam in vestibus, alii in rhedis, alii gloriantur in multitudine divitiarum, alii in honorum titulis, atque hæc quam vana gloria attendite: *ne timueris, cum dives fuerit homo, & cum multiplicata fuerit* GLORIA *domus ejus: cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum ipso* GLORIA EIUS. Ubi dBonaventura: *quid igitur* GLORIAM *hanc sequeris, à qua in morte juvari non poteris; sed potius ab ea impedieris, & ab æterna illa, & immensa* GLORIA *excluderis?*

Nonne omnes passim gloriam aucupantur, quæ cito evanescit, & in ignominiam vertitur? Oseæ 4. GLORIAM *eorum in* IGNOMINIAM *commutabo.* Cum toti orbi in extremo judicio, qui hic in gloria, summa confusione con-

a P. Bartho. Fisen. nemo læditur, nisi à seipso. l. 1. c. 12. §. 5.

b Chrysost. hom. 5. ad popul. c Lux Evan. p. ?. dom. 19. post Pent. d S. Bonav. serm. 1. festo S. Andreæ.

conspicui; inter fornicarios, adulteros, atque adeo inter damnandos computandi sunt, & dicetur illis: *quantum se* GLORIFICAVERINT, *& in deliciis fuerint, tantum date illis & tormentorum.* Vera & solida gloria est in Cruce Domini nostri Iesu Christi; quod ex animo sensit, & reipsa comprobavit piissimus Scotiæ Rex a Convallus: Hic quocunque pergeret, sibi Crucem argenteam præferri mandabat cum hac Epigraphe: CHRISTIANORUM GLORIA; quam quoties Equum conscenderet, osculabatur, ac supplex venerabatur. b In hac cum Apostolo gloriandum; *Filii Diaboli,* GLORIENTUR *alii in potentia, alii in corporis elegantiâ, alii in scientia, alii in in rerũ omnium opulentia, alii quod deterius, in sua ipsa malitia.* NOS AUTEM GLORIARI *oportet* IN CRUCE *Domini*: gloriari nos oportet in paupertate; in ærumna, in tribulatione, in morbis, in mortificatione assidua. c Hoc cœlestis Magister Sponsam suam Gertrudem edocuit. Cum die quadam Exaltationis S. Crucis, Christus Gertrudi apparuisset, ita fere illam compellavit: attende filia, si cum paucis horis in Cruce pependerim, eam nihilominus ita nobilitavi, ut eam per orbem universum, summo in honore habeatur: quo apud me loco futurũ putas, quove in honoris gradu collocandum in cujus animo plures annos, sedulâ recordatione confixus fuero: in cujus corpore per continuam mortificationem expressius fuero: in cujus animo vel corpore per plures annos variis tentationibus, miseriis, morbis expressus? talis exclamet: d *Libenter* GLORIABOR *in infirmitatibus meis.*

Angelus mulieribus, quæ in sepulchro Christum quærebant, dixit: e *Nolite timere, scio quod Iesum qui* CRUCIFIXUS *est quæritis.* Expendit hoc apposite Cyrill. Ierosolym. Catech. 3. *Vt quid Crucifixum nominant? non pudeat,* inquit, *Crucem Christi confiteri: Angeli enim* GLORIANTUR, *dicentes: Iesum quæritis* CRUCIFIXUM. *Non potuisti dicere O Angele, scio quem quæritis, meum Dominum; sed confidenter dicis, scio quod* CRUCIFIXUM: GLORIA *enim, & honor est* CRUX. Gloriosam denique Dominus noster suam Crucem appellavit in illa hora, qua pro universorum salute, crucifigendus erat, cum dixit: f *Venit hora, ut* GLORIFICETUR *filius hominis*: Ubi idem Cyrillus: Vides, inquit, *quomodo* GLORIAM *propriam, sciebat esse* CRUCEM, Hoc Apostoli, hoc Christi discipuli probè norant. Chrysostomus hom. 62. ad pop. *gaudebant Apostoli cum flagellarentur, & Paulus hoc admonet, dicens: gaudete in Domino. Et quomodo gaudere licet, ubi sunt vincula, ubi tormenta? miles qui mille vulnera excepit, nonne cum magna revertitur lætitia, libertatis habens claritatem, &* GLORIÆ MATERIAM *vulnera? & tu si poteris, erumpe in vocem illam, quam Paulus: Ego stigmata Domini in corpore meo* PORTO, *magnus & illustris fieri poteris.*

Nec est quod doctrinam hanc

a P. Sainct Iure lib. des. Eslus, c. 17 §. 7. b Bonavent. serm. 1. de S. Andrea c Lib. 4. insinuat. ca. 54.

d 2. Cor. 12. e Matt. 28. v. 5. f Ioann. 11. v. 4.

Viros religiosos, aut Anachoretas dumtaxat spectare arbitreris, habent & sæculares Crucem suam, & gravem quidem, in qua gloriari cum Paulo queant: paupertas Crux est, vir temulentus Crux est, filius discolus Crux, infirmitas Crux est, quævis tribulatio Crux est, cui & vos omnes, nobiles, plebejos, conjugatos, cœlibes, virgines, configi ardentissime exoptat *a* Augustinus: Nunquid omnes Virgines, *qui sequuntur* Agnum Dei crucifixi sunt, ut sequantur? *nunquid Paulus* CRUCIFIXUS *fuerat, cum dicebat: Mihi Mundus* CRUSIFIXUS *est, & ego Mundo? hoc autem dicit, ut intelligas* CRUCEM, *non ligni esse patibulum, sed vitæ, virtutisque propositum.* In hac Cruce quisque vestrum, cum Apostolo glorietur, & dicat: *Ego stigmata Domini Iesu, in corpore meo* PORTO: Ubi aureus Orator: b *non dixit, habeo, sed* PORTO, *tanquam si quis de trophæis* GLORIANS, SIGNISQUE REGALIBUS. Ita & tu morbo dejectus, lecto velute Cruci confixus, jure exclamare poteris: c *libenter* GLORIABOR *in infirmitatibus meis*, si aliæ mortificationes, tribulationes, quavis ex parte in vos irruerint, materiam nacti estis, ut cum Apostolo dicatis: *d* GLORIAMINI *in tribulationibus.* Hominis sæcularis exemplum attendite: Benignissimus Redemptor noster, Cruci confixus se spectandum exhibuit Stephano Abbati, in Monasterio *e* Æliotarum, & à latere fratrem Stephani, etiamnum sæcularem, eximia vitæ sanctimonia præditum, *f* Cruci quoqe confixum, atque hisce illum paucis affatus est: *aspice, in quanta* GLORIA *hic frater tuus sit.*

Profecto simili cum Christo, Rege Regum, throno considere, æque eminenti loco consistere, adeo honorificum, adeo excelsum duxit Princeps Apostolorum, ut consimili modo quo Christus, Crucifigi plane detrectarit, ne ejus divinitatem affectasse videretur: *g Non fuit opprobrio Petro* CRUX *Christi; quin tantum ejus* GLORIÆ *dedit, ut inversis Christum honoraret vestigiis, metuens, ne si ea specie, Crucifixus esset, qua Dominus,* AFFECTASSE DOMINI GLORIAM *videretur*: hæc Ambrosius.

Alterum est, quod ad Crucis gloriam, ac dignitatem, facit plurimum, Christus eos qui hic sui amore cruciatus acerbissimos, rotas, catastas, Cruces subierunt, seque veros Crucis Equites comprobarunt, eo honóre etiam apud mortales affici, qui omnes Regum titulos, & quamvis mundi gloriam, infinitis parasangis antecellit. Qua super re Doctorem & oratorem Seraphicum audiamus: h *Dignum est, inquit, & rationi consonum, ut qui toto posse, Dominum honorarunt, & pro ejus honore se occidi permiserunt, operante Deo ab omnibus honorarentur.* Et probat Exemplis: *fit ergo Deo efficiente, ut* MAIOR HONOR *impendatur ab homine piscatori, quam alicui summo Regi: major Iacobo; quam ibi famosissimo Alexandro: major Philippo, quam Cyro, aut Dario.*

a Aug. serm. 32. de Sanctis. b Chryrost. in epist ad Gal. 6 c 2. Cor. 12. d Rom. 5. v. 2. e Moschus in prato spir. l. c. 65.

f Sainct Iure lib des. Eslus d. 398. g Amb. ser. 21. in Psal. 118. h Bonavent. ferm. 1. in Festo SS. Philippi & Iacobi.

Spon-

Sponsa, Salomonis sui Regium thronum descriptura, inter ea quæ notatu digna enumerat, est ascensus purpureus Cant. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* De hoc opere *a* Gilbertus verba faciens, sic ait: *hæc tibi purpura sufficiat ad fastum, sufficiat ad ascensum, sufficiat ad gloriam, ut non* GLORIERIS *nisi* IN CRUCE *Domini tui Iesu Christi: ascensus te purpureus, reclinatorium perducet ad aureum.* Sanguineus purpuræ color, cruces, Passionem, Martyrum cruorem refert, ponitque ob oculos omnia tolleranda, usque ad sanguinis effusionem. Nec quis abhorreat, quoniam hæc via est ad reclinatorium aureum, ad thronum gloriæ.

Sciscitatus est olim potentissimus Persarum Rex Assuerus, principem Regni sui dynastam Amanum: b *quid debet fieri viro, quem Rex* HONORARE, *desiderat: respondit Aman: homo quem Rex voluerit* HONORARE, *debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & primus de regiis principibus tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens clamet, & dicat: sic* HONORABITUR QUEMCUNQUE VOLUERIT REX HONORARE. Hic honor non superbissimo Amano, ut putabat, sed modestissimo Mardochæo, exhibitus est: qui à cinere & cilicio, cui indormiebat, ad primos à Rege honores evocatus est, conscenditque equum Regium, diademate redimitus, ac per amplissimæ urbis compita circumductus, à fastuoso Amano, præ invidia frendente, audiit magnificum illud: SIC HONORABITUR QUEMCUNQUE VOLUERIT REX HONORARE; quam sententiam celebris orator Hispanus c*Hernando de Sant Iago* illi applicat, qui pro Christo generosè ac gloriosè, Crucem quasi Regium Equum conscenderunt. Quod solido D. Thomæ comprobatur testimonio, dum illud Petri exponens: & d *Vos eadem cogitatione armamini*, sic ait: *Christus in pedibus quasi calcaria, clavos infixos:* PRO EQUO VERO, HABUIT CRUCEM. Ex quo equo, præ Mardochæo, præclarissimam adepti sunt gloriam, *Equites crucis*, quod vel ipsi tyranni, in supremo die, cum fremitu & gemitu proclamare cogentur: *Sic* HONORABITUR, QUEMCUNQUE VOLUERIT REX HONORARE. Hunc honorem Sancte ambire, hanc gloriam pie æmulari studeamus, & cum D. Anselmo *e* exclamemus: *Domine Iesu Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te credo, in te spero, & quibus possum desiderijs ad te suspiro, adjuva imperfectionem meam: ad tuæ Passionis* GLORIOSÆ INSIGNIA, *in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino; f* Vere, *nimis* HONORATI *sunt amici tui Deus.*

Cum Rex Hispaniarum, & Galliarum, *e* simul eidem mensæ accumberent, Ferdinandum ducem, cognomine *Magnum*, secum

a Gilbertus in Cant. serm. 18. b Esther. c. 6.

c Hernando de S. Iago serm. de S. Andrea. d S. Thom. in epist. 1 Petri c. 4. e Anselm. in specul. Evang. c. 17. f Psal. 138. v. 17. g Lauredan. tit. tribulatio. pag. 624.

accumbere jusserunt, dicentes: eum posse in mensa Regibus assidere, qui nosset Regibus Regna acquirere. Hunc honorem Rex Regum, famulis suis defert, pro se persecutiones, & Cruces perferentibus, ut sibi ac Deo Regna conquirant. *Beati qui persecutionem patiuntur*, & ideo tales invitat ad mensam suam. Luc. 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis Regnum*, UT EDATIS, ET BIBATIS SUPER MENSAM MEAM; sed amabo, rursus percunctari libet: *quid adhuc debet fieri viro, quem Rex* HONORARE *desiderat?* quid ultra honoris Rex exhibere poterit, viro potentissimo ad se venienti? Ire in occursum, eique assurgere? hoc fecit Stephano. Insuper jubere, ut operto coram se capite consistat, & sedeat, (*ut Grandes*) Quid si etiam in thronum suum collocet? Hoc agit Deus: *a qui vicerit, dabo ei* SEDERE MECUM IN THRONO MEO. Nolim huc fusius prosequi, quam summus iste Imperator noster, non modo divinos honores, sed etiam humanos, apud homines conferendo extollat, qui hic latuerunt in scriptis, ut peripsema; vnum hoc dixisse sufficiat, dum morborum aculeis, lectulo velut Cruci, instrati estis, occurrat illud: *Sic* HONORABITUR, *quemcunque* VOLUERIT REX HONORARE: Dum inter carorum pignorum cadavera, inter calumnias, opprobria, jacturam bonorum, non uni veluti Cruci confixi estis. illud suavissimum melos auribus insonet: *Sic* HONORABITUR, *quemcuncque* VOLVERIT REX HONORARE.

a Apoc. 3.

Amabo vos, quoscuncque honoris, laudisque immensa cupido exstimulat, veram & divinam gloriam sectamini, quæ tanta est, ut Psaltes *b* Regius attonito similis vociferetur! *nimis* HONORATI *sunt amici tui Deus*; vel ipsa mortuorum ossa, & viles laciniæ, qui Sanctorum contactu honestata, satis loquuntur: *qui unquam Reges*, inquit *c* Bonaventura, *qui Principes, qui Barones, aut Nobiles, sic à Mundo* HONORANTUR, *ut Martyres? imo Martyrum crura?* plus dico, Cilicium Arsenii auro includitur, tunica Pauli Anachoretæ, purpuræ Regiæ præfertur: Crinem Magdalenæ, quem Lanuza habet, omnibus Regnis Mundi appendit; sudaria, ac semicinctia Pauli, *d* quod virtutis ac venerationis habuerint, sacræ paginæ testantur. S. Gregorius inter plurima quæ *e* hic adducit, commemorat mortuum ad vitam revocatum caligâ S. Honorati Abbatis, quam ejus discipulus libertinus, ex magna devotione & fide circumferebat. Quid illustrissimæ familiæ Patriarcham Dominicum commemorem? qui tanto *f* etiamnum inter mortales versans, apud purpuratos patres, & summos Pontifices, in amore ac veneratione fuit, ut beatos se dictitarent, quibus ejus affatu frui, & vestem contingere, indeque frustillum decerpere contingeret. Quo in genere, memorabile est quod Ioanni Becano Minoritæ accidisse legitur: eum viri princi-

b Psal. 118. c Bonavent. serm. 2. de communi unius Mart. Lanuza hom 30. §. 11. d Actorum 19. e S. Greg. l. 1. dial. c. 2. f Platus de bono status Relig. l. 2. c. 37.

pes

pes summo honore prosequebantur monachum; sed Episcopum postea factum, veluti è Cruce Religionis depositum, non amplius admirabantur, nec venerabantur. Quid, quod sancti rerum humanarum, & divinarum optimi æstimatores, è cælis in terras delabi percuperent, ad Cruces subeundas, & plura pro Christo toleranda: quia Deus ita suos honorat, & extollit. *a* Sic Lazarus à Christo, qui illum amabat, ad acerbissima & inaudita supplicia in vitam revocatus. Hic redivivus perpetua in Cruce fuit, nunquam ridere visus est, aqua & hordeo semel de die, vitam tolerabat, corpus cilicio astrinxerat, lapide pro cervicali dormiturus utebatur, dispersis Apostolis impositus fuit navi, cum Magdalena & Martha sororibus, sine velis & remis, quæ Deo dirigente Massiliam appulit, ubi multis annis Episcopali muneri functus, atrocissimâ dein lanienâ affectus est. Primum toto corpore pectinibus ferreis dilaceratus, dein veste ferrea candenti, ac plane igneâ, arctissimè adstrictus, atque ita semiustulatus, craticulæ superpositus, ubi ab Angelis cælesti refrigerio fotus, sibique restitutus est; sagittis denique expositus, cum illæsus persisteret, gladio percussus, Martyrii palmam reportavit, & longe gloriosior in secunda morte occubuit. Scitè observat Oleaster, qui factum sit, ut plerique Martyres, suavis Dei providentia, feris, rotis, rogis, laqueo miraculose eripuerit, & gladio tandem plecti permiserit; nec aliam hic causam excogitavit, quam quod ea mors nobilium sit: *Martyres hos*, inquit, b *Deus voluit pro majori parte decollari; quæ* MORS NOBILIUM *esse solet*.

Quin & moris est eos qui in Equestrem nobilium ordinem admittuntur, gladio percuti, *Ridder slaen*; Is honor, hæc gloria, HÆC MORS NOBILIUM, illustrissimum Heroem nostrum Jacobum condecoravit, qui ut disertissimè *c* Bonaventura: *Primus de omnibus Apostolis, amorem Christo reddidit quem accepit: nam primus inter omnes Apostolos, pro Christo morti se tradidit. sicut dicitur Actorum* 12. *quia misit Herodes manus ut affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem* JACOBUM *fratrem Ioannis gladio*. *d* Ubi Vivero noster solerter adnotavit, nullius Apostoli Martyrium in sacris paginis recenseri, nisi filius Jacobi, unde inquit, fit, ut sicut S. Jacobus hunc articulum symbolo inseruit: *passus sub Pontio Pilato*, ita tanquam articulus fidei (quia sacris literis continetur) cunctis fidelibus proponeretur gloriosa mors, & illustre Martyrium S. Jacobi. Hoc gladio Magister equitum creatus, regnum sibi æternum comparavit.

e In aula Pyrrhi, Regis Epirotarum, olim controversia agitata est, quis inter filios futurus esset primus Regni hæres? Scio respondisse regnantem patrem, illum ceteris præferendum, qui

a Fasti Marianl 17. Decemb. Marchant. hort. past. tract. 4. lect. 13. art. XI.

b Oleaster in c. 4. Gen. in morali annot. c Bonavent. ser. 1. festo S. Jacobi. d P. Vivero Solennia divina. dissert. 2. pag. 45. e P. Vivero pag. 484.

acutiorem ensem haberet. Nemo ex omnibus Apostolis acutiorem ensem habuit, quam Iacobus, ense Herodiano interfectus. Atque ideo, ut ait *a* S. Vincentius, *Iacobus primus debuit per Martyrium, paradisum intrare de Apostolis.*

Tandem ut concludam super omnia hunc gloriosissimum Crucis Militem extulit, quod hoc solemnissimo die S. Bonaventura sibi Thema delegit.

§. 4.

Erit sepulchrum ejus GLORIOSUM Isa. 11.

PUrpuratus Ecclesiæ Doctor Seraphica suâ facundia Apostolum hunc exornaturus, ab hoc Isaiæ vaticinio exorsus est: *Erit sepulchrum ejus* GLORIOSUM.

b *Sicut patet, & ad sensum cernimus tota die, nullius sancti sepulchrum, sic est apud omnes homines* GLORIOSUM.

Refert de Alexandro Plutarchus, in ejus sepulchro depictas fuisse Africam, Europam, cum aliis Mundi partibus, quas subjugarat, hoc brevi, sed laudis pleno Epitaphio:

Alexandri Victoria.

Rex Cypri, monumento insculpi jusserat hæc verba: *Hic jacet Persarum debellator.*

Themistoclis Epitiaphum fuit pictura gestorum, cum hac Epigraphe: *Memoranda facta Themistoclis.*

Ab Hebræis, sepulchro Iosuæ inscriptum: *Sol contra Gabaon ne movear. At nullius Sancti sepulchrum sic est apud omnes* GLORIOSUM. Extollant alii prodigiosum S. Pauli Anachoretæ sepulchrum, quod leones, Vespillonum munere functi, unguibus suis effoderunt, ut D. Hieronymus *c* testatur: quod idem officium præstitere S. Mariæ Ægyptiacæ humandæ: Angelicæ puritatis Virgo Catharina, ab Angelis in monte Sina recondita est: *sed nullius Sancti corpus, sic est apud omnes homines* GLORIOSUM. Quod probat primo: *quia in principio miraculis plurimis fabrefactum.* nam dum corpus S. Jacobi primum in Iriæ Flaviæ portum (quod est Galleciæ oppidum) appulit, ipsa rupes se expandens, & in sepulchri formam effingens, sanctum cadaver excepit: perseveratq; hodie eadem species sepulchri: utinam hodierna die corda nostra lapidea mollescant, &ab ipsis saxis commota, huic Divo locum faciant, ac sepulchrum gloriosum.

Refert Spondanus in Annalibus Eccl. a. Chri. 1231. 19. Nov. Marpurgi è vivis ad Divos abiisse Elisabetham Hungaricam, & post quatuor annos Sanctorum albo adscriptam; tanto vero concursu, ad tumulum ejus, unde anno sequenti corpus ejus elatum est, & aureæ thecæ inclusum, undique populus confluxit, ut ad duodecies centena millia hominum convenisse tradantur. Qua veneratione, quo populi affluxu, sepulchrum sancti Basilii cultum sit, sanctus & ipse Gregorius Naz. orat. 20. refert, aitque certatim confluxisse, atque irruisse populos, ut vel vesti-

a. S. Vincent. ferm. 2. in transfig. b S. Bonav. serm. 2. festo S. Iacobi.

c Hieron. in vita S. Pauli. Paulus Diaconus apud Surium 9. April. 1. Bonav. cit. Euseb. Nierenb. in hist. nat. de miracul l. 1. c. 32.

mentorum

mentorum ejus fimbriam, adeoque vel umbram corporis contingerent, ut quidam ex nimia protrusione, & compressione in turba extincti sint, quos si Doctor beatos, & *tanquam funebres defuncti victimas*, nuncupare non dubitat.

At quis numerare valet, quot centena peregrinorum millia, non uno duntaxat anno; sed jam tot annorum centuriis, tot sæculis, Compostellam, ex ultimis terræ finibus, ad gloriosum SS. Apostoli Jacobi sepulchrum excurrerunt? probat secundo Doctor Seraphicus, Apostoli sepulchrum gloriosum: *quia magnis virtutibus adornatum.* a E corpore Christi viventis, tanta virtus emanabat, ut qui fimbriam contingeret, sanitatem consequeretur: quia *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Hæc virtus Jacobo etiam mortuo communicata videtur; atque in eo verissimum illud comprobatur: b *majora his facietis*, nam ille etiam mortuus, plures ad tumuli venerationem, in vitam revocavit. Elisæus in vivis multum laboravit, ut miracula quædam patraret, eique multo labore stetere, pallium, quod ab Elia acceperat, veluti pignus omnium mirabilium, Jordani insternit, ut transitum præbeat, sed frustra, obsurdescunt undæ ad voces, & mandata imperantis: suffusus rubore clamat ille in Cœlum: c *Ubi est Deus Eliæ etiam nunc?* ac si diceret, ubi nunc illa virtus Eliæ! nonne videtis, ut prodigioso illo pallio Eliseus vel unum miraculum efficiat, necessarii sint clamores, gemitus, suspiria, recursus ad Eliam? nec minus laboravit ut filium Sunamitidis in vitam revocaret, mittit baculum, subsequitur ipse Propheta, claudit ostium super se & puerum, & prolixis precibus orat Dominum, ingemiscit, suspirat, deambulat in Domo huc illuc, recumbit super mortuum, contrahit se, suaque membra puero adaptat: & d *oscitavit puer septies, aperuitque oculos*; tantæ molis, & moliminis erat, vel unicum patrare miraculum. Mortuus vero non solum omnes sanabat; sed tanta ab eo virtus exibat, ut vel solo contactu mortuum suscitaret; quidam etenim volentes defunctum sepelire, ut viderunt latrones è latebris prosilientes, timore conterriti, cadaver in sepulchrum Elisei projecerunt: & ecce, sepulchrum gloriosum, vix dum cadaver emortuum, sacra Prophetæ ossa contigerat, ilico vitæ restituitur. 4 Regum 13. *quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Ubi sacrarum literarum eruditus Interpres: b *Vivus propheta non facile defunctum puerum excitavit; sed multa miracula præcesserunt. deambulavit ille, oravit, projecit, se super cadaver, nec primo, nec secundo, nec tertio tandem rem obtinuit. contra vero Elisei demortuum corpus, ubi primum defuncti cadaver simul consepultum attigit, ilico vivum reddidit.* Haud aliter sanctissimus Hispaniæ Heros, ut mira ac stupenda opera summo sudore, ac labore, in vita perpetrarit, ut mortuos spiritu ad vitā animę, &

a Bonav. cit. b Ioan. 14. c 4. Reg. 2. d 4. Reg. 4. e Bened. Fern. loco cit.

gratiæ revocaret, mortuus jam, citra molestiam, innumeris, & vitam animæ, & corporis restituit; quo fit, UT SEPULCHRUM EIUS SIT GLORIOSUM. a Tertio *quia magnis privilegiis est dotatum.* S. Calixtus II. Pont. Max. S. Iacobum velut omnipotentem declarans, miracula ejus, operibus Dei maxime prodigiosis, quibus omnia ex nihilo creavit, suamque omnipotentiam manifestavit, comparat dicens: *Beati Iacobi miracula, tanto lumine coruscarunt, ut possent primi opificii dies, fulgore complere, ad mundi illuminationem.* Tum subdit: *Si mille haberem ora, milleque linguis præditus essem, non possem partem laudum Apostoli attingere, nec miracula ejus cuncta innumeris diebus recensere.* Quæ b quasi fastis, & monumento perpetuo consignato, in officio Ecclesiastico Hispaniæ consignata sunt, ubi legitur: ceterum tanti Apostoli „ creba miracula, non modo in„ tra Hispanias, sed in omnibus „ etiam Christianis provinciis „ celebrata, fecerunt ut quemad„ modum Ierosolymam ad sepul„ chrum Domini; & Romam „ ad Apostolorum limina; sic e„ tiam Compostellam ad S. Ia„ cobi reliquias undique con„ fluant, Religionis & voti cau„ sa, ex toto Christiano orbe peregrini. Digna profecto merces gloriosi Apostoli, qui non solùm definivit in symbolo fidei, Christum passum, & mortuum; sed etiam sepultum? unde & ejusdem hic sepulchri gloriosi promulgatorem, vel in propria sepultura mirificum ac mirabilem effecit. Populi vero, ad ejus sacrum Mausoleum concurrentis affectum tanta, summi Pontifices in æstimatione habuere, ut S. Antoninus Florentinus Præsul, hoc in Apostoli encomium adducat: c *stupenda existit devotio fidelium infusa mentibus, in visitando limina ejus, quam etiam statutum Ecclesiæ ita firmavit, ut nullus in hujusmodi voto, citra sedem Apostolicam valeat dispensare.* Ac tandem concludit: *Quod minus ceteris Apostolis, illi in vita collatum fuit honoris, & gloriæ à fidelibus propter brevitatem ejus* (anno enim sequenti à Christo, occisus est) *hoc, quasi divina Munificentia suppleverit, post mortem ejus plusquam Apostolorum aliorum omnium visitatis, & honoratis reliquiis.* d Pennas mihi ultro volucres ingerunt. Audi juventus, & patronum tuum mecum lauda. Ibant conjuges pii Compostellam, & trahebant pietatis suæ Comitem filium, forma liberali juvenem. O ut periculose Castitas peregrinaris! hospitis filia, oculis capta Adolescentis, capere etiam ipsum nititur. Evadit hic muliebris amoris laqueos, sed non odii: subdola enim inter sarcinulas castissimi, aureum craterem condit, abeuntem de furto accusat, damnatur, ducitur, & in Crucem tollitur. Sed non moritur innocentia: dum enim mœsti parentes iter relegunt, dum ægre & pedes trahunt, & animas, senectutis scipione filio amisso, dum frui illos vel pendentis aspectu juvat, Ec-

a Bonav. cit. Escobar Mendosa tom. 4 pag. 243. b F. Vivero cit. pag. 495.

c S. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 7. d Fasti Mariani 25. Iulii Marianus l. 5. de reb. Hisp.

ce ab infelici arbore filius : quid lachrimis vivo parentas mater : vivo, *Dei Matre, & Iacobo* succolantibus ; Iudici dic, ne damnare pergat, quem mors absolvit. Vix hæc ille ad Matrem, cum Mater hoc ad judicem mensæ accumbentem, Hic : tam scilicet filius tuus vivit, quam assus hic cum gallina sua gallus, qui lautus unctusque sepulchrum stomachum expectat. Iam carpere parabat, cum gallus, & gallina se erigunt, Innocentiæ victrici, alis applaudunt, gallus etiam pæana canit. Ergo damnat seipsum Iudex, & innocentem missum facit; volucrum vero proles posthuma, etiam hodie plumas suas cum laudibus Iacobi, in omnem orbem spargunt, nunquam, omnes licet tot quotidie vellicent, evellendas. O ter, quaterque beatum, ac gloriosum Apostolum, GLORIOSUM SEPULCHRUM! *Viri sanctitate*, GLORIOSUM *magnis virtutibus* adornatum; gloriosum MAGNIS PRIVILEGIIS dotatum. Quid ni urbes & orbis, Compostellam excurrant, ut hunc tam admirabilem Sanctum venerentur, ejus in omnibus quantumvis depositis, ac conclamatis rebus, subsidium, & patrocinium implorent, qui hactenus inaudita prodigia prodigaliter & virtute velut prodiga, operatur? Non dimittam vos, ut inquit Bernardus, sine exemplo :

R. P. Benedictus Fernandius *a* Societatis nostræ Theologus refert; quo tempore universa Hispania, post Gothorum Regum interitum, à Mahometanis vastata, excisaque, sub barbaro illo, nefandoque jugo tenebatur; In Portugallia tamen aliquot munitiora Christiani habitabant Castella, quæ Saracenum jugum adhuc nesciebant; erat unum in campis illis valde spatiosis & fœcundis, quos peramœnus irrigat Munda, non procul à Conimbrica. Ad hoc obsidendum confluxerat infinita Saracenorum multitudo, sub Rege Corduba Abderrameno, aut Almancore: visebantur latissima illa camporum æquora, quaquaversum protenduntur, Barbarorum copiis plena: pedites, equitesque, instar locustarum, omnia occupabant. Acerrimum deinde cœptum est contra oppidanos bellum, qui numero pauci, animo tamen impigri, & prævalentes, gravem illam obsidionis molem, intra Castelli angustias clausi, usque ad triennium pertulerunt. Ceterum, pertinacius instante barbaro, novisque semper & machinis, & armis, & copiis in oppugnationem oppidi succedentibus, veritus, qui Ducem gerebat Ioannes Abbas, ex Ordine S. Benedicti, capiendum haud dubie Castellum, seque deinde cum omnibus, qui intus erant, hostili ferro, ac probro mancipandum, consilium cepit re quidem impium, atque nefandum, nec ullis antea sæculis aut patratum aut auditum; sed ob zelum forte imprudentem excusandum. Eia inquit, socii, ad extremum jam res adducta est, Castellum capiendum, trucidandi omnes: fæminæ, puerique

a Fernandius in Genes. in tom. 3. Bernard. de Brito li. 6. ord. Cisterc. c. 27. & 28. Elias de Th[illegible] Legatio Eccl. triumph. l. 2. c. 15. n. 19. pag. 91.

que in ludibrium, atque in prædam cessuri, hostibus, quibus præter intolerandum servitutis jugum, impendet periculum, ne decepti aut compulsi, Christianam Religionem deserant, & ad nefandam Mahometis sectam transferantur. Igitur quod honestius est ac securius, trucidatis prius fæminis ac pueris, ne Barbarorum injuriis exponantur, nos eruptione facta, in obstantes hostium cuneos irruamus, ut saltem fortiter ac viriliter præliantes, gloriosam inter Saracenorum strages, mortem oppetamus. Placuit omnibus Ioannis consilium, omnesque brevi mulieres, puerique ac vetuli, præciso gutture ad unum perempti, atque omnibus demũ opibus incendio absumptis, soli qui supererant strenui propugnatores, apertis subito portis, facto impetu in hostes, Christum, & S. Iacobum de more invocantes involarunt, & præsentem numinis & S. Iacobi opem experti, hi licet pauci innumerabilem illam barbarorum colluviem, cæsis nonaginta millibus fugarunt, delêrunt ac penitus confecerunt, hostiliaque castra, plena omnis barbaricæ opulentiæ, à nostris direpta sunt. Verum ubi receptui datum est signum, ad saltum valde condensum substiterunt, læti quidem de prodigiosâ S. Apostolo patrocinante victoriâ, quam fere incruento Marte reportarant: at mœsti nimium, & animis, plus quam explicari aut credi potest, exulceratis, ob deplorandam fæminarum & puerorum cædem, redeunt in Castellum, ut suorum cadavera debitis lamentis, & pietatis officiis ad sepulturam usque prosequerentur; versam diceres cytharam in luctum, triumphi gloriam, in pompam sepulchralem: victis potius, quam victoribus similes, ejulatu in cælum sublato, suam suorumque miserandam fortunam deplorantes domum miseri revertebantur. Accedentibus ergo jam ad portas Castelli (ô prodigium, nullo unquam sæculo auditum) occurrit obviam universa cæsorum multitudo: mulieres ac pueri omnes vivi, & incolumes, festivis cantibus, & victoriam bellatorum, & redditæ peremptis vitæ miraculum concelebrant. Quis obsecro incredibilem animorum lætitiam, ac voluptatem, in utrisque merito explicabit? ceterum ad perpetuum tam inauditi miraculi testimonium, ac monumentum, mirabili quodam notati signo omnes videbantur: in cujusque scilicet gutture, qua vulnus prius late hiabat, quoddam veluti rubrum filum protendebatur. Nimirum quod de Iacob dixit Gennadius, claudum ex lucta remansisse, ut continentem, atque perpetuam luctę illius memoriam retineret, ita & hi pro se luctantis ac præliantis Iacobi. Hujus illustrissimæ rei memoriam, pluribus oblitterare nolo: *Ut bene apud memores veteris stet gratia facti.* Sed ad te, ô magne Heros! brevi Apostrophę me converto:

O felix! terque felix Hispania! ô beata Compostella, sic dicta quasi campus stellæ, ubi hæc stella Iacob, tot in omnes mortales influentiis dotata coruscat! gar-

gaudendi atque exultandi supra omnes nationes vobis seges est, qui hunc thesaurum asservatis: dixerit olim Doctor *a* mellifluus monachis suis: plurimum gaudeo, omnesque lætari debemus, quia Deus tantum nobis præstitit beneficium, ut divinitus disposuerit S. Malachiam apud nos, & in domo nostra sepeliri: evidens enim argumentum est, & manifesta confirmatio divinæ erga nos & domum nostram benignitatis. Haud aliter Excellens illud divinæ providentiæ, erga Hispanos beneficium est, quod SS. Apostoli corpus hic voluerit asservari; *b* quo sacro deposito longe ditior, & opulentior Hispania effecta est, quam omnibus auri fodinis, & gemmis Peruanis, quæ illam non mediocriter locupletarunt.

Quam varia, quam diversa fuere studia, & curæ ipsius Moysis, aliorumque Hebræorum: hi exeuntes Ægypto toti erant, ut secum ingentem argenti & auri copiam inde asportarent; Moyses vero omnem movit lapidem, ad asportandum secum ossa Patriarchæ Ioseph, qui fuerat supremus Ægypti præfectus: c *tulit quoque* Moyses ossa Ioseph: quæ Præcopius enucliatius expendens ait: Hebræi *quia carnalia sectabantur, jussi sunt mutuo accipere aurea & argentea vasa; Moyses vero elegit viri justi ossa, quæ præfert immensis Ægyptiorum thesauris.* Sublimioris erat ingenii Moyses, & excelsioris animi, terrena omnia præ sacris hisce Lipsanis despicientis. At dicite quæso, ecquæ comparatio inter ossa Ioseph filii Iacob Patriarchæ, & reliquias S. Iacobi novæ legis gratiæ? dicite, & discernite quod Epilogi loco Emphatice dixit S. Bonaventura: d *nullum debere esse dubium, quod ille qui sic eum voluit* HONORARE *in via, donis etiam amplissimis eum sublimaverit in patria, qui tot beneficia præstat ad ejus ossa, & ostendit cunctis tam ampla miracula, quanta ei contulit in cælo præmia, sive dona.*

a S. Bern. in vita Malachiæ. b Cotinio festo S. Iacobi Conc. 4.

c Exodi. 13. d Bonav. cit.

FESTUM
S. ANNÆ SS.mæ DEIPARÆ MARIÆ GENITRICIS.

Mater honorificata. Eccl. 15.



O Matre pulchra, Filia pulchrior. Hor. l. 1. Ode 16.

ARGUMENTUM.

GEminum conchile, Joachim & Annam vobis propono, qui pretiosissimam orbi margaritam, Virginem Deiparam protulere; quo partu Anna verè *a Mater honorificata*: quia nulla unquam proles ad excelsissimum

a Eccl. 15.

digni-

dignitatis ac ſanctitatis gradum evecta, tantum parentibus gloriæ quantum Maria Matri ſuæ Annæ contulit: quodque unionibus proprium eſt, ut conchis ſuis fulgorem quendam illinant, ita & hæc filia parenti, longe illuſtriſſimum communicavit.

Anna verò dum à teneris Mariam Deo, & templo dicavit, vobis omnibus norma fuit, qua ratione liberos inſtituere debeatis, ut præ omnibus Margaritis, candore morum, ac virtutum ſplendore fulgere videantur: hæc etenim poſſeſſio & hæreditas parentum, longe pretioſiſſima. Ad quod plurimum conferet, *b* Si Matres familias exemplo S. Annæ, quæ *omni virtutum genere floruit*, ſuis ſtudeant prælucere.

§. I. *S. Anna per filiam* MATER HONORIFICATA. Eccl. 15.

§. II. *Optimam parvulorum educationem docet Anna, uxor Elcanæ, aliæque illuſtres Annæ; ſed præ ceteris S. Anna Genitrix Mariæ.*

b Damaſc. orat. 1.

FESTUM
S. ANNÆ SS.mæ DEIPARÆ MARIÆ GENITRICIS.

Simile eſt regnum Cælorum theſauro abſcondito. Matth. 13.

Cornelia *a* Gracchorum Mater, cùm Campana Matrona apud illam hoſpita annulos, uniones, gemmas, margaritas, cimelia, omnia denique ornamenta ſua, illo ſæculo pulcherrima oſtenderet, traxit eam ſermone Cornelia, quouſque è ſchola redirent liberi, qui forma ſpecioſi, ingenioſi, & nacti animam bonam, optimis moribus imbuti, ad nutum Matris Campanam ſalutatum venere: cujus manum verecundo rubore exoſculati, eamque ſingulari modeſtia, & incredibili gratia affati ſunt:

Et hæc, inquit, ornamenta mea ſunt;

a Valer. Max. l. 4. c. 4. n. 1.

ſunt ;ſiquidem maxima ornamenta Matronis eſſe liberos, Pomponius veriſſime affirmavit. Aſt alia hodierna luce vobis, altera Matrona, longe Gracchorum Matre nobilior, ac ſublimior S. Anna Margaritas, ac monilia, filiam Mariam, & Ieſum nepotulum oſtentabit, qui quidquid toto orbe, aut fulget in gemmis, aut rutilat in ſmaragdis, aut rubet in carbunculis, aut candet in unionibus, aut æſtimatur in adamantibus, infinito pretio antecellunt. Quin tibi ô SS. Anna cum Laurentio Richardo omnes gratulamur:

Salve parens ſanctiſſima,
Sacro beata conjuge,
Sacratiore filia,
Nepote ſacratiſſimo.

Non eſt quod Campana divitias, & gazas ſuas jactet, meliori titulo S. Anna gloriari poteſt, Mariam ſe in lucem dediſſe.

Si Campana exhibeat uniones, ac Margaritas ſuas ſelectas, *Maria Margarita regni pretioſiſſima* inquit a Methodius.

Si Campana commonſtret ſua pretioſa monilia, *Maria monile paradiſi inexplicabile,* ait Epiphanius.

Si Campana commendet gemmea diademata, Maria teſte S. Germano, *diadema pulchritudinis.*

Si Campana omnes ſuas gazas, & theſauros oſtentet; Maria ut loquitur B. Petrus Damiani *theſaurus divinarum gratiarum eſt.*

Cornelia vero omnibus Campanæ Matronæ opibus, quantumvis ſplendidis liberos ſuos, indole, moribus, virtute dotatos, merito prætulit; verum infinito intervallo, filiam ac nepotulum ſuum, præ omnibus terræ imo cœli divitiis, S. Anna theſaurum quem mundo protulit æſtimare, nobiſque expendendum proponere poterit, quæ b *Magiſtram morum, miraculum præſtantiſſimum orbis terrarum,* Virginem Mariam, & altero magis prodigioſo miraculo, ex hac *ſpecioſum præ filiis hominū*, pulchritudinem increatam, nobis communicavit. Vnde recte c Damaſcenus exclamat: *O Beatum Annæ uterum, qui vivum cœlum, cœlis ipſis latius peperit.* Addit: *hoc cœlum, id eſt Maria, ex qua juſtitiæ Sol, qui in cœlo Solem effecit, ortus eſt.*

Ex quibus omnibus Mariæ excellentiis tantus fulgor, tantus ſplendor, tanta gratia, ac gloria, in Matrem S. Annam redundavit, ut ſupra omnes Matronas.

§. I.

S. *Anna per Mariam* MATER HONORIFICATA. Eccl. 15.

UT conchiliis ſive ab unionum divite conceptu illitus, ſive ante eorum in gratiam à natura innatus, quidam levor pellucidus (PERLEMOER *vocant*) unionumque ſimillimus cernitur, ita quo id cumque placeat modo, perpulchrum ſane Virgo longe pulcherrima, progenitoribus ſuis ſplendorem indidit. Quod Virgineus Poëta apte ex-

a Meth orat. de Hypapant. Barri e. Iegef. den, Dame.

b S. Greg. S. Ephrem. c Damaſc. orat. 1.

expressit, dum D. Annæ formam intuitus, hoc è Flacco ardenter subscripsit

a *O Matre pulchra, filia pulchrior!*

Si quidem par illud nobile Joachim, & Anna, pretiosissimæ hujus Margaritæ, non injuria geminum conchile, ab Hieronymo indigitantur, dum ait: b *laudo conjugium, quia Virgines generat, lego de conchis Margaritam*, quæ suum semper parturientis utero, fulgorem allinit, ac relinquit. Haud aliter filii, ac filiæ, quæ morum candore, ac virtutum splendore, supra omnes Margaritas in pretio sunt, parentibus suis cum gratiam, tum gloriam apud Deum & homines conferunt. Verissime olim Clemens Romanus c *gloria Patrum est filiorum sanctitas.* Quanta vero & Patris & Matris gloria fuerit sanctitas filiæ Mariæ, ac Nepotis, quis enarrando valeat explicare? I 1. Reg. cap. 13. v. 4. dicitur Saul percussisse stationem Philistinorum, cum ea victoria Ionathæ filio v. 3. præcedenti, tribuatur: *percussit Ionathas stationem Philistinorum.* Respondet Carthusianus: *quod Ionathas egerat, Rex terræ Saul judicabatur fecisse, sicut victoria militum adscribitur Principi:* Similiter Abulensis: *quia Ionathas, erat constitutus sub Rege, & fecit hoc auctoritate illius, dicebatur ipse fecisse.* Alii volunt Saulem eam sibi gloriam attribuisse, quæ per filium parta fuerat quia gloria filii, redundat in patrem. *d* Sic cum David filium suum Salomonem Regem inauguraret, unus ex principibus, viris qui aderant. Bananias filius Iojadæ, feliciter apprecatur: *quomodo* inquit, *fuit Dominus cum Domino meo Rege, sic fit cum Salomone, & sublimius faciat solium ejus, à solio Domini mei Regis David.* Ubi bonus Princeps majorem filio, quam patri felicitatem precatus, non existimavit id patri ingratum fore. Nam ut ibi Liranus: *non est invidia patris ad filium, si excedat illum in gloria & honore, quia pater manet quodammodo in filio, & ideo bonum filii, est etiam bonum patris.* Et ideo sicut nullus tristatur *de bono proprio, sic nec de bono filii sui.* Imo & Theodoretus hic quæst. 3. quærens, cur Princeps optarit eum patre fieri clariorem, & illustriorem: *Sciebat* inquit, *quod nemo qui paternam habet dilectionem, æmulatione prosequitur filios, & quod est proprium patrum, velle videre filios se clariores.*

Omnium siquidem liberorum actiones, ac præclara gesta, tribuuntur parentibus. Quod eleganti similitudine expressit Hierocles apud Stobæum: *e quemadmodum* inquit, *Phidiæ, aut aliorum artificum statuæ, si ipsæ rursus aliquid agerent, id quoque opus non dubitaremus tribuere artifici. Eodem modo actiones etiam nostræ, parentum nostrorum opera esse dicemus per quos nati sumus.* Ubi campus latissimus aperitur, excurrendi in actiones Christi, ac Mariæ perfectissimas, ac divinissimas, quæ gloriam parentum mirifice commendant, & amplificant. Quod si Paulus glorietur

a Horat. l. 1. Ode 16. b Hieron. lib. adv. ers. Iovian. c Clemens Rom. l. 7. const. c. 25. d 3. Reg. 1.

e Stob. serm. 77.

de

de iis quos verbo genuit, & cœlestis gratiæ capaces reddidit, dicens *quæ est nostra spes, aut gaudium, aut Corona gloriæ; nonne vos*? quanto magis Anna, & Ioachim gloriari poterunt, qui Matrem gratiæ plenam, atque ipsum Iesum omnium gratiarum fontem, per illam produxerunt? unde Salasar exponit illud Prov. 17. *Corona senum, filii filiorum*, id est magnopere exornat senes grandævos, non filios aut filias dumtaxat, sed etiam Nepotes numerare, quos & præ liberis solent amare, ut docet Princeps Philosophorum Aristoteles l. 8. Ethicorum c. 11. & 12. *Solent avi magis diligere Nepotes, quam Patres filios; quia in Nepotibus magis vident suam stirpem propagari.* Illud porro nemo avorum vidit felicius, quam avus Ioachim & Avia Anna, in Nepote suo sanctissimo, Deo ac Domino nostro Iesu, stirpem suam propagari.

§. 2.

Parvulorum educationem, docet Anna uxor Elcanæ, aliæque illustres Annæ; sed præ cæteris SS. Anna, Genitrix Mariæ.

CUm Anna uxor Elcanæ ut Sacri Regum Annales referunt, precibus, jejuniis, & lachrimis prolem à Deo impetrasset, eam priusquam lucem aspexit, obtulit Domino, jamque sæculo natam, & ablactatam in templo educavit. Quod ut Matres gravidæ, ac demum *pulchra prole parentes* æmulentur, sic aureus orator quamque Matrem hortatur: *peperisti puerum? imitare* ANNAM, *disce quid fecerit illa: mox illum (Samuelem) subduxit, atque obtulit in templum. Quis vestrum non innumeris modis mallet, filium suum fieri Samuelem, quam totius orbis Regem?* quasi in templo enutriri plus sit, quam in palatio, atque ipsa pia, ac proba educatio, dignitatem regiam antecellat, multumque præstet cum Samuele in Domo Dei enutriri, ac sanctis alimentis imbui, quam cum Moyse in aula Pharaonis educari.

Incrementa porro liberorum, qui à teneris, si filiæ inter moniales, aut Deo sacratas Virgines: si filii apud religiosos magistros instituantur, Psaltes regius expressit dicens: *plantati in Domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi.* Vides qui flores, qui fructus ex plantis in domo Domini oriantur, nullo senio interituri, sed magis indies multiplicandi. Id ne cui mirum videatur, addit Theodoretus: b *Agricolam habent Deum; Viridarium vero divinum templum.* Ubi nulla pestilens aura afflat, aut inficit. Unde D. Hieronymus ad Lætam de institutione Paulæ: c *postquam* inquit, *ablactaveris eam cum Isaac, & vestieris cum Samuele, redde pretiosissimam* GEMMAM *cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone; nutriatur in monasterio: sit inter Virginum choros: jurare non di-*

a Chrysost. hom. 12. in epist. ad Eph. b Psal. 91. c Theodoret. hist. Hieron. epist. 7. ad Lætam.

scat,

cat, mentiri Sacrilegium putet, nesciat seculum, vivat Angelice, sit in carne sine carne. Contra vero qui in deliciis, & luxu domestico enutriuntur fiunt *sicut fœnum tectorum quod priusquam evellatur exaruit. Psalm.* 128. Nam cum radicem non habeat, nec ad frugem pervenit, nec ad florem. Quare à teneris liberos vestros Deo offerte, & omni virtutum, ac pietatis studiis imbuendos tradite: a *non exspectabat Anna*, inquit Chrysostomus, *donec, crescat puer, ut rebus mundanis utatur, ut paululum puerili ætati immoretur; sed relictis his omnibus, unum dumtaxat intendit, quomodo statim ab ipsis vitæ exordiis, spiritualem imagunculam Deo fingendam offerret.* Eandem laudem tribuit D. Gregorius Nazianzenus Matri suæ in orat. 19. de patris funere: fuit *illustre illud ejus facinus, quod nos prius etiam quam nasceremur, Deo, nihil futuri eventus metu exterrita, promisit, vitaque lucem ingressos protinus consecravit.* Quod quam Deo gratum acceptumque sit, innuitur Levit. 1. v. 14. ubi jubet sibi offerri pullos Columbarum, non vero Columbas: rationem reddit Theodoretus: b *quia detestabatur in adultis Columbis lasciviam; in parvis puellis innocentiam amplectebatur.*

Quare, inquit Mediolanensis Antistes & Doctor Ambrosius: c *præveniamus ergo juventutis annos, ut dicamus singuli, Deus qui pascit me à juventute mea.* Sectamini Beatam Annam, quæ sanctissimam Virgunculam Mariam à primo vitæ exordio, Deo dicavit, in templo educandam, atque divinis præceptis instituendam curavit.

a Chrysost. cit. b Theodoret. hist. q. 1 c Ambr. in Psal. 118. serm. 2.

Tradit vero Doctor Seraphicus d B. Virginem piæ cuidam mulieri revelasse se parvulam quotidie in templo septem postulasse dona:

1. Gratiam uberrimam, qua Deum ex toto corde diligeret.

2. Gratiam amandi proximum, & omnia quæ à Deo amantur.

3. Gratiam odiendi omnia quæ Deus odit.

4. Ut daret sibi humilitatem, patientiam, aliasque virtutes, quibus semper fieret gratior in oculis ejus.

5. Ut favorem hunc sibi impertiretur; Videndi Virginem, Deum parituram.

6. Promptissimam obedientiam erga Summum Pontificem, & Sacerdotes.

7. Ut conservaret templum, Ministros, omnemque populum. Hæc præcepta parvulis vestris tradite. Etenim *non parum refert*, inquit optimus morum Magister, illo e *vel illo modo à teneris assuescere sed quam plurimum; imo vero totum*, ut Lycurgus in duobus catulis, quorum alterum ollæ, alterum venationi assuefecit palam edocuit. Ita indies videmus hunc puerum pium, probum, morigerum, mansuetum, sedulum; alium perversum, pervicacem, pigrum, discolum. Unde hæc tanta morum, ac studiorum dissimilitudo? à dissimili parentum institutione. Vides quorun-

d Bonav. de vita Christi c. 3. Arist in Eth. l. 2. cap. 1. Plutarch.

dam

dam liberos merito unionibus ac Margaritis componendos *Kinderen gelijck peerlen*, qui grande sibi piaculum ducerent, neglectis consuetis precatiunculis, & parentum benedictione, cubitum concedere, Marianum pensum luso posthabere, ad nutum non obtemperare: quorum studia arulas construere, libellos precarios volvere, ad Catechesim convolare, historiolas ibi auditas domi referre, alii econtra, à teneris jurare, mentiri, pravis sociis assuescere, nequitias exercere, potitare, lascivire &c. perpaucos reperiri qui Edburgam filiam Eduardi, Regis Angliæ, similes, quam ita à primis incunabulis parentes instituerant; ut etiamnum trimula in atrium deducta, ubi in una parte mensæ, omne genus monilium, pretiosaque omnino crepundia; ex altera vero codicem Euangeliorũ cum sacro calice proponi conspexit, puellula non diu cunctata, maturo vultu, cimelia aspernata, ad calicem, & sacrum codicem advolavit, eaque summo honore ac reverentiâ, honorata est, quo conspecto, Edburgam suam parentes supra omnes Margaritas sibi charam, exosculati, & complexi sunt, dicentes: perge filia quo Deus vocat, & sponsum tuum sequere. Sic filias vestras instruite, sic instituite, si eas Margaritas, & uniones esse velitis. Quod Hieronymus monet Lætam de institutione filiæ Paulæ, quam Paula avia *a* Virginitati destinarat: *ipse habitus & vestitus doceat eam, cui promissa sit Cave ne aures ejus perforet, ne cerussa, & purpurisso consecrata Christo ora depingas, nec collum auro, & Margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris. Habet alias Margaritas* (animi virtutes) *quibus emptura est pretiosissimum Margaritum.*

Ad hoc plurimum, ac potissimum conferet, si Mater, virtutum exemplis præluceat, *sicut Anna*, quæ teste *b* Damasceno, *cum omnium virtutum genere floreret, apud Deum & homines irreprehensibilis exstitit.*

c *Scilicet exspectas ut tradat Mater honestos*
Aut alios mores, quam quos habet.

Mores autem probos, ac vitæ integritatem, esse optimam, quam liberis relinquere potestis dotem, ac hæreditatem, vel gentilis vidit, dum dixit: *Si morata est, dotata est satis.* Parentes se divites, ac opulentos arbitrantur dum in annuis reditibus, 20. 30. millia aureorum dum amplos fundos, pinguia pascua, lata prædia ingentia ædificia numerant, quam lautam hæreditatem à majoribus suis adierunt; ast aliam præ his possessionem sapientissimus ac doctissimus vates æstimandam proponit dicens: d *Ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* Ubi juxta Basilium, Theodoretum, Euthymium, & alios, filii pro *ingenti hæreditate, fructus ventris* pro copiosa mercede reponuntur. Ecquid filii possessionibus, ac diviti hæreditati comparantur? quia hic optimus, ac maxime pretio-

a Hieron. ad Lætam.

b Damasceno. orat. 1. c Iuv. Sat. 6. d Psal. 126.

pretiosus thesaurus; unde Chrysostomus hom. 9. in epist. 1. ad Timot. *Magnum habemus pretiosumque depositum filios: ingenti illos servemus cura, ne fur id nobis astutus auferat.* Majori longe, ac vigilantiori quam uniones & Margaritas asservemus. Etenim liberi qui soliditate virtutum præditi, Margaritæ sunt, *Kinders gelijck Peerlen.* Liberi qui innocentie ac castimoniæ candore fulgent, Margaritæ sunt *Kinders gelijck Peerlen.* Liberi qui prompta ad omnem parentis nutum teretes, ac volubiles sunt, Margaritæ sunt *Kinders gelijck Peerlen.* *Quod* inquit Hieronymus a *in sancta filia Eustochio cernimus, quæ ita semper adhæsit Matri, & ejus obedivit imperiis, ut nunquam procederet, nunquam cibum caperet, ne unum quidem nummum haberet potestatis suæ; sed & paternam, & maternam substantiolam, à matre distribui pauperibus lætaretur. Et* PIETATEM IN PARENTEM, HÆREDITATEM *maximam, & divitias crederet.*

Lætata est, & quam maxime b Maria Annam Matrem, substantiam bifariam unam templo & templi ministris, alteram peregrinis & pauperibus elargiri, *pietatem in parentem* (in Annam) *hæreditatem maximam, & divitias rata.* **Een dochter gelijck een peerle.** Ut autem quisque Pater & Materfamilias talem hæreditatem adeat, istiusmodi Margaritas non fictas, falsas, fragiles, quales innumeras reperire est, conquirat. Ejusmodi præstantes uniones ac Margaritas genuisse dixerim *Annam* Hispaniarum c Reginam, Philippi III. conjugem, quæ Regi nostro Philippo IV, & Ferdinando Principi P. M. etiamnum parvulis, crumenulas auro plenas, collo appendebat, ut à teneris pietatem in pauperes imbiberent, ac Regiis manibus, miseris stipem elargiri condiscerent. Suxerat enim vero hoc à patrona sua sanctissima Deiparæ Genitrice *Anna*.

Quod si parentes, filios, filias, Nepotes, uniones ac Margaritas effingere velint, *Kinderen gelijck peerlen*, serenissimæ hujus Annæ Hispanicæ exemplo, tenellulis liberorum suorum animis instillent, velut conchilia dum se pandunt, ut rorem accipiant benedictione cœlesti, largiter imbuendos, si in egenos se effuderint, & per manus parvulorum, velut per canales qui in auri, imo gratiarum, ac virtutum venas scaturiant, eleemosynas suas elargiri studeant. Stimulo hic esse parvulis, & ipsis matribus familias esse poterit, d *Anna* fœmina clarissima, non magis patre Vladislao Sarmatorum Rege, & viro Ferdinando Romanorum Cæsare, quam pietate in Christi pauperes singulari: solenne illi erat primis intendentibus se tenebris, dissimulata persona, una Comite ancilla, palatio egredi, ac pauperum nosocomia, invisere quasque domi in Pharmacopæo, quod huic pietati sepositum habebat, ipsa miscuerat potiones, diligentissime propinare.

a Hieron. in Epitaphio Paulæ. b Educatio liberorum Exemplo S. Annæ. Liberalitas 1. in pauperes.

c Tylingem Paradys. pag. 388. Rho. variæ virt. hist. l. 1, cap. 6, §. 7. Eloges. de Dames. p. 12.

Adhæc

Adhæc ne ſolum *Annæ*, ſed Auguſtæ etiam virtus eſſet, Regia liberalitate ſtipem dare. Agnoſci nolebat, ne pretium operæ perderet; ſed ipſa eam prodebat liberalitas.

Vultis & alia, quæ ut filios ac filias unionum inſtar efformetis, rudimenta tradere: in Mariam, *a* filiam S. Annæ, amorem tenerum, fiduciam omnem accendite, quocumqne in diſcrimine, illam parvulis veſtris præſto experiemini.

Infans *Anna Almeida*, graviſſima poſtmodum *b* Virgo, & ſanctimonialis, ordinis minorum, dilapſis quæ puellam in feneſtra ludentem curabant, ancillis, in ſubjectam caveam, in qua miræ magnitudinis Leo aſſervatur, magno decidit infortunio: nam & caſus ipſe puellam affligere debuit, parumque Leonis intererat, vivamne, an mortuam voraret. Sed magna Dei Mater, devotam ſibi, non ſine miraculo ſervavit infantulam. Nam undique accurrentes domeſtici, ac feræ Magiſter caveam ingreſſus, vident puellam, injecto ad leonis collum roſario piaculari, blande illi mulcentem jubas, eaque verba ingeminantem, audivit: *Leo, ne me comede. Quæ olim in Caſtella monialis futura ſum.* Parebat immanis bellua, & magnum Virginis imperium in clientula venerabatur. Eadem hæc *c* Anna Mantuæ Carpentanorum magnæ Claræ legibus adſcripta, eximium Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cultum in qua *S. Anna* ſanctiſſimas ſuas reliquias, ut dicimus agnoſcit, & adorat, vobis inculcat. Hæc etenim noctem ejus diei, qui ſacris epulis feſtus erat futurus, juſto privilegio ducebat inſomnem *d* & ne quid, quamquam longa vigilia edomitum corpuſculum, pro innata inſolentia in animum auderet, flagello acriter cæſum, ſervitutis admonebat.

Laudandus ac probandus cultus eorum qui multum itineris ac piæ peregrinationis conficiunt ut ſacra ſanctæ *Annæ* Lypſana *a* venerentur. At aliam nobis hierothecam Aloyſius Novarinus proponit in Joachimi & Annæ gratiam, fieri potuiſſe, ut Dei filius in Virginis Matris utero carnem aſſumens, aliquã illius ſubſtantiæ particulam ſibi unierit, quam ipſimet parentes corpori (Virginis) exhibuerunt, quo hi magis cum Chriſto ſuo Nepote „conjungerentur. ex qua con„junctione conſequenter major „gratiæ, cœleſtiumque donorum portio in eos dimanaret. Quod non video, inquit Chriſtophorus de Vega, gravis Theologus, Philoſophiæ omnino repugnare, nec rectæ rationi. Quod ſi ita eſſet, conſequenter dici poſſet in Chriſto Domino, ſub Euchariſtia deliteſcente, reperiri aliquam particulam, quæ aliquando ab anima D. Annæ vel D. Ioachimi informaretur. Quod cùm nec ſcripturæ, nec Patribus, nec rectæ rationi refragatur, tum alio ex capite pietati Chriſti in aves, & Mariam Virginem conforme videatur, non eſt cur rejiciatur. Vt pluribus ibidem probat Vega. Illibatum *f* denique corporis, animique

a 2. Amor in Mariam S. Annæ filiam. b Rho cit. l. 3. c. 3. §. 6 c 3. Cultus Reliquiarum S. Annæ in SS. Euchariſtia.

d Rho. l. 3. c. 1. §. 16. e Novarin. umbra Virg. excurſu 140 n. 1303. Vega Theolog. Mariana n. 1483. f4. Caſtimonia.

mique càstimoniam, liberi vestri facile sectari condiscent, si vos *a* Matres, *Annam* Franciæ Ducissam *de Borbon*; morum honestate, ac vitæ probitate imitemini, quæ adeo casta ac pudica, totumque regnum, ut nemo coram illa vel minimum inpudicitiæ signum exhibere audiret. Qua insigni castimoniæ laude quoque excelluit *Anna* Regina Franciæ, uxor Caroli, quæ pro symbolo murem ponticum candidissimum, luto cinctum, cum hac epigraphe; *A ma vie*, seu ut alii: *malo mori, quam fœdari.*

Tandem præ his omnibus ô Matres, unam vobis *S. Annam*, magnam Dei Matris Genitricem proponite, cujus hoc breve, sed illustre elogium *b* Hieronymus reliquit: *Vita Annæ apud Deum, & homines irreprehensilibis erat.* *c* Eamque vobis familiam; ac Sanctam Triadem proponite, semperque ob oculos obverseturr *Iesus*, *Maria*, *Anna*, ad hanc Triadem in terris, vestros mores, sermones, actiones, vitam omnem, ac domesticorum vestrorum componite. Hic admirare nova & inaudita prodigia, Deum Cœli & terræ Conditorem, Mariæ obsequi, Mariam Matri suæ Annæ obtemperare, & Iesu, & Matre Dei, Annam prædominari, suoque nutu omnia moderari. Plus dico, si divinus ille Plato verissime pronuntiavit: *putare debet quisque omnia quæ possidet, eorum esse qui genuerunt*, quid ni Maria, omnia quæ possidet, velit esse Annæ, quæ genuit? quæq; ne *vultu quidem læsit parentes*, sed supra qui in terris extiterunt, honore prosecuta est, quidquam Matri suæ Annæ audeat denegare, sed quæ est *Thesauraria Dei*, omnium opum, ac divitiarum claves, quæ apud parentes asservari solent, illi concredere indubitatum est.

Quæ cum ita sint, omnes hortor, & moneo, ut in quacumque necessitate ad Matrem Mariæ recurrant. Si quis multiplici prole, gravi penuria laboret, Annam amet, Annam invocet, quæ Thesauri claves possidet. Si quis corporis animiq; infirmitate divexatur, Annā invocet, hæc omnes sanitatis & sanctitatis claves habet.

Adeo ut paucis concludere possim ut quod de Dei Matre filiali affectu pronuntiavit Bernardus: *Filius omnia nos habere voluit per Mariam*; ita & Maria, observantia in Matrem, omnia nos habere voluerit per Annam.

Quam ne vel gratis invocasse videamur, concessit Alexander VI. ann. 1494. indulgentias 30. millium annorum. dicenti ante imaginem S. Annæ, & Deiparæ, ejusque filii, hanc orationem: h *Ave gratia plena, Dominus tecum, tua gratia sit mecum: benedicta tu in mulieribus, & benedicta sit S. Anna Mater tua, ex qua sine macula & peccato processisti Virgo Maria, ex te autem natus est Iesus Christus, Filius Dei vivi.*

a Eloges de Dames. pag. 55. b Hieron de ortu Virg. Damasc. orat. 1, c Plat. lib. 4. de legib.

d Ambr. e Idiosa. f Bern. g Lancicius Opusc. 13. n. 23. pag. 198.

OCTA-

OCTAVA
S. IGNATII FUNDATORIS SOCIETATIS JESU.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12.



Solis inardescit radiis, longéque refulget. Virg. l. 8.

ARGUMENTUM.

IGnatium igne natum, ad mortalium animos inflammandos divina providentia eo tempore orbi dedit, quo jam non modo refrixerat charitas multorum, sed tanto gelu corda constricta erant, ut divini amoris ignis,

gnis, prope extinctus videretur. Fuerit illud sane ingeniosum Archimedis inventum, speculo Solis radiis opposito, incendia concitare; at limpidissimus Ignatii animus, ubi cœlestibus radiis in se collectis penitus exarsit, & totus in flammas abiit, orbem universum & ignito suo eloquio, & flammis quas aquæ multæ non potuerunt restinguere, & igne scelerum silvam latè deposcente, tum etiam per Angelos veloces, & Ministros suos charitate flagrantes, potenter incendit.

§. I. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea* EXARDESCET IGNIS.

§. II. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Cant. 8.

§. III. IGNIS *consumens est.* Deut. 4.

§. IV. *Verbum ejus, quasi* FACULÆ ARDEBAT Eccl. 48.

§. V. *Acceptum* IGNEM *occulte absconderunt.* 2 Machab. 1.

§. VI. *Non est qui se abscondat à* CALORE *ejus.* Psalm. 18.

§. VII. *Qui facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos* IGNEM URENTEM. Psalm. 103.

§. VIII. *In dextera ejus* IGNEA *lex.* Deut. 33.

OCTAVA
S. IGNATII FUNDATORIS
SOCIETATIS JESU.

IGNEM *veni mittere in terram.* Luc. 12. v. 49.

AMabilis Dei providentia, Sanctorum ortui, & vitæ primordiis, subinde quibusdam *a* signis amat præludere, maxime vero igne, amoris divini symbolo. Ita prælusit Nativitati S. Fechini Abbatis, cujus mater dum esset in puerperio, domus illius ardere visa; non tamen absumi, nimirum

a Bolland. 20. Ian.

rum innoxia, flamma, & ima, & summa domus ad lambebat; non tamen consumebat. Index illius in Deum amoris, quo aliquando incendi decebat, atque ardere infantulus, & quo etiam domum, id est Ecclesiam universam incenderet, atque inflammaret. Ita subipsam S. Francisci de Paula conceptionem, super summa tecti, conspectæ faces accensæ, quæ longe, lateque lumen effunderent: indicium scilicet cœlestis illius flammæ, ardorisque divini, quo & accendi ipse primum, deinde etiam Dei Domum, id est Ecclesiam accendere aliquando deberet. Quod si altius ea arcessere velimus, comperiemus ignem [illegible] vatem Eliam, adhuc Maternum utero clausum [illegible], [illegible] prodigio cælitus declaratum: nam Sabac, illius Pater [illegible] visus est viros quam plures, albis indutos, qui infantem salutare, ac [illegible] & flammas jacere ad ubera Materna; imo & [illegible] ori [illegible] ad [illegible] effundere, credidisses jam cùm Eliam una cum lacte ignem & flammas ex[illegible]re. [illegible] Sabac [illegible] filiolum sibi deinde natum, & flammas, & ignes evomere, [illegible] deberet, & hoc [illegible] divinæ gloriæ; & certe deinde evomuit igneus totus [illegible] Elias (Propheta) [illegible] IGNIS, *& verbum illius [illegible]* FACULA ARDEBAT.

Quis, quantusque Ignatius futurus, quam igneus, quam [illegible] divini amoris [illegible] [illegible] [illegible] ex illo [illegible] cœlesti [illegible]

a [illegible]

cio omnibus compertum, quod ab igne nomen ipse sibi infantulus imposuerit. Attendite insolens, & prope inauditum omnibus miraculum: parentibus inter se dissidentibus qui vellent vocari eum, num paterno Bertrandi vocabulo? Infans è cunis (*b* Melchiore de lacerda Auctore) disertè protatus est: IGNATIUS *est nomen meum, nec hoc sine Numine divum*, & peculiari Dei providentia; felici porro nominis omine. S. *Ignatius de Lojola.* Anagramatismo: *O Ignis à Deo illatus.* Verum enim vero, quam igne natus, igne educatus, ignem usquaque in gelidis mortalium animis accenderit, testantur ortus ejus, quo mundo mortuus, Deo vivere cœpit præludia.

c Altero, postquam Deus totus igneus in Apostolos delapsus est, die 26. Maii, Ignatius [illegible] globo, Machina bellica emisso, ignem animo concepit [illegible] obsidione Pompeio polis, clarum nomen a conditore; à defensore præclarius. Capitur oppidum, quia capi potest: non deditur, quia non [illegible]. Arx, non animus cedit. [illegible] Dux, ut [illegible] [illegible] assignat. Nulla [illegible] dextera, [illegible] [illegible] [illegible] bere ad [illegible] [illegible]. At [illegible] Ignatii [illegible] flamma, [illegible] est. [illegible] Patria, [illegible], cum [illegible] quodam Principe, ac multe [illegible] no-

b [illegible] lib. [illegible] E[illegible] pag. 275. [illegible] [illegible] pag. [illegible]4.

ct

ctè lectulus, sibi percussio, & fuerit femoris nervu[s] divino aspectu clarissimum nomen comparavit. Hunc epitabilior [...] ut cla[udic]atio in luce, quam rectus in tenebris incessus: habet illa securitatem pro Comite; hic casum pro duce. O quot in hoc nutante Ignatii Crure, firma cu[..]tur ad æternæ gloriæ iter, vestigia! O quot in inflexà medi[..] tibiâ, gressus erra[...] dirigentur! O quot pes ille, ubi convaluerit, hominum concursus concitabit, lætet[ur] gloriosus ille Pompeius: *si Latium requiro, semel pede pepulero, Italiam universam militibus complebo.* [...] imperator noster Ignatius, suorum Centuria[s] in campum inducet, innumerabiles Catholicorum catervas, ad Christi signa compellet. Nec Mysterio caret visum, quod videre jam incredibile [...], Ignatio jam a medicis depetito, a Principe Apostolorum è vestigio sanitas, & claudo gressus, & quod potissimum a [...] firmitas restituta eũ. Vbi il[l]ud Ambrosii aptè usurpare. a *Primum signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus, frequenter jam, Petrum a Domino nuncupatum. Si ergo Petrus Petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius debet sanare, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in hoc claudo, fundamenta confirmet. Rectè in Christiano pedes curat prius, ut non trepidus jam, neque imbecillis, sed robustius possit incedere.* Petrus in Ignatio fundamenta confirmat; ut sit Petra solidissima, supra quam moles Societatis tanta, tot turbinibus impetenda exædificari, & inconcussa consistere, & ipsi Ecclesiæ quodammodo labanti, se firmamentum præbere queat, quod non meo (absit) sed Concilii Tarraconensis pronuntio judicio, dum ait *Ducem Ignatium Deus singulari providentia his temporibus dedit Ecclesiæ, ut tanquam* ATLAS *geminis humeris doctrinæ, & pietatis, Ecclesiam sustentaret.* O rerum maximarum [s]ententia seminálquam sæpe ut secundi adversos; ita secundos, adversi casus trahunt. In Venis Silicis scintillias ignis reconditas, [n]unquam nisi percussu elicueris. Idem in Ignatio illuxit, qui percussus ignem concepit, qui tandem in luculentum, quemadmodum videbimus, prorupit incendium. Hic porro erat ille ignis, quem Dominus sub ea tempora, quibus orbis Christianus refrigerat, in terras misit, *& voluit vehementer* ACCENDI: altaria [...], sine sacrificio; sine Sacerdote. c Ignatio adveniente ignis ille reaccensus est: qui bis aut ter quot annis cœlesti alimonâ se pascebant, a quibusdam [...] sanctitatis habebantur; â multis [...] ores pietati, quasi ceteris se efferentes. quid, quod multi reverentiæ nomine, fastidium illud, triguisque [...] pillabant.

Multorum animi pigro gelu constricti tenebantur, alii à Sole [...] remotissimi, [...] obnuerant, quos omnes

a Amb serm 69.

[...] pag. 274. Imago 1. [...] 1. 5 c 1. c Imago 1. sæculi, 3 1

omnes lucis suæ radio illustravit, & inflammavit: In eo fuit jam inde ab exordio, ut orbem amore Dei accenderet. Nemo mihi commemoret festivos ignes, ardentes in aerem, bolides, & quasdam velut acontias, seu publicæ lætitiæ indices emissas, aliaque ignium hilaria. Quidquid unquam ab arte, & ingenio illustre spectatum est; missiles ex animo Ignatii ignes, ardentes ex ore faces, splendidissima sociorum pro fide velut vasa electa, cremata corpora, vastissima charitatis, quibus orbem inflammavit incendia, non modo obscurare, sed penitus restinguere, mecum omnes fateamini necesse est. Ad cujus triumphos plenius enarrandos, vel infantum lingua nos facit esse disertos. Evenit quippe *a* Calari, ut sero vespere, ipso Sancti Ignatii pervigilio, ex arce, festo tormentorum boatu, omnia resonarent; fœmina quæ forte in sinu infantem lactantem gestabat, causam hujus festivæ explosionis percunctatur: cui infans diserte respondit. *Crastina die D. Ignatii solennia celebrantur*. Quod si ignes illi evanidi, illustria affectus in sanctum argumenta, cœlesti prodigio comprobata sint, longe celebriores ac illustriores, per hoc octiduum, in animis vestris, à flammis quibus arsit Ignatius, accendere conabor.

a Escobar. cit. pag. 273. Lanicius Opusc. 18. cap. 17.

§. I.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet IGNIS. Psal. 38.

APtum ignibus fomentum, & flammis pabulum, charta, papyrus, codices, & libri sunt, qui si obscœnis Nasonis commentis, aut lascivis veterum, recentiorumque historiis, respersi, ignem libidinis potenter incendunt; si vero sacrarum literarum, Asceticorum virorum, Sanctorum documentis, ac exemplis exarati; legentium animos in Dei amorem, quo illi exarserunt, inflammant.

Exemplum in ingens Ignatius, qui dum adhuc ad prorogandam quietem decumbit, tædii levandi causa, libros otio militari familiares advocat, qui cum meditato divinæ providentiæ furto, nusquam reperti: prodeunt tandem alii duo codices, non vocati ad salutem præcones, sed secreta Dei emissi manu: unius materia Christus est, alterius sanctissimorum virorum præclara facinora, quæ dum videt, revolvit, attentiusque ruminat, sentit IGNEM *in ossibus suis*, & intimis fibris, quem exinde fecit *vehementer accendi* ut illud *b* Psaltis, jure usurpare potuerit: CONCALUIT *cor meum intra me*. Hinc etenim tam luculentum, in quod erupit incendium, primo sumpsit exordium. Efficax porro ad

b Psalm. 38.

[illegible]o ad animos inflammandos, libri pii pabulum, non uni [illegible] prabuere. Eunuchus ille Actor. 8. S. Dominicus, S. Ioannes Columbinus unde exarsit? quæ ligna, nisi à pio codice menti subjecta? nam ut recte Hugo Card. ad illa verba: CONCALUIT *cor meum*, ait: *ligna*, a *Sanctorum exempla sunt*. Augustinus, unde tantas flammas concepit, ut teste Possidio: *homo cælestis, imago divinitatis, pater patrum, doctor doctorum, abyssus sapientiæ, par Angelis*, IN FERVORE *evaserit*. Vox illa, *tolle lege, tolle lege*, satis manifeste declarat, & ipse quas pectore flammas hauserat, continere non valens, exclamat: *Sagittaveras* inquit, *cor b nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua, transfixa visceribus; &* EXEMPLA *servorum tuorum, quos de nigris lucidos, de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostra*, VREBANT, *& absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus: &* ACCENDEBANT *me valide*. At quam valide, quam potenter, quam ardenter, posthac omnibus mundi vanitatibus, & nugis nugarum spretis, unum Deum adamavit, illustri argumento sunt, ferventissima è fornace cordis emissa desideria: *c Domine si omnia corporis ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis per venas, perque membra diffusus, balsamum foret: & lampades* ARDERENT, *& balsamum consumeretur, in tui solius honorem, sicque totus in holocaustum tibi* CONFLAGRARET *Augustinus*. Cui deinde Christus: *anne quidquam faceres amplius?* excepit Augustinus: *si & venæ meæ omnes, & nervi, vincula forent aurea, te utique illis cordi meo alligarem, & æternum quidem*. Ad hæc tertio illi Christus: *& majorem insuper à te amorem exigo, & illum mihi dona*. Cui Augustinus reddidit illud paradoxon, & adynaton: *tanta, O Rex gloriæ, dilectione te prosequor, ut si quod esse nunquam potest, ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omnino vellem ego fieri Augustinus, ut tu fieres Deus*. Dixit, & amore victus obticuit. Quid enim amplius, aut cogitare, aut eloqui potuisset? summum nempe illud amoris fastigium, excessus, & raptus ardentissimi incendii, quod non alio, quam à pio codice, cum Spiritu lecto, sumpsit exordium. Etenim ut orbis oraculum, Magnus *d* Gregorius: *quasi quædam* FOMENTA IGNI *dare est, in excitatione charitatis, exempla patrum, vel præcepta Dominica ministrare*. Vt in se experta S. Theresia, de qua Ecclesia, in officio divino: *cum Sanctorum Martyrum acta perlegeret, adeo in ejus* MEDITATIONE SANCTI SPIRITUS IGNIS EXARSIT, *ut tenera puella, domo aufugiens, in Africam trajiceret, ubi vitam pro gloria Iesu Christi, & animarum salute profunderet*.

Cur fit è vobis tam paucos, imo nullus, tam Sanctis desideriis

a Hugo Car. in Psal. 38 Possidius epist. ad Macedon b l. 9. confess. c. 2. c Walderam in theat. Rosignol. de discipiin. Christ. perfect. l. 2. cap. 20.

d Greg. l 25. mor. cap. 7.

deris inflammari? nemo quiquam fomentis illis divini amoris utitur; sed fomitem vobis, vestrisque liberis gehennæ ignis subministratis.

O perversissimos hujus temporis mores! codices feruntur impuri, qui flammas libidinis in corde accendunt, qui tot candidas mentes infuscant, & inflammant. *Ideo* inquit S. Isidorus Hispalensis, *ex Gratiano prohibetur Christianis, figmenta legere Poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum, mentem excitant ad* INCENTIVA LIBIDINUM. Experientiâ nimis quam manifestâ compertum est, Adolescentes, adolescentulas integerrimas, angelicas, in omne vitiorum cœnum proruisse, sola quam ex obscœnis libris hauserant libidinis flamma. *a* Memorat gravis auctor, nostra memoria quendam Adolescentem, familiariter se nosse, qui in frequenti Athenæo exemplum archetypon omnis modestiæ, virtutisque habebatur, nulli in innocentiæ laude secundus: rapiebat in se omnium oculos, animosque Virgineus morum candor, ac verecundiæ decor. Nemo non florem ex illius ætatulæ vaginâ proditurum sperabat. Ac profecto prodiisset, nisi inspirata flamma, stirpem radicitus omnem exussisset. Audite Juvenes, audite quæso, quam levis in speciem occasio, quantam incautam incauto adolescenti stragem maturavit: non ille pervigil inter nocturnos grassatores bacchando, non cum diurnis aleatoribus contuescendo, nec intempestiva symposia sectando, in discrimen venerat; sed inepto literarum, honestatisque studio, eandem tamen [illegible] rebus sapere, dum impurum, nec tamen inepte Poëtam, à filio tersò, & lascivo commentario ampliatum, oculis legit, mente intelligit, derepente in omnia vitiorum abrupta [illegible] nequitiæ facem suis prælucere, paucisque mensibus is omnino esse cœpit, quem publicus Magistratus, quia ad frugem reducere non poterat, infamiâ notatum, edictò ab Academia, ubique proscriberet, ne quibus ille jam solus ardebat, ceteram juventutem venereis ignibus adureret. Et quisquam mirabitur SS. Patriarcham Ignatium, severis legibus cautum voluisse, ne suis Magistris, nostrisque discipulis, ejusmodi infames scriptores concederentur, nostrisque scriniis, ac gymnasiis ut pestes proscriberentur? Sic enim suos commonet: *b Lectionem spiritualem, præsertim de Sanctorum vitis, vehementer commendet; contra vero, non solum ipse ab impuris scriptoribus, & omnino in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat, juventuti prælegendis abstineat; sed ab iis, idem etiam extra scholam legendis, discipulos quam maxime potest, deterreat.* Quod tanto dicendi fervore à moderatoribus præstitum est, ut testari possim, complures salubriter compunctos, quos domi infames codices abditos habebant, nobis illustri incendio exurendos obtulisse. Quos ut & vos æmulari velitis,

a Bidermannus l. 2. acroamate 7.

b P. 4. constit. c. 5 Reg. 8 Magistr.

ftimulo fint ii, *qui curiosa secta-ti, contulerunt libros, & combusse-runt coram omnibus*, maxime [illegible] in incendio; quo, ut Var[illegible] co[illegible] æstimat, pretium quinque millium aureorum no-[illegible] al [illegible] est Si qui peaes vos, ejusmodi chartarum propudia, quantumuis maurata, quantumvis pretiosa, & ingentia volumina, codices quantumvis insignes, omnes in ignem conji-cite, præstantiores ardere, quam vos, aut vestros, nullum hic tam splendidas holocausto subdi[illegible]; nam unus satis est, etiam vel obiter [illegible], & lectus, ut homi-nem perdat, & una fax, ut ad pessimas libidines inflammet.

b Quod si Doctoris Fausti, in-famis historia, non valde illece-brosa, & vix ad momentum temporis eminus inspecta, lecto-rem tamen ita perturbavit, ut m[illegible] annis extricare se styge nequiverit: isti, qui codices penna cupidinum exaratos, no-ctes diesque volutant, & è sinu, manuque, sine osculo nunquam deponunt, quid sibi securitatis pollicentur. rem paucis ennarra-bo: è familia nobili juuenem paupertas militare coegerat, Is in ea militia, quod alijs non ita crebrum est, melior cœpit seip-so fieri, atque à Luthero, cu-jus p[illegible] jam puer hauserat, ad Catholicos transire, magnis m[illegible] inductus. Stipendiis aliquot confectis, à manipulari-bus ad suos ex intervallo rever-tit. Hi ubi hominem à sua secta sensurunt divertisse, tanquam alienum [illegible], & nulla ope adjutum, domo excludunt. Falsus animi juuenis, jamque à neces-sarijs desertus, & quid exinde ageret ambiguus, constituit ca-stra repetere. Bidui iter, aut tridui emensus, cœpit rei pe-cuniariæ commeatu laborare, & quod usu talibus venit mul-tum itineris, parum æris reli-quum habere, tres quatorve se-stercios nummos in unam me-rendam consumendos Eo pecu-lio [illegible], tabernam ingre-ditur, [illegible] aliquid obscœnij, cui ten[illegible] marsupium soluendo esset, in[illegible], interea futuræ mox egestatis metuens, in omnem partem (quod anxij solemus) oculos versat; videt, ad fenestræ fornices, lib[illegible] neglectim illuc à famil[illegible] abjectum, eum in ma-nus sumit, aperitque impru-dens, legit male ominatum, *fausti* nomen, otiose paginas nullo ordine perlustrat. Hic in-auspicato in eum locum incidit, ubi ratio, modusque describitur, quo nummos ille ab orci trape-zita emunxerit. Et iste continuo secum: quid? mihi si eadem argenti conficiendi ratio mon-straretur? simul animum colli-gens, execratus librum cum di-ris abjecit. Inter hæc ferculum unum, alterumve cum zythi sextario apponitur, quo brevi re-fectus, cum ad assem omnia de-coxisset, è taberna & oppido egreditur. Delatus paulo post patentem in campum, longiusq; progressus, diu hominum solitu-dine miratus conspicatur deniq; procera statura opilionem, quem de viæ diverticulis sciscitatus, rescijt longe de via se aberrasse, posse tamen, si se sequeretur, compendium ostendi. Sequitnr, in via

a Act 19 v. 9. b Biderman. cit.

via ultro citroque multa: Ventum eſt eo demum, ut opilio requireret, cuias is homo eſſet, quidve conſilii animo verſaret? namque eum ſubtriſtem videri. Reſpondet juvenis quod erat, ducem ſe requirere.

Renidens opilio, ſe vero ducem eſſe, & undique volones colligere, ſimul auri crumenam, ſi cuius egeret, oſtendere. Hæſit attonitus miles, ut qui ducem in paſtore non expectaſſet. At alter aſſeveratè ſe militiæ ducem eſſe, atque in ſtipendium, Philippicos aliquot non auare obtrudere; eos cum diu miles animo conſtanti repudiaſſet, ac poſtremo cui Imperatori copias ſcriberet, cui hoſti bellum moveret, requireret? opilio tergiverſatus, ſubobſcure quis eſſet, quidque ageret; confitetur: *Principi ſe, Imperatorique mundi milites auctorare.* Intellexit facile miles, quicum ſibi res eſſet, territuſque oſtento ferali, divinam opem ter quaterve inclamat, ac veteratori iſti renuntiat. Evanuit tum quidem ille; at brevi reuerſus, mire ac dire iuvenem infeſtavit, ſero miſerum à conventis pactiſque reſilire, modo laqueum à quo ſeneſceret, modo ferrum quo pectus hauriret, modo præcipitium monſtrare, per quod ſe dovolveret. Ita iuvenem identidem & ubique infelix multis annis miſerrime exagitavit. Tanti nimirum ſtetit, inquit auctor, unius temeritas lectionis, non annis, menſibuſve continuatæ, ſed per imprudentiam cœptæ ſimul, ſimul deſitæ.

Vnum hic vos rogo & obteſtor, cum divinus amor non minus ſolers ſit, ut animas venetur, quam ſtygius leno. in atrio domus veſtræ, in cubili, in abacis, in feneſtris, dum adventum allocuturi operiuntur, auctorem pium, velut igniarium ad mentes illic otiosè degentium inflammandas exponite: ut eſt, *conſtante du pere Cauſſin triumphe de la Chaſtité. par pere* Balingem. *Barry lannee S. Dionyſius Carth, de 4. noviſſimis, confeſſiones & meditationes, & ſoliloquæ Auguſtini.* Omnibus denique ubique ad manum ſit, aureus ille codex Doctoris Aſcetici, aThomæ à Kempis, viris SS. Carolo Borromæo, Philippo Nerio, Pio V Bellarmino ac cum primis Ignatio perfamiliaris, unice in pretio, quem Hieronymo Natali quo die in Societatem receptus eſt, aſſignavit, ut quoque die caput ex hoc libello legeret, ac ruminaret, *idque* dixit, teſte Orlandino, *cum mirifica, ut ſemper ſolebat laude eius libelli, addens fore, quod in ſeipſo quidem expertus, ubi etiam fortuito aperiret, ut quæ præſenti neceſſitati convenientia eſſent, occurrerent*. De eadem fortuita libelli hujus apertione, & lectione, cum aliquo ſpirituali proventu, extat item teſtimonium *b* Hermanni Hugonis ſcribentis hæc verba: *multos dicere frequenter audivi ſolitos, ſe ex libello Thomæ a Kempis* ſic fortuita lectione) *quærere in mœrore conſolationem, neque fere unquam falli.* Hinc nullum apud nos cubiculum, *c* ubi hic auctor non reperitur, & teritur. Quodque alijs

a V. Thom à Kemp. de imitat. Chri. epiſt. dedicat. Nigron. aſcetica tract 5. n. 15. Orlandin. l. 5. hiſt. Soci. §. 9 b Herman. Hugo l. de origine ſcripturæ. c. 29. c Nigron cit.

com-

commendabat Ignatius, ipse præstabat, qui quotidie ante prandium caput unum consequenter ex hoc libello lectitabat; à prandio alterum, quod fortuita codicis apertio dabat, inveniens in eo semper materiam, statui præsenti accommodatam. Addit Ribadinera eidem S. Ignatio placuisse adeo lectionem hujus libri, ut multorum judicio: vita ipsius facta esset imago viva, Doctrinæ libello inclusæ, quia habet ille simplicitatem pro decore, veritatem pro commendatione, pro ætate æternitatem legentium, salutem pro fine. Hæc quidem hactenus fusior, sed ut spero non sine fructu, super lectione pia, qua Ignatius incendi cœpit, dissertatio. Nunc quod ei affine est, quantum in meditatione ejus ignis, cujus lectio pabulum est, exarserit, videamus.

a Bernardus serm. 50. ad sororem, lectionem cum oratione conferens: *Vtrumque* inquit, *bonum est, si licet; si vero non licet, melius est orare, quam legere, nam cum oramus cum Deo loquimur; cum legimus, Deus nobiscum loquitur, Soror charissima sivis cum Deo semper esse, semper ora, semper lege.* b Idem dixit, ac docuit Augustinus: *cum oramus cum Deo loquitur; quando legimus. Deus loquitur nobis.* Quid mirum, si in meditatione exardescat ignis? Moyses tantas flammas conceperat ex consortio sermonis Domini, ut etiam in corpus redundaret, nec filii Israel possent in faciem ejus intendere. Hugo Cardin. ad illa verba: *in meditatione mea* EXARDESCET *ignis, id est* inquit, *meditatio mea faciet eum* EXARDESCERE. Exarsit profecto totus in monte serrato, ardentior animo, quam alii corpore ab Æthnæ aut Vesuvii montis favillis; quod cum primis probavit, dum se sumptuosis vestibus, & omnibus mundi bonis, præ divini amoris æstu exuit, & mendicum induit, sacco amictus, ac fune præcinctus cucurbita pro commeatu instructus, nudipes d Ignatius Manresam progreditur, ubi totus in flammas abijt: humus erat cubile, cervical lapis, in quo somnus perexiguus, cui non vacabat, sed succumbebat, & quamvis pæne nullus erat, adhuc tamen illum media nocte interrumpebat, prandi causa: ter quotidie flagellis in se sæviebat, septenas horas genibus nixus orationi dabat (cum nobis vel unâ vigilare, permolestum) hic divinitus lucem hausit, qua libellum exercitiorum, & meditandi methodum, qua tot ad divinum amorem, toti inflammari sunt, conscripsit. e Inter Ecstases, una præ ceteris memorabilis fuit, quæ ad octiduum duravit, sine ullo cibo & potu, mortuus credebatur, & sepultus fuisset, nisi tenuis cordis palpitatio, latentis vitæ reliquias prodidisset; quo tempore totam Societatis formam, & quasi fabricam Ignatio divinitus ostensam,

a Bernard. serm. 50 ad sororem. b Aug. in Psalm. 67. c Hugo Card. in Psal. 38.

d Imago 1. sæculi p. 20. e Ribad. in vita S. Lanc. [illegible] 8. c. 9 Imago 1. sæculi l. 5. c. 1. [illegible] g. [illegible] Ignatii c. 4. Imago 1. [illegible] cit. Lanc. c. 4. s. [illegible] 18. c. 6, B. Luca [illegible] in vita.

atque ipsam divinam essentiam conspexisse, creditum est. Accessit insuper, ut frequenter inter orandum observatum est, igneus quidam splendor, ac instar ignis luculenti, & flammarum, quæ illum, ejusque corpus omne circumdarent, & circum vestire visæ sunt, & facies quæ non semel ardere, & radios emittere est conspecta, si oculis habenda fuisset fides, credidisses non hominis faciem esse, sed solis. Porro hos inter ardores, & æstus divini amoris, sæpius abibat a sensibus, & a se, & in Deum rapiebatur totus, & corpus ipsum (quod igni ingenitum) a terra elevari, sursum ferri, & in aere suspendi videbatur, quasi naturæ immemor suæ. Ita corpus ipsum, velut amœna quædam vestis animæ, & ejus luce perfundebatur, & ejus levitate gaudebat, ferebaturque in excelsum. Facies Ignatii ignea, & radijs corrusca, Romæ a S. Philippo Nerio, ab Alexandro Pætronio, à P. Oliverio Manoreo, à P. Ludovico Gonsalvo visa est, qui quoties orantem Ignatium in cubiculo adijt (quod fecit sæpissime) cælesti splendore radiantem semper conspexit.

Fovendus, & in nobis divinus ignis, pabulo cælestium cogitationum, & divinarum rerum contemplatione ut recte Bonaventura: a *Primum quod ad nutrimentum* SPIRITUALIS IGNIS *est necessariũ, est pura ac sancta meditatio cordis. Sed quis hodie bona, casta, & munda cogitat? cogitationes malæ, admodum aquæ, ignem devotionis extingunt.* Accedit quis adorationem, procedit ad templum, etiam sacris operatur, & cogitationes vanas, profanat, de negotiis, de familia, utinam non fœdas animo volutet. Quam pauci cum Ignatio exclamare possent: CONCALUIT *cor meum intra me!* quam pauci ejusmodi fervorem in se experiuntur! Ad mores dixerat Hugo Cardinalis: b *multi sunt qui non habent cor intra se sed extra. Ad temporalia, ad mundana quæcumque, & his flat frigidus ventus Aquilo, nec possunt calefieri, & inde est quod refrigescit charitas multorum! Sed boni religiosi, qui omnia exteriora contemnunt, & obliviscuntur, cor habent intra se, & ideo calidi fiunt.* c *Factus est in corde meo quasi ignis æstuans, claususque in ossibus meis.* Ac tandem concludit, boni Religiosi, (viri pii, animæ devotæ) qui semper meditantur de bonitate Dei, hunc ignem nutriunt.

Vis in altari cordis tui, ignem devotionis semper ardere, monentem audi Hesychium d: *habebimus* IGNEM *qui minime extinguatur, struem lignorum componentem, sacrarum litterarum meditationes: per has enim nutritur spiritus Dei, & continuo* ACCENDITUR. Multi quidem in meditatione fervidi, & ignei; at paulo post toti tepidi, & frigidi redduntur, quid mirum? si omnis calor redierit ignis amoris divini extinctus sit, nullum ei pabulum subministrasti. Theodoretus orat. de charit. IGNIS e *quo plus accipit nutrimenti, eo ma-*

a Bonavent. serm. 1 de S. Laurent,

b Hugo Card. in Psalm. 38 vers. 4.
c Jeremiæ 2. d Hesychius in Levit. c. 1.
e Theod. orat. de Charitat.

majorem accipit operationem: ea enim accessione materiæ augetur, non obtunditur. Ita in Deum dilectio ACCENDITUR *divinarum rerum contemplatione, & quo magis in rebus divinis versatus quis fuerit, eo magis* ACCENDIT FLAMMAM *devotionis. Altera ratio*, in meditatione quorundam ignem tardius, ac difficilius accendi, ex eo petitur, quod cor humanis affectibus, ac mundi illecebris, quam lignum viride minus idoneum sit, petitur ex similitudine qua usus Hugo de S. Victore: *primo* inquit est, IGNIS *cum flamma & fumo. deinde* IGNIS *cum flamma sine fumo. deinde* IGNIS *purus sine flamma & fumo. Sic nimirum carnale cor, quasi lignum viride, & necdum ab humore carnalis concupiscentia exsiccatum, si quando aliquam divini timoris, seu dilectionis scintillam conceperit, primum quidem pravis desideriis reluctantibus passionum & perturbationum fumus exoritur, deinde roborata mente, cum flamma amoris, & validius ardere, & clarius splendere cœperit, mox omnis perturbationis caligo evanescit, & jam pura mente animus ad contemplationem veritatis se diffundit. Novissime autem, postquam assidua veritatis contemplatione cor penetratum fuerit, & ad ipsum summæ veritatis fontem medullitus toto animæ affectu intraverit, tunc in idipsum dulcedinis, quasi totum* IGNITUM, ET IGNEM *amoris ab omni strepitu, & perturbatione pacatissimum conquiescit.* Unum tamen hic vos monitos velim, hunc ignem non accendi per sublimes speculationes, & altas quæ supra nos sunt; arcanorum Dei contemplationes, quod ipsius Doctoris Seraphici judicium est; dum ait: *a si quis sæpissime hoc dictum, corde frequentaret: o Domine quando te diligam! quando te constringam? citius se sciret experimentaliter* INFLAMMARI, *quam si de secretissimis cælestibus & æterna generatione, vel processione millies cogitaret*: Cumque B. Ægidius in quodam colloquio diceret S. Bonaventuræ ô quam felices vos, qui docti estis, & speculationibus vestris altissima illa mysteria ruminatis, nos vero illiterati, quid agemus? respondit S. Doctor, non est quod conqueratis, frater illiteratus, & rudis, imo simplex muliercula æque potest Deum diligere, ac subtilissimus Doctor. Ad hæc in ecstasim raptus. Ægidius, per tres horas clamabat assidue: *O simplices, & paupercula mulieres, Deum amate, & æque magnæ esse potestis, ac Doctor Bonaventura.*

Ignes fatui sunt, qui in steriles speculationes, & subtiles contemplationes tempus insumunt. Quod summe improbavit S. Ignatius, in hac meditandi disciplina Magister eximius, dum peregrinis devotionibus addictum, serio delusit. Erat pater d Sonevilla Theologus pro viro ipsum ait inter primos habitus; sed dictamina foveus spiritus, aliena à nostro procedendi modo, & methodo, quam Sanctus Ignatius suis præscribit. Adeo ut patrem Silvium (postea ma-

a Hugo de S. Victore in illud Eccl vanitas vanitatum.

b Bonav. in Theol. Myst. quæst. ult.
c Citat in. Mat. in vita S. Ægidii.
d Lancicius opusc. 8 cap. 4. p. 634.

gnum in Societate Theologo-[illegible])co adduxerit suis devotiunculis, ut linguæ usu, & pæne mentis diu caruerit quod ubi intellexit sanctus pater, jussit conquiri alas, quibus Angeli scenici adornantur in comœdiis. Iis paratis, jussit P. Sodovillam nudo tergori illas alligatas circumferre, & se flagello cædere, hæc verba ingeminando: *noli volare sine alis, noli volare sine alis.* Quod ubi perfecit, è Societate eum dimisit, ad quam, ut erat vir pius, ubi iterum admitti petiit, missus est per quatuor, aut quinque menses, in nosocomium pauperibus inservire, & tum rursus nostris adscriptus est. Consimili errore, alis plumeis, non igneis afferuntur, qui plus in oratione intellectum oblectare, quam voluntatem pascere, & inflammare student, ut apud a Mendosam & Serlogum, aliosque videre est. Unum hoc quemque monet Bernardus, ut magis *ignifer, quam Lucifer* esse velit.

Verum enim vero nunquam potentius Ignatius exarsit, quam dum sacris operaretur. *Interdum fiebat ut inter celebrandum tantis* ARDORIBUS *æstuaret, ut omnes partes corporis* EXARDESCERENT, *facies instar purpuræ ruberet venæque omnes manifesta palpitatione micarent.* At quem ignem, vos ad altare accedentes, in animo accenditis? quam multi similes Aaronis filiis qui alienum ignem obtulerunt? ita nonnulli pro divino terrenum. & fœdum. S. Paulinus: IGNEM *alienum mihi videtur accendere, quisquis corporea, aut sæcularis alienum cupiditatis.* IGNEM, *in sacrario sui cordis accendens, audeat appropinquare altaribus Domini, qua non recipiunt nisi illius* IGNIS *accensionem, de quo ait:* IGNEM *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut* ACCENDATUR? *hoc* IGNE *nos Domine Iesu semper* ACCENDE: *hic enim solus qui à te est* IGNIS, *igni resistet æterno.*

Detestatur Propheta Regius sacrilegium eorum, qui incendere Dei Sanctuarium ausi sunt Psal. 73. INCENDERUNT IGNI *Sanctuarium tuum.* Quod D. Bernardinus ad fæminas, & puellas transtulit, quæ in templis animos Adolescentum, tartareo igne succendunt. *Psalmista in spiritu contemplans præsens tempus, in quo carnales, & vanæ mulieres, cum meretriciis ornamentis accedunt ad sacratissima loca, & incendunt spiritualia Dei templa, id est animos juvenum, illos in Ecclesia contemplantium. Hoc est quod queritur:* INCENDERUNT IGNI *Sanctuarium tuum.* Hic optem omnes linguas Oratorum igneas, ut tartareas illas flammas restinguant.

b Ceterum Ignatius non tantum in sacrificio, sed in minimis, quæ ad Deum pertinebant cum mensæ benediceret, cum gratias ageret *ita mens ejus* INFLAMMABATUR *interior, ut facies etiam* ACCENDERETUR, c *& tota quod sæpe domestici stupefacti adverterunt quodammodo* IGNESCERET; imo quocumque

a Mendos. l. 1. Reg. c. 1. annot. 11. n[illegible] 2 n 12. Serlog. tom. 2. vestigi[illegible] 33. Lancicius opusc 18. c. [illegible] in vita. S Paulin epist. [illegible]

b Lancic. citat. c P. Lucas in vita.

incederet, aut degeret, quasdam corpore & animo scintillas absistere, & quosdam velut ignes missiles in cælum evibrari audires, & cerneres. tales erant: *quam sordet mihi terra, dum cælũ aspicio*: etenim si flores si fructus, si formæ humanæ pulchræ sunt, creatori collata, vilescunt: a *quidquid delectat in arte, commendat artificem.* Sic & illud *telum* FLAMMA *fuit*: *quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? & istud raptim quodammodo, & velut jaculum emittebat*: *O Domine si te nossent homines, nunquam te offenderent!* Unicum hic à vobis flagito, ut hisce pyrobolis, & missilibus ignibus, sanctum Ignatium, hoc vespere, per omnem octavam, & omnem vitam vestram, illustrare velitis; medium siquidem, ait *b* Carthusianns proficiendi in amore divino, multoties aspirare, & elevari ad Deum eum verbis amatoriis, querulosis, & deprecatoriis, hoc & simili modo: O benignissime Deus, quando te toto corde amabo? O superpulcherrime Domine, quando tibi „ pura, & affectuosa mente inde- „ sinenter ac fervide inhærebo: „ ô Deus dulcissime, quamdiu in „ meo torpore, tepore, frigiditate manebo: Hæc sæpius per diem, & noctem emissa brevis precationis ignea jacula, priscis anachoretis usitata, & nobis usurpanda Doctor Angelicus commendat, dum illud Matt. 6. *Orantes nolite multum loqui*, sic exponit: *dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes; sed eas tantum brevissimas, & raptim quodamodo jaculatas, ne illa violenter erepta, quæ oranti plurimum est necessaria, per productiores moras, hebetetur intentio.* Hisce igneis jaculis usus est P. Petrus Cottonus, Henrici IV. Regis Christianissimi confessarius, in cujus vita Romæ à 1620. l. 2. c. 10. habetur, quod singulari Dei beneficio decem circiter annis ante mortem, id esset assecutus, ut etiam dormiens liberi arbitrii usum haberet ad orationem & incensam cælestium, ac divinorum meditationem; quam ea vi, eo vigilantis animi impetu faciebat, ut ex dormientis ore frequenter erumperent *ejaculatoriæ orationes, seu sagittæ divini amoris, seu scintillæ charitatis, seu ardenter amantis voces.* Certe eæ voces auditæ sæpius à vicinis, etsi cubiculo, etsi muro disjunctis ac divisis: Concludo ferventi Divæ Melchtildis monito: *etiam dormiturus quisque desideret, ut singulæ respirationes, ea nocte sint ad Deum asperationes.*

§. 2.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem Cant. 8.

PErsas inter & Ægyptios contentio orta est, uter eorum Deus potentior esset, an Aqua

a Augustin. In Psal. 26. Lucan de pugnapinar sal Bern. in vitæ S. Malachiæ.
b Dion. Carthus. de laude vitæ monast. c. 3[illegible] c S. Thom. in Matt. c. 6.

d Lancicius opusc. 4. c. 4. pag. 301.
e In vita. Drexel. tom. 1. pag. 661.

quam Ægyptii, an ignis quem Persæ pro numine venerabantur: experimento lis dirempta est: Ægyptii [illegible] gentem Nili [illegible], aqua compleverunt, & igni imposuerunt, quem flamma colliquescente, [illegible] repente aqua extinxit; ac prævaluit. Dubites quid in Ignatio prævaluerit, an divinum lachrimarum, an incendium flammarum [illegible] lumina Ignatii, duo flumina, [illegible] tam uberes scaturiebant, ut socii libellum supplicem summo Pontifici obtulerint (quem inquit Lancicius Romæ legi) *a* ut ob cœcitatis periculum, ab horis liberaretur. Privatim celebrabat, ne donum lachrimarum, opinionem sanctitatis conciliaret. Hæ vero aquæ adeo non restinguebant amoris flammas, ut magis accenderent; quemadmodum fabri ferrarii, aquam fornaci aspergentes, eam magis incendunt, & *b* ut ait Sapiens IGNIS *in aqua valebat.* Quod de alio igne olim Poeta:

> *c aliunde* FLAMMAS, *quoque prohibetur magis,*
> *Magis ardet* IGNIS

Id enim vero est novum prodigium in terras producere, quod olim David obstupuit: *fulgura in pluviam fecit*, in quæ verba Chrysostomus: *Vide mirabile, & diversas naturas convenientes: neque enim fulgure est quidquam magis* IGNEUM: *neque aquis est aliquid frigidius, ea tamen miscentur, nec confunduntur; neque contemperantur; sed una quæque conservat suos fines manens enim* IGNIS *in aqua & aqua in* IGNE, *neque hic illam exsiccat nec illa eum extinguit*; nec lachrimæ [illegible], ardorem affectionis perdunt.

Quam pauci nostrum, hunc uberrimum lachrimarum imbrem, divino officio aspergunt - quam pauci sic *flendo* ducimus & voluimus *horas?* Quod oculi nostri punice sicciores sint, unica causa est, quia ignis in corde nostro sopitus est. Rosas quis, aut lilia aut etiam electrum alambico subdat, nisi ignis accesserit, nunquam pretiosas illas aquas eliquabit. Sed nec aliæ aquæ frigidissimæ potuerunt extinguere ignem charitatis. Iuvenis velut taurus lasciviens ad Amicam, ad suos amores non longe ab urbe Lutetia de nocte festinat, turpitudinem nocturnis umbris conatus obtegere. Et ecce in ignis fervescit in undis, lucet in tenebris. Præit, præcurrit, prævolat Ignatius, atque ut hos tartareos libidinis ignes in juvenculi pectore exæstuantes restinguat, stagnum glacie constrictum, nudato perrumpit corpore, seseque collo tenus immergit *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruere.* Verum ex ipsis undis, hæc verborum flumina, in obscœnum amatorem jam ponte sublimem ejaculabatur: quo, quo perdite [illegible] tuo scelere toties, tam gravem injuriam Deo: quamdiu tandem insanies: non vides, non sentis, non horrescis cælestis

a Lancicius opusc. 9. c 6. pag. 716 b Sap 16. c Seneca d Psal. 134. Chrysost. in Psal. 134.

e Ribadin. in vita. f Cant. 8.

iræ

iræ in te vindicem manum: vide quid agas. Ego vero hic perstabo, hic me tam diu frigore uram, quo ad libidinis tuæ [illegible], aut Dei vindicis flammas r[illegible]xero.

Iuvenis hoc igneo vocis jaculo, gelida ex [illegible] tanquam fulmine frigidis è nubibus erumpentem perculsus, ac præ stupore impos, imo vero compos nunc primum [illegible] cum voluntate revocat, *a* ejusque pectoris gelu, flammis Ignatii honestissimis solutam, nimiumque diu grassata turpis flamma prorsus extincta est. Mirentur alii Mumbregæ, consumpto oleo, aquam in lampade ante aram Ignatii arsisse, ego plus obstupesco, Ignatium in gelido stagno non extinctum fuisse.

Quod si teste *b* Chrysostomo: *tam difficile est libidinosum castitati, quam mortuum vitæ restituere*, cuique vestrum considerandum relinquo, quot lethali frigore extinctas animas, igneo suo spiritu Ignatius in vitam revocarit; dum non unum hunc juvenem, sed & alios gravissimos peccatores, ac prostitutæ, nequitiæ mulierculas, ad frugem reduxit. à quo igneæ charitatis studio, nullæ cavillantium linguæ retardare, ejusque fervorem exstinguere potuerunt.

Interim quis nostrum adeo solers, ac solicitus, ut proprium in se libidinis incendium extinguat, quam Ignatius ut alienum? Nolim hic vos collo tenus gelidos amnes insilire, quas quisque in promptu habet, lachrimarum fontes, hisce tartareis flammis affundite, & carnis incendium [illegible].

Rursum inclaurit e juvanic *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Non aquæ tribulationis, infestationis, tempestatis, adversitatis ullæ; quæ usque eo increverunt, & in ignatium redundarunt, ut cum Psalte regio jure exclamare potuerit: *d intraverunt aquæ usque ad animam meam*

Alexandro magno, qui Persas vicit ac Medos, *e qui Reges terræ interfecit, qui pertransiit usque ad fines terræ, qui accepit spolia multitudinis gentium*, illud sacræ paginæ adiecerunt velut epiphonema *& siluit terra in conspectu ejus*, quasi attonita stupore quodam bellicæ virtutis, ac felicitatis in Alexandro. Et hoc magnum videri potuit At majus quoddam in Ignatio, qui cum primum novam militiam cum mundo, carne, & dæmone, vel tantum meditari cœpisset: *commota est terra in conspectu ejus.* Styx, cocytus, ac phlegeton omnes exitiales suas aquas in Ignatium eiaculati sunt; *sed aquæ multæ non obruent eum.* Libet illius meminisse temporis cum nocte intempesta orationi intentus, se primum Virgini matri, ejusque filio, seu Imperatori devovit, sancte spondens à mundi castris, ad Christi signa transiturum, *f Ecce tibi terra motu derepente facto, tota contremiscit, fragor*

a Lancic. P. Lucas in vita. b Chrys. hom. 23. ad pop.

c Cant. 8. d Psal. 123 e L. 1. Machab. c. 1. f Ribadin. l. 1 c. 2.

ingens

ingens exauditur, *& cubiculum ubi Ignatius erat*, *à fundamentis concutitur*; velut qui igneis cuniculis arcem, aut urbem subuertere molitur. Nempe dæmon ab Ignatio *jam Victus*, *frendens*, *ac* TREMENS *non obscura dabat diritatis atque indignationis suæ signa.* Dedit enim vero, dum per suos sceleris administros Ignatii famam lacerare, vitam proscindere, dicta, factaque omnia in invidiam, & criminationem vocare, calumniis, vinculis, carceribus, judiciis auctoritatem viri ubique ita proterere compertus est, ut qui infamem hominem sequeretur, nemo esset. *a* Sed *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*; quin potius ut cum Hugone Victorino loquar *hic* IGNIS ACCENDITUR *in aqua ardet in turbine*, *lucet in occulto. Hic* IGNIS *est ardor dilectionis*, *accenditur in aque compunctionis*, ARDET *inter turbines tribulationis.* Quocumque pedem inferebat Ignatius, sinistri illum rumores vel jam præcesserant, vel prosequebantur. Compluti primum gravissima in eum tempestas desarviit, non magno temporis *b* intervallo ter in illum habita quæstio veneficii, atque hæreseos; ibique ad quadraginta dies in publicam missus custodiam est.

Compluto digressus salmanticam, nihilo mitius excipitur, etiam illic à quæsitoribus datus in tetrum carcerem, iterum suspectus hæreseos, injectâ collo prægravi catenâ, in qua suus sibi liber semper erat animus: *quis enim concluserit ignem?* quid, quod ex ardentissimo Ignatii pectore ferventissimæ hæ voces prorumpere auditæ sint: non tot esse tota urbe salmanticensi catenas, & vincula, quin ipse plura amore Iesu tolerare percuperet. Perapposite Cardinalis Damiani: *b quo magis caro per tormenta concutitur, eo mens in Deum fixa, firmius roboratur*: *& quasi* IGNE *succcusa materies*, *quo plus* ADVERSITATUM VENTIS *impellitur*, *in amorem Dei* ARDENTIUS INFLAMMATUR. Quod scito expressit symbolo, qui ignem sub dio accensum; undique ventorum turbinibus concitatum depinxit, adjecto lemmate: *crescit spirantibus auri.* Idipsum spiritu Prophetico de tota Societate B. Borgias edixit: summo in flore, ac vigore fore, dum maximis adversitatis procellis exagitabitur. Quis vestrum talem, patientiæ, constantiæ, magnanimitatis, charitatis ignem in animo suo sentit flagrare, qui nullis adversitatis, calamitatis tentationis, tribulationis ventis extinguatur, sed magis accendatur? Ardor quorundam est velut candelæ, velut stuppæ, quæ modico adversitatis flatu perit; hinc justissima Hipponensis Antistitis commonitio: c *Vide si aliquantum in corde tuo amor euigilavit*, *si scintilla de cinere carnis emicuit*, *si aliquid roboris in corde tuo comprehendit*, *quod vento tentationis*, (jacturâ bonornm, famæ, filiorum) *non solum extinguatur sed etiam vehementer* ACCENDATUR. *Si non* ARDES *ut stuppa*

a Cant. 8. Hugo vict. in claustro animæ c. 17. Imago, sæcul. sect. Ribadin.

b B. Pet. Damian. ser. 21. c Aug. serm. 31. ex 40.

(ut candela) quæ *uno levi flatu extinguaris*; *sed* ARDES *ut robur*, ARDES UT CARBO, (ut fax ingens) *ut flatu potius exciteris*.

Alius a Turbo parisiis, Ignatium, ut juventutis seductorem afflavit ob tres Academicos eximiæ spei Adolescentes, ad Christi militiam perductos, quos inter Xaverius, quem Michael quidam Hispanus, adeo impotenter è medio honorum cursu abripi ferebat, ut stricto ferro Ignatium trajecisset, nisi increpantis è cælo voce, *quo tendis infelix*, deterritus fuisset. Hic & libellus ille exercitiorum, una cum Auctore, in suspicionem hæresis vocatur; sed & hoc b *frigido flatu* IGNIS *augetur*.

Quæ hactenus audistis, prævii quodammodo turbines fuere, ad decretoriam tempestatem, vel potius exiguæ aquæ â malevolis Ignatio aspersæ; at Romæ urbium principe, & orbis capite, tota flumina in eum sese exonerarunt. Etenim ut inquit Greg: c *cum persecutiones, aquæ dictæ sint, quid rursum per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa intelliguntur*? hic in conspectu omnis populi, in oculis summi Antistitis de summa rei, id est de Societate penitus extinguenda agebatur quod ipsum jam pridem portendit illi objecta in d Romano itinere visio, dum in ferventi orationis æstu, raptus à se, vidit Dei filium Crucis trabe onustum, atque hæc solatio plena, paucis proferentem audivit: *ego vobis Romæ propitius ero.* Qui volet hic alia, alibi à sceleratis, sacrilegis, ab ipsis tartâreis hostibus, infamiæ, calumniæ, persecutionum flumina, in unum caput congesta proferat, comperietque certissimum, charitatis flammam quæ in pectore ejus exarsit, neutiquam sopire potuisse.

At illud maxime deplorandum est, in cordibus vestris minimo adversitatis flatu, per indignationem, impatientiam, diras, & blasphemias, in optimum conditorem, ignem divini amoris extingui, aut saltem: e *refrigescit charitas multorum.* Aliter profecto homines spiritu ferventes, quos hisce verbis Philo depingit: f *qui divina charitate vallati sunt* atque, muniti, etsi vi tentationum sæpe premuntur, & diaboli insidiis, ac mundi turbinibus „ velut ingruentium imbrium „ atque fluviorum impetu qua- „ tiuntur, nunquam tamen evelli „ nusquam expugnari possunt: „ cum enim alas sponsæ, veluti „ *flammarum ignis* esse dixit ar- „ dore Spiritus sancti accensas, „ nullis aquis, hoc est perturba- „ tionibus & viribus populo- „ rum, atque pressuris non mo- „ do extingui; sed ne quidem „ vinci posse declarat: adeo vi „ cælestis amoris in Deo ipso ro- „ boratur, & crescit. Hic enim „ cælestis ignis non aquarum fluctibus, non fluviorum impetu, non ullo ventorum turbine extingui potest; quin flatibus adversis indies magis, ac magis accenditur, inflammaturque vehementius.

a Ribadin. Imago 1. seculi. b Anselm. l. 1. epist. 2. c S. Greg. in Cant. 8. d Maffecus. l. 2. c. 11.

e Matt. 24. f Philo Carpathius in Cant. c. 8.

Hoc

Hoc igneo spiritu accensus Xaverius, quo graviores à dæmonibus infestationes, & verbera, quo majores à barbaris labores, & ærumnas patiebatur, hoc ille *magis magisque* ACCENDEBATUR, INFLAMMABATURQUE VEHEMENTIUS, ut ardentissimæ illæ voces satis loquebantur. *Amplius Amplius Domine*, eodem spiritu excelluit Theresa, atque alii sancti. Theodoretus congerit adversitatis turbines, & nullorum flumina quæ sanctorum ardorem minime extinguere potuerunt:

Abrahæ Charitatem erga a Deum, nec vitæ traductio in terra aliena, neque inopia, & fames neque uxoris ereptio, neque filii ablatio, neque de puteis contentio potuit extinguere; Neque ,, Isaac charitatem molestiæ quibus afflictus fuit, neque charitatem Iacob assidui labores, & ,, dolores vitæ. Quid Ioseph tentationibus acrius: qui à fratribus venditus est, & indigne ,, servivit, & pudicitiæ præmium, calumniam retulit, & in ,, carcerem conjectus est, & in- ,, commoda sustinuit innumerabilia quibus tamen omnibus ,, charitas erga Deum splenduit ,, illustrior. Quid leonibus illis, quibus B. Daniel objectus est sævis, & horribilibus: at illum quoque charitas erga Deum reddidit fortiorem. Denique ut sanctos alios prætercam, solus B. Paulus satis erit, ad indicandum nobis vim charitatis, dum dixit: *quis nos separabit à charitate Christi?* Hisce si lubet vestras molestias, labores, difficultates, ærumnas conferre. & quam exigua in vobis charitatis flammula luceat, ex eo colligetis, quot his tam parvis tribulationum aquis, velut pluviæ stillicidiis aspersi, toti pusillanimes exclametis: b *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Excitent in vobis ignes majores generosi Christi pugiles, quorum charitatem nec sanguinis flumina potuerunt extinguere, ut recte ad nos inflammandos magnus Gregorius: c *Charitate Martyres sanctissimè vaciter* ARDEBANT, *quia in Dei, & proximi dilectione mirabiliter* FLAGRABANT. *Hanc charitatem, aquæ multæ extinguere non poterant: quia quantæcumque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Flumina autem maximas tribulationes accipimus, quæ dum per totum orbem super Martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatis* IGNEM, *grandi impetu confluxerunt. Sed aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruere eam,*

§. 3.

IGNIS *consumens est.* Deuteron 4.

ABraham olim filium Deo oblaturus gladium, & ignem gestat Gen. 22. *Ipse vero portabat in manibus* IGNEM, *& gladium.* Pulchram rem notatam excogitavit Philo. l. d. Cherubim: *accepit ille* IGNEM, *& gladium; gladio inquit resecare, & IGNE exurere, quidquid mortale, habebat.* Patriarcha noster Ignatius quidquid mortale, affectum omnem amicorum, propinquorum exurebat,

a Theodoret. V, Delrio, Cornel, in Cant. 8.

b Psal. 68. c S. Greg. in Cant. 68.

rebat, allatum è patria literarum fasciculum, non lectum ilico in *a* ignem abjecit, quem ei oranti lanitor importune deferebat, rem gratam se ei facturum existimans. Hauserat hoc credo ex magno illo Religiosorum Patre Cassian, sub cujus disciplina Monachus, cui cum post 15. annos patris, ac Matris, multo-„ rumque amicorum de provin-„ cia Ponti, quam plurimæ epi-„ stolæ delatæ essent, accipiens „ grandem fasciculum litera-„ rum, apud semetipsum vo-„ luens, quantarum inquit cogi-„ tationum causa erit mihi „ harum lectio, quæ vel ad ina-„ ne gaudium, vel ad tristitias, „ infructuosas impellent, quot „ diebus eorum recordatione, „ qui scripserint, intentionem „ pectoris mei à contemplatione „ revocabunt, &c. itaque fasci-„ culum ut eum constrictum „ susceperat, igni tradidit com-„ burendum: Ite inquam cogi-„ tationes patriæ, pariter con-„ crementur.

Nostri quoque parentis spiritu ductus P. Antonius Pinas, per quendam à germano fratre salutatus, respondit *b*: *ejus ego epistolam ab hinc 3. annis accepi, quam etiam nunc obsignatam asservo, & at pro atramentarii operculo commode utor.*

Ignatius IGNIS *consumens est*, qui quidquid in carne fœtea, fomitis resederat, adeo consumpserit, ut ne stipula turpis amoris, aut vani honoris in eo superfuerit de, sic scribit Maffejus: *c* quod *visa B. Virgine, cum puero Iesu, tantum repente odium, fastidiumque concepit eorum, quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præsertim quæ cum inhonesta voluptate conjuncta sunt, ut omnes rerum illarum imagines ex hominis memoria, conspectus ille Deiparæ, ac pueruli Iesu deterserit, & ex eo tempore ad extremum usque vitæ diem, Ignatius plane omni sensu libidinis caruerit, & donum altissimum eximiæ castitatis consecutus sit.*

Poeta græcus inducit amorem graviter querentem, ac plorantem, ab alio amore, ignem igne extinctum: *quis ignem inquit, igne domuit?* Non modo sublunarem, sed & tartareum ignem Ignatius domuit, cujus quidem internæ flammæ, fumus ne dicam, an favilla, est illa præsertim, d *quæ inflammat rotam Nativitatis nostris, inflammatam a gehenna.*

Hanc autem non in se dumtaxat, sed & in aliis penitus consumpsit: constat quippe plures aut epotâ aquâ, ad Invocationem Ignatii consecrata, aut ejus adhibitis sibi reliquiis, aut implorato nomine, alios ab ardore libidinis, à cogitationibus impuris alios, alios ab iniquissimi spiritus blandissima illa, sed periculosissima infestatione, fuisse omnino liberatos, etiam vel ipsos, è mortali corpore quod occupabat contestante, uri se, & exuri ab Ignatiano igne terribili, illo inter sancto

a Ribad... b Lancic. opusc. 3. pag. 181.

c Maffeius, l. 1. c. 2. & l. 3. c. 8. Orlandin. hist. Soc. l. 1. n. 13. Laynes in vita Lancic. opusc. 17. n. 25. d Iacobi 3. e Imago 1. sæculi lib. 3. pagina 624.

sanctos, sibi maxime metuendo. Quare quisquis istiusmodi flammis quandoque se sentit accendi, Ignatii igne domet, atque consumat.

De superato vero inanis gloriæ vitio, nil attinet dicere, cum ita omnem vanitatis, ac inanis gloriæ titillationem consumpserit, a *ut nullam vel cogitationem haberet, nec ullum se vitium diceret minus extimescere, quam vanitatis, & inanis gloriæ*, quæ etjam sanctissimos quosque afflavit. b Prodigium fuit illud stupendum, quod montii in Galeciâ accidit, cum ingens incendium per dies aliquot silvam absumeret, totoque tractu sumptis viribus sese longe lateque disspergeret, nullaque humana vi reprimi posset, vento insuper vehementius aspirante, flamma ad messes, oppidumque accederet, nec jam ab agrorum, ædiumque conflagratione tres quatuorve passus distaret, quidam arreptam S. Ignatii imaginem, quam secum ferebat, qua parte ignis potentius se jactabat, & graviorem cladem minabatur, facta precatione in medium conjecit, statimque vis illa, furorque remissus est, flamma quæ altissima erat dejecta, penitusque evanuit. Quodque non minus mirandum, mulier quæ imaginis jactum attente perspexerat, in ipsos fumantes stipites insiliit, digitis cineres scalpsit, nulloque ardore impetita, è mediis prunis c S. Ignatii imaginem extraxit. Ita & Petrus Medina in Mexicano regno, incendia restrinxit. At longe excelsius, atque excellentius prodigium duxero, superbiæ, ambitionis, propriæ æstimationis, ignem qui omnium virtutum, ac bonorum operum silvam florentissimam avide depascitur, in se suffocare, penitusque restinguere. Hic *ignis consumens*, utinam in aridam vanitatis, ac mundi muliebris silvam dilabatur, quam aptum illic earum rerum, quas cæci mortales maximi æstimant, pabulum reperiret? Thaidem hic ac Pelagiam juvat æmulari, quę omnem vanitatis pompam exventes, omnes vestes pretiosas, fascias, tænias, pallas omnes in forum palam congesta, insigni rogo absumpserunt. Consimili tu igne cincinnos tuos, longa illa vestium syrmata, aliaque vanitatis instrumenta absume.

Alterum est, quod omnes calumnias, & injurias sibi illatas, igne charitatis consumpserit. Testis erit ille quondam Ignatii contubernalis, cui stipem & pecuniolam alicunde sibi suppeditatam, aliaque studiis necessaria, servanda dederat. Hic cum omni peculio & æraria furtim aufugit, Deus illum insecutus, Rotomagi morbo correptum, lecto dejecit; agnovit Dei manum, & per literas, Ignatii opem implorare ausus. Ignatius, cujus ardor omnem injuriam cum pridem concoxerat, ac si ab amicissimo invitaretur, repente jejunus totum triduum, nec mica nec gutta delibata, 28. milliaria pedes confecit. Hæc nobilissima victima, iracundiam suam Deo, qui IGNIS

a Ribadin. b Lancicius. opusc. 18. c 17. c Imago 1. sæculi pag. 623.

d Maffenis. l. 3. c. 4. Lancic. opusc. 9 pag. 698.

con-

consumens est, immolare. Tale Redemptor noster Patri holocaustum obtulit, ut docet Rufinus Aquileiensis in istud Ps. 19. *holocaustum tuum pingue fiat: holocaustum quidem ejus pingue apparuit, quando in Cruce pendens, & seipsum pro nobis Deo offerens, pinguedine charitatis plenus, pro suis peccatoribus exoravit, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. O dulcis Domine, quam pingue cor tuum fuit, quam suaviter* ARSIT*!* dum omnes has Judæorum injurias, omnia mortalium probra, & opprobria, tam protenter consumpsit. Si non Ignatii, at certe Redemptoris nostri exemplo, charitatis flamma in cordibus vestris accendatur, qua quidquid tibi, vel tuis, à fratribus, à propinquis, à vicinis, ab exteris injuriæ illatum est, absumatur; si quas penes te reconditas habes amaras, & felle madentes litteras, hac luce in holocaustum concrementur. Quod illustri documento *a* S. Carolum Borromæum factitasse legimus, qui missas ad se à quodam præsule literas, in quibus dicebatur illi detectas nuntiari insidias, quæ ad eum interficiendum parabantur, consignatas etiamnum, luculento igne absumpsit, ne vel charitas inquit sua erga quempiam refrigesceret, aut attentio in sacrificio, ad quod se parabat, imminueretur.

Sed ardens in hostes diligendo, *b* Ignatii studium prosequamur, quo non modo injurias remittere, sed & fausta quævis appreca- ri, beneficia conferre, sibique ac Deo demereri nitebatur. Ut in illo viro Religio cum primis enituit, qui in profanis scientiis doctus magis, quam in schola Christi, Romæ invidia, itaque exstimulante, sic in Ignatium, ejusque socios exarsit, ut jactaret curaturum se ut homines de Societate Perpiniano Hispalim usque, igni traderentur: quod ipsum etiam scribere, non est veritus. Quid ad feroces illas minas, quid ad literas illas stygio succensas igne Ignatius: Unum illud: tu nostros ignibus & flammis devoves, *ego vero te, tuosque omnes meliore divini spiritus* IGNE ACCENDI, *atque ardere velim.* *c* Ita nimirum S. Pater in caput ingratum *Carbones* IGNIS *congessit* quod sapientis monitum cumulate adimplevit, dum infensissimo sibi hosti, beneficia contulit, & eleemosynas liberaliter elargitus est.

Erudite Salazar noster exponens illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput ejus.* Alludi putat ad id quod à medicis aliquando tentatur: constat enim appoplexiæ, aut phrenesi, è frigore cerebri ortæ, subveniri acerrà ignis, capiti impositâ; quod S. Augustinus spectasse videtur dum dixit: *d caput in homine sensus rationalis est, qui sensus cum charitatis* IGNE *recedente, factus fuerit frigidus, necesse est ut quod obest saluti, contrarium sapiat, ut cum deberet esse amicus, inimicus existat. Ad*

a Grassanus in vita Lancic. opusc. 2. c. 2. n. 320. b Imago 1. sæculi sect. patiens.

c Prov. 25. d Aug. serm. 163. de temp.

sa-

Sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos, & charitatis IGNE SUCCENSOS *hortatur Spiritus S. dicens*: CARBONES IGNIS *congeres super caput ejus; Nam eo modo sensus rationalis, hoc est caput ipsius incipit (charitatis* IGNE SUCCENDI, *& qui prius quasi frigidus, & phreneticus, contra te consueverat iracundiam retinere, spirituali calore de tua bonitate succensus, incipit toto corde diligere.* Unde quot inimico confers beneficia, tot carbones ignis super caput congeris, quibus inflammatus, ad pœnitentiam flectitur. *Carbones ignis congregabis* inquit Hieronymus, *super caput ejus ut* SUPERATUS BENEFICIIS, *excoctus fervore charitatis, inimicus esse desinat.* O incendia charitatis, quibus etiam hostes inveniri possint & inflammari! non possum non quin hic in medium proferam iuvenem Italum Deo ac Societati infensissimum quem æternis ignibus concremandum, Ignatius in vitam revocavit, & inimicus esse destitit,

—— Accipe nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.

Litteræ R. P. Brisselii Roma 6. Iunii 1626. & Pater Ioannes Rho ad Constantinum Caietanum, variis testimoniis rem discussam, ac comprobatam, sic commemorant: Mirus casus accidit Florentiæ 29. Maii. 1626. Adolescens quidam Ioannes Antonius Merius, id illi nomen, iniam verat Magistrum quendam e nostris Belisarium Tassonum turpi suspicione. Res plane falsa erat, agebaturque de honestate cujusdam adolescentis è nobilioribus Florentinis: quare graviter actum fuit cum infamatore, qui cum adductus esset, ut errorem agnosceret, coegerunt eum nostri, ut ad collegium veniret, & scripto calumnia revocata, famam nostram restitueret. Verum sed persuasus, cum subterfugere honeste non posset; vocatus etiam fuerat parens infamatoris, ut adesset palinodiæ; qui cum diutius tardat, relictus est infamator in cubiculo quodam solus, ubi nescio quo furore, levius etiam mortem æternam, quam hanc talem notam ducens, pectus sibi duplici vulnere, non procul à corde confodit, & gulam prope secuit: corruit exanimis, & paulo post deprehenditur a nostris in suo sanguine volutans, sine voce, & mortuo, quam vivo similior; interim adest Pater Volaterani, & illum miseram lamenta consternatus, arguit nostros filii percussores. Qui rumor cum per urbem universam increbesceret, tumultuaria plebs Collegium irrumpere, & diripere parabat; effeceratque omni vim Magistratus submisso Satellitio, sustinet. In hoc flagranti delicto, cum nil consilij humani suppeteret, quo innocentiam suam adversus tam atrocem calumniam, tamque gravibus indiciis mixtam tuerentur, vi-

a Hieron. l. 1. adv. Pelagianos c. 9.
b Iuvenal. Sat. 14.

sum est filius, ad parentem suum Ignatium recurrere; cui voto facto, famam suorum commendant. Mira res; extemplo juveni loquendi usus est restitutus, & cunctis qui aderant, qui erant certe complures, voce satis intelligibili dixit, se sibi vulnera intulisse, veritus ne patres evocassent satellites, qui vinctum in carcerem ducerent, pœnasque sumerent de crimine; quæ omnia à Notariis publicis, ab Episcopis Archiepiscopis, Magistratibus juridice discussa invenies loco citato.

Denique Ignatius *ignis consumens* extitit, dum quidquid terrenum, quidquid humanum, quidquid mundanum exussit, seque perfectissimum divino amori obtulit holocaustum: dum aliquando a dixit *se vivere non posse. Si quid in anima sua humanum, & non omni ex parte divinum adverteret.* Quantum nos ab hisce purissimis flammis distamus, qui affectus nostros in creatura diffundimus; quod cum in se ferre non posset Sanctus Augustinus, in ardentia hæc suspiria prorumpebat: *b O amor qui semper ardes, & nunquam tepescis!* ACCENDE ME, ET ACCENDAR. ACCENDAR *inquam totus à te, ut totus diligam te solum minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Minus te amat qui tecum nivas, & pecunias divitiasque amat: minus te amat qui tecum mundi delicias, & voluptates amat: minus te amat, qui tecum hortos, flores, felem, canem amat. En quibus, quam putidis amor noster impendatur; qui ut sanctiore igni totus consumatur, quisque nostrum, exclamet: c *totum meum consumat* IGNIS *tuus, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi.* Atque ita seipsum Deo offerat in holocaustum, identidem Ignatianum illud ingeminando: *quid mihi, est in cælo, & à te quid volo super terram!*

a Lancic opusc. XI. c. 33. b Aug. Solil. c. 11

c Aug. in Psal. 65. d Eccl. 48. e Lancicius opusc. 18. c. 12.

§. 2.

Verbum ipsius quasi FACULA ARDEBAT. Eccl. cap. 48.

QUod de igneo Vate olim sacrum pronuntiavit oraculum: *d surrexit Elias Propheta quasi* IGNIS *& verbum ipsius* QUASI FACULA ARDEBAT; hoc de sanctissimo Patriarcha nostro, jure usurparim, cujus sermo in exhortando, reprehendendo, quasi facula ardebat. Romæ in templo Societatis pueros, rudesque, & alios advenientes instruens, sermonem ignitâ hæc clausulâ finire solebat: *amate Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota voluntate quæ verba cum tanto* FERVORE, ET ARDORE *e vultus: proferebat, ut* FLAMMAS EFFUNDERE, *& corda* URERE *videretur*, quam catechizandi rudes, ac parvulos

provin-

provinciam,tanti fecit Ignatius, ut Theologos omnes professos, & collegiorum Rectores, etiam voto obstrinxerit ad id munus fervide obeundum: quia prospexerat igniculos qui per catechesim parvulorum animis injiciuntur, in divini amoris incendia proruptura extollant alii Illustre illud quod Ferrariæ Anno 1619. patravit miraculum. *a* Ipso Sancti Ignatii festo ludebat in fenestra cum parvulo mater cujus (casuue an qua alia ex causa incertum) elapsus puer è manibus ferebatur in præceps. Ignatius ilico (cujus tum festi fors occasione meminerat) matri fuit in ore. Nec frustra invocatus siquidem cum jam palmo vix uno altrove abesset à solo parvulus miserrime collidendus, contigit ut exceptus veluti sinu, non fulciretur ille tantum, sed etiam eadem qua ceciderat via, subjectus in cælum, matri, in expansa etiam tum brachia redderetur.

At ego potiori loco habeo, non unum, sed innumeros parvulos, quos catechesi per se suosque imbuit, quosque in partu servavit, atque à præcipitio inferorum ereptos, in cælos subvexit. *b* Ut Minoressæ accidisse Matronæ nobili, quæ fætum mortuum effuderat, cujus cum infelicem exitum deplorarent adstantes, maxime quod sacris baptismi aquis tinctus non esset, tandem obstetrix elapsa semihora post partum, præfervido spiritu, Sancti Ignatii opem implorat. Vix preces exorta fuerat, cum proles livida & subnigra revixit. Ita & alterum filium mulieris inde mortuum vitæ restituit plurimosque morti corporis & animæ eripuit. Quemadmodum sic & ad juvenum animos inflammandos, Gymnasia aperire voluit, de quo docendi munere illud obiter Doctoris Angelici Observasse proderit: *c actum ex charitate docendi alios, esse perfectiorem, quam actum Martyrii, consideratum secundum speciem actus.*

Pericli oratori disertissimo gloriæ fuit, quod de illo Quintilianus, *non loqui, non orare; sed tonare & FULGURARE videbatur.* Quid de te dicam oratorum ferventissime Ignati: hic quis tonitrua, quis fulgura commemorare valet, quæ in auditorum animos evibrasti: *d etenim qui loquitur sermones Domini jaculatur sagittas*, quæ feriunt etiam quam longissime dissitos. Cum æger Lojola rediisset in patriam, & quotidiana febri laborans, concciones ad populum patentibus campis (quod populi frequentiam templa non caperent) sæpe haberet, quamvis vocem contendere ob corporis imbecillitatem nequiret; ignei tamen spiritus ardorem ita diffudit, ut singula concionantis verba, trecentorum amplius passuum intervallo ab omnibus exaudirentur, & percommode intelligerentur, ut de eo illud Ieremiæ accommodari possit *e*: *ecce ego do verba mea in ore tuo* IGNEM: qui nunquam potentius exarsit *f*, quam dum Romæ in viâ publicâ ad affusam turbam verba facturus, à pro-

a Imago 1. sæcul. p. 630. b Lancicius opusc. 18. v. 17.

c S. Thom. 1. 2. q. 124. a. 3. Quint. l. 6. c. 16. d Origen in. Psal. 37. Lancic. opusc. 18. c. 16. e Ieremiæ 5. f Lancic. opusc. 18. c. 14.

ter-

tervis pueris, putidis pomis per ludibrium impeteretur.

Primum verbi præcones docet Ezechiel, quemadmodum Auditores suos inflammare queant: *a imple manus tuas* PRUNIS IGNIS, *quæ sunt inter Cherubin, & effunde super civitatem.* Hugo Cardinalis hic: *b Qui prius in Sanctorum exemplis* PRUNAS IGNIS *sumpserit, id est ardorem charitatis, potest* IGNEM *postea effundere super civitatem: id est ardenter prædicare ad plebem, & eam* ACCENDERE *ad amorem: qui enim non ardet, non* ACCENDIT. Quid mirum nunc Auditorum corda non inflammari, cum ab oratore, & ore frigido verba proferantur? nam ut recte Gregorius: *c mens concupiscentiis occupata, igne divini amoris non calet, & idcirco ad supernum desiderium* INFLAMMARE *Auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur;* non magis, quam si quis manipulum straminis non accensum lignis subdat, ut ea accendat. *d Tum* quippe sacer Ecclesiastes *recte agit, cum lingua ejus, vitâ* ARSERIT: *nam lucerna, quæ in semetipsa non ardet, eam rem cui supponitur, non accendit.* Quin potius ejusmodi Concionatores, e suggestu nihil aliud, quam vanitatis fumum referunt, quia *e doctrina sine vita,* IGNIS *est evanescens in fumum.* O Ignati! vere *ignitum eloquium tuum,* quia vita & lingua pariter ardebant. Idem habuit Ignatius, *f quod nihil perfectionis aliis præciperet, quod ipse prius non implesset.* Unde qui prius divinis ignibus ardebat, alios non poterat non inflammare. Sicut nonnulli *g qui supernæ contemplationis* FACIBUS ACCENSI *amant, &* ARDENT; *amando* ARDENT, *loquendo & alios accendunt: & quos verbo tangunt,* ARDERE *protinus in Dei amore faciunt.*

Iudæum quendam *h* Isaac nomine, pervicaci & obstinato animo Christiana sacra respuentem, cum ab aliis nulla ratione ad sanam mentem reduci posset, adductum ad se Ignatius hisce tribus verbis: *mane nobiscum Isaac,* repente placavit, & ad baptismum perduxit.

Hactenus in perorando, nunc in increpando, quam potenter *i verbum illius ut* FACULA exarsit, attendite: Vir quidam insignis, cum turbulentior esset, quam ut eum diutius ferri oporteret, Ignatius ad eum oratione conversa, divinam testatus est justitiam, ac cœlestis iræ minas intentans, tantum ardorem Spiritus præ se tulit, ut ipsi parietes, tectaque non dubio motu nutare, & concuti viderentur: quo terrore perculsi qui aderant, ilico procumbentes, Dei pacem precibus, ac votis exposcere; ipse vero qui accusabatur, exanimis ad pedes Ignatii sese confestim abjecit, ac supplex confusa voce, culpæ veniam petiit, seseque posthac in officio fore pollicitus est. Verum enim vero tum gravissime detonare, ac fulgurare

a Ezech. c. 10. b Hugo Card. in Ezech. c. 10. c S. Greg. hom. 11. in Ezech. d [illegible] e Hugo Card. in c. 5. Matt. [illegible] f Orlandin. hist. soci. l. 1. n. 76.

g Greg. ser. 34 in Evang. h Lancic. opusc. 18. c. 16. i Lancic. ib.

visus est, dum ipsa vitia insecta-retur. *a* Hierosolymam navigans gravia a Comitibus itineris, in eadem navi committi facinora advertens, totus urebatur. Ergo impuros homines illos tam calida reprehensione aggreditur, ut illi facta cum nautis conjuratione, molestum sibi monitorem in deserta quadam Insulâ amovere decreverint. Sed propitio in adversam partem vento, vel nolentes in portum Ignatium deduxere. Ceterum hoc Divi Gregorii munitum illi cordi, ac curæ erat: b *in correctione hunc ordinem servandum: ut personas, diligas, & vitia prosequaris.* Hinc licet pro delictis minimis, magnas nonnunquam pœnas constitueret, & in levibus erratis gravia exempla statueret, ut dum cuidam Patri primario, quod de quodam nostro infirmo dixisset extra domum, illum præ vehementia febris delirare injunxit, ut se publice per spatium trium Psalmorum cederet; *Vidimus tamen & observavimus*, inquit Ribadinera, c *ut in tanta hominum multitudine fere nemo ab Ignatio verbis castigatus, aut pœnitentia aliqua graviore affectus, indignaretur, nemo in objurgatione, aliqua perturbatione incitaretur; sed in* SEIPSUM EXARDESCERET, *qui deliquisset.* Hoc vobis parentes salubre monitum, dum conjux conjugem alicujus gravioris criminis arcessit, *personas diligatis, & vitia prosequamini*: ut non effervientis animi æstu in scommata, & convitia ipsi exardescere, ac eos quos corrigere studetis, iracundia ac furore inflammare videamini.

Unum superest, ipso etiam privato sermone, & agendi consuetudine, accedentes ad se quasi ignem, fervorem concipere solitos fuisse. Quod Pater Ludovicus Gonsalvus Minister domus professæ testatus est, qui ad Ioannem III. Lusitaniæ Regem *d* (à quo missus fuerat ut observaret dicta, & facta Ignatii) scripsit se nullo tempore lectionis, vel orationis tantopere commoveri, & ad amorem Dei accendi, quam tempore quo agebat cum Ignatio, eumque intuebatur. *e* Idem oculatus testis sic scribit in Diario: una ex rebus quæ in nostro Patre plus resplendebat, erat dominium passionum internarum, & motuum exteriorum, quæ ædificabant, & convincebant adeò eos, qui cum illo tractabant, ut hoc solo traxerit ad Societatem personas insignes. Hac ratione se subjecit Patri nostro Doctor Michael Torres, comedendo aliquoties Romæ cum S. Patre. Ita inflammavit ad institutum nostrum arripiendum Patrem Natalem, Madridium, & multos alios sine altis persuasionibus, tantum eo modo, quem tenebat ad mensam comedendo, & loquendo cum ipsis: *habuit enim compositionem & modestiam divinam.*

At nunc ô tempora! ô mores! quam dispares ab Ignatii consuetudine, super mensam sermones,

a Idem c. 15. b Greg. l. 9. Opus. 8. ad. Ben[illegible] Abb. c Ribadin. l. 5. cap. 7 [illegible] Opusc. [illegible] cap. 5.

d Marc. Opusc. 2 pag 181. e Opusc. 4 pag. 294.

ac; quam longe alia in familiari congressu colloquia, quibus mentes tartareis flammis incenduntur!

Hic mihi votum, & omni sacro Ecclesiastæ opto, quod olim Origeni. a *Unde mihi hoc, ut lingua* IGNIS *veniat in cor meum, & de lingua ignea ego quoque proferam sermonem, ut ex me velox* ACCENDATUR IGNIS *in cordibus Auditorum!* Ut comprehendere possint, quantum nocumenti adferat vel unicum verbum lascivum, candidis mentibus injectum: *Scintilla*, inquit b Hieronymus, *res parva est, & pæne dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui, quamvis parvus* IGNIS, *invenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit.* Scintilla fuit, quæ regias sæpe opes depopulata est. Expugnata ab Othomanica classe Nicosia, c urbe totius Cypri opulentissima, Mustaphus ex manubiis, atque omni prædâ, duo navigia & ingentem Myoparonem oneravit, quæ omnia cum suis vectoribus igniculo à puella Cypria, pulveri nitrico injecto, flammis absumpta sunt. Nobiliores longe ac præstantiores animæ gazas, uno quandoque ab ore lascivo scintilla absiliens, absumpsit.

Quid, quod minus læsionis ardentes carbones corpori, quam igniti hi sermones animis audientium nocumenti adferant. Probe id norat Seraphicus Pater Franciscus, qui cum in vitium libidinis ardentius d pro concione invectus esset, inter ceteros Auditores Fredericus II. Imp. qui aderat, hunc suum Ecclesiasten mensæ adhibuit. A mensa ductus est Franciscus in penitius conclave, ubi proterva mulier, virum sanctum igneis verborum lenociniis excepit; at ille propere ad accensos camini ignes accurrens, iisque insiliens: huc inquit adesto, hic colloquemur. Erubuit salax Scortum, seque fuga inde proripuit. Si vos juvenes, *nuptæ, innuptæque puellæ*, sic lascivos sermones execrari studueritis, tartareos ignes prorsus, penitusque extinguetis.

§. 5.

Acceptum ignem occulte absconderunt. 2. Mach. 1.

QUam difficile, prope impossibile sit, ignem abscondere, experientiâ cuique compertum est.

e *Quis enim cælaverit ignem?*
Indicio semper proditur ille suo,

Non minus difficile sanctitatis radios, ac virtutum splendorem occultare. Barcinone dum fæci plebis immistus, concionem audiret Ignatius, visus est f eximio fulgore radiare ab Isabella Rosella, & à Iohanne Paschasio: & in hospitali domo decumbens, à Domesticis. Verum enim vero hos sanctitatis radios, velo humilitatis, ut alter Moyses, adeo tegere studebat, ut cum g P. Oliverius Manaræus, Rector Collegii

a Orig. hom. 1. in Psal. 39 b Hieron. l. 3. in epist. 3. ad Gal. c Strada prolusiones Academ. l. 2. prol. 3.

d Barthol. Pisanus de rebus gestis S. Franc. e Ovid f Lancic. Opusc. 18. cap 6. g Opusc. 2. c. 2. n. 354.

Romani, ad gubernandum Collegium Lauretanum destinatus, valedicturus sancto Patri, quem amplius in hac vita se visurum non putabat, oculos in eum ex pio devotionis affectu defixisset, nolens eum coram aliis confundere, post solitum religiosum amplexum dimisit incorrectum; sed P. Polancum, cum quo Oliverius venerat, apud se detinuit, ut Oliverio portam domus egressuro, nomine suo diceret, quod in se nimis fixe oculos tenuisset, hanc pœnam statuerit, ut quotidie in examine consideraret, an alicujus personæ vultum fixis oculis diutius fuisset intuitus, & ut post examen, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitaret, quoties denique ad P. N. scriberet (scribere autem debebat ex præscripto illius temporis regulæ, singulis hebdomadis) referret, an persolvisset pœnitentiam, nec ne. Hæc porro pœnitentia extracta est usque ad decimum quintum mensem quo exoluto significavit P. Ignatius, ut deinceps abstineret. Hæc ipsemet P. Oliverius per literas ad me e Belgio, inquit Lancicius.

Aptissimum, ignem cælandi, & conservandi modum præscribit S. Bonaventura: a *ad conservationem Spiritualis* IGNIS, inquit, *requiritur vera humilitas mentis: sicut enim materialis* IGNIS *cito extinguitur, nisi bene cineribus cooperiatur; sic spiritualis cito evanescit, nisi cinere veræ humilitatis fuerit coopertus. Hoc eleganter valde signatum est 2. Machab. 1. Ubi dicitur quod Sacerdotes acceptum* IGNEM *de altari absconderunt in valle, ubi erat Puteus altus: ille enim amorem suum in valle, sive in alto Puteo abscondit, qui eum quantum potest, operit* CINERE *humilitatis.* Corpus illud tantæ sanctitatis gazophylacium, tanto virtutum ac gratiarum splendore corruscans, optabat Ignatius volucribus, ac feris objici, vel in sterquilinio recondi, aut flammis absumptum, in cineres redigi. Quod utinam stulti mortales audiant, qui corpus omnis nequitiæ instrumentum, & scelerum cloacam, maxima pompa efferre splendidissimo apparatu exequias celebrari mandant.

Oleaster in Levit. 6. IGNIS *in altari semper ardebit* ait: *tribus solet* IGNIS *foveri: lignis, flatibus & CINERIBUS: sic & divinus* IGNIS, *bonis operibus quæ per ligna designantur: suspiriis & gemitibus, quæ flatibus: humilitate, quæ* CINERE *adumbratur.* Hoc cinere SS. Patriarcha divinum ignem, qui in animo ardebat, occultare satagebat, ut cum intellexisset b Patrem Jacobum Eguiam, Confessarium suum prope septuagenarium, se cum magnis Sanctis ingenti commendatione comparasse, hanc ei pœnam indixit, ut per tres dies, ter quotidie sese flagellis cæderet. Sed cum ille postea, ne pœnis quidam coercitus, a laudando Ignatio desisteret, amplius ei confiteri noluit: verumq; præterea sub pœna excommunicationis, & dimissionis à Societate, ut

a Bonavent. serm. 2. de S. Lauren.

b Lancic. opusc. l. 18. cap. 14.

ab omnibus ejus laudibus deinceps abstineret. Usque eo metuebat, ne divinus ignis prorumpens, facile in fumum evanesceret, & extingueretur. Dum interim quibus totius virtutis flammula est, eam ostentare gestiunt; nec cinerem propriæ infirmitatis, ac vilitatis, quem ubique circumferunt, aspergere dignantur.

Horum quemque sic compellat Ecclesiasticus. a *quid superbis cinis & pulvis?* idem & Præsul Antiochenus b commendat *cogita apud te, quænam tua sit Mater, & fastum comprime, elatos spiritus conculca. Cogita quod terra es, & in terram reverteris, & omnem arrogantiam expelle.* Cogita quam gravia in Deum scelera admiseris, quam pravos affectus, Passiones, desideria corde foveris. Quanta mentis evagatione, perturbatione cum Deo loquaris, quæ si ceteris mortalibus innotescerent, quanta tibi inde confusio suboriretur; utque hoc cinere humilitatis, exiguas corporis afflictiones, jejunia quæ sponte assumis, prolixas preces, largas eleemosynas, aliaq; pietatis opera recorderis nihil etenim est, teste Hieronymo, c *quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quam si vitæ meritis magni, humilitate infimi simus.* Hinc P. Baltazar Alvarez cum daret mentem cuidam prænobili Dominæ, quæ erat ingressura monasterium Monialium Carmelitarum Discalceatarum, sic ei semper in Iiteris: si quæras in quo maxime debeas eminere? *dico, in te valde, valde, valde humiliando;* Sciens hac unica ratione, quidquid te voris, ac charitatis in corde accendatur, optime conservari. Quo spectat illud D. Bernardi: d *quid cinis, & IGNIS in altero, nisi charitas in mente humili?* IGNIS IN CINERE *melius conservatur; sic amor in humilitate custoditur.* Ama latere, ama nesciri. Quod S. Patri nostro unice in votis fuit: etenim ut multi optarent veram Ignatii effigiem, ille neque se fingi, nec pingi permisit. e Accidit cum Cardinalis Pacecus pio dolo pictorem adduceret, qui per rimas quasdam Ignatium depingeret. At divinitus factum est, ut facies novas, & novas indueret formas, adeo ut obstupefactus pictor, re infecta discedere cogeretur. Hac interim animi modestia, longe præstantiorem f *consignavit nobis imaginem vitæ suæ.* At qualem vos Auditores, qui in atriis pictos vultus, & imagines vestras spectandas exponitis, qualem vos Domini servis: qualem vos Patresfamilias liberis, *imaginem vitæ* vestræ consignatis. Hic avari, ille iracundi, alter temulenti, quartus adulteri, quintus blasphemi. Hauserat hanc animi modestiam Ignatius credo à Paulino, g Antistite Nolano, qui induci non potuit, ut vultum suum in tabulam referrent. & Eminent. Cardinalis Bellarminus, rogantibus amicis ut se depingi, suamque imaginem ope-

a Eccl. 10. b Chrysost. in Ps. 48. c Hieron. Epist. 14 ad Celant.

d Bernard. [illegible] 2. serm. 5 [illegible] 2. c. 2. e [illegible] f Tacitus de Seneca. g Cornel. [illegible] I. cob. c. 1. v. 23.

ribus præfigi fineret, ingeniose & religiose respondit: *vel cupitis depingere meum veterem hominem, vel novum? si veterem, ille deformis est, nec pictura nec luce, sed litura & latebris dignus. Si novum? ille nondum perfectus est.* Hanc novi hominis picturam vult S. Pater in suis perfici; dum filios suos, Iesu suo conformes, per omnia *ei assimilari, ejusque vestibus & insignibus indui* præcepit.

Ne prolixior sim, plura qui volet de Ignatii humilitate argumenta, apud P. Lucam in vita Nierenbergium, Lancicium, aliosque reperiet

§. 6.

Non est qui se abscondat à CALORE *ejus.* Psal. 18.

IN Italia *a* vir nobilitatis stemmate illustris, symbolo usus, in quo radii solares è cava speculi superficie repercussi, omnia late succendebantur *hac Epigraphe: unius splendor, alterius* INCENDIUM; ejusmodi symbolo Carthaginensis Antistes, viros Dei charitate flagrantes, significari voluit. *b Sicut,* inquit, SPECULUM RADIIS *solaribus directe irradiatum, solis recipit in se similitudinem, idque putares alterum esse solem: ita etiam sancti & beati, Dei charitate in intimis suis totaliter penetrantur, sicque Deiformes effecti, in Dei similitudinem transformantur,* suumq; ignem usquequaque diffundunt. Quod quam apte Ignatio congruat ardor qui ab hoc speculo caustico dimanavit, satis testatur. Sic porro in actis pro congregatione legitur: tanto erga Deum amore flagrabat, ut aliquando dixerit, *se, si optio daretur, velle potius vivere cum incertitudine beatitudinis, & interim animis mortalium divino amore inflammandis Dei gloriam amplificare, quam cum certitudine salutis hinc evolare.* Ita quos foco cordis sui radios collegerat, undique diffundere ardebat. *c* Addebatque sibi magis durum, & pœnale futurum, audire blasphemias in Domini nomen, quam pœnas inferni tolerare, ita cum Paulo urebatur. Archimedes ille ingeniorum Phœnix, Mathematicorum Princeps, stupendo artificio, speculum elaboravit, quod collectis in se solis radiis, non modo vicina quæque incenderit, sed & longo tractu dissitam hostilem Romanorum classem, flammis cœlestibus, & incendio hactenus inaudito exusserit.

Haud aliter Ignatius
Solis INARDESCIT *radiis,* d *longeque refulget.*

Non vicina modo Italiæ, Hispaniæ, Galliæ oppida, suæ charitatis flammis succendens, sed & orbem universum, qui exitiali frigore torpebat, inflammare gestiens, ut Apostolico oraculo de SS. *e* Ignatio & Xaverio proditum sit: *cœlestem duorum hominum charitatem, vastissimo coerceri non potuisse unius orbis ambitu.* Confirmat id ipsum, *f* quod Marcellus II. de Societate tulit Iudicium, quod inter omnes, quo-

a Barri. in triduo hagioph. pag. 98. b Cyprian. de sing. Cler.

c Lancic. opusc. 18 pag. 606. d Virg. 8. Æneid. e Greg. xv. in resp. ad Relat. on Hist. sect. l. 15. f Imago 2. seculi pag. 207

rum opera in instituendis ordinibus divina sapientia usa est, nemo dum viveret, tantam familiæ suæ, quantam Ignatius dilatationem viderit. Provincias in Europa novem, unam in Asia (sed quam vastam) Indiam, ultimos hominum Iapones complexam, unam item in Africa Æthiopiam: Brasiliam in America postremam. Atque in his omnibus Ignatius, etiam vivens radios suos largissime evibravit. De populo illo rudi ac pastoritio, mox domitore terrarum ita narrat Salustius *a*, eum jam tota primis Adolescentiæ annis, Italia subjugata: ***cum à terra fretum usque venisset, more*** IGNIS, ***qui obvias populatus incendio silvas, interveniente flumine abrumpitur; paulisper substitisse.*** Sed nempe vilior ignis ille, cui ligna, stipulæque pro pabulo sunt, facile adversario elemento non cedit tantum, sed etiam exanimatur. Altior ille, nobiliorque, qui animos depascitur, quem nec maria, lato æquore diffusa, nec hiatu, dehiscentia terrarum spatia remorantur; nec est qui *se abscondat à* CALORE *ejus*; sed ubi, ubi se diffuderit, iners, ac pigrum gelu dissolvere, atque cœlestibus flammis incendere consuevit. Porro ut cuique perspectum sit, quanto ubique terrarum frigore corda constricta fuerint, D. Gregorium audiamus, qui exponens illa verba Iob: *b* ***nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quid*** inquit, ***aliud nive vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda pravorum? sicut enim*** FERVORE ***charitatis, sic solet in sacro aliquo frigore malitia designari: scriptum namque est: c sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit animam malitia tua.*** Et rursum: ***abundabit iniquitas &*** REFRIGESCET ***charitas multorum. In frigore ergo nivis, vel in duritie grandinis, quid accipi aptius potest, quam vita pravorum, quæ per torporem*** FRIGESCIT? Hoc gelu, hoc frigus, hunc torporem radiis suæ charitatis, doctrinæ suæ, suorumque luce, ignitis, iisque frequentibus ad populum concionibus, assiduo Sacramentorum usu dissolvit, alacrius multo, atque ardentius scelera jam expiantur, quam antea solebant committi: Illudque constat, ante institutam ab *d* Ignatio Societatem, in illis templis, quæ nunc abundant numero Sacramenta frequentantium, solitudinem fuisse, tam eorum qui audirent peccata, quam qui enuntiarent: ut brevis illa quidem Cardinalis Baronii vox, sed prolixam Societatis laudem complexa fuit, cum Societatis templum, Anastasiam (non inani ad Constantinopolitanam illam Basilicam allusione) appellare non dubitavit, propterea quod Sacramentorum usum, qui vita quædam est, & anima Christianæ perfectionis, à sæculis jam multis intermortuum, videret in templo illo, velut igne iterum reaccenso feliciſſime reviviscentem.

Accedit alterum S. Caroli Borromæi testimonium, qui Societatem primus Mediolanum

a Saluſt. in Iugurtha. b Greg. l. 29. mor. c. 11.

c Ierem. 6. d Imago 1. ſæcul. pag. 972

induxit, & fundavit, in omnibus suæ Ecclesiæ ministeriis, opera Patrum Societatis utebatur; siquidem verba sunt *a* Guissani, tanquam pleni charitate & Spiritu divino (quem ab Ignatio hauserant) multaque doctrina & prudentia ornati, erant efficaces & frequentissimi in concionibus; assidui & diligentes in confessionibus, & in omni ministerio Ecclesiastico.

Hujus perditissimi sæculi mortales, insignis Ecclesiastes, ultro conferre non dubitavit, quod quamdiu in ardenti fornace est, artifici ad omnia obtemperat, tractabile est, & in quamcumque formam flectitur. At postquam igni educitur, & frigore concrevit, flecti amplius non potest, sed minimo ictu frangitur. Haud aliter, quamdiu mortalium corda divino amore flagrant, & in illo fervore decoquuntur, flectit & dilatat Deus corda eorum, ad omnium virtutum formas, omnesque modulos divinæ suæ voluntatis. At ubi hic ignis deferbivit, & restinctus est, ubi è fornace divini amoris cor nostrum egressum fuerit, intractabiles sumus, & ad minimam difficultatem frangimur.

S. Thomas agens de gradibus charitatis, b *In calido* inquit, *tres sunt gradus, nempe calens, fervens, & ARDENS. Calor initium, fervor incrementum, ardor vero est complementum: calent incipientes, fervent proficientes, ardent perfecti. Verum in hoc statu invenias non omnes ardentes, sed quosdam tepidos, paucos fervidos, rarissimos ardentes*: plurimos autem frigidos. Quod si & etiamnum inter vos inveniuntur. Hic vir hic est, de quo ait Canonizationis: magnus in eo animarum, quo tenebatur Zelus: nullum enim eorum causa laborem, nullas incommoditates, nullas vigilias, aut corporis dolores, aut afflictionesque recusabat. *Non est qui se abscondat à calore ejus*, nec parvuli Matris utero reconditi, nec juvenes libidinis cœno immersi, nec homines scelerati; propter ob inferis remoti, nec barbari denique, aut Idololatricæ gentilitatis nocte, sub extremo solis cardine ita absconditi fuere, quin ardentissimi hujus Solis radii, ad illos pervenerint, suum charitate flagrantissimum cor, Ignatius omnibus dilatarit: tanta quippe charitatis vis est, ut cœlo latiorem faciat animam. Qualis illa fuit Pauli, qualis illa Chrysostomi, qui sic aliquando ad populum Antiochenum auree peroravit: c *Si liceret cor nostrum disrumpere, ac ostendere, videretis intus esse in magna latitudine vos omnes, mulieres, pueros, & viros.* Et unde hæc dilatatio? *quemadmodum quod calefacit, dilatare facit, ita & charitatis opus est dilatare. Virtus enim calida & fervens charitas.* Unde d illud cor *Pauli dilatavit charitas*, juxta illud: *cor nostrum dilatatum est. Nihil latius corde Pauli, totum orbem complexum est.* Pace tua hic dicam, magne Pater, *cor Ignatii dilatatum est, totum orbem complexum est.*

a Guiss. In vita l. 2. c. 5. & 7. & l. 2. c. 8 b Thom. opusc. 61 gradu charit. 9.

c Chrysost. in epist. ad hom. 44. d hom. 3. in epist. 2. ad Corinth.

Malum

Malum Pini quantumvis arcte constrictum, igni appositum sese aperit atque dilatat: ita non aliunde nisi ab igne charitatis, *cor illius dilatatum est.*

Non est qui se abscondat à calore ejus, nec sub vili tugurriolo pauperes, nec in tetro carcere vinctos, nec in publicis Valetudinariis morbidos, ac ulcerosos destituit, omnes Ignatii charitas complectitur: speluncam insedit propter Manresæ portas: hinc quotidie in Urbem egressus, stipem ostiatim collectam in pauperes dividebat, quos congregatos spe factâ cibariorum, primis fidei elementis imbuebat. *a* Inde ad ægros in D. Luciæ valetudinario se conferre, illos solari, lectos sternere, corpora plagis, vulneribusque deformata arcte complecti, utque amoris quo æstuabat, ingentem vim, non dissimularet, ipsa vulnera cumvis fœda, putrida exosculari, & lambere, & ex iis stillantem saniem non raro excipere, atque exsugere; tum vero eorum animis medicinam facere tanto felicitius, quo præsentiore opus erat remedio, morbusque magis urgeret. Nullus unquam avarus adamantem, aut pyropum, aut monile in cloaca, aut fimeto reconditum, ob adhærentes sordes quærere negligeret, multo minus Ignatius animam, sanguinis divini pretium, imo Iesum suum, quem in hac agnoscit, quam pædore, & squallore obsitum, aversabatur. In actis vero canonizationis coram Greg. XV. a Francisco Maria Episcopo Portuensi, ita commemoratur: „ eminenter vero Zelus, & sa- „ lutis aliorum procurandæ stu- „ dium fecit, ut ad eos juvan- „ dos, qui dura servitute Hiero- „ solymis premebantur, in Palæ- „ stinam peregre perrexerit, & „ post absoluta Parisiis studia, profectionem illam voverit, seque cum sociis suis, illuc iturum pollicitus sit.

Illud vero hic considerandum occurrit, omnem ardorem, ac flammas à speculo concitari hac ratione, quod radii plures in unum punctum collecti, calorem ut octo, id est ignem excitent. Ita hoc quod hactenus spectavimus divini amoris incendium, ex eo ortum est, quod in corde Ignatii in unum punctum ardentissimæ intentionis, qua omnia ad majorem Dei gloriam agebat, varii gratiarum, virtutumque radii collecti fuerint: *non enim aliud* inquit *b* Gisle*rus, diversarum gratiarum radiis illustratus, universos quantum fieri potest, jungens quodammodo in unum punctum suæ intentionis radium, in altum illum ejaculatur.* Perillustre illud quod tum à Sacræ Rotæ Auditoribus, tum a Cardinalibus sacrorum rituum, in relatione, Summo Pontifici oblata, in commendationem S. Ignatii est positum, his verbis: *tanto erga Deum amore* FLAGRABAT, *ut tota die illum exquireret & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud*

a And. Luc in vita l. 1. cap 3. In ago 1. sæcul. pag. 3871

b Gisler. in Cant. c. 4.

 cupe-

cuperet, quam placere Deo. Omnes suas cogitationes, verba, opera in Deum, tanquam finem referebat: ad Deum, ad DEI GLORIAM, *honoremque destinabat.* Talia specula ustoria, & opifices, & mercatores, & nobiles, & servi, ac ancillæ corda sua efficere possunt, dum omnia opera, quodammodo in unum punctum purissimæ intentionis colligentes, ad majorem Dei gloriam, in altum ejaculantur. Quod veluti Symbolum S. P. N. in omnibus semper observabat, nobisque in omnibus studiis, concionibus, functionibus, operibus omnibus, præ oculis habendum, toties in suis constitutionibus inculcavit, ut centum & septuaginta septem locis, illud *ad majorem Dei gloriam, ad majus Dei obsequium &c.* expressum reliquerit. Quod quantæ utilitatis, ac perfectionis sit, S. Getrudis *b* divinitus edocta est: *quandocumque* inquit, *aliquis scribit, vel alios docet ea intentione, ut Laus Dei per hoc, & profectus animarum promoveatur, tum omnis profectus quem aliquis ex illa scriptura, sive doctrina etiam per mille annorum millia consequitur, totaliter cedit in illius, salutem qui sua intentione hoc Domino primitus prælibavit.* Consimili ratione, si quis vestrum ad majorem Dei gloriam propagandam, pauperculum aluerit, aut bursas, ut vocant, aliquot salendis, aut alta pietatis opera fundarii, omnis profectus per mille annorum millia, qui inde emanat, totaliter cedit in illius salutem, qui sua intentione hoc Domino primitus delibavit.

a Suarez. tom. 4. de Relig. l. 8. c. 6. n. 1. b l. 4. c. 13. insinuat. div. piet.

§. 7.

Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem Vrentem. Psal. 103.

DIvus Gregorius, *c* Antistes Nazianzenus, cujus vitâ nihil sanctius, neque eloquentiâ clarius & illustrius, neq; fide purius, neque scientiâ plenius & perfectius inveniri potest orat. 34. sic ait: *Spiritus* d *atque* IGNIS, *Angelus appellatur: illud quia intellectili natura est præditus, hoc quia purgandis animis nostris adhibetur*

e Il fait des purs esprits ses messagers volans,
Ses ministres communs, ce sont foudres brulans.

Tales extitere, quos Ignatius à se, velut radios solares, velut ignem urentem, ministros suos misit per orbem terrarum: *f* vivens ad mille operarios non tantum in Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, sed etiam in orientalem, & occidentalem Indiam, Iaponiam, Brasiliam, Æthiopiam, Persiam, dispersos, innumeros mortales per se, suosque ad veram fidem, & pietatem gavisus est inflammare. quod econtra, adeo Melanchthonem morti vicinum afflixit, *g* ut audiens Iesuitas flumina, & maria transmittere, nec quemquam

c Ruffinus. d Gregor. Naz orat. 34. e Lorin in psal. 103. f Florimun. Remond. de ortu hæret. l. 5. c. 3. n. 4. Lancic. opusc. 18. cap. 2. g Florimon. cit.

fere

„ fere jam orbis Angulum esse, „ quo non penetrarint, & ubi „ non semen sanguine suo, non „ raro tinctum ac rubefactum reliquerint, ductis ex intimo corde suspiriis exclamarit: Ah! quid hoc esse dicam? *Video sane totum mundum brevi Iesuitis repletum iri.* Quid hic dicturus fuerat, si hodie videret? a *parvus fons crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus est.* Quam late hi Angeli Veloces per orbem, etiam suorum corporum flammis, incendia sparserunt? Nemo hic mihi luculenta veterum mille millibus hostiarum igne absumptis adferat holocausta. b *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale Zelus animarum.*

Da, inquit c Chrysostomus, unũ aliquem qui, virtutis studio sese quotidianis jejuniis, atque inediâ maceret, qui cubet in dura humo, nudo sub Iove, qui corpusculum flagris alterat, & laceret sua, qui sese omni afflictionum genere fatiget, obruat, & prope conficiat. Non erit par illius lucrum, atque est ejus, qui vel unicam animã divino amore inflammarit.

Da si voles alium, qui in se parcus, in pauperes effusus, & fere prodigus, omnia bona sua, facultates omnes in eos effuderit, nec ille secundus ei, qui ignea viscera charitatis effuderit, ad quærendũ servatori vel unicam animulam. Tantum scilicet apud illum est hujus pretium, tantæ æstimatio.

Plus dico sit qui Instar Thaumaturgi Montes transferat, qui solem cùm Iosue sistat, qui paludem cum Gregorio exsiccet, & si voles etiam maria, qui cum Elia ignes è cœlo evocet, & irata fulmina, modo pluvias, & faventes Euros, eritne ille æquandus ei, qui vel unicam animam ab inferni ignibus eductam cœlestibus flammis in æternum fecerit exardescere?

a Hugo Cardinalis: *Angeli sunt prædicatores*, (Viri Apostolici) *quos facit Dominus* IGNEM *urentem per zelum & fervorem prædicationis.* Nolim hic adferre ejusmodi e Prædicatores, Palmios, Gaglardos, Londinos, Aragosios, Barzeos, aliosque sexcentos, quorum e *velut ignis zelus* exarsit. Ioannes Ramirius *igne zeli sui* ad famosos Valentiæ mulieres verba faciens (triginta hujus farinæ eum audiebant) ex eo numero duas & viginti; una concione ad melioris vitæ institutum traduxit, Venereisque flammis extinctis, sanctioribus incendit. *f* De P. R. Antonio Madridio, Antistites ordinum querebantur, aut cessandum esse à fervido illo perorandi modo, aut septa Monasteriorum amplianda. Sed hos omnes libens prætereo, eos dumtaxat illustri spectaculo vobis ob oculos proponam, qui ex ipsis flammis perorarunt, & velut vasa electa, charitatis igne accensa, luculento triumpho barbaris luxere.

g IGNEUS *est ollis vigor & cœlestis origo.*

Audivimus, vidimus pœnè dixeram, Ignatii filios tranantes Iaponiæ frigora, superantes

a Esther. 10. b Greg hom 12. in Ezech. c Chrysost. hom. 39. in Gen. & hom. 25. in epist. 1. ad Corinth.

d Hugo Car. in P. 103. e Imago 1. sæculi p. 333 Exc. 36. f P. o. l. 1. c. 7 g Virg. 6. Æneid.

Afrorum Indicorumque littorum candentes arenas, demum aliquot horas lentis in ignibus stantes, viventes, orantes, perorantesque etiam ad circumfusam multitudinem Silverias, Chimuros, Camillos, Spinolas, aliosque complures *a* mihi quidem prodigii non minoris homines, quam visus aliquando fuerit legislator, illi ex divina olim consuetudine radiato, rubus ardens incombustus.

b Geminum non ita pridem occidens exemplum suspexit. Est in occidentali Americæ India ab æquinoctiali ora Brasiliæ in Australem orbis plagam, terræ tractus immanis, Vrvageum Incolæ vocant: Hanc in vastitatem, primi à Paraquaria progressi Patres Rochus Gonsales, & Alphonsus Rodriquez tantum profecerant inter barbaros, ut pluribus eorum hinc inde coactis in societatem hominum, vicos jam aliquot in inculto solo, & sacras in vicis ædiculas excitarent. His impeditos operibus vere Apostolicis, suasu nefario Nezu, nescio cujus impostoris, qui se Deum esse jactabat incitati barbari, adoriuntur incautos, mactant, raptant, lacerant Patrum corpora, ac demum in recens structam ædiculam comportant, eodem cum illâ incendio consumenda. At ingestis undique flammis, cum in cineres concidisset Sacelli tota moles, Patrum corpora integra & intacta penitus sunt reperta. Movit ea res barbaros, movit etiam magis P. Rochi Gonsalesii truncum corpus, ut erat sine capite, clavâ contuso disertè auditum, imo & distinctè visum est, plusquam quinquaginta barbaris (qui omnes id una voce deposuerunt coram quinque Religiosis testibus, nonnullis militibus Hispanis, Indisque quam plurimis) non jam ore, sed præcedentibus ex ipso corde vocibus, amoris certe plenissimis, compellare percussores suos: *cur me trucidatis, occidistis, hominem tam vobis benevolum? vestri tam amantem? quem huc in oras non aliud pertraxit quam cura salutis vestræ?* Verum, nec hoc tam illustri prodigio satis attoniti, nec tam longâ illa ardentissimi cordis oratione permoti, cor ipsum, cor inquam quod loquebatur, etiam tum amoris sui prodigium, furiosi evulsére visceribus, & flammis iterum dedere: sed igne majori, scilicet illud ardebat, quam ut consumi posset à tam exili: mansit enim vero, permansitque cum sacris corporibus integrum, quantumvis in illud tertio jam copiose comportata in flammas materia, luculentum ignem barbari excitarent. Vnam vobis ex hac ardentis cordis fornace favillam opto; quæ divino zelo animas vestras inflammet.

At dicet aliquis, qua ratione nos conjuges, Domicellæ, Moniales, intra religionis septa conclusæ, æmulari, ac sectari poterimus, viros Apostolicos in Indias, & cardines orbis terræ excurrendo, diserta ad populum oratione disserendo privatis ac publicis dissertationibus, & doctis ingenii monumentis, Deo animas lucrando? Responsioni serviet quid in hoc genere à Deo cœlesti

a Imago 1. sæcul. pag. 626. b Ibid.

cœlesti radio perstrictæ animæ fecerint, & excogitarint. *a* S. Theresia totis quadraginta annis orationi institit, & noctes etiam insomnes duxit, qua orando, qua flendo. & hoc ut vel unicum peccatum Seraphico suo igne expiaret, vel unicam cœlo redderet animulam, pro qua ut ajebat in æstu suo, vel *mille vitas* profudisset. Ita deinde fecit B. Maria Magdalena de Pazzis, maxime postquam ad illam à Dei Matre emissus est S. Ignatius, qui cum ei multa de humilitate dixisset, addidit ad extremum: *b quemadmodum verbum incarnatum constituit Apostolos piscatores hominum, ita constituit suas sponsas, ut faciant prædam animarum*. Ad quam divitem & opulentam prædam, vos omnes filias Deo sacratas, charitate ferventes constituit, ut votis, precibus, flagris, eleemosynis, in eum finem, catechismis, missionibus, peregrinis, pauperibus, Parochis sublevandis succurratis. Accendat Catharina Senensis, cui in excessu mentis objecta quondam animæ humanæ species, ac pulchritudo, qua capta, Confessario dicere solita, nullum esse aut tormenti aut mortis genus, quod non subiret homo, si modo vel unius animulæ decorem oculis fidelibus usurpasset. Cujus speciem aut venustatē, cum S. Ignatius intime perspexisset, quid ad Dei gloriam contulerit, vel unicum Xaverium in exteras illas regiones missitando, testatur *c* Bozius congregationis Oratorii doctissimus ac Religiosissimus Autor: *Universi hæretici ab Ecclesiæ constitutione per annos mille quingentos, & amplius, haud traduxere ad suas hæreses tot gentes, & idololatras, aut a Christi cultu alienas, quot unus Xaverius ad cultum Christi animas.*

Ad ejusmodi zelum summus ille animarum zelator Christus Iesus, sanctam filiam, eamque conclusam inflammavit. Habebat *d* Catharina de Rissi Religiosa ordinis S. Dominici in cella sua sacrum Christi è Cruce pendentis simulachrum, ad cujus pedes sese prosternere sæpius, orationes fundere, & affectus suos omnes effundere. Sed ô novum! ô mirum! ô inauditum prodigium! visum illud è cubiculo elabi medium per aëra, & Virgini tum forte ad cellam redeunti occurrere, & adjicere voces illas plenas amoris, & effusæ in genus humanum charitatis: *te rogo ô dilecta mihi sponsa, & tuas ipsa & filiarum tuarum preces impende*, ut & me & patrem æternum tot & tantis hominum sceleribus irritatum, & jam jam in ultionem propendentem, places; quod ut facias ter una cum sacro Religiosarum cœtu processionem institue. Hæc ubi vidit, audiitque Catharina, simulachro Christi è Cruce pendentis obviam processit, brachiis illud excepit, in cellam reportavit, ad illius pedes se abjecit, & odore quo cellula toto eo die imbui cæpta, recreavit, supplicationesque pro salute populi instituit. Habetis hic Auditores datum orbi prodigi-

a Didacus Iepes in vita l. 3. cap. 25.
b Puccius in vita 2. p. c. 12. c Bozius de signis Eccl. l. 6. cap 3.

d P. Ioan. de S. Maria de ordin. S. Dominic.

um

um charitatis, in quo legitis & intelligitis Christi votum, quod unum est, salus scil. & vita pereuntium animarum. Quod Christo, hoc vobis votum esse velim, ut supplicationibus, precibus, bonis operibus, viris Apostolicis ad animarum zelum, gratiam tanto, tamque præcellenti munere dignam petatis, & impetretis. Nam *a* ut solerter Lancicius, vir Spiritu Dei plenus observavit: sæpe Concionator, Confessarius, & is qui ad moribundos juvandos vocatur, putabit se fructum facere, & eum fortasse facit is, qui ejus socius est, ægrum per fervidas preces Deo commendans, vel Coquus qui pridiana concionis vespera, disciplinam, & flagella subiit, Deum precatus, ut aliquam per concionem anima converteretur. Quam multos concionatoribus sacris spirituales filios, Laici & Seculares, eleemosynis, aliisque subsidiis, viris Apostolicis subvenientes, suoque exemplo domesticis prælucentes, auferent, & sibi vindicabunt.

Alphonsus Rodriquez dum Ianitoris munus per annos circiter quadraginta perfecte obiret, piis colloquiis, & exemplari conversatione, ad quadringentos studiosos convertit. Servit hic Epistola Magistri Ioannis Avilæ, concionatoris eximii, & viri in Hispania sanctitatis opinione, & virtutibus heroicis celeberrimi, scripta ad duos Sacerdotes sæculares in Societatem ingressuros (qui erat P. Didacus Gusman, & B. Gaspar Loarte) qua suadet, ut de proximo juvando (quo ad talenta) non magnopere laborent, neve se inquietent, quod ministeriis huc tendentibus non applicentur, & eam rationem dat: *nam quidquid fit in Societate*, inquit, *etiam lances lavare, & tergere est animarum conversio; demum quoniam Religionis hujus finis est proximi animabus prodesse, & ab ejus conservatione & incremento magnum earum commodum, & bonum dependet, hinc quidquid ad hujus Societatis conservationem, & augmentum dirigitur, & ordinatur, esto id etiam vilissimum & abjectissimum sit, est animas convertere, & magna id ipsum consolatione obeundum est.*

Iosephus passim, pueri Iesu Pater nuncupabatur, & habebatur; cum tantum putatitius esset, & Christus filius fabri dicebatur; haud aliter quidam Patres spirituales sibi innumeros Deo filios, & filias adduxisse arbitrantur; at in die revelationis patebit, eos non nisi lachrimis, & precibus piæ viduæ, aut fratris Laici prognatos esse, juxta illud *b*: *donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.* Quæ prorsus videbatur sterilis, plurimos post se trahet filios: & econtra qui patres dicebantur nomine, multosque habere filios, videbatur; fortasse ne unum quidem proprium inveniet. Vnde concludo cum S. Chrysostomo: sunt *c* aliæ quoque hostiæ, vere holocausta, nimirum Martyrum corpora: illic enim & anima & corpus

a Lancic. opusc. 15. cap. 23.

b 1. Reg. 2. c Chrysost. epist. ad hab. hom. 11.

magnum

magnum habent odorem suaveolentiæ, potes tamen tu quoque si velis tale offerre sacrificium. Quid enim si igne corpus non combusserit, sed *potes alio* IGNE, *utpote* IGNE *paupertatis voluntariæ*; IGNE *etiam afflictionis. Non urat, neque detineat amor pecuniæ, sed uratur, & trucidetur nefaria cupiditas.* Ubi mihi satis est, fomitem ignitis verbi divini præconibus suscitasse, ac suppeditasse.

§. 8.

In dextera ejus ignea Lex. Deut. 8.

DE S. Genovefa Virgine *a* celebratur illud dignum ceris, quod illius digiti instar cerei lucere, ardereque viderentur: utique non alia luce, alioque igne quam cœlesti. De S. Filano, in Scotia Abbate, longe sanctissimo, jactatur & illud, quod densissimis in tenebris sinistra manus ad instar lucidissimæ facis, dexteræ scribenti præluceret.

Quod huic & illi, cœlo auspice datum, hoc prope dixerim Ignatio, cui scribenti regulam, præluxit divinus amor. Et certe quidni præluceret, cum non aliam quam amoris regulam scriberet, ut qui volet, vel obiter summarium percurrendo, colligere poterit, quia in *dextera ejus ignea lex*, quæ ut Hugo exponit, est IGNIS INFLAMMANS *in amorem Dei, & proximi.*

Beatæ Brigittæ apparuit aliquando ipsa Dei Mater, cujus hoc *b* effatum: *Benedictus composuit suam Regulam de Spiritu Dei, per quam multi perfecti sunt facti, sicut Benedictus.* Ecce magnæ Matris de D. Benedicti Regula sacrum, ac cœleste oraculum.

At quo Spiritu S. Ignatius suam Regulam composuit? hanc dum conciperet non modo Deiparam, legem hanc igneam approbantem sæpius conspexit sed ut ex Autographo Romano ipse descripsi inquit *c* Lancicius certo compertum, illi *apparuisse modo insolito Spiritum Sanctum in claritate, &* FLAMMA IGNEA, *& Christum Dominum in specie* SOLIS *lucidissimi.* Quid mirum *si in dextera ejus ignea Lex?* Unde mihi recte atque ordine fecisse visi sunt majores nostri, qui cum genuinam ejus effigiem repræsentare vellent, pro Symbolo Regularum codicem illi apposuerunt; si tamen argutari lubeat, quæram ex pictore, cur hoc potissimum symbolo eum expresserit, in quo singularia sunt omnia? poterat illi cor sagittis transfigere, aut flammis adurere: numquam non ardebat amore cœlesti, qui ex obvii floris, aut vermiculi consideratione, in admirationem rapiebatur Auctoris. Poterat illi in manum tradere Sacrosanctum illud nomen radiis illustre, quod suis gentilitium dederat, in ultimas usque terrarum oras deportandum poterat, ejus pedibus serpentem subjicere, cum quo crebra illi fuit in vita con-

a Bolland. 3. Ian. c 9.

b l. 3. reu. cap. 30. c Lancic. opusc. 17. cap. 3.

concertatio. Poterat hæresum exuvias in trophæum appendere, in illarum enim ruinam divinitus est destinatus. Poterat ejus lateri, aut Deiparam adjungere comitem, aut Christum æternam sapientiam præsidem: trigesies enim eoque amplius, aut Christus, aut beatissima ejus Mater hunc suum clientem amænissimo suo aspectu recreavit. Denique non inscite apposuisset Augustissimam Divinitatis unius Triadem, de qua ea vidit, & litteris consignavit, quæ summa ingenia merito suspiciant. Illustria sunt hæc in hoc viro summo, & singularem habent commendationem; si tamen virtutum quandam complexionem, & compendium exprimere velimus, nihil magis appositum fingi poterit, quam ut legum sacrarum codex, & hæc *ignea Lex* illi tribuatur, qua suorum animos in Dei, ac proximi amorem, atque omnis virtutis, ac perfectionis studium inflammari, eoque Spiritu urgere voluit, quem non nisi ab illo qui *ignem venit mittere in terras* accepit. Vnde quidam sinistre suspicantur, Ignatium aliquas Regulas nostras mutuasse ex Regulis aliarum *a* Religionū antiquiorum. Hoc enim est prorsus falsum, quia S. P. N. Ignatius nec ante scriptas constitutiones, nec dum eas scriberet, nec postea, legit regulas aliorum ordinum, imo nec eas in suo cubiculo aut bibliotheca habuit, sed solum novum testamentum, & Thomam à Kempis de imitatione Christi, & Missale, ut scribunt Orlandinus, & Ludovicus Gonsalvus in diario, & ego inquit Lancicius diligentissime indagavi à duobus olim Cubiculariis S. P. Ignatii, cum quibus Romæ aliquot annis vixi. Præterea totam Bibliothecam domus professæ à tempore S. Ignatii curiose lustravi sitam prope cubiculum S. Patris, & in ea nullum prorsus talem librum inveni, ex quo aliquam Regulam S. P. N. Ignatius mutuare posset. Sed ille Spiritus S qui aliis fundatoribus inspiravit Regulas, aliis ordinibus omnino dispares S. Ignatio cœlestis Magister inspiravit. Vt Lancicius facile quinquaginta rationibus commonstrat opusc. 17. cap. 7. n. 143. Quod priusquam prolixius prosequamur, juvat Magnum Gregorium audire qui & vobis legem igneam, id est, Evangelium, ac mandata Dei à Spiritu Sancto tradita ac observanda præscribit dicens, *b in Dextera Dei ignea lex est, quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt, sed adhuc amoris intimi facibus inardescunt.* Vnde & vobis illud præcepta Dei servantibus, fixum ac ratum sit quod Seraphicus Pater suis appromisit: *quicumque hanc regulam secuti sunt*, divinæ Prædestinationis illos securos asseverans.

At quæ prærogativa eorum qui ignem Ignatii legem, ac regulam amplexi sunt? verbo sic habeto: c *hoc est hominum Societatis Iesu privilegium, ut mortuum Iesuitam*

a Nigron. in Reg. com. Lancic. opusc. 17. cap. 3.

b Greg. hom. 30. in Evang. c Lancic. opusc. 1. c 19.

obvius

obvius Iesus excipiat. Ita S. Theresia (ille ductus à Carmelo fons, & origo defæcatissimæ Sanctitatis) hæc inquam Virgo degebat Cordubæ, eratque à Sanctissimi Sacramenti communione in cœlum, & in Deum mente suspensa, qua in speculatione dum consistit, ecce tibi è purgantibus flammis animæ, quæ magno numero, & gratulatione festiva ferebantur, & recipiebantur, in cœlum. Ducebat reliquas una formosior, quam præ omnibus Iesus Christus inter Angelicarum mentium ordines factus obviam suo dignabatur amplexu. Hærebat Theresia hinc suavissimo recreata spectaculo, inde non satis intellecto prodigio consternata, audet igitur interpellare animam de posterioribus unam, & petere quænam ipsæ forent, ac præsertim quæ ipsarum Dux illa tam accepta Deo? cui breviter illa: ***Dux noster est è Societate Iesu frater unus: nos duci gratulamur cujus virtuti ac precibus debemus, quod hodie liberemur. De omnipotentis adventu nil mirum, nil novum, scilicet hoc est hominum Societatis Iesu privilegium, ut mortuum Iesuitam, obvius Iesus excipiat.*** Obierat videlicet eo ipso puncto temporis quidam coadjutor, Cordubensis Ecclesiæ *a* nostræ æditus, qui annis 30. hoc perfunctus officio, ut erat sui observator, ac pietatis religiosæ sectator egregius, quadraginta amplius Virgines devotas distinguebat omnes audita voce, sed nullam penitus earundem de facie noverat. O fortunatam Iesu Societatem, quæ adscriptos sibi socios æternæ felicitati vel invenit, vel facit. De quo quidem singulari ejus privilegio quo minus dubites, facit B. Borgiæ irrefragabile testimonium: Franciscum Borgiam orantem deprehenderat Marcus viri Socius, & (quod rarius animadverterat) manantibus ex singulari lætitia lachrimis, large perfusum. rogat ergo causam ut promat tanti solatii, & cum urgendi instantia non faceret finem, ita demum ex Francisco intelligit: ***Scito Marce frater*** (hæc ipsa verba Borgiæ sunt cum fide transcripta) ***Deum impense amare Societatem, eique concessisse beneficium, quod olim ordini S. Benedicti, nimirum ut trecentis primis annis, nemo qui in ea ad mortem usque perseveraverit, damnetur.*** Quod ipsum alterius religiosissimi viri testatam morte sententiam alibi invenies, qui cum commonstrante Domino in eo puncto temporis, advocato ad se Barcinonensis Proregis confessario P. Matresio è Societate, gratulabundus ei dixit: felicem te ô Pater, cui contigit socium esse ejus ordinis, in quo quicumque decedit, vita fruitur sempiterna. Hæc mihi jam nunc Deus ostendit, hæc palam omnibus nuntiare mandavit. Hærebat hic noster admiratione defixus, cumque tam singulare visum prohibente verecundia non auderet admittere, & parem minimum felicitatem datam auguraretur, ipsius ægri instituto, quod erat rigidissimæ etiam tum & incorruptissimæ disciplinæ, ad

a Imago 1. sæcul. pag. 650.

addidit ægrotus, dixitque cum gemitu, servari quidem è suo ordine quam plurimos, sed non omnes, ipsius autem Societatis omnes omnino, ac singulos in ea si constiterint, esse servandos. Quod & visio S. Theresiæ, Patris Alvares, ac manifesta illa P. Guittierez, qui Societatem universam chlamyde benignissimæ Matris involutam vidit, commonstrat. Qui vero à Deo, aut Deipara Societatem ingredi divinitus admoniti sunt, vide apud Lancicium opusc. 1. c. 19.

FESTUM

FESTUM SANCTI LAURENTII LEVITÆ MARTYRIS

Probavit me quasi AURUM, *quod per* IGNEM *transit*. Iob. 23.



Spectatur in ignibus aurum. Ovid.

ARGUMENTUM.

IGnis qui omnia depascitur, consumit, & in favillas, ac cineres redigit, aurum princeps metallum adeo non absumit, ac deperdit, ut omni scoriâ expurgatum, longe quam fuerat purius ac præstantius reddat. Quod in se

ſe glorioſiſſimus Martyr Laurentius comprobavit, quem dum lentis ignibus, velut aurum in fornace probari conſpicio, & *a*Pompei exuſtos digitos, & Scævolæ immiſſam ignibus manum deſpicio; quos Laurentius præ his laurea longe digniſſimus, totque teneellæ Virgines triumpharunt. Quod ſi non is vobis animus, nec tantum robur pectoris, ut ardentes craticulas, ac ſartagines ſuſtinere valeatis, unum rogo, ſi omni peccatorum ſcoria, & vanitatis fuligine expiari velitis, patienter vos in fornace paupertatis, humilitatis, tribulationis probari, & excoqui ſinatis. Summus ille rerum omnium Artifex Deus, Aurificis hic libens partes agit; b *ſedet ille quaſi conflans, ut excoquat ad purum ſcoriam, & auferat omne ſtannum.* Hoc autem fit, dum vel longis ardentis febris caloribus, aut aliis urentis, & omnia conſumentis fortunæ caſibus, conſtanter exercemur, ac expurgamur. Nam, ut veriſſime Auguſtinus in Pſalm. 61. *Venit tribulatio mea, veniet & purgatio mea; numquid lucet* AURUM *in fornace Artificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit, patiatur tamen fornacem, ut purgatum à ſordibus veniat in lucem*; ne ignis, qui cujuſque opus probabit, non lignum & ſtipulas, ſed aurum mundum nos inveniat.

§. I. *Tanquam* AURUM IN FORNACE *probavit illos.* Sap. 3.

§. II. *Igne tribulationis quævis peccati ſcoria expurgatur, juxta illud Pſal. 6.* IGNE *me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.*

§. III. *Vniuſcujuſq; opus, quale ſit,* IGNIS *probabit.* 1 Cor. 3.

a Val. Max. l. 3. c. 3. b Malach. 3. Iſa. 1.

FESTUM S. LAURENTI

Probavit me quaſi AURUM, *quod per ignem tranſit.* Iob. 23.

OMnium ſeculis jactatum, omniumque literis, ac monumentis celebratum facinus Q. Mutii Scævolæ, de quo Livius Romanæ conditor hiſtoriæ: c *En tibi, inquit, Mutius, ut ſentias quam vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam petunt, dexteramque accenſo ad ſacrificium foculo injicit; quam cum*

c Livius l. 1. Dec. 1.

velut

velut alienato à sensu animo torreret; prope attonitus miraculo Rex (Hetruriæ Porsena) cum à sede sua prosiluisset, amoverique ab altaribus juvenem jussisset: tu vero abi, inquit, in te magis, quam in me hostilia ausus: juberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Salve Muti Heroum sanguis, Regum terror, Columen patriæ, cujus dextra labantem urbem sustentavit, Hetruriam Vincentem superavit, quæ plus ferendo potuit, quam aliorum feriendo, ut magnificè Seneca: a *Ego dubitem quin magis laudem truncam illam, & retorridam manum Mutij, quam cujuslibet fortissimi salvam stetit hostium, flammarumque contemptor, & manum suam in foculo distillantem perspectarit, donec Porsena gloriæ inviderit, & ignem invito eripi jussit*, sinistram etiam injecturus, nisi ignis subtractus fuisset: b

Quod nisi rapta foret nolenti pæna, parabat
Sævior in laxos ire sinistra focos.

Hoc facto, Mutius sibi immortalitatis famam c comparavit. *Etenim urbi secum æternæ gloriæ cognomine Scævolam reduxit*; quo dicto ignoratur nemini.

Manum hanc, cantantes sublime ferunt ad sidera vates.

Mart. l. 1. Epig. 21. *Fama est & gloria dextra*

& l. 8. Ep. 30. *Aspicis ut teneat flammas pœnaque fruatur*
Fortis, & attonito Regnet in igne manus.
Ipse sui spectator adest, & nobile dextræ
Funus amat: totis pascitur illa sacris.

a Seneca epist. 66. b Martinl. c.8. Epig. 30. c Valer. Max. l. 3. c. 3.

Mitto Virgilium, Silium, aliosque apud a Raderum: sed & suos etiam Mutios, suos Scævolas, Christiana habet Resp. S. Barlaamum Martyrem divina suâ eloquentia Basilius, & Chrysostomus d ab eo commendat, quod manum supinam thure plenam, foculo aræ imposito vi immissam, nunquam inverterit: ne decidente in prunas thure sacrificasse videretur. Nec minus disertus Seleuciensis Antistes, e qui illum Scævola multo generosiorem deprædicat, quod etiam inter ustulatæ manus Cruciatus, suavissime concinuit illas Prophetæ voces usurpando: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. O manum igne contentiosiorem! O manum quæ ab igne fieri non didicit! O ignem vinci à manu doctum! quomodo te, ô generose Christi Miles, alloquar? statuam vocabo? plurimum constantiam tuam imminui: nam ignis susceptam emollit; tuam vero dexteram, ut moveretur solum, non persuasit. Ferrum eam nominabo?* & hanc *similitudinem. Fortitudine tua reperio inferiorem; tu enim solus persuasisti flammæ, ut manum non domuerit.*

Exclamat hic omni Tullio facundior f Tertullianus.

Mutius dexteram suam libens in ara reliquit, ô sublimitas animi. & ad Martyres: *Mutius manum suam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet*, idem ego potiori jure de invictissimo pugile nostro Barlaamo deprædicabo: *dexteram suam libens in ara reliquit,*

d Chrys. orat. de S. Barlaamo. M. e Basilius. conc. de Barlaamo M. f Tertull. in apolog. c. 50.

ô sublimi-

ó sublimitas animi ! Procopius quoque, suo sanguine purpuratus thleta, Mutio illo longe superior, thus manu accipere, illudque subjectis prunis ardentibus sustinere jussus, Tyranni vim, & dolum elusit: manum quippe (quam Tornaci in æde Societatis osculatus sum, a & *quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum*) immotam lento igne aduri passus, ne qua maledicentiæ daretur occasio: ac ne vox, ne animus deesse videretur, interea dum arderet, stillaretque manus, accinebat illud Davidis: *b tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* In quo etiam Scævolam superavit, quod inter tormenta canere auditus est.

Verum enim vero quod ego istis immoror, quid manum vstam deprædico? *quot ex nostris*, inquit *c* Minutius, *non dextram solum, sed & totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præsertim haberent in sua potestate?*

Plures & fortiores Mutio; habet Heroes Ecclesia: unius Laurentii ut ceteros, ceterasque taceam, *d* constantia, vicit longe Pompei apud Gentium Regem exustum digitum, & Scævolæ manum, quando ille lento cratium, igniumque tormento, totum corpus ustulatus, crematusque, victor ignis, naturæ & Imperatoris triumphum egit.

Porsena Rex quantumvis ferus & ferreus ad conspectum manus ustulantis emollitus est:

> e *Urere quam potuit contempto Mutius igne,*
> *Hanc spectare manum Porsena non poterat.*

Ast omni ferro durior Valeriani Tyranni animus, dum omnibus artibus, toto corpore laceris, candentibus cratibus superpositus Laurentius est, non expalluit; Iactet Antiquitas ipsos superos, ac Deos immortales, nullum gratius heroicæ fortitudinis, ac priscæ religionis spactaculum oculis adspexisse, quam Mutius in manu dederit: ut ille ait, f *nullum profecto Dii immortales, admotum aris cultum attentioribus oculis viderunt*; Verum quod hodierna luce Laurentius suæ dedit Christianæ fortitudinis argumentum, hoc orbem universum, superos plaudentes, inferos trementes, Deum ipsum habuit spectatorem, ut non iniuria S. Leo *g* de hoc gloriosissimo Athleta: *ita per universum Mundum clarificans gloriam suam, ut à solis ortu, usque ad occasum, Leviticorum luminum corruscante fulgore, quam clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris foret Roma Laurentio.* Qui splendor omnis ab igne, quo invicta illius magnæ animæ virtus comprobata est, clarissime enituit.

a Mart. l. 8. ep. 30. b Ps. 72. v. 24 c Minutius in Octavio, n. 68. d Valer. Max. l. 3. c. 3.

e Marti. l. 1. epig. 21. f Valer. Max. l. 3. c. 3. g S. Leo ser. de S. Laurent.

§. I.

Tanquam AURUM IN FORNACE *probavit illos.* Sap. 3.

AVrum, metallum est princeps, dives terræ partus, nulli non charum, & expetitum; & tamen ignes, ac flammas ambit; amatque dissolvi totum, ac liquescere, vel eo tantum, ut probetur magis, & ab adulterino secernas. Sic & omnis justus, si modo noverit se tribulationis igne, cælo, superisque probari, atque exerceri, in eum veniet non modo non invitus, sed & lubens, volensque in fornacem involabit satis memor, quam sapienter sapiens: a *tanquam aurum in fornace probavit illos.*

Nemo vere probus habetur, nisi sicut aurum probatus sit. Tertullianus, obviâ, & quotidianâ similitudine utitur: non tibi sufficit, dum scuta, aurea recepturus es, quod fulvo colore fulgeant, justè ponderent, apte tinniant; non acquiescis nisi Lydio lapide explorentur: atque ut certius procedas, nisi igne probaveris: haud aliter, frustra quis prætidat de virtute, ac probitate; ex eo, quod Castimoniæ, aut parcimoniæ fulgorem præse ferat, in tractandis negotiis, & causis civilibus jus, & æquum servet, in sinum pauperis profusi tinniant nummi, tentandus & probandus es in fornace tribulationis: *igne*, inquit S. b Bonaventura, *omne metallum probatur, nec unquam melius denarius falsus probatur*, *sive cognoscitur, quam si in igne probatur.* Huc spectat illud c Ecclesiastici 2. *in fornace probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles, in camino humiliationis.* Expendit d Hugo Cardinalis verbum illud *receptibile*, & dicit, *id est, qui digni sunt ut recipiantur.* Sic triticum receptibile, aurum receptibile, pecuniam receptibilem dicimus, quæ probata est. Scire cupis quinam cælo receptibiles? qui probati tribulationibus, ut aurum in fornace. Hoc est quod Salomon ait: e *quoniam probavit eos, & invenit illos dignos se.*

Plurima in hanc rem, è sacris paginis nobis suppetunt testimonia Gen. 22. v. 1. *tentavit Deus Abraham*, non ad malum. f *Deus enim intentator malorum est*; sed ut præcellens ejus fides, & obedientia, notior atque illustrior existeret. Vnde g Augustinus: *Tentatur Abraham de immolando dilectissimo filio suo Isaac, ut pia ejus obedientia probaretur, sæculis in notitiam proferenda, non Deo. Et plerumque aliter animus humanus sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas sibi non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante respondeant.* Quo sensu S. Hilarius exponit illud Gen. 22. v. 12. *nunc cognovi quod timeas Deum.* Vbi non nihil hallucinantur interpretes, quasi animus Abrahami non sit Deo satis perspectus. Cui dubio sic occurrit h Pictaviensis Antistes: *non ignorabat utique Abrahæ fidem; quam illi de generando Isaac credenti, ad justitiam deputaverat,*

a Sap. 3. b Bonav. serm 1. de S. Laurent.

c Eccl. 2. 5. d Hugo Car. in Eccl. c. 2. e Sap. 3. f Iac. 1. g Aug. l. 16 de civ. c. 32. V Pererium in Gen. 21. v. 1. h S. Hilarius in P. 1.

taverat; *ſed qui magnum timoris ſui dederat, filium afferendo, documentum, nunc cognoſcitur, nunc probatur, nunc dignus eſt, qui non ignoretur.* Conſimili ratione Deus etiamnum Matres, & Patres familias *tentat*, id eſt *proprie*, ut ait *a* S. Thomas, *experimentum ſumit*, dum filium, aut filiam, ſpem familiæ, ſenectutis fulcrum, animi delicium, prolem unicam, mortis falce ſibi jubet immolari: tunc primum qui antea probi, pij, divinæ voluntati in omnibus conformes habebantur, in fletus immoderatos, in lamenta incondita, in querelas Deo, & SS. injurias profuſi, ſibi, aliiſque innoteſcunt; veriſſime Aug. *b* *Neſcit ſe homo, niſi in tentatione diſcat ſe: cum autem didicerit ſe, non negligat ſe. Quid ergo dicimus fratres? etſi ſciebat ſe Abraham, nos non noveramus Abraham: aut ſibi, aut certe nobis prodendus erat. Sibi ut ſciret unde gratias ageret; nobis, ut ſciremus quid à Domino deprecaremur, vel quid in homine imitaremur.* Abrahami fides tentata eſt, & omni auro præſtantior inventa eſt. Hoc olim ſuis Neophytis, nobiſque, primus Chriſti Vicarius inculcavit, *c* dicens: *in quo exultabitis modicum nunc, ſi oportet contriſtari, in variis tentationibus: ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior* AURO QUOD PER IGNEM *probatur, inveniatur in laudem &c.* Vtinam veſtrum omnium fides, dum per ignem probatur, ejuſmodi inveniatur! utinam ô conjuges, *fides veſtra*, quam turpis quandoque adulter probat, quam domeſtica difficultas, aut penuria probat, *multo pretioſior auro inveniatur!* utinam ô Mercatores, Iuris periti, Iudices *fides veſtra*, quam ingens lucrum, propinquorum amor, potentum commendatio, divitum munera probant, & tentant, *multo pretioſior auro inveniatur.*

Vtinam, ô Servi & Ancillæ, *fides veſtra*, quam nummus hinc inde relictus, penuaria aperta, ſecreta commiſſa, probant, *multo pretioſior auro inveniatur.*

Vtinam O Religioſi, ac Religioſæ, *fides veſtra*, qua Deo diſponſi eſtis, variis diaboli tentationibus, carnis ſtimulis, mundi illecebris tentata, *multo pretioſior auro inveniatur.*

Vtinam denique omnium noſtrûm fides divina qua ſub uno capite in Eccleſia congregati ſumus, nullis bellorum tempeſtatibus, hoſtium incurſionibus, opum, officiorumque privationibus, Hæreticorum perſuaſionibus labefactetur; ſed in omni patientia, *probatio veſtræ fidei, multo pretioſior auro inveniatur.* Etenim *ipſa fides*, ut diviniſſime hic S. *d* Thom. *per tribulationes probata, vel ipſa patientia probans, multo* PRETIOSIOR AURO QUOD PER IGNEM PROBATUR, *ut plus placeat Deo ſummo artifici fides veſtra, quam alicui artifici aurum materiale.*

Poſſem hic numeroſiſſimos purpuratorum Martyrum exercitus inducere, quorum fides lento igne, *ſuppliciorum omnium extremo* tentata, *e multo pretioſior auro* inventa eſt, ſed unus inviĉtiſſimus doctor omnium Laurentius ſufficiet ad nos animandos,

a S. Thom. 12. q. 92. a. 1. *b* Aug. ſerm. 72. de temp. *c* 1. Petri, 1. v. 7.

d S Thom. in 1. Petri 1. v. 7. *e* Cyrillus l. 6. c. 12.

dos : *Non* a *enim B. Laurentius brevi , vel simplici Passione perimitur : nam qui gladio* percutitur , semel *moritur : qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur, hic autem longa, & multiplici pœna cruciatur, ut mors ei* adsit *ad supplicium,& desit ad finem. Dicitur enim ab illo sævissimo persecutore , hac in Laurentio constituta pœna, ut ardentium expositæ massæ carbonum , insuper eum ferrea crate distentum, lenta flamma consumeret, ut non tam inflammando cito interimeret hominem , quam diu exurendo torqueret;ita ut cum unum latus exustum persecutor cerneret,aliud latus ignibus obijceret exurendum.*

Quid ad hæc vos segnes,& imbelles animæ,quæ ad cerei flammulam , ad levem ignis præstricturam colliquescitis , minimæ febriculæ calore conciditis; Non est quod luculentum Laurentij incendium , exemplum sine exemplo occlametis:habuit & nostra ætas Laurentio æmulum,te, inquam,Carolum Spinolam. Da veniam,magne Athleta,si minus splendoris,ab hac vocemea acceperis, qvam à flammis tuis tunc es consecutus.Quadriennio pœne toto miserrimam in carcere vitam duxerat Carolus,è quo ad feralem pyram admovetur palo,& crudeli misericordiâ ligatur remissius ; ad sex cubitos flammæ corpori dimoventur , ut sensim torreri posset,mansitque ad duas horas medij vivus in flammis. Huic tam illustri spectaculo præter barbaros, triginta amplius Christianorum millia memorant interfuisse.Spectavit quoque heterodoxæ fidei Hollandus , qui inde redux super mensam Principis HenriciNassovij rei seriem narravit , & avide hæc quibusdam auscultantibus hæreseosMinistris,suam ipsis socordiam exprobrando, dixit se Iesuitam vidisse ad duas horas lento igne vivum comburi; cui Princeps subjunxit:video hic in mensa(& aderant varij Ministelli, & inter ceteros,Andreas Rivetus, Pædagogus filij Principis) quibus vel uno stramineo fasce admoto , ad quamvis fidem & sectam facile perducendi essent. O magnum gentis Spinolæ ornamentum! Tu quo tempore Ambrosius Europam illustrabatVictoriis,eodēIaponiam, Indiamq; decorasti triumphis.Verissime *b* Augustinus: *Martyres , Scævolas , & Curtios , & Decios non sibi inferenda pœnas, sed illatas ferendo, & virtute vera superarunt.* Sed quid ego hæc de viro, & tali,quid eum *cum Mutio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo? pueri,ac mulierculæ nostræ,Cruces & tormenta,feras,& omnes suppliciorum terriculas,inspirata patientia doloris illudunt.*Prę his potius,ac potentius celebranda S.Eulalia,cui cum ardentes tædæ ac funalia,jussu Daciani , toto corpore admoverentur,sic alloquebatur Tyrannum: *jam* c *assum est corpus meū; vires tamen mihi minime deficiunt.jube vt aspergar sale , ut cælesti sponso cibus sapidus sim.* S. Christina , Christo nupta ; tota in flammas abitura , Laceræ carnis fru-

a S. Aug. serm. 1. de S. Laurent.

b. August. lib. 5. de civit. cap. 14. Minutius in Octavio n. 66. c Granatens. Catech. c. 19. prudent.

stum in parrem projecit: a *Satiare, inquit, miser, carnibus quas genuisti, filiam comedere potes, ut impietati tuæ consentiat, facere non potes*, ejusmodi innumeras teneras Virgines in exemplum enarrare possem, & dicere: *tu non potes quod isti & istæ* sed hoc non ago, longe mitiore calore, benigniori igne, rariori flamma probari potestis? igne tribulationis, fornace paupertatis, flammâ tentationis probandi estis; nec permittet vos tentari, ultra id quod potestis; sed *faciet etiam cum tentatione proventum*; quare noli timere, (inquit *b* Augustinus in Psal. 61. *permissum aliquid facere tentationem, habes enim misericordissimum Salvatorem.* Tantum permittit ille tentari, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas, à teipso inveniaris. Gravis olim agitabatur controversia, num Iobus timeat, diligatque Deum? timeri, & diligi Deum à Iobo asseverans Angelus: *Vir ille, inquit simplex, c & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* At contra Diabolus, Deum a Jobo non timeri contendebat, & vere amari non credebat; sed omnem illam probitatem, esse superficiariam: Hussæum Principem esse domum foris venustam & incrustatam, intus ruinosam: istum esse panem avenaceum, sed triticea crusta obductum, vaginam auream, sed Machæram plumbeam: hominem bracteatum, non aureum. Hæc igitur erat quæstio; num Iobus ex asse probus sit, an non? an purum putum sit aurum, an adulterinum? quod ut orbi constet universo, Sathan, quem Deus appellat per *d* Isaiam *fabrum sufflantem in igne prunas*, solidissime illum tentavit, atque adeo exagitavit, ut ipse de se fateatur: *probavit e me* QUASI AURUM QUOD PER IGNEM TRANSIT. Omnes vires tartareus hic faber exeruit, totos vermium exercitus in unum Iobum eduxit, facultates omnes eripuit, ipsam conjugem adversus miserrimum concitavit; septennio toto doloribus assiduis, maximis ærumnosissimum excruciavit: hoc unum agens quod Deus jusserat, ne penitus occideret; ceterum suppliciis omnibus, dies noctesque acerrime, idque modis omnibus impugnavit: *probavit* QUASI AURUM QUOD PER IGNEM *transit.* Adeo ut de illo præclare *f* Orator aureus: *Martyrij tempus nunquam abest: neque enim in ligno pendere* (vel in rogo ardere) *Martyrem facit: nam si ita res haberet, coronarum hujusmodi Iob expers esset: neque enim ad tribunal adductus est, nec carnificem vidit, non è ligno pendens sublimis, excarnificatus est; & tamen multis Martyribus acerbiora passus est: nam per omnia Rerum genera, tum luctabatur, tum palmam obtinebat; nimirum per opes, per liberos, per uxorem, per corpus, per uxorem, per Amicos, per hostes, per servos, (nam hi quoque in os ejus inspuebant) per famem, per insomnia, per dolores, per fœtores. Ob eamque causam à me dictum, eum non uni, sed sexcentis Martyribus æquandum esse.*

a Surius 24. Iulij. b Aug. in Psal. 61. c Iob. c. 1. v. 1.

d Isa. 45. v. 16 e Iob. 23 v. 10. f Chrysost. hom. 1. in 2. ad Corinth.

Ecquis,

Ecquis, non dico mortalium, sed vel Cacodæmonum non fateatur, Iobum adeo probatum, aurum purum, excoctum, obryssum, a *purgatum septuplum* æstimandum? Hic demum orbi patuit, à Jobo Deum timeri, & amari: Hic Iobi constantia, patientia, modestia, virtus omnis enituit, ut ille cecinit. *b*

Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus:
Apparet virtus, arguiturq; malis.

Sic fortitudo Iacob, sic pudicitia Susannæ, sic fiducia Tobiæ, probata eluxit, de quo testimonium exstat Angelicum: c *quia acceptus erat Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Christianè gentilis Seneca d: *Magnus es vir: sed unde scio? miserum te judico, quod nunquam fuisti miser, transiisti sine adversario vitam: nemo sciet quid potueris, ne tu quidem ipse. opus est enim ad notitiam sui, experimento: quid quisque posset, nisi tentando, non didicit.*

Tum ad mores liquidissime velificatur: *Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Vnde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? Vnde possum scire, quantum adversus ignominiam, & infamiam, odiumque populare, constantiæ habeas, si inter plausus senescis? Vnde scio, quam æquo animo laturus sis orbitatem, si quoscunque sustulisti, vides?*

Hæc indies verissima experimur, certissima comprobamus: est qui sibi blandissime persuadeat, Deum à se amari super omnia, hoc noctes & dies ingeminat: *sed ad notitiam sui experimento opus est:* è reculis, aut pecuniolis aliquid deperditur, furto subripitur, è liberis charior, à Deo ad Religionem vocatur, hic hominem vide, quam perturbetur, quam manibus & pedibus resistat, qui malit Deum, quam res suas, quam liberos suos perdere. Est vir Magnus, doctus, & disertus; Ecclesiastes, qui sibi alijsque videtur humilis, modestus, alienus ab omni fastu: tenta illum vel levissime: auctoritatem illius, & existimationem, vel pauxillum tange; quod minus ad rem, non satis connexum, impropriè ab eo prolatum, oculi pupillam tetigisti, non fert, totus excandescit, e *tange montes, & fumigabunt.* Aut econtra, eloquentiam lauda, materiam extolle, auditorium deprædica, conceptus admirare, & attende: si non inani gloria titilletur, fastu inficetur; nam juxta sacrum Salomonis proverbium: *quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace* AURUM, *sic probatur homo, ore laudantis* Prov. 27.

Est qui pudicus sibi videatur, & castis moribus: O Samson! animam tuam ad tentationem præpara, repentinum & petulans mulierculæ consortium, improvisa Dalilæ alicujus blandimenta, miserum sternunt, & casu ipso, se fragilem agnoscit.

Est qui tractabilem se, ac mitem credat; sed iste sua opinione tam mitis homo & mansuetus, vix oculo stringitur obliquo, vix sauciatur verbulo,

a Psal. 11. v. 7. b Ovid. l. 3. trist. eleg. 3. c Tobiæ. 12. v. 12. & c. 2. v. 12 d Sen. l. de provid. c. 4.

e Psal. 143.

vix tangitur digito, mox furit, dentes acuit, pugnumque facit, involaturus etiam si possit adversarium atque ita de ceteris: quisque cogitur fateri, non putassem me furem, tentatio me mihi patefecit. Alius, non putassem ab Asmodæo, libidinis Diabolo me vincendum, tentatio me mihi prodidit. Alius, non putassem tam multum in me fellis delitescere, Columbam, & Oviculam me censui; tentatio me mihi, qualis sim, ostendit. Vidisti subinde unum aliquem qui extrinsecus, colore vivido, ac rubicundo sanus apparet, & firmus: explora pulsum, & intrinsecus infirmus, ac debilis innotescet; quod non facit ipse venæ pulsus, & micatio arteriæ; sed tantum prodit, ut expertissimus iste animæ Doctor Augustinus *a*: *accedit tentatio, tangitur vena, & proditur febris.* Quod in corpore, hoc & in animo. Spectabis quandoque virum, & id is tibi videbitur à Dei gratia (quæ animæ vita est) à charitate, aliisque virtutibus (quæ sanitas sunt) videbitur inquam ab illis bene habere; at oculis illudit improbe, quamdiu res in voto fluunt; tenta pulsum, feri, grava, opprime aliquo afflictionum pondere, & agnoscetur æger, ac Deo suo inimicus, qui sanus putabatur, & superis charus: quod non fecit tribulatio, sed aperuit. *Cito*, inquit b Augustinus, *in una tentatione offendit Deum homo, & fit inimicus: imo non tunc fit inimicus, sed proditur inimicus fuisse; nam quando diligebat & laudabat, inimicus erat; sed nec ipse sciebat, nec alii. Accedit tentatio, tangitur vena, & proditur febris.*

Verum ne longius à fornace, & igne recedamus, quid Syracides *c* hac super re edisserat, audiamus: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Non secus ac vas testaceum, inquit noster Velasques, *d* quod si integrum sit excoquitur, & solidatur; si improbum, fluidum, calore concrepat, & frangitur; atq; ideo homines, si probi, si solidi, depurari ac roborari; si vero improbi, infideles, deteriorari, & frangi. Quo sensu *e* Hipponensis Antistes ad illud Psal. 65. vers. 10. *Igne nos examinasti*; Sic ait: *Vas quod in IGNE formatum est, aquam non timet; si autem solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua solvetur.* Unde ex Græco fonte ibi legas: *Vasa figuli exercet fornax.* Quis porro modum, aut tempus figulo statuat, quo calore, quo igne, quanto tempore, vasa coquenda, aut expurganda sunt? S. Ephrem. serm. de patientia: *Si figulus vasa efformans, novit quanto ea tempore in igne relinqui oporteat, ne si diutius relinquantur, adurantur, si minus dissolvantur, nec usui esse possint: quanto magis Deus, cujus est infinita sapientia, novit quibus tentationibus, aut probationibus indigeant animæ, ipsi placere volentes: neque majores permittet, quam ipsarum utilitati*

a Aug. serm. 40. 15. ex 40. b Aug. cit.

c Eccl. 27. d Velasques in Philippen. c I. v. 22. pag. 344. e Aug. in Psal. 56. v. 10.

condu-

conducat, & vires permittant juxta illud *a* Apostoli: *fidelis Deus qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum.* Est qui queratur, se totos menses, annos complures, blasphemiæ, incredulitatis, libidinis tentationibus divexari, & velut in fornace excoqui, & æstuare. Noverit hic, Deum cujus est infinita sapientia, præ ceteris Catharinam Senensem sic probasse, eamque nunquam ardentius in divinos amores, ipso Christo teste, exæstuasse, quam dum igneis hisce Cacodæmonis telis se impeti sensit. Et qui quodammodo cum Deo expostulet, nullum se diem, aut horam, firma valetudine usum fuisse, jam sexennio, septennio assiduis morbis, doloribus, in se, suisque conflictatum; expendat ille aureum *b* Ephremi pronuntiatum: *novit figulus, quanto tempore vasa in igne relinqui oporteat.* Alius videt, & invidet, indignos extolli, se supprimi, despici; hoc illi solatio sit, quod sicut aurum in fornace, ita in *camino* c *humiliationis* probetur. Sunt & alii plerique, qui per omnem prope vitam, cum extrema paupertate luctantur; *d* At quàm diu *in camino paupertatis* excoquentur? donec omnem scoriam gulæ, temulentiæ, luxuriæ expurgarint. Quidquid denique obvenerit, constanter perfer, & obdura, teque vas aureum exhibeto. Ita ab igne tribulationis purior, ac pretiosior eximêris: nam, ut Ambrosius *e* ait, *persecutio fornax est ex terrea fragilibus aurea perseverantibus.* Quam constantiam, & in fornace hac patientiam Divus *f* Thomas, supra omne aurum appretiando, illa verba Apostoli: *Patientia multo pretiosior* AURO, QUOD PER IGNEM PROBATUR, Sic diducit: *Patientia* AURO *comparatur, quia sicut in metallis, aliquid auro pretiosius non est, ita hæc apud Deum, omnium laude, dignissima.*

a 1. Cor. 10. v. 13. b S. Ephrem. cit. c Eccl. 2. v. 5. d Isa 48. v. 10 e Amb. in Ps. 118. S. f. 20.

f S. Thom. in 1. Petri 4. v. 7 g Cassiod. in Psal. 16.

§. 2.

Igne tribulationis, quævis peccati scoria expurgatur juxta illud Psalm. 6. IGNE ME EXAMINASTI ET INVENTA IN ME INIQVITAS.

CAssiodorus *g* in hunc locum ait, metaphora introducitur fornacium, igne flagrantium, quæ metallorum vitia solent „ purgare, ac decoctione consu- „ mere, & in naturæ puritatem „ data revocare. Vt simili modo „ scoriam deponat homo, & quas „ seu à mundo, seu à carne con- „ traxit feces. Mirabiliter Magnificatus ille Israelitici populi Rex David; multum fuliginis multum adulterio multum rubiginis, multum scoriæ, ex sanguine, & homicidio Vriæ, ex inani gloria, & arrogantia potentissimi exercitus sui.

Porro quam dire, quam dure, in igne tribulationis expiatus sit, sacræ paginæ satis loquuntur; filiolus prædilectus illi eripitur, pro quo septenos dies & noctes, humi *a* prostratus *jejunavit, & flevit.*

Ceteri filii in luctum, in mœrorem Patris si persuerunt. Nonne omni pœnâ, & quavis morte acerbius, parentis animum lancinavit, infamis ille Ammonis natu maximi incestus de sorore Thamar? immane Absolonis de eo etiam temulento fratricidium? Adoniæ in Salomonem insidiæ? Absolonis stricti in parentis jugulum mucrones, ejusque (quod longe acerbissimum accidit) corporis, & animæ æternus interitus?

Atque hæc à liberis, à propriis vero subditis quam indigne exagitatus est? à Semei homine vili maledictis palam lacessitus, sed & lapidibus Rex impetitus l. 2. Reg. c. 16. v. 5. *Maledicebat, mittebatque lapides contra David.*

A perfido Achitophele, à Siba proditore circumventus est, & *b separatus est omnis Israel à David secutusque est Siba.* Denique à superis, & manu potentis expurgatus est, dum flammeum illum acinacem in conspectu habuit, quo septuaginta millia virorum prostrata sunt.

Quid ad hæc David? audi quomodo se purgatum, & expiatum dicat; adeo ut nullus nævus supersit: IGNE *c* ME EXAMINASTI, *& non est inventa in me iniquitas*, id est inquit *d* Augustinus: *ignis quia urit, vocanda est tribulatio, qua examinatus, justus inventus sum.*

Nec refert quis ignem excitet, quis fornacem succendat, an liberi discoli, an vicini invidi, an æmuli, malevoli, maledici: an uxor contumax & proterva: an maritus turbidus, & temulentus? an ipse Satanas, quem appellat Isaias, *e fabrum sufflantem igne prunas.* Sit è genere humano tyrannnus, sit Nero aliquis vel Valerianus, sit denique Deus ipse, qui subinde & ignem admovet, & fornacem aperit: nihil, inquam, ad finem, quem hic sibi præfixit, attinet: Is quippe est, à delictis expurgatio, velut scoriæ ab auro; si illum assequitur, bene tibi fuit in igne, in fornace, uti & auro, cui sic, excoqui, non est injuria, sed gratia, quia purius exit? disertissime hæc pertractat Augustinus: f *in fornace ardet palea, & purgatur aurum, illa in cineres vertitur, à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, Aurifex Deus; quod vult ergo Aurifex, facio: ubi me ponit Artifex, tolero. jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. quare? quia Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.*

Miramur & indignamur, impios justis prædominari: homines sceleratos ac perfidos, in-

a 2. Reg. 12. v. 22. b 2. Reg. 20 c Psl. 16.

d Aug. in Psal. 16. e Isa. 54. f Aug. in Psal. 61.

nocentes opprimere : peccatores , pios & probos insectari : propinquos , fratres , injustam sibi litem movere, per fas & nefas evincere : vicinos te calumniis proscindere, emptores quoslvis ab officina diuertere &c. Noveris te in fornace expiari, ad quod impij & scelerati pro palea adhibendi sunt. a *Si dicas, quid faciant in hoc mundo mali? responde mihi ; in fornace artificis , palea quid facit? puto non sine causa ibi esse paleam, ubi aurum purgatur. Attende & vide ; aurum non purgatur , nisi palea uratur , & vrat. Magna materies est purgationis bonorum, abundantia malorum. Ne quis dicat , saltem si necesse esset propter exercitationem nostram , ut essent mali, pauci essent mali , & boni multi essent. Non attendis , si pauci essent mali , multis non nocerent: quia pauci mali , multis bonis nocere non auderent ; si non auderent , non exercerent. Nunc vero quia multi sunt mali , laboratur à paucis bonis inter multos malos : & cum laboratur , sudatur, & cum sudatur,* AURUM PURGATUR.

Idem est de omnibus malis, quæ nos infestant, sive tentationes internæ sint, sive molestiæ externæ, ut jactura bonorum , famæ , valetudinis, aliæve calamitates : quæ omnia paleæ sunt, ut nos vitiorum scoriâ expurgent. *Quemadmodum* b *ignis auro admotus, probius illud efficit; eodem modo calamitas, animos aureos subiens, puriores eos, & præstantiores reddit.*

Vnus aliquis festis & Dominicis, iurando, & pejerando multas opes, amplos fundos, ingentes fortunas sibi comparavit, incidit in manus potentis , ratio reddenda est, lis intentatur , deperditur. Miles prædia invadit , silvas exscindit , horrea comburit , pecora abducit , omnia vastat, & expilat, homo ad incitas redigitur , quid de ejusmodi Propheta sentit? c *Ecce! excoxi te, inquit , sed non quasi argentum elegi te* IN CAMINO PAUPERTATIS.

Vt quidquid injustæ , & adulterinæ Monetæ contractum, expietur, Deum in hac fornace socium habetis , non secus ac tres pueri Babylonici , experto credite: d *bonum in tribulatione magis amplecti te Domine : in* CAMINO PAUPERTATIS *habere te mecum , quam esse sine te , vel in cælo. Quid trepidamus , quid refugimus hunc caminum ? sævit ignis ; sed Dominus nobiscum est in tribulatione*, illudque animo altissime imbibendum, omnem inopiam à Deo nobis immitti bono nostro, ut EXCOQUATUR AD PURUM SCORIA NOSTRA. Quid? quod plures juvenes, ac iuvenculæ , spontanee , & voluntarie hoc camino paupertatis hic excoqui peroptarunt? hortatur & nos Antiochenus Præsul , qui si flammas Laurentii reformidatis; hoc mitiori igne expurgari valeatis. *Sunt aliæ quoque hostiæ, inquit, vere holocausta, nempe Martyrum corpora &c. potes tu quoque si velis , tale offerre sacrificium:*

a Aug. serm. 154. de temp. b Chrys. st. hom. 66. ad pop.

c Isa. 48. d Bern. s. 16. in Ps. qui habitat e Chry. hom. 11 in epist. ad Heb.

um: quid enim si igne corpus non combusseris: Sed potes alio igne, ut puta IGNE PAUPERTATIS VOLUNTARIÆ (liberales etiam eleemosynas dando) *&* IGNE AFFLICTIONIS. *Non urat, neque detineat amor pecuniarum, sed uratur & extinguatur, ipsa turpis & nefaria cupiditas*, IGNE SPIRITUS. Uratur, & extinguatur ipsa turpis & nefaria libido, IGNE SPIRITUS, IGNE AFFLICTIONIS, & mortificationis assiduæ; fit etenim hæc expiatio, quemadmodum in pelle Salamandræ fieri consuevit, quæ si quas sordes, aut nævos contraxit, non aqua, sed igne expurgatur, ut tradit Robertus Holcot Ordinis Prædicatorum, in Academia Oxoniensi Magister eximius in c. 3. Sap. sec. 33. hoc naturæ prodigium refert: a *Papa Alexander habuit vestimentum quoddam, de pilis Salamandræ, quod quidem vestimentum quando ablui debuit, non lavabatur in aqua; sed projiciebatur in ignem, & non comburebatur; sed fulgentius reddebatur: sic corpora Sanctorum non in aquis carnalium delectationum lavari debent, ut fulgeant; sed magis in* IGNE TRIBULATIONIS.

Homo elatus, turgidus, inflatus, multum fumi ac fuliginis contraxit, expurgandus est *b* in *camino humiliationis*.

Alius multa crapulâ, & temulentiâ corpus, & animum multis sordibus aspersit, expiandus est, *igne tribulationis*, urentis podagræ, chiragræ doloribus, & ardentissimæ febris caloribus, velut in fornace excoquendus est: *quod c enim est ignis auro, hoc est animis tribulatio* (& morbus omnis, dolor quilibet) *sordem abstergens, faciens mundos, claros reddens ac splendidos*.

Hoc accuratè viderat oculatus ille senex, de quo Ruffinus: rogavit olim Ioannem Anachoretam, quidam è monastico cœtu, ut se à febri tertiana liberaret; cui ille: rem tibi necessariam vis abjicere, ut enim sapone panni lavantur, sic animum morbi eluunt, & candidum reddunt, adeo ut nihil supersit piacularibus ignibus expiandum. Nam ut Salvianus *d* loquitur: *quanto imbecillior corpore, tanto purior mente.* Deus hic pellionis munere fungitur, qui flagris vellera, & pellem excutiens, omni sorde, & tineâ expurgat. Norat hoc S. Aldegundis, è regia Gallorum stirpe, Virgo oriunda, quæ de obitus sui die certior facta, quo pulchrior detersa omni maculâ Sponso appareret, rogavit morbo immisso hic ita excuti, & expiari, ut recta in cœlum evolare posset: mox voti compos, fœdum carcinoma pectus invasit, totumque corpus usque ad mortem depastum est adeò ut si quem febribus æstuantem, quibusvis morbi caloribus inflammatum videris, eum hic in fornace, *igne tribulationis* excoqui noveris. Quod de viris integerrimis probat *e* Cassianus, dum ait: *Viros sanctos magnis infirmitatibus traditos novimus, pro levissimis quibusque delictis: cum in illis ne tenuissimum*

a Holcot in c. 3. Sap lec. 23. Arcones [illegible] pag. 216. b Eccl. 2. v 5.

c Chrysost. hom. 62. ad popul. d Salvi n l. 1. de provid. & ep. 5 e Cassian. coll. 7. c. 25.

nævum,

nævum, in die judicii inveniri patiatur divina Clementia; *omnem cordis* EORUM SCORIAM EXCOQUENS, *ut eos tanquam* ARGENTUM, VEL AURUM IGNITUM, *ad illã perpetuitatem, nulla indigentes pœnali purgatione transmittat.* EXCOQUAM, inquit, *a Isaias, ad purum* SCORIAM TUAM *& auferam omne stannum tuum, & post hæc vocaberis Civitas justi, urbs fidelis*, anima sancta. Unum è multis induxisse sufficiat, qui morbi doloribus expurgatus, sine purgatorio in cælum conscendit. Testem adduco *b* è Societate nostra juvenem, qui morbo jam ingravescente, dixit in aurem familiari socio: tu mi frater ora, obsecro, Dominum, grandis enim mihi imminet tempestas. Et ecce subito ingruit multiplex dolorum, cruciatuumque procella, æstuare pectus, ardere, premi, frangique scapulæ: humeri, terga, corpus totum tremere, contundi, pungi, lancinari. Quid plura? omnibus ossibus, nervis, visceribus, medullisque intimis corporis, desævire malorum nec audita, nec visa colluvies. Stupere interim omnes, condolere certanti, precibus ad Deum recurrere, blandisque vocibus solari. Ipse patienter agere, Dei clementiam, Virginis opem implorare. Perduravit hoc malum integras quatuor & viginti horas: quo tempore exacto, disserenavit undique tempestas. Æger ad se reversus, omnibus admiratione, & expectatione circumfusis, quasi è fornace roris flante, rem omnem aperuit: petiisse nimirum obnixe se à Deo, ut purgatorios ignes sibi ante mortem infligeret, quibus tandem purgatus, libere in cælum evolaret: postulatisque Deum annuisse, atque his tandem doloribus expiatus, placide, sanctèque obdormivit in Collegio nostro Eborensi. Non absimile quid Cæsarius *c* refert, Monacho Cisterciensi contigisse, qui nocte insequenti, qua extremum diem obiit, Prælato suo se miro lumine circumfusus declaravit: à quo rogatus, quid accidisset, ut citra ullam in purgatorio igne moram, recta ad superos contendisset? hanc causam subjecit: *peracerbi dolores, immanes cruciatus, gravesque terrores quibus in morte vehementer sum afflictatus*, EXPIANTIS MIHI FLAMMÆ *in purgatorio vicem subiere.* Valet in his, & similibus illud *d* Hugonis Cardinalis, quod *flabellum grano, quod lima ferro, &* FORNAX AURO, *hoc tribulatio justo.*

Quo argumento usus Chrysostomus, probat Lazarum hujusmodi fornace tribulationis expurgatum, sinu Abrahæ quantocius exceptum, illud Epiphonematis loco subjiciens. *e* QUANTO MAGIS AURUM INFLAMMATUR, TANTO ETIAM PURIUS REDDITUR.

Quoties ergo sive ab hominibus, sive à Diabolo, sive à Deo, quævis tribulationes immittuntur, dic cum *f* Augustino: *Venit tribulatio mea, veniet &*

a Isa. 1. v. 25 b Fernandez tom. 3. in Gen. c. 35. sec. 10. pag. 452.

c Cæsarius l. 12. c. 15 d Hugo Card. in Iob. c. 23 v. 10. e Chrysost. epist. ad Olymp. f Aug. in Psal. 60.

purgatio mea. NUMQUID LUCET AURUM IN FORNACE ARTIFICIS? *in monili lucebit, in ornamento lucebit, patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem.*

§. 3.

Uniuscujusque opus, quale sit, IGNIS PROBABIT. 1. Cor. 3. 13.

SI quando flamma, horrea stipulis ac fœno plena, invaserit, si silvas, si ædes ligneas afflarit, quantum quam luculentum, nullis aquis sopiendum usquequaque sese latissime diffundit incendium? *Silva,* ut inquit Seneca, *momento cinis.* Anno proxime elapso Aquisgrani ædes prope omnes ligneas, ligneis etiam scandulis tectas, ignis depopulatus est. *Lugduni* a *quod ostendebatur in Gallia,* una nocte quanta quanta est ita exarsit *ut nihil alteri superesset incendio. Diutius illam sibi perisse, quam periit, narro.*

Haud aliter ex mente Apostoli, cum interiori nostro animæ domo agitur: Si quis, inquit *b*, *superædificat super fundamentum (quod est Christus Iesus) aurum, argentum, lapides pretiosos: ligna, fænum, stipulam: Uniuscujusque opus, quale sit,* IGNIS PROBABIT.

Ubi Cornelius metaphoram „ desumi ait à domo, per ignem „ conflagrante: quæ si ex auro, „ & lapidibus pretiosis, marmo- „ moreo, vel porphyretico lapide „ constructa sit, igne non læditur. Si ex ligno, vel stipula, aduritur. Quique nostrum super fundamentum fidei, ædificium spirituale exstruimus; sed quam pauci c *coædificamini in habitaculum Dei! quam pauci Dei ædificatio estis! quam pauci superædificant aurum, argentum, lapides pretiosos!* in quæ verba *d* Hugo Cardinalis: *quidam solum Deum amant, & hi superædificant aurum, argentum, & lapides pretiosos: in auro intellectum, in argento eloquium, in lapide pretioso, opus incorruptum.*

Quam multi, quam innumeri, quam prope omnes, superædificant *lignum, fænum, & stipulam.* Ecquid hoc? exponet *e* idem doctor: *stipulam, levitatem, fænum carnalitatem, lignum rigidam cervicositatem designat, nam in obedientia prima in ligno commissa est,* quæ inobedientia per lignum significata, transgressionem omnium mandatorum includit. Quæ omnia cum juxta Apostolum per ignem probanda sint, quæstio non levis oritur, an per lignum, fænum, & stipulam, peccata venialia, pabulum ignis purgatorii; an mortalia, esca infernalis incendij futura designentur, cum dicatur: *Salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.* Augustinus in Psal. 80. docet *f* venialia, amorem proprium, inordinatum significari: *expone ergo nobis, inquit, ligna, fænum, stipulam, quæ qui ædificant super fundamentum, quomodo non pereant: sed salvi fiant, sic tamen quasi per ignem? Obscura quidem illa quæstio; sed ut possum, breviter dico. Fratres, sunt ho-*

a Senecæ epist. 91. b 1. Cor. 3. v. 12. 13.

c Ephes. v. d Hugo Card. in 1. Cor. 3. e Hugo cit. f Aug. in Psal. 80.

mines

mines omnino contemptores ſeculi hujus, non hærent delectatione aliqua terrenis operibus: ſancti, caſti, continentes, juſti, fortaſſis & omnia vendentes, & pauperibus diſtribuentes. Sunt autem alij, qui rebus infirmitati conceſſis, inhærent aliquantulum dellectatione, non rapit villam alienam ſed ſic amat ſuam, ut ſi perdiderit conturbetur: non appetit uxorem alienam, ſed ſic adhæret ſuæ, ut modum non ibi ſervet præſcriptum, liberorum procreandorum cauſa non totum cor ſuum, levat ſed aliquam partem ejus trahit in terram.

Quis ad hanc ſeveram, ſed veram tanti Doctoris ſententiam, non exhorreſcat, ſi per lignum, fænum, ſtipulam, affectus inordinatus, leviſſimæ noxæ veniales deſignentur? quis in ſe non ingentem materiam reperit, tam atrocibus purgatorij flammis conſumendam? ſubdit porro: *nemo enim ſuper fundamentum hoc ædificans adulteria, blaſphemias, ſacrilegia, idololatrias, perjuria, putet ſe ſalvum futurum per ignem, quaſi iſta ſint ligna, fænum, ſtipula; ſed qui ædificat amorem terrenorum, ſuper fundamentum Regni cælorum, id eſt ſuper Chriſtum ardebit amor rerum temporalium,* & ipſe ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem, ad quem noſter ignis, teſte eodem Auguſtino, *pictus* eſt.

Hic amor terrenorum, omnibus prope ſeſe inſinuat: ſub parſimoniæ pallio ſe abdit avaritia: ſub neceſſitatis nomine, veſtium pompa & menſarum affluentia ſe ingerit &c. quæ cum ita ſint; jure quærit Sapiens: *quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Proverb. 20. v. 9. *nullus* inquit a Hugo Cardinalis, *ſi omnes ſancti quotquot ſunt à primo juſto, uſque ad ultimum (una Virgine excepta) ſimul eſſent, nihil aliud dicerent, quam dimitte nobis debita noſtra,* omnes in ſe *lignum, fænum & ſtipulam agnoſcerent,* Suo cuique grano palea eſt. Affectus nimius in prolem, in uxorem, in pecunias, quas ſibi eripi ægre fert, *ſtipula, & fænum* ſunt, officium alteri collatum, filiam à proco ſpretam, cauſam alteri adjudicatam, non ſine animi ſenſu concoquere: *ſtipulam, & fænum* colligere eſt. Audi ſæpius audiendum Africanum, & orbis decus: b *ligna quippe, & fænum, & ſtipula, non abſurde accipi poſſunt rerum ſæcularium, quamvis licite conceſſarum tales cupiditates, ut amitti ſine dolore non poſſint.*

Atq; ut noris illum de minimis, quæ etiam in viros perfectos cadunt agere, proſequitur: *ſi* c *Chriſtus in corde, fundamenti locum habet, id eſt, ut ei nihil anteponatur: & malit homo qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit magis carere, quam Chriſto, per ignem fit ſalvus*

Verum enim vero quis ſatis expendat hoc, *ſalvus erit per ignem:* qui gravior eſt: *quam quidquid homo poteſt pati in hac* vita, ibi *erit una hora gravior in pæna, quam hic centum anni in amariſſima pænitentia.* Quanto melius

a Hugo Card. in Proverb. 20. v 9. b Aug. in Enchiridio c.67 c Aug. cit d Aug. in Pſal 37. Thom. à Kemp. l. 1. de imit. Chriſt. c. 24.

quantò lenius perexigui illi nævi, quibus indies fragilitas humana aspergitur, hic igne tribulationis, mortificationis, & pœnitentiæ, juxta suavissimum mellei Doctoris *a* monitum expiarentur? *Necesse est ut ardorem sentiat in corpore, id est pœnitentiæ tribulationem.* Quod si & hunc ardorem, hunc ignem vos mollibus induti, cupediis enutriti, commodis omnibus à teneris assueti perhorrescitis, Levitam Laurentium amate, illum honorate, illius amoris ignem in vobis accendite, & suis quas pertulit flammis, piaculares sceleribus vestris flammas debitas everberabit, & b*restinguet ignibus ignes.*

Illud enim fortissimus hic Athleta privilegii à Deo, suis flammis quas pertulit consecutus est, ut quot hebdomadis sexta feria animam piaculari igne liberam, cælo adscribat. Ut refert S. Gregorius Turon. confirmatque auctoritate Abbatis probatæ fidei ac sanctimoniæ, qui cum monasterio sancti Laurentii in Gallia præesset, mirabilem ea de re visionem habuit, sub cujus finem sic eum affatur Angelus: *Abba, iste quem cernis, Levita Laurentius est, qui Martyrium & ignem pro Christi nomine passus est, hoc privilegio insigniri meruit, ut qualibet hebdomada animam purgatorii ignibus possit eximere.*

Addit Gregorius S. Laurentium suo favore ac patrocinio, eum contra omnes tartarei hostis insidias tueri, qui eadem sexta feria, pia orationeejus memor fuerit, quo fit ut Leodi quavis sexta feria frequens ad monasterium, & Ædem S. Laurentii, populi concursus fit. Atque hæc hactenus de noxis venialibus, quæ nisi hic expientur, ignis purgatorii probabit.

Alii hic, ad peccata graviora, & lethalia progrediuntur.

S. Thomas *c* adducit sententiam eorum qui, *per lignum, fœnum, & stipulam, docent intelligi peccata mortalia, quæ quis facit post fidem susceptam,* qui non fient salvi per ignem; sed ignis inferni probabit in æternum. Ita Eminentissimus ille doctrina, & sanctimonia *d* Cardinalis: *qui hodie in Christo signatus* (Christianus) *invenitur agere carnale opus, is dicitur contrahere lignum, fœnum, stipulam in escam ignis æterni; sed Esca ignis æterni non est nisi mortale. Ergo lignum, fœnum, stipula intelliguntur peccata mortalia.* Huc spectat illud Prophetæ vaticinium. e *Omnis caro fœnum.* Ubi Cornelius: ut quid carni concupiscentias suas tribuitis, fænum accumulatis; sed fœnum in igne æterno semper arsurum? verissime *f* Augustinus: *Aurum fides est, fænum carnalis concupiscentia: quidquid est ergo in homine carnali, appetens vana sæcularia, fænum est.* Hic ignis concupiscentiæ, omne fænum, juvenes & puellas combussit Apoc. 8. *Omne fœnum viride combustum est.* Hugo Cardinalis: *omne fænum viride*: id est *omnes qui requiescunt in mundi hujus virore.* Homo superbus, fœnum est, *& omnis gloria ejus, quasi flos* FOENI, veterascet, ac marcescet

a Bern. ser. de ligno, fœno & stipula. b 2. Metam.

c S. Thom in 1. Cor. 3. 13. d Hugo Cardin. in 1. Cor. 3. v. 3. e Isa. 40. v. 6. Corn. hic. f Aug. in Psal. 96.

Est

Est qui gulosos jumentis comparat, quos nil aliud, quam fœnum spectare, & vorare asserit, illudque Psaltis accommodat, *producens fænum jumentis, & herbam servituti hominum.* Quid politici nisi fænum, & stipulam se coacervasse reperient? Audi Doctorem Seraphicum *a* serm. 1. de S. Laurentio: *Vniuscujusque opus quale sit, ignis probabit; O quot opera quæ nunc videntur aurea, tunc apparebunt lutea, confracta, & vana! O quot sunt hodie, qui videntur ædificare aurum, argentum, & lapides pretiosos, qui invenient se ædificasse, lignum, fænum, & stipulam, id est, non opera sublimia, sed purgatione digna!* Tum assurgit: *sed quis poterit illud tam grave incendium tolerare? & tamen quis illum ignem poterit declinare? o fratres, qui modo modicam febrim, vel modicum dolorem non potestis pati, quid facietis, quantum dolebitis, quantum plorabitis illo incendio inflammati, & totaliter pœnis absumpti?*

Omnes denique peccatores, fœnum æterni incendij pabulum futuri. Solerter in hunc locum Pauli, observat *b* Doctor Angelicus, præmitti similitudinem agriculturæ, *Dei agricultura estis,* ut quisq; diligenter observet, quid in agro cordis sui proferat, an stipulas, an lolium, an zizania, an *steriles* c *dominentur avenæ*; easque hic igne tribulationis, & ardore pœnitentiæ exurere satagat, ut uberes virtutum fructus producere valeat: *nam sæpe etiam steriles incendere profuit agros.* Eidem similitudini agriculturæ insistit S. Leo serm. 3. de Iejunio. *In dominico agro, cuius operarij sumus, oportet nos prudenter, atque vigilanter spiritualem exercere culturam, ut de sanctorum operum fruge lætemur: quæ si pigro otio, & inerti desidia negligentur, terra nostra nihil generosi germinis pariet, & spinis ac tribulis subdita, non producet quæ condenda sint horreis, sed quæ* VRENDA SINT FLAMMIS. Quotus quisque, si in agrũ cordis sui descendat; & accurate pervestiget, non inveniet illic & stipulam, & spinas, & tribulos & zizania. de quibus sententia lata est: *alligate* c *in fasciculos* AD COMBURENDUM. *Ligate*, inquit, vos divinæ Iustitiæ administri, ligate linguas, quæ olim ad calumnias, ad probra, ad perjuria, ad blasphemias dissolutæ. *Ligate* manus, quæ pronæ in malum, in attactus impudoratos, in furta præcipites, veloces ad effundendum sanguinem.

Ligate pedes, in leves choreas solutos, in popinas, in prostibula ductores. *Ligate* oculos, libidinis illices, in fœdos libros, nudas tabulas, infames Helenas, & lenas intentos. *Ligate* deniq; membra omnia, quibus in Deum se peccator obarmavit.

Nec minus horrendum illud: *Ligate in fasciculos*, hoc est interprete magno Augustino, *rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, avaros cum avaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cũ furibus, derisores cum derisoribus, similes cum similibus. Hi sunt fasciculi* AD COMBURENDUM, id: q; igne inextinguibili

a Bonav. ser 1. de S. Laurent. b S. Thom. in 1 Cor. 3. 13. Virg.

c Matt. 13. d Aug. se. 39. de Sanctis.

in

in æternum, in æternum. O peccatores! quis ex vobis, qui hic fænum, & ſtipulas, & zizania accumulatis, quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante? Pedo ſuo terribilis hic vobis Lethargum excutiat Hipponenſis Præſul ſerm. 1. de S. Laurentio: *quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* quis nolit ad paucos labilis vitæ annos, pauperiem, contemptum, calamitates, morbos, afflictiones quaslibet perpeti, *Ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* quis nolit ad breve tempus, carnis lenocinia, gulæ illecebras, avaritiæ illicia, honoris ambitum; atque omnis ſceleris voluptates, ac emolumenta devitare, *ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* nemo profectò, nemo, qui quale illud, & quid æternum expenderit.

Fertur Sixtus V. initio Pontificatus ſui, ut cruentos graſſatores, vulgo *banditas*, Italiæ finibus arceret, cohortem equitum inſtruxiſſe, qui eos inſectarentur, & vivos, in urbem deducerent. Primum qui in manus venit, vinculis in carcere attineri juſſit, donec ſecundus comprehenſus eſſet; quo capto, ſtatuit ut luculento igne exſtructo, primus veru infigeretur, atque ab altero veru verti, & ſocium aſſari. Cumque tertium cepiſſent, juſſit ſecundum ab hoc torreri. Atque ita horror ignis hujus, omnes quamtumvis immanes, ac truculentos latrones à ſcelere revocavit, ut exiguo temporis intervallo, eorum nullus repertus ſit. Conſimilem profectò vim, ſi in animis veſtris, æternum gehennæ incendium concitaret, brevi omnes ſcelerati urbe, & orbe proſcriberentur, omnis vitiorum ſcoria expurgaretur. Quod ut conſequi poſſimus, omnes una voce cum Eccleſia deprecemur: *Da nobis quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui tribuiſti beato Laurentio tormentorum ſuorum incendia ſuperare.* Ut tandem aliquando, ô glorioſiſſime pugil Laurenti! ad beatiſſima illa divini amoris incendia, in æternum feliciter arſuri evolare, & tecum qui merito LAURU NITES, ſine fine, triumphari valeamus.

a Spoelbergh. feſto S. Laurent.

b Laurentius Anagramma: Lauru nites.

FESTUM

FESTUM ASSUMPTÆ VIRGINIS MARIÆ.

Fortis ut mors dilectio. Cant. 8.



Feliciter ardet. Ovid. l. 1. de remedio.

ARGUMENTUM.

INter omnes affectus humanos, præpotens amor est, qui inter parentes & liberos, inter fratres & sorores, inter sponsos & sponsas, inter ipsos conjuges adeo vehementer aliquando exarsit, ut amantes extinxerit. Quod si ea vis amori, ut videbimus, naturali, imo etiam

tiam fœdo & laſcivo fuerit: quo, quantoque potentiori ardore, corda eorum exæſtuaſſe cenſenda ſunt, qui divini amoris flammis incenſi, non alio morbo, nec morte, quam amoris exſpirando, in complexum dilecti ſui, è corporis ergaſtulo ſoluti, perniciter evolarunt? Hoc ſi ulli Sanctorum conceſſum ſit (conceſſum autem eſt pluribus) dilectiſſimæ Dei Matri, ut ſolidiſſimè Bernardus argumentatur, minime denegandum eſt. Illam porrò per omnem vitam, non alio languore quam amoris, ſenſim conſumptam, ac tandem in fragrantiſſimo omnium excelſarum virtutum, & gratiarum nidulo, phœnicis inſtar, feliciter arſiſſe, *ac finiiſſe in odoribus ævum* a, luculenta Sanctorum Patrum evincunt teſtimonia. Vnicum hic interim mihi votum eſt, ut ii b *quorum febris avaritia eſt, quorum febris iracundia eſt, quorum febris libido eſt*, (quæ ſunt infirmitates ad mortem) hoc ſanctiori divini amoris languore detinerentur, in eoque extremum ſpiritum exhalarent. Qua optatiſſimæ mortis prærogativa, ut frui poſſitis, Mariam vobis in morte patronam adſciſcite, quæ illam terribilium omnium terribiliſſimam, vobis amœnam & amabilem reddet: quemadmodum iis contigiſſe legimus, qui moriendo cavere, & cavendo mori, non alia quam amoris morte, comperti ſunt.

§. I. *Maria vulnerata charitate, Nuntiate, inquit, dilecto, meo quia amore langueo.* Cant. 2. v. 5.
§. II. *Fortis ut mors dilectio.* Cant. 8.
§. III. *Unica phœnix Maria ex amoris rogo rediviva.*
§. IV. *Maria in morte Patrona.*

a Ovid. l. 15. Metam. b Amb. l. 4. in Luc. cap. 4.

FE-

FESTUM
ASSUMPTÆ VIRGINIS.

Fortis est ut mors, dilectio. Cant. 8.

INgeniosum, nec minus religiosum, exstat Poëtarum commentum, *Cupidinem* una cum *Morte*, iter ingressum: jamque longius progressos, vespere ingruente, oppido lassos, ad obvium diversorium, se pariter recepisse: ubi dum nox quietem, a

Suadentque cadentia sidera somnos:

Arcum quisque suum cum pharetrâ, in mensam neglectim abjecit; verum ut nulla, aut exigua quies amori est, *Cupido* insomnia passus, ortum Solis prævertens, è strato se proripit, & nescio quo felici infortunio, arcum, & pharetram *Mortis*, pro sua secum velociter asportavit, atque ita elapsus, quemcuncque hisce telis sauciat, non gestire, non lascivire, non solitis ignibus æstuare; sed è vestigio pallescere, languere, frigere, exanimari demiratur. Econtra *Amoris* jaculis, *Mors* instructa, hæret attonita, suo ut putabat fatali telo saucios, non ilico concidere, non exstingui, & mortuos efferri; at stare, exilire, novis facibus incendi, iisque amoris ignibus inflammari, ut toti in flammas abeant, in cineres redigantur, unde felicius renascantur, & immortales reviviscant. Hoc divini Amoris spiculo complures saucii fuere, & si qui immortui sint, id enimvero de Sanctissimâ Virgine Mariâ, omni dubio procul astruendum esse contendo. Ac primum quidem.

a Virg. l. 2. Æneid.

§. I.

Vulnerata charitate, Nuntiate, inquit, dilecto meo, quia AMORE LANGUEO. Cant. 2. v. 5.

MEdicorum Princeps Hippocrates Sect. 1. Aphorismo 16. sic ait: ut Latinis febris à fervendo; ita Græcis à πυρὸς, id est, ab igne πυρετὸς dicta, innumeras sub se complectitur species, quæ singulæ in corpore humano intemperiem, seu, ut Medici loquuntur, distemperamentum operantur. Illud autem vel ingluvies & crapula, vel calor vehementior, vel frigus intensius, vel metus repentinus, aut dolor & melancholia pertinacior, subinde bilis copiosior, aut amor impotentior, aliæve Passiones, & mentis emotæ impetus inducunt. Quorum omnium prima, & unica origo, ac sentina, Angelico b teste Docto-

b S. Thom. p. 3. q. 14. a. 3.

Doctore peccatum est. Horum omnium cum nihil omnino in Dei Matre locum habuerit, quæ nulla unquam peccati fuligine aspersa, perfectumque passionum suarum habuerit Dominium, omni plane corporis, animique morbo caruisse, luculentum Sanctorum Patrum, Doctorumque convincit testimonium Sic enim doctissimè Suarez noster tom. 2. in 3. p. disp. 2. sect. „ 2. decuit Christum & Virginem, esse inter se simillimos, „ non solum moribus, sed etiam „ & corporis perfectione, & affectibus. Hæc enim similitudo, „ ad conciliandum amorem, & „ ad majorem perfectionem pertinet, ut B. Brigittæ revelatum legitur. Unde inquit, colligunt multi beatam Virginem, propter optimam corporis complexionem, cum magna moderatione animi conjunctam, nunquam in verum „ ac proprium morbum incidisse: & Sophronius in epistolâ „ Synodicâ, quæ habetur in 6. „ Synodo, Act. 11. dicit corpus „ Virginis ab omni contagione „ fuisse liberum. Cajetanus vero tom. 2. opusc. 13. de psalmo Virginis, disertè his verbis astruit: *dissonum rationi est, beatam Virginem, ægritudinem aliquam passam esse, quia similis debebat credi filio per omnia* (qui juxta *a*S. Basilium, Athanasium*b*, & *c*D. Thomam, aliosque, ab omni morbo immunis fuit) quantum fas esset, quod Galatinus lib. 7. cap. 10. & Posa noster de B. Virgine confirmat. l. 3. tract. 10. cap. 5.

Nihilominus ardenti Virginem Matrem febri æstuasse, languore corporis, & animi ad mortem laborasse; nec non alio, quam divinissimi amoris, comprobabo.

Ea vis insano ac lascivo amori est, ut amantes languere, & ardentissime faciat febricitare: *nec enim*, *d* inquit Ambrosius, *minorem febrem Amoris dixerim, quam caloris.*

Antiochus Seleuci filius *e* lecto affixus, gravissime æstuabat, insolentis, natura mali, ac desultorii paroxysmi, parentem, domesticos, quin & peritissimos medicos latebat: unus Erasistratus cunctis præstantior omnem artem & industriam insumpsit, ut morbi hujus radicem assequeretur, noctu & interdiu febricitantem constanter observando; ac sæpe sæpius arteriam explorando: quam tandem persensit, concitatissime emicare, decumbentis vultum derepente inflammari, oculos scintillare, toto corpore commoveri, quoties Stratonicem, quam impotenter deperibat, cubile intrantem, & propius accedentem intuebatur: atque ita, ut cum *f* Augustino, cœlesti medico loquar, *noverat venâ inspectâ, quid intus ageretur in ægroto.*

Quam multi, & multæ languent, pallent, ardent, febricitant quorum si venam tentaveris, verissimum illud deprehendes: *g febris tua libido est; febris tua avaritia est, febris tua iracundia est,*

a Basil. in Reg. brevior. interrog. 177. b Athan. l. de incarn. c D. Thom. p. 3. q. 14. a. 4. & q. 46. a. 3.

d Ambr. l. 4. in Lucam cap. 4. e Plutarch. in Demetrio. Suidas. f August. in psalm. 43. g Amb. l. 4. in Lucam cap. 4.

febris

febris tua superbia est. Quod si omnium hic stantium venam, & pulsum arteriæ, tentare liceret, quot febricitantes reperire esset: a *multas siquidem infirmitates habet anima nostra: quot peccata, tot infirmitates.*

Mercatornm & divitum hujus sæculi, venam explora, ac ilico deprehendes, quia *febris eorum avaritia est.* Complurium virorum nobilium, ac fœminarum arteriam pertenta, & manifesto persentisces: *quia febris eorum superbia est.* Hominum inquietorum, diffidentium, rixantium venam tange, & recte asseverabis: quia *febris eorum iracundia est.*

Et præ his omnibus, si juvenum, ac puellarum, etiam conjugatorum lascivientium, ex omni conditione hominum, pulsum observes, certissimè affirmabis: b *febris eorum libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates.* Qui morbi ac febres, ita eos, quos invadunt dejiciunt, ut robustissimos quosque debilitent, solo allidant, & omni vita faciant languere. Audi Doctorem maximum de quo Volutianus, *lege deest, quidquid ab Augustino contigerit ignorari*; hic in c. 16. Matt. sic ait: c *Novimus quanta ipse amor faciat plerumque etiam ipse amor improbus, & lascivus.* At longe majores vires, vehementiores impetus, ardentiores affectus, divinum in homines amorem operari, in confesso est: nam *si quis* d *amat, quod amare juvat, feliciter ardet.*

a Hieron. in psal. 102. b Ambr. cit. c August. in Matt. c. 16. Si quis vult venire post me. d Ovid.

Lucia Narniensis è Dominicanâ familiâ, Virgo Religiosa, etiam cutem gestabat subnigram, & e velut ab igne tostam, nimirum quæ intus ardebat flamma amoris, etiam extrinsecus se prodebat, & in ipsum corpus, cutemque evadebat. Hinc ab illo ardentior, & quasi alienata à se, & pie amens exclamabat: *ignem, ignem, ignem sorores meæ, amore Iesu* LANGUEO, *& vivere nequeo.* Hæc illa in æstu divini amoris, quo adeo languebat, ut sæpius ad decem, duodecim, quandoque ad sedecim horas, sola lingua mobili, cetera penitus immota permaneret: *&* f *nosse poteras vena inspecta, quid intus ageretur in ægroto.* Utinam & nos divinus ille languor invaderet, cœlestis ardor incenderet, uti accendit, occupavitque & alteram Virginem, Beatam Stephanam de Soncino, ex eadem Sancti Dominici familia, quæ ut in excessu mentis, vidit sibi aperiri, immensum amoris oceanum, ejus æstu tota abrepta, vociferari audita est, *ex eo liceret sibi plusculum haurire, alioqui inquit, moriar.*

His accedit Catharina Genuensis, tanto desiderio ardens complecti sponsum suum Iesum in regione vivorum, ut quoties officio defunctorum interesset, nunquam gravius indignaretur, quam sibi non parentari, & justa persolvi, quæ differri non sine frequenti mentis à corpore secessu, quasi sæpius mortua, indignanter tolerabat; cumque sibi restitueretur, mirum quanta modestia, eos ignes dissimularet,

e Hist. Dominicanorum. f August. in psalm. 41.

quo-

quorum pallido in ore cineres gerebat. Sic sanctæ illæ mentes exarserunt: ut nil aliud exspirarint nisi æstus, & incendia amoris. Ea quandoque accenso pectore emisit Bernardus, cujus hæc ad sororem voces, plenæ pietatis (de modo vivendi, ad sororem, serm. 2.) *Charissima Soror, roga ancillas Christi, quæ tecum sunt, & dic eis: fulcite me floribus, stipate me malis, quia* AMORE *Iesu Christi sponsi mei* LANGUEO. Hæc ubi orans, atque multum obsecrans edixit, ut aperiret ignes, & flammas amoris, tunc hujus fructus longe suavissimos, facili calamo, piaque mente fudit: *Hic amor dulcis, hic languor suavis, hæc infirmitas sancta.* Sed his omissis, divinum virum Augustinum, nemo quisquam mirabitur, amoris Martyrio quodammodo extinctum, cor manu inflammatum gestare, ut alii purpurati heroes, gladios, cruces, rotas, aliave instrumenta supplicii. Quam porro potenter æstuarit, ex hisce scintillis judicare est; a *O vita,* ait, *cui omnia vivunt! vita quæ das mihi vitam! vita quæ es mea vita, per quam vivo, sine qua morior! vita vitalis, dulcis & amabilis, ubi quæso es? ubi te inveniam, ut in te deficiam, & in te subsistam? prope est in animo, prope est in corde, prope in ore, quia* AMORE LANGUEO, *quia sine te morior.*

Unde hic languor, hic ardor, hæc infirmitas? b *sagittaveras,* inquit, *tu cor nostrum saluberrimo amoris tui jaculo.*

Quid de Cœli Regina dicendum, quid de Dei Matre sentiendum? Bernardus serm. 23. in Cant. c *Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit, sed & pertransiit, ut nullam in pectore Virginali particulam, amore vacuam relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret.* In nobis quantum inane! quale vacuum amoris divini! Etenim si tantus æstus, tam divinus languor Sanctorum animos occupavit, aliter profecto exæstuarit Maria, quæ his omnibus, amore in filium, infinito intervallo antecelluit, necesse est.

Petrus Damianus divinæ Matris amorem, cum aliorum amore conferens: d *quemadmodum,* inquit, *stellæ sunt minores facule, & velut scintillæ ad solem, imo penitus se abdunt, cum Sol adest: ita Virginis divina charitas, ad ceterorum omnium divorum charitatem collata, velut Sol inter minora sidera.* Hinc illæ voces amantis ad ipsos cœlites, se invisentes: *adjuro vos filiæ Ierusalem, ut nuntietis dilecto meo, quia* AMORE LANGUEO. Cantic. 5. Hic attonitus hæret Abbas Igniacensis: e *languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus Mundi tam diu habitavit? de corpore illius filii tui, virtus exibat & sanabat omnes, adeo ut etiam fimbria vestimenti Hæmorrhoissam sanarit.* Sed non hic naturæ languor est, ô beatæ mentes, *hæc infirmitas non est ad mortem, sed ad vitam. Vt minus miremini languorem meum* (inquit

a August. in Soliloq. cap. 1. b Aug. l. 9. Confess. cap. 1.

c Bern. ser. 23. in Cant. d Damian. serm. de Assumpt. Virg. e Guerricus serm. 2. in Assumpt. Virg.

quit Maria) AMORE LANGUEO, *langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris; plus vulnerat acharitate, quā gravata infirmitate.* Interim ut siceam cœlites languere viderunt, omne illi obsequium & solatium; ut addecebat, Reginæ suæ, ac Mundi Dominæ detulere: vis ut hic Gabriel assideat, & tibi ministret (cum Guerrico loquor) aut ut dilectus tibi ac filio ac discipulus, colloquatur, præsentia sua soletur? a *nequaquam*, inquit, *sed nuntiate dilecto meo, quia* AMORE LANGUEO: *ipse novit* (& solus novit) *quomodo meo medendum sit vulneri: osculetur me osculo oris sui.* Hoc ausim sperare, non pedes cum Magdalena quæ nullius mihi noxæ conscia; quæ toties os illud divinum exosculata, *cum parvulum tenebam in brachia, quoties speciosum præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat; nunquam faciem avertebat, nunquam Matrem repellebat. Crevit quidem gloria & majestate, sed nihil ab ea ingenita immutatus est mansuetudine & bonitate. Nihil ad illum superbiæ sæcularis elogium*: HONORES MUTANT MORES. Ægrotabat graviter Iacobus, jam jam extinguendus, pergit ad invisendum Patrem filius Iosephus, qui dum moribundo seni adesse denuntiatur, quid egit? b *confortatus sedit in lectulo.*

Unde quæso, optime senex moriture, vires has ad exurgendum, sedendumque in lectulo depromsisti? miratur plane D. Ambrosius: c *quis* inquit, *tam velox in curriculo, quam ille in lectulo? quis tam lætus in flore Adolescentiæ, quam ille in mortis confinio.* Vnde hæc alacritas & strenuitas? ex præsentia, ex osculo, & complexu Iosephi, quem unice diligebat, & præsentem summo cum gaudio intuebatur. Istiusmodi sibi solatium Deipara à filio postulat: & impetrat, ut jam videbimus.

a Guericus cit. b Gen. 48. c Ambros. de Iacob. & vita beata l. 2. c. 9.

§. 2.

Fortis est ut mors dilectio Cant 8. v. 6.

RECte ac rite Religiosus d scriptor; amor est quidam sui exitus, & quædam à se peregrinatio, cum quodam spontaneo interitu. Voluntaria mors est, & quoddam sine necessitate fatum. Morti propterea exæquavit Salomon Amorem, *fortis ut Mors dilectio*, cui funalia, & tædæ, & lampades, ritu ferali sunt, sed inexstinguibiles: quas ubi in amore naturali præluxisse videris, facile in divino atque in Maria, quæ omnium cælestium mentium ardorem in se eminenter complexa est, exsuperasse fatebimini.

Inter omnes affectus humanos, nullus amore potentior est, qui homini prædominetur, sui quasi impotentem reddat & exanimet. Nonnulli quidem dolore, alii furore, quidam gaudio, complures amore exspirarunt: qui tantus subinde sinceros inter amicos, sorores, parentes inter & filios, sponsos & sponsas, ipsosque conjuges exarsit, ut extinxerit, & mutuo amore, veluti gratissimo dilectionis incendio conflagrarint.

d Nieremb. de arte volunt.

Tem-

Tempore Michaelis Palæologi, Imperatoris *a* Constantinopolitani, Turcæ Romanas Græcorum provincias, ad amnem vsque vastarunt. In ea direptione hoc accidit, ut commemoratione, sic & commiseratione dignissimum: Sorores duæ Adolescentulæ, cum diversis Dominis sorte obtigissent, jamque divellendæ essent, ad ultimum vale, in mutuo amplexu, præ amoris teneritudine expirarunt. Quanto arctiori amoris vinculo, Virgo Mater, tali filio fuit alligata, tanto acerbiori, præ illarum sororum, in die ascensionis, fuit separatio: qui dolor, & amor, ad vltimum momentum novum semper habuit fomentum, sumpsitque incrementum: b *Excedit omnes amores parentum in filios, amor istius Matris in filium.* Matris inter & filium etiam sceleratum, dilectionem vis, Morte fortiorem? exemplum, inquit Ludovicus Granatensis, proferam non admodum antiquum. Ante paucos dies per Ministros justitiæ Iuvenis quidam, capite truncatus est, ipsumque caput hastæ suffixum, publico loco expositum. Habebat hic juvenis Matrem, quæ tum amoris, tum doloris victa impatientiâ, in publicum proruit, ut filii caput spectaret, lachrimans, cælumque gemitibus ac suspiriis implens. Quod cum vidisset, domum reversa, eo ipso die, vi amoris, ac doloris magnitudine oppressa, spiritum exhalavit, tanta vis amoris materni in filium improbum etiam, & sceleratum.

a Constantinop. Belgica. l. 5. c. vltimo. b Anselm. de excel. Virg. c. 4.

Quanto ergo major Virginis extiterit, dum non modo caput talis fili, spinis cruentum, sed & totum corpus miserrime dilaniatum conspexit. hinc tantus ex amore dolor, teste Anselmo Virginis animum occupavit, c *Vt per momenta singula vitam ei ademisset, nisi peculiari eam miraculo Deus conservasset.* Et dubitamus adhuc, hoc extremo vitæ momento, quo frena, filio suo ad cælos invitanti, amori laxavit, Mariam totam in flammas abiisse? sponsos sponsas, conjuges se mutuo, tanto ardore complexas fuisse ut extinxerint, historiæ tragicæ, quæ huc non pertinent, satis testantur, sed parum hoc, *paulo majora canamus*, & ab amore vano, & insano, ad sanctum & divinum, quo plures immortui sunt, transeamus.

Seraphico telo saucia Theresia, tota, quanta fuit, sub amore, meruit, ut non tam vixisse, quam amasse, nec tam amasse, quam in amorem versa videatur. Incredibile nobis legentibus pene est, quod & spectantibus mirabile fuit, tanto divinæ charitatis incendio parem fuisse fæminam, adhuc mortalem; sed ne diu miraculum esset, transiit ad immortales, ut inter beati incendii, accolas transcripta, municipatus iure, igne divino frueretur. Quod liquide, ut omnibus constaret, non frigidâ morte, sed summo in æstu amoris (ut Cardinales Sacrorum rituum, in relatione facta Gregorio XV. pro ejus canonizatione asseruerunt) à nobis abiit; Hanc quoque exem-

c Ans. de excellentia Virg. c. 5. d Virg. Ecl. 4. e Lancicius opus. spirit 4. c. 5.

exemplo suo comprobatam, posteris doctrinam reliquit, in itinerario perfect. c. 19. *potest*, inquit (*crescere adeo amor, & desiderium Dei, ut subjectum naturale illud sufferre nequeat, & aliquæ personæ sic sunt mortuæ.* vultis ex his aliquas?

De S. Catharina Senensi scribit Surius 29. Aprilis: *Amoris Christi in ea tanta vis fuit, ut cor Virginis, à summo usque deorsum crepuerit ruptisque vitalibus venis, sola vi divini amoris spiritum reddiderit.* Iuvat hic iterum exclamare: *O vere fortis, ut Mors dilectio!* quæ occidit, quidquid mortale, quid carnale in nobis est. Aug. in Psal. 121. *resistitur ignibus, resistitur undis, ferro, Regibus, potestatibus, venit una mors quis ei resistit? nihil est illa fortius: propterea viribus ejus charitas comparatur, quia ipsa occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus.* Vbi Calliopij Martyris pijssima Mater, filium in cruce exspirantem vidit, in complexu ejus, simul spiritum exhalavit, sicque cum eo se in holocaustum amoris, obtulit. Huc spectat illud, quod nonnulli Ecclesiæ Patres, & sacrarum literarum commentatores tradidêre; quos inter Sixtus Senensis l. 5. Bibliothecæ: Matrem Machabæorum, post filij postremi necem, affectus materni, & terrenorum omnium oblatam, tanto diuini ardoris, & cælestis amoris dulcedine fuisse perfusam, vt præ amoris magnitudine, cordis sinu disrupto, exspirarit. Textus sacer non aliud dicit, a quam: *novissime & Mater consumpta est*, *illo* nempe moris genere, quo Psaltes Regius se mortuum jactat: Psal. 30. *oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* hanc oblivionem, & mortem, Bernardus celebrat Epist. 41. *bona oblivio, si teipsum nescias, mortem hanc, quæ fit à corde infert charitas, de qua loquitur, sponsa in Canticis*: FORTIS EST UT MORS DILECTIO; ideo ait, mortuus, non à morbo, à ferro, aut igne, sed à corde, quod vitæ principium & sedes amoris est.

Quam pauci vestrum, hac ratione *mortui à corde*, rerum omnium terrenarum obliti, divini amoris telo confixi sunt. Similes nos pueris, qui crepundia, qui nuces, & poma cum apetto vitæ discrimine, deperimus. Non multis ab hinc annis, b puerum in Transsilvaniâ, tanto pomi unius desiderio exæstuasse, certo auctore compertum est, ut potiundi spe, & re frustratum, ardentissimus tantillæ rei amor extinxerit. Ejusmodi amor noster, puerilis totus, & in res futiles impotenter effusus; quam pauci amore summi, & increati boni moriuntur? ex desiderio ardentissimo intuendi illum, qui tanti eos emit, & redemit, qui usque in finem dilexit eos, ut supra diximus. Sed Eheu, magis desiderant, & ardent aliquo amore horti (ne hic spurcos attingam) alii amore auri, ille uxoris, ille liberorum &c. quibus vel ipsa mortis, quæ sic separarat, amarissima est recordatio.

Quid de te integelle floscule Stanislae dicam?

a 2. Mach. 7.

b P. Posarel de excellent. virg. l. 3. c 8. §. 5.

O quan-

O quanti! O quales! fuerint tibi pectoris ignes,
Infusæ toties, testificantur aquæ.

Factum hoc sæpius est, & vix mitigato igne, qui intus urebat, retenta vita est, ne amatoria inter suspiria dilaberetur; nec tamen flumina. charitatem obruere potuerunt, quæ Stanislaum in speciem validiore morbi vi, sublatum à nobis cœlo intulit, ubi æternum vernaret. Quis à rigida septentrionis plaga, tantum sperasset ardoris? verum divinus ignis,& virgineis nivibus servat fidem, & iisdem alitur, mirabilibus incrementis,juxta *a* illud: *aquæ multæ non potuerunt extinguere chatatem.*

Quod ut ad mores referamus; Multas, easque maximas, tenerrimi corpusculi afflictiones in se, ultro susceptas, aut à domesticis illatas, aut à cacodæmone immissas, Seraphicus juvenis (ut autor vitæ fusius expressit) toleravit. *Sed aquæ multæ*, tribulationum, tentationum, *non potuerunt extinguere charitatem.* Miratur adhuc ætas nostra, quod nequivit antiquitas satis admirari; Æthnam Siciliæ montem, teste *b* Plinio, tanto impetu, flammarum globos ejaculari, ut ad quinquaginta, & centena millia passuum, arenas emittat. Mirum hoc, sed longe mirabilius, quod in illo, seu ardentis naturæ camino, seu æstuantis terræ fornace, nullæ ignibus nives appareant: licet enim voracibus, ingentibusque exundet incendiis Æthna, summo tamen apice, concreto gelu; & nivibus resperso, quasi senilem canitiem, cum immenso conjungit ardore, invicta profecto in utroque violentia: nec calor frigore retunditur, nec frigus calore dissolvitur.

Me sane hæc in admirationem rapere non possunt, dum considero miraculum stupendum magis: cum æstuante humano corde inexstinguibili, superni incendio amoris, ita gelu afflictionum conjungi, ut quò graviores sunt afflictiones, eo fiat teneriores amantis animæ affectus,desideria, vota, ecstases, raptus, mortes, tantum abest, *ut aquæ multæ, valeant extinguere charitatem*; quæ si usquam, aut unquam, in cor Virginis, cujus *c magna velut mare contritio*, omnia flumina lachrimarum, sanguinis, dolorum, ac cruciatuum filii intrarunt; sic enim Arnoldus Carnol: *quot dolorum flumina filium obruere videbantur, tot in viscera Matris intrâsse feruntur.* Tamen dum hæc omnia flumina intrant, mare non redundat, nec aquæ hæ copiosissimæ potuerunt extinguere charitatem, aut flumina obruere; sed *alit unda flammas*, donec vitali incendio, amantem in cineres resolvat. Quod *d* Spondanus Apameensis Antistes, egregio in Christum, amoris probat exemplo, civis Dionantensis, anno 1216: in Terram Sanctam profectus, ubi omnia, quæ Redemptor noster, præsentiâ suâ loca sacrarat, summa reli-

a Cant. 8. v. 7. b Plin. l. 3. c. 103.

c Thren. 2. v. 13. d Spondan. anno Christ. 1216.

religione, & animi teneritudine veneratus fuisset, tandem in Calvariæ Monte, vi amoris, & doloris, *ruptis vitalibus cordis venis, Spiritum exhalavit.* Quid de affectu Sanctissimæ Matris, acerbissimos proprii filii, & talis filii cruciatus recolentis, & etiamnum veluti intuentis, sentiendum est? a *si quæ sunt in vobis viscera charitatis, considerate quo cruciabatur amore, quoque desiderio æstuabat hæc Virgo; puto, quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeas, quanto indesinenter cremabatur ardore piì amoris* b: *ut amabat, ut dolebat, ut nullus ardorem Virginis sufficit explicare, quanto desideriorum cremabatur incendio.* Ut viva moriebatur, dum toties, totiesque sacra loca filii sudore, lachrimis, sanguine respersa peragraret: piissimam quoque Matrem hoc pro more habuisse S. Ildephonsus, B. Guerricus *d*, Abbas, & *e* S. Brigitta in revelationibus suis testantur.

Nunc si lubet, omnium mortalium non modo naturalem, sed & supernaturalem, adde Seraphinorum, & cœlestium mentium reliquarum amorem, in unius pectus, velut in fornacem ardentissimam collectum contemplare, frigus erit & glacies, præ amore, qui in corde Mariæ, in immensum deflagravit; quod pulchre expendit Anselmus de excell. Virg. cap. 4. *Superat omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines, magnitudo amoris illius Virginis in filium suum, & dulcedinis immensitas qua exultebat, & liquefiebat anima ejus in eundem Dominum,* suavissimum exspirans odorem; quemadmodum rosæ, aut violæ, Solis ardore emorientes, fragrantem, & beneolentem exhalant animam. Hac super re Eximium Theologum Franciscum Suarem, quem alterum Augustinum vocitarunt, audiamus, f *hic vi amoris, & ardentissimi desiderii, & intentissimæ contemplationis obiisse astruit: fieri enim potest ut mens tanta efficacia, & intentione, in his actibus occupetur, ut veluti destituat corpus; ita ut paulatim ejus dispositiones remittantur, ac deficiant, ac tandem ob earum defectum, non possit anima in corpore conservari.* Nec dubitarim in eam, cœlos subeuntem, transferre eas Psaltis voces, quas Theodosio Magno cœlos penetranti, in os ingerit S. Ambrosius, celebrans defunctum; instructum enim egregie divina, & proximi charitate, cum Theodosium exhibuisset, subjicit: ergo decedens è terris pia anima, & sancto repleta Spiritu, quasi interrogantibus iis qui sibi occurrerent, cum sese ad sublimia, & superna subrigeret, dicebat: DILEXI: Nihil hoc plenius, nihil expressius. Quid egisti in terris? (occultorum enim solus cognitor Deus) dicebat *dilexi.*

Quod si vos percunctari liceat: quid tu Mercator egisti in terris? quid mihi, quid supremo judici respondebis? *dilexi*, sed quid? aurum & argentum, fluxas & perituras divitias. Quid

a Hieron. serm. de Assumpt. Virg. b Iustin. serm. de Assumpt. c Ildephon. ser. 5. de Assumpt. d Guerric. ser. 2. de Assumpt. e Revel. Brigitt. l. 6. c. 21.

f in Biblioth. script. Soci. Suarez 3. p. tom. 2, q. 37. disp. 21. Sect. 1.

tu Adolescens egisti in terris? *dilexi*, quid? spurcas ac fœdas voluptates. Quid vos, ô filiæ, dilexistis in terris? *dilexistis*; sed quid? vanitatem, fastum, fucum, & mendacium. Ita quisque in se descendat, & attendat quid diligat; & exemplo Sanctissimæ Deiparæ, solum Iesum, ita ardenter diligat, ut amore ejus totus exardescat.

Ad hoc ut flammas *a*subjiciam, præ omnibus *b*Hieronymum *Doctorem maximum* (sic luculento Ecclesiæ testimonio dictum) adduxisse sufficiat, qui serm. de Assumpt. *cum novis quotidie, cremaretur ardoribus, & ad filii sui clarissimum, & indesinentem intuitum, affectuosissimè suspiraret, in tantum evasit flamma incendium, ut ardori cedendum rata ferventissimam in amore animam, amatori suo reddiderit.*

Neque id solum constat, præ amoris magnitudine solutam à corpore animam Virginis; sed etiam rationem, & modum, quo id effectum est, ipsa narrante didicimus: sic enim Maria causam obitus sui, familiari sibi B. Brigittæ exposuit, lib. 6. revel. cap. 26. *cum quadam die*, inquit, *animus meus suspensus esset, in admiratione divinæ Charitatis: tunc anima mea in ipsa contemplatione, repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione, anima mea à corpore fuit soluta.*

O genus mortis exoptatissimum! dicantur alii laboribus, flagris, equuleis, rotis, facibus, flammis mortem oppetiisse, nemo certe nobiliori telo, quam amoris occubuit. Hæc mors amoris nil habuit amaritudinis, doloris aut pavoris: nam ut recte *c* Damascenus; *priusquam dolorem sensisset, peperit: absque dolore quoque fuit ejus ex hac vita excessus*, ut Albertus Magnus *d* in suo Mariali c. 171 *B. Virgo præ amore, & sine dolore mortua est.* Non sensit dolorem, præ amoris magnitudine, sicut Moyses, inquit, in monte non sensit famem, præ mentis elevatione; certe & Moyses, & Aaron non videntur in morte dolorem sensisse. Nam de Aarone dicitur num. 33. *Ascendit Aaron Sacerdos in montem Hor, jubente Domino, & ibi mortuus est.* Similiter de Moyse refertur. Deut. 34. *Mortuus est ibi Moyses, servus Domini, jubente Domino.* Ubi Hebraica lectio habet, *mortuus est in osculo Domini*, quasi filius prædilectus, in complexu, & osculo amantissimi parentis. Quod si hoc Moysi, S. Iosepho, ut S. Bernardin. Gerson, aliique testantur, concessum sit, ultimum Spiritum in osculo filii Dei, in quo omnia vita sunt, exhalare: quis eam gratiam, ac prærogativam Matri Dei, à filio, cui ipsa vitam contulit, concessam diffitebitur? cum teste *e* Bernardo, *quod vel paucis mortalibus constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari, tantæ Matri esse negatum.* Quo in amoris excessu, atque actu illo ultimo intentissimo, dum corpori repagulum disrupit, tantum gratiæ, meriti, ac sanctitatis, Virginem

a Breviar. Rom. b Hieron. serm. de Assumpt. B. Virg.

c Damasc. orat. 2 de dorm. Virg. d Albertus M. super M ssus. e Bern. epist. 174. ad Consil. Lugdun.

sibi

sibi comparasse, ut omnes innumeros anteactæ vitæ gradus transcenderit, irrefragabili gravissimorum *a* Theologorum doctrina est: qui & illud unanimiter asseverant, continuos cha[illegible] [illegible], ne in obitu quidem, [illegible] permansit ad partem ininterruptos fuisse, ut infra videbimus.

Prodigium omnis ab orbe condito inauditum, quod affert Ioannes major *b*, & alius Theologus, puellam tredecennem, ex amoris divini vehementia exæstuasse, ut cordis sinu disrupto exspirarit. Tum ut insolitæ mortis causa omnibus innotesceret, divinus Amor hocce cordi, aureis literis lemma exararat: *Sic diligo, mi Iesu, te, ut diligam te, plus quam me.* O si cor Dei Matris intueri liceret, quid hic exaratum legeres? Verè,m Iesu amantissime, *sic diligo te, ut diligam te, plus quam me*; atque alio longe magis insolito mortis genere, quam tredecennis hæc filia, Mariam expirasse, mystici quidam Doctores asserunt, qui piè tradunt: Dei Matrem, ab accepto rursus intra viscera, quasi pro viatico, Sanctissimo filii corpore, incorruptis etiamnum speciebus, vi amoris in præsentem filium, animam exhalâsse, atque adeo, SS. Eucharistiam cum corpore Virginis translatam in cœlum, hodieque manere in Virgineo pectore perspicuo, tanquam in pellucida crystallo, ut à beatis, summa cum voluptate, & gratulatione, velut fons omnis resurrectionis, tota æternitate adoretur.

Ac dices, quid ergo commendavimus amorem, cujus laus funus est, cujus opus mors est: istud est arcanum ingeniosi amoris, mori cum fœnore, perire cum lucro vitæ.

§. 3.

Vnica mundi phœnix Maria, ex amoris rogo rediviva.

PHœnicem dixit Claudianus, *solis avem*, ad cujus immortalem interitum, ceterarum volucrum turbæ convolant, & admirabundæ spectant;

> *Vnicus extremo phœnix procedit ab Euro,*
> *Conveniunt Aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,*
> *Vt solis mirentur avem.*

Si solis avis est, quid mirum si sola, si unica sit? S. Clemens Alexandrinus. lib. constit. Apost. c. 6. *ajunt Græci, avem quandam esse soligenam, uberem præbentem, Resurrectionis demonstrationem, quam dicunt comparem non habere, solamque in mundo reperiri, phœnicemque appellant.*

Hanc avem rarissimam, unicam Mundi phœnicem, Richardus à S. Laurentio lib. 7. Mariam appellavit: *in Mundo enim est unus Sol, & Maria una, sola est Mater & Virgo, unde & comparatur phœnici, quæ est unica avis sine patre, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

a Suarem 3. p. t. 2. q. 37. disp. 18. sect. 4. & disp. 21. sect. 2. b Posarel. de Excellent. Virg. l. 3. c 8 §. 5. c Hautin de V. Sacr. Servius tract. de arte moriendi c. 28 §. 3.

Phœnix, ut fertur, est heres, prolesque sui, absque conjuge gignitur, absque pudoris calamitate renascitur; id nostræ Virginis specimen luculenter expressit, ut loquitur *a* Cyprianus: *quid mirum videtur, si Virgo conceperit, cum orientis avem, quam* phœnicem *vocant, in tantum sine conjuge nasci & renasci constet, ut semper & una sit, & semper sibi ipsi nascendo, vel renascendo succedat.*

Ad hanc solis avem, tam stupendo fato propinquam, ex toto terrarum orbe, velut Aquilæ ad corpus convolarunt Apostoli, ut S. *b* Dionysius, oculatus testis affirmat, & *c* Damascenus. orat. 2. de Assumpt. Virg. *Apostoli qui passim toto orbe dispersi erant, velut Aquilas quasdam, Dei filius compellens, atque in unum cogens; ubi enim fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.* Idem sentit D. Thomas, Albertus Magnus, Andreas Cretensis, Epiphanius, aliique apud Suarem. 3. p. to. 2. dis. 15. q. 37. art. 4. Mitto hic Angelorum choros cœlo delapsos, ipse Dei filius, Matri occurrit: *Rex ipse ad Matrem suam venit* quem ut intuita, complexa, & exosculata est, in eo, in quo omnia vita sunt, Spiritum exhalavit, & suis ipse manibus (ut Damascenus *d* loquitur) amantissimus Iesus, animam accepit, atque ita hæc phœnix nostra, innixa super dilectum suum, in cœlos, ad Thronum gloriæ, evolavit; quod ingeniose expressit, qui tabulæ Virginis ad superos ascendentis depictæ subscripsit: VOLABO, ET REQUIESCAM. Anagramma: *quum beata cœlis ero.* Ubi cum gravissimo Doctore observandum est, nunquam tamen requiescere ab amore, *e* atque in ipso transitu à via ad patriam, non interrupisse, aut intermisisse B. Virginem divinæ charitatis & amoris actum; sed vel eundem, quem usque ad mortem in terra vivens libere exercuit, in termino viæ, majori quadam perfectione, & necessitate continuasse (si verum, actum divini amoris in via, & patria, ejusdem rationis esse) vel certe, si quis sentiat esse diversos, saltem sequitur B. Virginem ab actu amoris viæ, immediate transisse, ad actum amoris patriæ, absque intermissione: verisimile enim est, animam B. Virginis, eo præsertim tempore, quo morti appropinquabat, neque ab actu divini amoris cessasse, quia neque corporis dolore, neque sensuum perturbatione impediebatur, quin potius, quia ex divina revelatione, horam & momentum sui discessus, præsciebat (ut Patres docent) *quo ad exoptatum illum terminum magis ac magis accedebat, eo vehementius divina charitate, & amore flagrabat*; atque ita unica Mundi phœnix Maria, divino amoris incendio, in virtutum nidulo emoriens, quasi cinnamomum & balsamum aromatizans, quasi Myrrha electa dedit suavitatem odoris. Pelignus vates rite depingit, quemadmodum phœnix, in ramis aut *cacumine palmæ*

a Cyprian. in exposit. Symb. *b* S. Dionys. c. 2. de divin. nominib. *c* Damasc. orat. 2. de Assumpt. Virg. *d* Damian. Damasc. Bern. de Assumpt.

e Suarez 3. p. tom. 2. disp. 37. & disp. 15. sect. 2. & disp. 21. sect. 2.

Vn-

a Vnguibus, & duro nidum sibi construit ore:
Quo simul ac casias, & nardi levis aristas,
Quassaque cum fulva substravit cynnama myrrha:
Se superimponit, finitque IN ODORIBUS *ævum.*

Virgo Mater infinitum omnium virtutum, gratiarum, ac meritorum cumulum, per omnem vitam sibi congregarat, atque his omnibus: *se superimponit, finitque in odoribus ævum.* Quid vos filii hominum, in diem mortis vestræ congregatis? alii paleas, & stipulas siccas vanitatis ad comburendum; alii fœnum, quorum opera carnalia sunt, aptum pabulum ad comburendum; alii inanes superbiæ arundines sectantur; alii zizania, & integros fasciculos vitiorum colligunt ad comburendum: quale enim cujusque opus fuerit, ignis probabit. Hortatur nos Nazianzeni Antistes, ut alias flammas concipiamus, & exemplo Virginis, phœnicis instar, amore cœlesti conflagremus, si à morte in vitam perennem renasci exoptemus, sic ille non levi calamo inflatus, sed divino Spiritu plenus serm. 3. ad Virgines.

Vt phœnix moriens primos reviviscit ad ortus,
In mediis annis post plurima lustra renascens:
Atque novum veteri surgit de corpore corpus:
Haud secus egregia redduntur Morte perennes,
Dum pia divinis ardescunt pectora flammis.

a Ovid. l. 15. Metam.

Alimenta pyræ vestræ construendæ, sint aromata virtutum ardentissimæ orationis, quæ velut incensum ad conspectum Dei ascendat; sit casti exempli bonus odor.

b *Habent enim & mores colores suos, habent & odores, sint ignita sancti sermonis colloquia*, sit omnium virtutum fragrantia, quæ exhalet & expiret, ut homines & cœlites gratissimo odore perfundat, quod in Virgine Matre S. Amedæus c deprædicat, quam totam in ignem transisse, & Phœnicem fuisse, undique odoriferis flammis involutam, describit: *tu O Maria*, inquit, *divinis ignita colloquiis, tota effecta es, velut ignis, teque holocaustum Deo suavissimum obtulisti, O phœnix aromatizans gratias, cinnamomo, & Balsamo, & nardo suavius! Regem in adspectu tuo delectans? phœnix congregans omnes species, & igne circumfusa superessentiali, ut cœlum cælorum, & cæli potestates angelicas mirifico repleas suavitatis odore.* Atque hac ratione renascens, alia derepente Maria effecta est, de mortali immortalis, de passibili impassibilis, de corruptibili incorruptibilis, *eadem Maria, & altera.* De Arabico phœnice, ut innumeros Auctores, Philostratum, Ælianum, Plinium, Solinum, imo & Sanctos Ecclesiæ Doctores, Epiphanium, Cyrillum, Basilium, Ambrosium prætereatn, unius Tertulliani d testimonio acquiescam: *Accipe illum Alitem orientis peculiarem, de singularitate famosum,*

b Bern. serm 71. in Cant. c S. Amedæus hom. 6. de Laude Virg. d Tertull. de Resurrect.

tum, de posteritate monstruosum: qui seipsum libenter funerat, renovat natali fine: decedens, atque succedens iterum phœnix: ubi jam nemo, iterum ipse: qui non jam alius idem: ipse quidem, sed non idem: quia & ipse, nec ipse est. Quid expressius, aut signantius in hanc causam, aut cui alteri rei tale documentum?

Hanc quisque beatam metamorphosim, æmulatur, quisquis mortem omnibus, terribilem, sibi amabilem, placidam, prorsus ac redivivam desiderat, eam colat, diligat, veneretur, de qua *a* Damascenus: *non te Mors beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti: ut quæ ejus mœstitiam sustuleris, ac mortem, gaudium plenum feceris.*

Hujus phœnicis alis, in extrema illa lucta, dum milvus iste stygius, ungues injicere parat, protegi ac defendi ardentissime deprecetur.

§. 4.

Maria in morte Patrona.

S. Augustinus *lumen avi sui, sanctum sapientiæ templum* (ut De. *b* Prosper eum compellat) solerter observat, vocabulum illud *Mors*, suum ethymon à morsu derivare: à primo etenim protoparentis nostri morsu, Mors in orbem intravit, ac *propterea*, *c* inquit, *Mors à morsu nomen accepit.* Si quis porro morsum è pomo dentibus divellit, fructum aufert, alterum quod relinquitur, illico corrumpitur ac putrescit; haud aliter *Mors*, animam potiorem partem aufert, corpore quam mox tabescente relicto. Sed Eheu! hic morsus amarissimus, quo arctissimum corporis, & animæ vinculum, adeo violente dirumpitur, ut Rex ille Agag, inter extremam hanc luctam, horrendum vociferari auditus sit: *siccine d separat amara mors?* grave quidem Mercatori accidit, ingruente tempestate, ac imminente naufragio, pretiossimas merces, lanam, linum, sericum, in Oceanum devolvere, omnium opum jacturam facere; sic *separat amara mors* à divitiis, prædiis, fundis, dominiis, gazis, aliisque mundi facultatibus; his tamen omnibus, gravius vitæ naufragium (ut Tertullianus mortem vocitat) atque hoc longe gravissimum est animæ.

Peracerba honesto civi accidit decretoria judicis sententia, qua omnia ejus bona, suppellectilem omnem, fisco addicit, atque ante ædes, suo in conspectu, divendi, auferri, seque omnibus spoliari intuetur. Luctuosum & illud merito censeri potest, dum Amicus ab amico, frater à fratre, filius à parente in ultimam Thulem profecturus, nunquam rediturus divellitur; sed charis omnibus nos mors, acerbiori sensu dividit. Hieronymus epist. 3. ad Heliod. *O Mors quæ fratres dividis, & amore sociatos, crudelis ac dura dissolvis.*

Coujunx conjugi tam arcto vin-

a Damasc. de dorm. Virg. b S. Prosp. epist ad Rufin. c August. s. 101. de temp.

d 1. Reg. 15

culo

culo colligatur, ut nec nuditas, nec paupertas, nec persecutio, nec calamitas, aut morbi ulli valeant illud disrumpere, nisi sola Mors. Ruth. cap. 1. *Sola Mors me, & te separabit.* Quæ separatio quam amara sit, testatur ille, de quo Cornelius à Lapide *a* ait: in Belgio nuper vir insignis moribundus, imploravit opem uxoris dicens: *charissima conjunx, adjuva me, in hisce angustiis; cumque illa diceret flens, ecqui possum te juvare, charissime marite, in morbo incurabili?* Vocavit filium primogenitum: *fili, adjuva me, eripe me ex his angustiis, ego pro te nocte & die laboravi, & vitam sæpe periculo exposui;* cumque ille pariter gemens diceret, utinam mi Pater morte te eripere possem! sed hoc vires meas excedit: vocavit secundum, deinde tertium, ac ceteros ordine filios, & filias, deinde famulos & ancillas, quemque sigillatim compellans, ac opem implorans; cumque singuli dolentes, idem responderent, dicerentque contra mortem non esse remedium, exclamavit ille: *O vanas hominum curas! O quantum est in rebus inane! Ecce tibi O uxor, vobis O filii, & filiæ laboravi, sudavi, vires & vitam impendi, quin & animam forte oppignoravi, & ecce hæc est merces mea, ut in hac hora ultima, implorans opem vestram non inveniam. O quam satius fuisset, si Deo, ejusque* MATRI *servivissem! si amicos in cœlis parassem, qui in hoc articulo, mihi adessent. O si vivere liceret, quam saperem!* Videtis, ut opinor, quo sensu, ab omnibus charis suis avulsus sit: b *neque enim sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur.* Quo dens aliquis molaris, carni tenacius inhæret, hoc difficilius, ac majore cruciatu evellitur; sic separat amara mors, avarum ab omnibus thesauris, & cumulis auri, argentique congestis. Superbum separat à titulis, honoribus, dignitatibus, muniis, temulentum ab exquisitis vinis, immensis cantharis: libidinosum à scortis, à carnis illecebris, & illicitis voluptatibus. Plus dico, si vos viva mortis recordatio, aut per inane etiam somnium objecta, maxime terrifica, & amara sit, quid ipsa per se terroris, & amaritudinis allatura non est? Eccles. 14. *O Mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti, in substantia sua!* si quis unquam in mari, præsenti vitæ periculo jactatus sit, testari poterit, & suam, sociorumque formidinem, vultu suo pallido & exangui, omnes mortis imaginem præferentes. Idem & generosissimis Ducibus evenit in campo, ubi ancipiti alea, cum hoste dimicandum. c Alexander Magnus, & Carolus V. quamquam vis generosissimi heroes, quoties ad conflictum armis suis incendi, totis ossibus contremiscebant. Quod multo luculentius in facinorosis cernere est, dum judici sistendi, fatalem mortis sententiam operiuntur. Audistis *d* alias Orosium, audita mortis sententia una nocte incanuisse, de quo exstat ille versus:

a Corn in Ier. c. 1. Thren. v. 19. vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.

b Augustin. c Garsias p. 181. d Drexel. rogus damnat. c. 2.

O nox quam longa est, quæ facit una senem.

Consimilis *a* terror affinem quendam Francisco Gonzagæ, Principi Mantuano invasit, quem cum ex suspicione conjurationis in turrim conclusisset, jamque ad exprimendam veritatem, & complices detegendos, torturæ subjicere, ac deinde morti adjudicare decrevisset, captivus hoc nuntio audito, vna nocte totus incanuit, quod ut Princeps mane advertit, hominem liberum dimisit; utpote qui ipsius mortis amaritudinem, adeo vicaciter degustarat.

Hoc argumentum, Carthaginiensis Antistes *b* confirmat ipso primæ veritatis testimonio, expendens Servatoris nostri pavorem, angorem, sudorem sanguineum, qui amarissima hæc verba expressit:

Tristis est anima mea usque ad mortem.

Exclamat: *audiens hæc*, inquit, *expavi; quis enim non timeat, si timet ille, quem omnia timent? si pavet ille, cui omne genu curvatur? si ille qui mors est mortis, & morsus inferni, morte propinquante pertimescit?* Vt quid vita omnium benignissimus Iesus ita ad memoriam mortis exhorrescit, qui sese ultro, & spontanee obtulit? Respondet idem Doctor: *metus ille, infirmitatis humanæ communem exprimebat affectum, ut difficultas extremi transitus timeretur*; si timet ille, quem omnia timent, si integerrimi viri, si sancti timuerunt, quid mirum, si *c* Aristoteles *terribilium omnium terribilissimum, mortem pronuntiarit*? fertur Lescus quidam Polonorum Rex, filium Ratislaum, quem h[illegible]bat unicum, regno insidiantem, [illegible]ene potum, intempesta nocte, à quatuor larvatis indutos, funesto habitu, in lapifodinam, ad milliare extra urbem sub terras porrectam, deferri curasse, hic experrectus, diuturnas tenebras miratus, atque ubi gentium esset plane ignarus, horrore concuti, fremere, pavere, palpitare, nec usquam exitum reperire, at quod pavorem ejus augebat, ut tantum non exanimaretur, varia hinc, illinc, sese spectra objiciebant: nunc horribili visu formæ. Sandapilam deferentes, in eum impingebant; nunc alio proreptans, eminus cacodæmonis in speciem carnifices spectabat, accensam fornacem circumstantes, quas ipsas inferni fauces, seque vivum ad inferos delatum, arbitrabatur. Donec nocte insequenti, iidem illi quatuor larvati, obice è lapifodina semoto, Adolescentem hunc gelido sudore perfusum, & jam velut spirans cadaver, rhedæ imponunt, domum devehunt, consuetum in thalamum reponunt. Nec etiamnum ubi, quo, qualive loco esset dignoscebat. Vbi diluxit, de more nobiles accurrunt, Principem induunt, ad nutum obsequuntur; sed jam parentem octagenarium adolescens duorum & viginti annorum, promissa, eaque cana barba & capillitio referebat, tantumque mutatus ab illo, qui fuerat, ut dum in conspectum parentis venit, ipsi lachrimas excusse-

a Adrian. Iuni. Vives in præfat. de somn. Scipion. Agoneau. le penitent p. 3 c. 1. p. 448. b Cyprian. serm. de Passione. c Arist. l. 3. Ethic. c. 8.

cusserit, atque in filii collum irruerit, hæc paterno affectu prolocutus: *Putaram è filio perduelli, probum & morigerum facere; sed simul è juvene, feci senem. O Mors, quam amara est memoria tua!* Hic dumtaxat in tenebris, & *umbra mortis* ambularat, & veluti per somnium, horrendam illam, ac immensam æternitatis semitam, quam anima corpore soluta ingreditur, vivaci imaginatione sibi repræsentarat. Quis pavor, quis pallor, quis tremor occupabit, ubi hoc in itinere soli constituti, ante tribunal Iudicis cuncta cernentis, sistendi? ubi inermes, & sine comite, contra invisibiles hostes, in arenam processuri sumus? quo se tunc vertet miser, si oculos in cœlum sustulerit, iratum sibi judicem contuebitur, si infra demiserit, abyssum inferorum apertam formidabit; si ad dextram, conjugem, prolem, propinquos lachrimantes, lamentantes videbit; si ad sinistram se converterit, hic forte opes, divitiæ, Thesauri mox deserendi obversabuntur. Circa se dæmones, ante se mortem, jam jam imminentem, intra se conscientiam mille anxietatibus ac stimulis pungentem perhorrescet:

Siccine separat amara mors?

Per talia præludia, per tales dispositiones prævias, via paratur ad acerbissimam mortem. Vnde Hugo Cardinalis illa verba *siccine separat amara mors?* legit, *siccine se parat?* Sic se mors amara parat. Quomodo autem separet, ut ultimum aculeum suum infigat, pathetice depingit S. Ephrem? a *Magnum & occultum est mortis arcanum, & nullus enarrare illud potest.* Horrenda & formidabilia sunt, quæ tunc anima subibit; sed nemo nostrum ea novit, nisi solum, qui illuc permearunt. Non vides apud fratres morientes, quibus assidemus, quam terribilia tunc illis accidere cernantur? non a- „ spicis eos sudoribus frigidos, „ instar messorum in agro? quo- „ modo oculos huc illucque re- „ torqueant? quomodo alij den- „ tibus strideant, quomodo ob- „ stupescant, & expavescant, „ tumultuarieque agant? & quo „ pacto etiam multi capillos suos, „ evellant? quo pacto è lecto e- „ xiliant, fugere volentes, licet nequeant; videntque ea, quæ nunquam prius viderunt: requirentes qui eos redimat, & nemo est qui liberet. Denique, quidquid hic adducit, non hyperbole est, sed picta velut tabula, & rude schema eorum, quæ homini ad extrema accidunt. Hanc mortem ut hactenus audistis, tam terribilem, tam acerbam, tam amaram, unum benignissimæ Dei Matris Patrocinium, amabilem, dulcem, ac suavem reddere, ut homo & cantando moriatur & moriendo cantet, variis, verisque testimonijs declarabo.

a S. Ephrem Syrus serm. in eos qui in Christo obdormierunt.

a Mortem suavissimam Mellifluus Doctor obivit, omnem suam in Matre fiduciam collocando. Hic in meditatione ultimæ horæ exclamabat: *anima mea, quid ages tunc, cum in lectulo posito corpore, exitura eris ex hac vita? quis erit tunc socius itineris, per quod non apparet vestigium hominis? quis ad judicem deducet: quæ sors tua erit, bonane an mala? quis te defendet? quis te liberabit? considerabam ad dexteram, & non erat qui cognosceret me, perijt fuga a me. Quid miseræ reliquum? clamavi ad te Domina, dixi, tu es spes mea.*

Si vir ille tam stupendæ sanctitatis, non iejunijs, nec corporis afflictationibus, nec continuis orationibus, ac divinis illustrationibus fisus; sed unius Virginis Matris patrocinio nixus, mortem intrepidus, securus, & risu quodam exceperit, quis nostrum suis aut ieiunijs, aut orationibus, aut eleemosynis perexiguis fretus, extremam illam vitæ horam non perhorrescat, nisi tantæ Matris sese totum tutelæ commiserit? quam si per omnem vitam sibi propitiam reddiderit, optime sperandum est, mortem cygneam, omni gaudio, ac suavitate plenam, obventuram. Qualem illam expertus est, *b* B. Paulus Cisterciensis, qui in morte suavissime risit: mirantibus alijs circumquaque affusis socijs: Eccur, inquit, non exultem? Ecce domina mea præsens est, & animam meam suscipiet: hæc suo serenissimo fulgore, omnes tenebras discussit, & amabilissimo suo vultu, cœli delitias fecit prægusta[illegible]. Hunc malitia parv[illegible] suavissimo [illegible] in ore [illegible], [illegible] nec compellit B. Cæsarius:

Incipe, parve puer, risu cognoscere Matrem.

Rarum profecto è mille millibus, benignissimæ Virginis clienti, Gerardo S. Bernardi germano concessum, ut homo moriendo cantet, & cantando moriatur: *accitus sum ego*, inquit *c* Bernardus, *ad id miraculi, videre exultantem, in morte hominem, insultantem morti: Vbi est mors Victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? jam non est stimulus, sed iubilus: jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* Sic Nicolaus Tolentinas trimestri integro, morti suæ festino cantu prælusit, & angelico concentu recreatus, identidem in has voces prorumpebat: *cupio dissolvi, & esse cum Christo*; jamque in extrema vitæ hujus lineâ constitutus cælestibus delitijs affluens, in risum solutus, dum exuberantis gaudij materiam quidam circumstantium percunctarentur? Respondit: Dominus *meus Iesus benignissimæ Matri & S.* Augustino *innixus, mihi dicit: Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui,* qui gratissimus occursus, & amica salutatio, fidis omnibus Marianis servis speranda est. Quo Hieronymus *d* Eustochium animat: *morientibus B. Virgo non tantum succurrit, sed etiam occurris.*

a Speransa punct. 131. p. 244. b Cæsarius l. 7. hist. mem. c. 53. Chri. Henriq. in menol. Cistere. 9. [illegible] d [illegible].

c Bern. s. 26. in Cant. d Hier. epist. ad Eust.

rit. Hac fiduciâ sanctissimam Virginem trepidantem confirmat, dicens: *qualis erit illa dies cum tibi Maria, Mater Domini, choris occurret comitata Virgineis?*

Quam ut & nos obviam habeamus, & ea videre possimus in die novissimo, identidem ingeminemus cum S. Richardo, Cicestrensi in Anglia Præsule:

Maria Mater gratiæ, Mater Misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege, IN HORA MORTIS suscipe.

Quas ille voces, *b* ad beatissimam Christi Matrem, corde simul & ore se convertens, moribundus usurpabat, atq; ubi vox deficeret, sacellanis suis præceperat, novissima hæc verba suis auribus inspirare non cessarent; quæ inter suspiria, placidissimè exspiravit, & vitam illam beatam auspicatus, cælo redonatus est. Cui non injuria, illud Epitaphij loco adscripsero, quod Ravennæ sepulchro, cui phœnix insidet, legitur:

Securus moritur, qui scit se morte renasci:
Mors ea non dici, sed nova vita potest.

Interea, quæ mortem maxime formidabilem reddere consuevere, sanctorum Patrum sententia, est teterrimus cacodæmonis aspectus, qui in eo vitæ articulo, sese etiam sanctissimorum hominum oculis objicit, ut ipsi *c* morientium pavores, oculi retorti, vultus aversi satis testantur; atque in Cunonis Malbulchensis *d* jam moribundi cellã ad quindecim dæmonum millia convenisse, ipsi energumeni palam prolocuti sunt. Vnde *e* Doctor Seraphicus à Misericordiæ Matre sibi præsidium postulat, dicens: *in Exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & suscipe eam, vultu sancto tuo? aspectus dæmonis non conturbet illam, & sis illi scala ad regnum cælorum, & iter rectum ad paradisum Dei.* Tartarij hostis insultus, machinationes, conatus, technas, vires omnes expressit S. Gregorius, qui cum prope in modum, quo civitas ab hoste cingitur, impetitur, concutitur, invaditur: animam vndique impugnari affirmavit; hic in illud Lucæ 19. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique*; de moribundo sic exponit: *qui*, inquit, *sunt humanæ animæ majores inimici, quam maligni spiritus, qui hanc à corpore exeuntem obsident vallo quam circumdant, qui ei ante mentis oculos, reductis iniquitatibus quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes, coarctant, ut in ipsa jam extremitate vitæ deprehensa, evadendi aditum invenire non possit.*

Hæc veluti reformidans sanctimoniâ vitæ conspicuus Ephrem, *g* sic pijssimam Matrem interpellat: *non nobis est alia, quam in te fiducia, O Virgo sincerissima! sub alis pietatis atque*

a Prov. 31. v. 25. b. Surius 3. April.

c S. Greg. l 4 dial. 37. d Platus de bono status Rel. l 1. c. 31. e Bonav. in. Psalt. Virg. f Greg. hom. 39. in Euang. g S Eph. de laudib. Virg.

misericordiæ tuæ protege, & custodi nos: ne adversus nos insolescat, & glorietur Satanas, & in nos insurgat, detestandus inimicus noster. Atque ut diabolo mille artes nocendi sunt, ita quos vi, & aperto Marte nequit exsuperare, per cuniculos, per fraudes, & astutissima stratagemata circumvenire conatur; horum illud olim specimen dedit: cum *a* Petrus Corailius Ordinis S. Dominici, in suprema agonia constitutus esset, ad se venientem in habitu Doctoris Theologi, cacodæmonem spectavit, qui quasi ægrum amice conveniret, ut tempus falleret, de arcano SS. Trinitatis mysterio quæstionem injecit, aliasque ex aliis subtilitates involutas, mire intricavit; à quibus cum se Petrus toto cælo aberrare cerneret, oculos in imaginem Virginis Matris, quæ forte lectulo affixa, conjicit, rogans eam ut se expediret, & intellectum divinæ lucis radio collustraret. Ecce, è vestigio, omnis error evanuit, & ad quæstionem subtilissime ac divinissimè respondit: quæcuncque abstrusa in hoc mysterio elucidavit, omnes nodos dissolvit, & unius Virginis ope, de tartareo impostore triumphavit.

Quare vos omnes Auditores, hac solemnissima Virginis, in morte exultantis, ac de morte triumphantis luce, hortor & moneo, ut aliquo eam benevolentiæ & amoris obsequio; vel sabbathino jejunio, sodalitium ejus frequentando, statuam venerando, Lytanias Lauretanas, Corollam Marianam, imo vel unicam salutationem filiali affectu indies usurpando, eam dignemini, si in suprema illa mortis hora, omnes insidias cacodæmonis, hujus stygii accipitris ungues, & rostrum, ad vos dilaniandum exertos, subterfugere velitis. Aures hic, animosque vestros attentos velim, magnæ Virginis clientes, dum eventum non minus admiratione, quam commiseratione dignum commemoro: *b* Etenim ut ipse Alexander Calamato testatur, rem à sancto Melitone relatam, ut legit, à lachrimis sibi temperare non potuit. Scribit hic sanctus Pater, sua ætate exstitisse insignem quendam Dominum, singulari in Deiparam pietate conspicuum, adeo ut domesticis, cunctisque sibi subditis, non modo in Virginem Matrem, amorem, venerationemque summam commendaret; sed & præciperet, ut à quocunque, ad quodvis ministerium evocarentur, hoc responsi darent: AVE MARIA. quam piam consuetudinem, ipse Dominus usque eo cordi habebat, ut volucrem, quam aviario inclusam alebat, has voces: *Ave Maria*, articulatè pronuntiare docuerit: quo factum, ut sub auroram, avis concinne cantillaret: *Ave Maria*, & quemvis aviario propius accedentem, aut pulsantem, peramœne ac peramice salutaret: *Ave Maria.* Aliquando, nescio qua Domini incuria aut oblivione, ostiolo aviarii aper-

a Barry l'Année Sainēte pag. 142.

b Calamato Silva discurs. 44. n. 20.

aperto, volucris opportunitatem nacta, præpropere avolavit. At vix dum liberiorem aërem captans, accipitrem offendit, quem omni nisu, ac præpeti penna effugere ne quidquam conata, præda cessit: jamque carnivorus prædo, ungues ad eam misere dilaniandum confixerat, cum ilico has voces dolor expressit: *Ave Maria*: atque è vestigio, rem miram! exclamat hic sanctus, prolato Mariæ nomine, accipiter velut fulmine ictus, in terram corruit, toto quem confecerat aëris tractu, teterrima mephiti infecto, atque ipsa volucris arguta modulatrix, quasi de hoste victrix, iterum iterumque Epinicion cantillavit, *Ave Maria, Ave Maria.*

Quærit hic Doctor Seraphicus, cujus rei symbolum hanc volucrem, nisi peccatoris, quid per accipitrem, nisi stygium prædonem designari existimatis? quem ut effugiatis in extremo vitæ discrimine, nullum præsentius, quam in nomine Mariæ præsidium. Ipsum *a* audite: *gloriosum & admirabile est nomen tuum. O Maria! qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis: nam dæmones audientes hoc nomen* MARIA, *statim relinquunt animam.*

Si quis forte sub noctem castra, aut in urbibus maritimis, præsidio militari instructis plateas obire voluerit, ilico ab excubitoribus compellatur, quo vadat? *qui Va là*, tesseram edicat, *Mot deguet*, (ut vocant) hoc si protulerit, liber transit, fur sit aut latro, sicarius aut fornicarius, non spectatur, si nomen tesseræ assignatæ protulerit. Haud aliter, via, aut potius bivium disparis æternitatis, arctum & anxium: excubiæ, insidiæ plurimæ: roganti, quò vadas: tesseram illam: *Ave Maria*, si proclamaris, liber transitus est, aditus ad aulam patet. Scurra fueris, aut latro, aut pessimus etiam hæreticus, hæc Mater gratiæ efficiet, ut gratiam invenias, aditum per Mariam ad thronum justitiæ, invenias.

Degebat in Hispaniâ *b* homo impius, omnium scelerum colluvione immersus, flagrabat ad hæc vehementi in Deum odio, ad quem irritandum, nefanda multa perpetrabat, certus præterea nullo unquam tempore ea exomologesi expiare, dæmoni devotum caput. His accessit, ne ullis unquam conscientiæ stimulis agitaretur, detrectaret concionatorum commonitiones, omniumque de rebus ad animæ salutem spectantibus, agentium congressum. Dum hoc scelerum luto infixus decumberet, de nocte Vigil adest illi Cæli Regina, ingenti fulgore conspicua, benignoque eum oculo intuetur, quo aspectu discussis scelerum tenebris, solutaque cordis indurati glacie, fundit lachrimarum flumina, viditque tam clare omnia anteactæ vitæ flagitia, quam si millenos annos iis perscrutandis insumpsisset. Unde moræ omnis pertæsus, anhelabat solis

a Bonav. in Psalter.

b Nierenberg vita S. Ignatii. c. 33.

ortum

ortum intueri, cujus animo medius in tenebris, Deipara sole amicta affulserat. Die jam elucescente, evocat æger e societatis collegio confessarium: mittitur P. Joannes Eusebius Nierembergius, cui omnia actæ vitæ crimina tam dilucidè & enucleate, debitis cum circumstantiis exposuit, ut à Theologo peritissimo, nil perfectius desiderari posset. Tenuit horas tres peccatorum confessio, cui accessio tam vehemens patratorum scelerum dolor, ut attonitus Nierembergius; tanta tam perversi hominis commutatione, ab eo exquisierit, ecquid tandem in vita sua præstitisset, quo tantopere Cæli Reginam sibi demeruisset, ut per cacodæmonum phalangas, undique iter æternitatis obsidentium, aditum sibi ad cælum patefecerit? Unica inquit (quam aliquando audivi, vitæ æternæ tesseram fore) Archangeli Gabrielis, Dei Matrem salutantis formula usus sum. Ut autem accepti beneficii gratum animum testatum faceret, voto se obstrinxit: si forte superstes foret: se vitam religiosam amplexurum, ursit nihilominus Nierembergium, ut à Deo felicem sibi ex hac vita abitum impetraret: quod ultimum indulsit ei Deus, atque ita per omnes sibi structas dæmonis insidias, in sinum Matris securissime evolavit. Quis finem hujus sceleratissimi hominis, non luctuosissimum, *mortem peccatoris pessimam*, & ad æternos cruciatus transitum fore existimasset? & fuisset profecto, nisi ex hac gravissima tempestate, Maria in portum deduxisset. Hæc siquidem *est portus naufragantium tutissimus*; ad hunc appulit & alter etiam a fide naufragus, pertinax hæreticus *b* qui a. 1610. ne in lethali morbo adduci poterat, ut resipisceret, quamvis octo dierum spatio omnem conatum adhibuissent plures è Societate Iesu sacerdotes; quid agerent in re desperata? ad Deiparam velut sacram anchoram confugiunt, incidit enim eorum uni, si vel semel pervicax ille Lutheri assecla, Dei genetricis opem deposceret, id illi saluti fore: quod tandem, sed non nisi magna contentione omnium impetrari potuit, itaque extremo in agone constitutus, quodammodo compulsus, prorumpit in hæc verba: *Adsis mihi O Mater Iesu.* Vix ea effatus fuerat, quando continuo lux menti oborta, hæresim ejurat, scelera sacrâ confessione expiat, instructusque Catholicæ Ecclesiæ Sacramentis, hilari, tranquilloque animo in salutis portum enavigavit, & hæc quidem mortis pessimæ & amarissimæ, in optimam suavissimamque commutatio, duarum horarum spatio, peracta est. Usque adeo Mariam vel semel in vita ingeminasse, æternos gemitus evasisse est. Ut testis fidelis narrat P. Paulus Barij, qui rei gestæ interfuit. Quæ cum ita sint, identidem & nos ingeminemus ardenti corde, quod sæpe frigido ore: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, &* IN HORA MORTIS NOSTRAE. *Tu nos ab hoste protege, in* HORÂ MORTIS SUSCIPE.

a S. Ephrem de laud. Virg.

b Barrii. Paradis ouvert c. 2. devot. 7.

Adsis

Adsis nobis ô Maria, in hora illa tremenda, unde omnis pendet æternitas, hæc erit *hora nostra*, non aliorum, ut graviter inserit Divus Ephrem *b*: *nostra erit hora & non aliorum, nostra inquam, hora & quidem tremenda hora* nostra erit hora, quia nostra res agitur, nostra erit hora, quia lis nostra instituitur; nostra erit hora, quia nostra sententia profertur: *nostra erit hora, quia salus nostra agitur nostra: illa erit hora, non aliorum: nostra inquam hora, & quidem tremenda hora.* Dicimus nos non habere tempus, nulla nostra hora est. Dum vivimus, est hora convivii, hora ludi, hora somni, hora negotiorum, hora nugarum, & voluptatum; sed in morte, hæc est *hora nostra*; quæ omnibus aliis sepositis, nos totos occupat. Hoc sensit & censuit Belgii nostri ocellus Iustus Lipsius, hic, ut multa paucis complectar, a. 1606. 15. Kal. April. quo in morbum incidit, eum sibi fatalem ominatus, dixit: *ad lectum, ad Lethum*, & libris ac literis valere jussis, Leonardum Lessium Theologum celeberrimum, sibi persamilarem accivit: eique totius vitæ rationem exposuit; ad extremum vitæ spiritum, sibi, Deoque vacans: nec uxoris, nec liberorum lachrimis quidquam commovebatur. Aderat forte qui Stoicam Apathiam illi commendabat, cum ille digito in Crucem intento, Servatorem nostrum ex ea suffixum ostentans: hic, inquit, veram docet patientiam, Interrogatus à P. Lessio, quidnam in illa extrema hora maxime solatio esset? respondit: *Quod Deiparæ sodalitati nomen dedit.* Oculis denique, manibusque jam frigescentibus junctis, & in altum sublatis; *O Mater Dei*, inquit, *adsis famulo tuo, cum* TOTA ÆTERNITATE *decertanti, nec me deseras* IN HAC HORA, *à qua pendet æterna animæ meæ salus.* Atque ut impetraret, Litanias recitandas curavit, quas & ipse ut poterat, simul pronuntiare laborabat. Demum, suavissimum Iesu & Mariæ nomen iterando, expiravit. Quod ut & nobis omnibus feliciter eveniat, iterum, iterumque exclamemus: *Maria Mater gratiæ. Mater Misericordiæ, tu nos ab hoste protege.* IN HORA MORTIS SUSCIPE.

a S. Ephrem. serm. in eos qui in Christo moriuntur.

b Sandæi Grammat. profan. comment. 6. n. 2. & Pedag. chrest. tom. 1. p. 2. c. 24. sec. 4. n. 12. in vita sub finem.

FESTUM

FESTUM
S.BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

PELLEM PRO PELLE, & *cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Job. 2.



Iam se formosior ipso est. Ovid. 10. Met.

ARGUMENTUM.

INgens haud dubie calor, & ardentiores caniculares existant necesse est, quæ hominem, non tunica dumtaxat, sed quo nihil nos propius contingit, ipsa etiam pelle exuere compellit. Tantus in sanctissimi Apo-

Apostoli pectore calor exarsit, tantis divini solis radiis perstrictus fuit. Hic siquidem non unam, sed triplicem cœlesti jam sole calens, pro Christo, pellem dimisit. Prima quam exuit, veteris hominis fuit. Secunda divitiarum, & suppellectilis, sic dictæ, ut interpretes exponunt, quasi pellis sub pelle. Tertia intimæ carnis *a* fuit: qua aliquando immortali, & incorruptibili, se induendum cum Jobo gloriari potest: *rursum circumdabor* PELLE MEA. At quotusquisque vestrûm est, qui cum Bartholomæo, aut cum Jobo, dabit PELLEM *pro anima sua*? vos compello

Sponsos, Penelopes, Nebulones, Alcinoique
In CUTE *curanda plus æquo* intentos. Cælestis Phrygio hic acu picturam vos docere gestit, ut per assiduam carnis, ac cutis vestræ puncturam, dignam Dei oculis, picturam exhibeatis; sic etenim in rem nostram Petrus Cellensis: b *quo tortor acrius* PUNGIT, *eo decentius* PINGIT PELLEM *carnis meæ, quæ est una* DE PELLIBUS SALOMONIS. PUNCTURA *tua, est mihi* PICTURA.

§. I. PELLEM PRO PELLE *& cuncta quæ habet, dabit homo pro anima sua.* Job. c. 2.

§. II. *Rursum circumdabor pelle mea.* Iob. 19.

a Pineda in Iob. c. 2. Iob. c. 9. *b* Pet. Cellens. l. 1. de conscient.

FESTUM SANCTI BARTHOLOMÆI.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Iob. 2.

Lis olim fuit, gravissimaque contentio, solem inter, & Boream, quis viatorem veste spoliaret: ubi datæ, & acceptæ leges, toto spirat Æolus antro, ingentesque laxat ventorum turbines: hi magno impetu gelidoque flatu appellant ad latera viatoris, in vestem sese insinuant, implexosque sinus pigro, inertique frigore implent, & occulta, apertaque vi eripere nituntur.

Contra tamen obnititur viator, galerum in frontem contrahit, eoque fortius vestem stringit, & corpori apprimit, quo vehementius Aquilo aspirabat; qui tandem victus, areâ campoque cessit. Tum in arenam venire sol ipse, altius cælo surgere, vertici imminere, & ad perpendiculum radios demittere in caput, in oculos, in scapulas, totumque corpus viatoris: qui frigore jam omni excusso, æstus illius, calorisque impatiens, primum laxare vestis fibulas, explicare implexos sinus, tandemque sudore multo perfusus, omnino excutere: totus enim à sole, radiisque ignitis colliquescebat. Fabella est, doctumque commentum; sed ut verissime a Ambrosius lib. 3. Offic. ***Fabula etsi vim veritatis non habet, tamen rationem habet, ut juxta eam possit veritas manifestari.*** Nos itaque viatores, vehemens ab Aquilone, vel potius ab Acheronte dixerim, Boreas invadit, qui ut acri, gelidoque turbine aspirare ceperit, totum corpus, atque intimos cordis sinus, quodammodo facit obrigescere: etenim b ***ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?*** Dumque jam pertinacius, ac pervicacius instat & adflat, id quo induimur vestimentum, arctius adstringimus, atque adeo non c ***exspoliari, sed potius supervestiri*** maxime exoptamus.

Hoc attentius secum in Clara Valle sua, expendens Doctor Mellifluus: ***ab Aquilone*** inquit d, ***panditur vestrum malum: à facie frigoris ejus ejus quis sustinebit? hoc frigus, si semel animum pervaserit, descenderit in viscera cordis, & sinum mentis: quid fit? mox subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, subtrahitur gratia, spiritus extinguitur, timor solicitat paupertatis, refrigescit charitas multorum.***

Hoc porro turbine afflati, hoc frigore correpti, terrena omnia sibi arctius adstringunt, pauperum ac inopum nulla tenet eos miseratio, cælestis gratiæ fervore destituti, ac charitate tefrigescente, non fluxis hisce, & perituris ***expoliari***; sed ***supervestiri*** unice exardescunt. Morale hic apposite quisque ad suos, facile induxerit. Econtra, ubi divinus ille sol, benigniores gratiæ ac misericordiæ radios evibrarit, dispares prorsus in viatore, qui iis se minime subducit, nec se abscondit à calore ejus, sed aperto pectore, intimisque fibris excipit, effectus operari consuevit.

Exemplum in ingens, unus nobis hodierna luce Bartholomæus Apostolus futurus est, qui ut Iosephus loquitur: ***puris sancti spiritus fulgoribus adeo illustratus***, & cælestibus radiis tanto calore inflammatus fuit, ut non modo vestes omnes exteriores; sed quod nemo in summis ardoribus æmulatus est, pellem suam, vestem sibi intime adhærentem, de qua Propheta, e ***pelle & carnibus vestisti me***, ardentissimo Christi sui amore exæstuans, idque mense Augusto dum æstus solares, & dies caniculares maxime fervent, vivus excoriatus deposuerit. Norat enim ar-

a S. Amb. lib. 3. offic. b Psal. 147. c 2. Cor. 5. v. 4. d S. Bernard. serm. 5. in Cantica.

e Iob. 10. v. 11.

arctam viam ad Regnum cælorum, & intrandum *per angustam portam*, in cujus limine nonnulli cristatas galeas, elatum verticem, gibbos auro, & argento refertos, thesauros sæculi, honores mundi deposuere, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia*; alii ulterius, & caput, & humeros, & brachia, & pedes, & vitam ipsam reliquerunt; sed nemo se hisce angustiis præ divino Apostolo adaptavit, qui velut vimen, quod per ferri angustias decorticatur, seipsum excoriandum tradidit, *jam* a *se formosior ipso*. Qua similitudine, hoc festo, usus videtur pro concione Doctor Angelicus, dum sibi illlud Ioelis 1. pro argumento assumpsit: *ficum meam decorticavit*; quo intimus candor appareat, nam ut Greg. lib. 21. mor. c. 1. attendens ad virgas populeas, quas Iacob quondam decorticarat, ait: *corticem subtraxit, ut in his quæ spoliantur, intimus candor appareat.*

§. I.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua, Iob. c. 2.

ARdentis plane in Sponsum amoris argumentum est, cum intempesta nocte sese è strato corripit tenella virgincula, dilectum suum per omnes civitatis angulos quæsitura, ut tandem inveniat, quem diligit anima sua, nulli eam labores, nullæ insidiæ, nulla pericula à cœpto deterrent: invenerunt illam vigiles, qui custodiunt civitatem, & vulneribus male exceperunt: *b percusserunt me*, inquit, *& vulneraverunt*, TULERUNT PALLIUM MEUM. Illam multis opprobriis saturarunt, & plagis cruentarunt; sed hæc omnia eam minime à fervore suo retardare poterant, unum erat quod remorari videbatur, pallio manum injectam; sed & hoc abjecto: *haud dubium*, inquit *c* Bernardus, *ut curreret expedita*, majoribus acta amoris incendiis, sponsum quærere perrexit.

Nunc si lubet mecum, flagrantissimam Apostoli animam conferte, qui zelo Dei incensus, non per urbis dumtaxat, sed ultimas orbis oras dilectum suum, ejusque *d* gloriam solertissime quæsivit; sed & hunc invenerunt custodes: quinam hi? audi Theodoretum: per custodes civitatum & murorum, designantur tyranni, & Magistratus sæculi, à quibus Ecclesia dicit se „ percussam, & vulneratam, in „ sanctis Martyribus, *sublatum-* „ *que sibi pallium*, animis eorun- „ dem Martyrum nudatis, *corpo-* „ *reque* (ac corio) *ut pallio ab eis* „ *ablato*. An non jure meritissimo horum fortissimus Christi Athleta, cum Sponsa exclamet: *percusserunt* e *me, & vulneraverunt.*

Ab Astyage milleni *f* cataphracti milites in illum immissi, tam dire eum fustibus percusserunt ac vulnerarunt, ut nisi miraculo fuisset servatus, animam inter verbera exhalasset: *jam se formosior ipso*. Ut si quid mundani

a Ovid. l. 10 metam.

b Cantic. 5. c Bernard. serm. 15. in Psalm. 90. d V. Gislen. in Cant. c. 5. v. 7. e Cant. 5. S. Vincent. festo S. Barthol.

pul-

pulveris adhæsisset, probe excussum nemo ignoraret: pelles enim verberibus concussæ, verminibus ac sordibus purgatæ, totæ nitidæ ac nitidæ redduntur. Quæ mens, utinam & vobis injiciatur, dum pellis vestra morbis, maledictis, verberibus concutitur; tum vel maxime, omnis vanitatis pulveres, ac vitiorum sordes expurgari.

a Alterum quod ad instructionem nostram facit quam plurimum: Bartholomæus non unam pellem, sed trinam amore Christi dimisit; prima quam exuit, veteris hominis pellis fuit. Salutare hoc primum veritatis monitum sectatus: *estote prudentes sicut serpentes*; qui ut Hipponensis Antistes *b* docet, *deposita tunica senectutem ponere, atque in juventam redire perhibentur*; *ad quorum astutiam* inquit, *nos imitandam Dominus hortatur, gravat quasi pondus corii cujusdam, & quasi senecta veteris hominis. Audi Apostolum dicentem: exuentes vos veterem hominem, & induentes novum.* Quod quemadmodum fiat, ex tanto Doctore discere juvabit: *quomodo exuo* inquit, *veterem hominem? imitare astutiam serpentis: quid enim facit serpens, ut exuat se veterem tunicam? coarctat se per foramen angustum. Et ubi, inquis, invenio hoc foramen angustum? audi: arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur eam, ibi ponenda est vetus tunica.* Ibi avaro ponendus injusti fœnoris gibbus, ibi ponenda vetus sarcina, ibi ebrioso ponendum abdomen, & vetus ebrietas, ibi superbiæ elatus vertex ponendus, *c & veternosa superbia*, veteres inimicitiæ ponendæ, & veteres consuetudines potandi, fornicandi, jurandi, pejerandi, exuendi, si per angustam portam intrare, & in novitate vitæ ambulare velitis. At inveterati dierum malorum objicient: *d si mutare potest Æthiops pellem suam?* quasi impossibile illis foret, inveteratam, & jam quasi versam in naturam alteram, consuetudinem cavere; nam ut Hugo Card. *per nigredinem pellis Æthiopis, intelligitur eorum mala consuetudo.*

Verum enim vero, hoc cuique possibile esse per gratiam, irrefragabilis divi Hieronymi auctoritas, & ratio convincit, qui sic arguit eos, qui negant pœnitentiam, *hoc testimonio Ieremiæ. 3. v. 23. si potest Æthiops mutare* PELLEM SUAM? *utuntur adversus Ecclesiam, & tantam dicunt esse vel nigredinem, vel varietatem peccatorum, ut in candorem, & unius coloris pulchritudinem transire non possint: non attendentes hoc quod sequitur (& vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum) quidquid enim discitur, non naturæ est, sed studii, & propriæ voluntatis, quæ nimia consuetudine, & amore peccandi, quodammodo in naturam convertitur: sed hic quod hominibus, impossibile est, Deo possibile est, ut nequaquam AEthiops & pardus suam videantur mutare naturam, sed ille qui in Æthiope operatur & pardo, dicente Apostolo: omnia possum in eo qui me confortat.*

a Triplex pellis exuenda 1. Pellis veteris hominis. Matt. 10 v. 16. b August l. 8. de civit. c. 14.

c Hieronym. in Iob. 39. d Ierem. 13. v. 23. e Hugo Card in Ierem. c. 13 v. 23.

Quod

Quod ipsum manifestius declarat, & confirmat Commentar. in c. 3. Sophoniæ: *si notaverimus, ait, in omnibus scripturis, Æthiopes eos appellari, qui penitus in vitia sunt demersi; secundum illud quod in Ieremia legimus (si mutabit Æthiops* PELLEM SUAM,) *Æthiopibus ad meliora conversis spes erit: nullumq; qui voluerit agere pœnitentiam, a salute alienum fore. Unde & prius anima polluta, & delictorum sordibus inquinata, Cant. 1. dicit: Nigra sum; & postea in fine Cantici Canticorum, de eadem jam purgata, & lota per pœnitentiam scribitur. Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Moyses quoque,* id est, *lex Domini spirtualis, ÆEthiopissam de gentibus duxit uxorem.* Quin & innumeræ pœnitentes animæ, quæ antea per enormia scelera Æthiopissæ erant, mutarunt pellem suam, & Sponsæ filii Dei adlectæ sunt? Magdalena certe Æthiopissa erat, hanc tamen jam alteram Mariam, Cælestis Sponsus dilexit. Mitto Marias Ægyptiacas, Pelagias, Thaides, aliasque, & alios quamplurimos. Vos quotquot adestis animæ Æthiopissæ, hodie, pellem per pœnitentiam mutare potestis, si velitis. Peccatum omne belluina pelle tegitur & involvitur. Te revoco, mi Lector, ad mundi cunas, & primi parentis nostri metamorphosim, dum veste candidissima originalis justitiæ exutus, induit a *tunicas pelliceas*, & exuvias mortuorum animantium, ut foris pelle belluina contestaretur, quam intus animum cupiditate belluinâ deformasset. Ita etiamnum peccator belluinam pellem induit, aut ab immanitate ferociaque leoninam, aut à dolis fraudeque vulpinam, aut ab ingluvie atque insatiabili sanguinis siti lupinam, quodque omnium teterrimum, hanc sub ovina pelle circumferunt.

Leonina pelle quis non helluones illos indutos dixerit, qui ubi temulenti domum redierint, in liberos, in uxorem, in domesticos, horrendum in modum ferociendo, rugiendo, rabiem suam omnem effundunt, quorum oculi, jubæ, ungues, rictus, rugitus: omnibus terrori est? Hoc credo spectavit Aristophanes, dum Bacchum, Herculis instar, Leonis exuvio, & clava obarmatum ad inferos descendisse commemorat; unde communis in vulgus parœmia profluxit: *Bacchus Leonis exuvio indutus.* Ejusmodi salubriter Sapiens commonet, dicens: b *noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos.* Alios quoque complures sub leonina pelle indies videre est, qui cum stupidi, stolidi, omnium ignari, pigri ac inertes sint; tamen cristati, ocreati, gladiati, Martem plenis buccis crepantes procedunt; quos Lucianus hoc proverbio scite notavit, dum dixit; *Asinus apud Cumanos* cui sua pellis detrahenda.

Quemadmodum hospes ille Cumanos docuit: asinus quispiam pertæsus labores, abrupto loro in silvam aufugerat, ubi forte leonis exuvium repertum, corpori adaptat: atque ita ad Cumanos redux, pro leone se gerebat, homines pariter ac feras, pelle &

a Gen. 3. v. 21.

b Eccl. 4. v. 35.

le & jubis suis territans. Cumque aliquamdiu regnasset hic per[illegible]tus asinus, accidit ut homo peregrinus solerti ingenio, & multâ rerum experientia edoctus Cumas pervenerit, qui ut sæpe leones conspexerat, ilico advertit ex prominentibus auriculis, non leonem sed asinum esse, quem probe fustigatum, & exutum, reduxit, dominoque restituit. Interim risum non mediocrem,& fabulam concitabat omnibus Cumanis, asinus jam agnitus, quos hic confictus leo, metu propemodum exanimarat. Illud in Thrasones illos, & gloriosos milites exuvio leonis indutos apte cadet, qui chalybe accincti obambulant, de bello, de ignavia militum, de imprudentia Ducum, copiose differunt, cum ipsi pro campo, cubilia terant: pro tubis, cytharas audiant: pro nidore tormentorum, pastillos redoleant: nunquam nisi cum gallinis, & perdicibus,decertare sueti: popello, ac imperitæ Adolescentiæ imponere docti, verbo, & Proverbio: ***Asini apud Cumanos***, atque ut tales ab omnibus explodendi,ex asininis auribus dignoscendi, exuviis suis exuendi, & quam vere asini, ostentandi sunt. Sunt & alii ***potentes*** a ***à sæculo***, qui robore valent, & nervis, id est pecuniis, quæ non solum ***nervus belli***, sed & politiæ, sunt; hoc Iudices corrumpere, leges invertere, pupillos opprimere, officia sæcularia, Ecclesiastica mercari, sibi ac suis aureos gradus sternere, obnitentes supprimere; æmulos pessundare,conterere, leonum instar conantur; quod si solæ vires obicem forte integritatis aut justitiæ repererint, astu vulpino callidè eniti moliuntur; quos Lysander digito *b* notavit, dum ait: ***quia totum Herculem pellis leonis tegere nequibat, partem vulpinæ assuisse***; quod politici sub Machiavelli disciplina educti atque edocti, æmulari solent, qui dum viribus irrumpere nequeunt, astu vulpino irrepere consueverunt. De ejusmodi olim verissime Regius *c* Vates: *partes* ***vulpium erunt***, id est, inquit Hugo Cardinalis *d*: ***inter dæmones computabuntur & ponentur, & sicut se fecerunt dæmonum socios, & participes in culpa, ita etiam sunt participes eorum in pœna.***

Alii hoc nequissimo sæculo homines versipelles, è dolis, & technis consuti, toti vulpes sunt, qualem aliquando sub pelle vulpina,omnibus manifestum dedit *e* S. Patricius: qui Deum exoravit ut Vereticũ Regem Walliæ blasphemum, crudelem, subdolum, Christianæ gentis impostorem, hominem vulpinum,modo monstroso à facie terræ éjiceret, & Ecce inclinans Dominus aures ad vocem servi sui, prædictum tyrannum quodam die in medio fori stantem, circumstante multitudine suorum, subito in vulpem transformavit, & sub hac pelle, à conspectu omnium fugiens,nunquam in terrá amplius apparuit. O si omnes qui satis

a Gen. 6. v. 4.

b Mariana de Rege instit. l. 2. c. 10.
c Psal. 26. d Hugo Card. in Psalm 62.
e Iocelinus in florib. Hiberniæ. Nierenberg. hist. naturæ de miraculis in Europ. l. 2. c. 43.

oculis

[illegible] patent, pellem vulpinam [illegible]ferentes, sese è medio curiæ, è medio aulæ, è medio Reip. proriperent, quam [illegible]ices forent urbes, & regna, ubi ejusmodi vulpes exularent! S. Vincentius non exilio, [illegible] atrociori supplicio tales mulctandos, & vi[illegible] excoriandos esse affirmat. a *Oportet*, quit, *vos* EXCORIARI, *si habetis* PELLEM *leoninam superbiæ & vanitatis*, *humilitatem*: idem de avaris: *si habent* [illegible] VULPINAM, *oportet excoriari restituendo aliena*, Iob. [illegible] PELLEM PRO PELLE, *scilicet malæ vitæ, usuræ, luxuriæ &c.* PRO PELLE ANIMÆ.

Alii denique, & quod miremini, Iudices sunt, legis periti sunt, prætores sunt, Pastores sunt, qui vere sub pelle lupina degentes, ingluviem suam, carne & sanguine viduarum, pupillorum, & subditorum exsatiant. Eminentissime præ ceteris purpuratus doctor: b *Nota quod est* PELLIS *fortunæ*, *scilicet bona temporalia, de quibus Micheas c. 3. audite principes Iacob & duces domus Israel qui violenter tollitis* PELLES *eorum desuper eis.* & paulo post, idem Propheta amarissime queritur: *comederunt carnem populi mei, &* PELLEM *eorum desuper eis* EXCORIAVERUNT; non tondent, sed deglubunt, & excoriant oves suas. Ejusmodi profecto *c* pœna talionis, vivi excoriandi sunt, quemadmodum Solymannus Turcarum Imperator, in proditorem, qui sibi insulam Rhodum tradiderat, animadvertit, huic etenim vivo, pellem toto corpore detrahi jussit, atque ita excoriatum, in lectum sale conspersum, collocari, donec per atrocissimos cruciatus, animam violenter extorsit. Longe atrocius, peccatoris animus jam pelle exutus, apud inferos *igne salietur* d; igneus hic sal, teste Maldonato, ut semper urat, incorruptibiles servabit peccatores. Redemptor noster hos qui sub ovina lupinam con[illegible], in lege nova maxime grassantes, studiose cavendos admonet, dicens: e *attendite ab iis qui veniunt ad vos, in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* f

Speciosi PELLE *decora*
Intus Nerones, foris Catones.

O si liceret detrahere, & PELLEM *nitidus* g *qua quisq; per ora cederet, introrsum turpis!* Quodque indignum, & maxime sacrilegum est, immaculatum agnum accedentes, *agnum manu tractantes, agnum comedentes*, lupi manent, nec pellem exuunt; quam ipsa lupa mirando prodigio deponere docebit, ut ex Silvestro Giraldo memorat *h* Nierenbergius. Circa triennium ante adventũ Comitis Ioannis in Hiberniam, contigit quendam sacerdotem de partibus Ultoniæ, in silva quadam pernoctasse: cumque ad igniculum, quem sibi sub ardore frondosa congesserat, uno tantum comitatus puerulo, lucubrasset: Ecce lupus ad eos accedens, qui statim voce humana in hæc verba prorupit, securi estote, & nolite timere, non enim tne-

a S. Vincent. festo S. Barthol b Hugo Card. in Iob. c. 2. pellem pro pelle. c Beyerling theat. tit. proditio p. 678.

d Marci. 9. e Matt. 7. v. 15. f Horat. l. 1. epist. 16. g Horat. l. 2. Sat. 1. h Nierenb. hist. naturæ. de miraculis in Europa, l. 2. c. 42. pag. 440.

trepidandum vobis est, ubi timor non est; cumque ipsi tanto vehementius consternatis animis obstupuissent, verba de Deo sacra subjunxit. Adjuratus tandem à sacerdote per Deum omnipotentem, & fidem Trinitatis ne eis noceret, sed quis esset ediceret, diserte respondit: de quodam hominum genere sumus Ossyrientium, unde quolibet septennio per imprecationem sancti cujusdam, Natalis scilicet Abbatis, duo videlicet, mas & fœmina, tam à formis quam finibus exulare coguntur: formam enim humanam prorsus exuentes, induunt lupinam; completo vero septennii spatio, si forte superstites fuerint, aliis duobus ipsorum loco simili conditione subrogatis, exuta pelle, ad pristinam redeunt tam patriam, quam naturam. Et mihi quidem hujus peregrinationis socia, non procul hinc graviter infirmatur, cui si placet, jam in extremis agenti, sacerdotale solatium, intuitu divinæ pietatis indulgeas. Quo dicto, lupum præcedentem usque ad arborem satis propinquam, Presbyter sequitur tremebundus: in cujus concavitate, lupam conspicit sub pelle ferina, gemitus & planctus humanos emittentem: quæ statim ut sacerdotem vidit, præmittens salutationem satis humanam, gratias etiam Deo retulit, quod in tali articulo, tanto eam solatio dignatus esset visitare, & sic usque ad extremam communionem, à sacerdote cuncta rite peracta sunt: quam cum & ipsa in viaticum sibi efflagitaret, atque eo sacerdos se carere assereret, lupus qui parumper abscesserat, iterum accessit, ostendens ei parvulum librum manualem, & aliquot hostias consecratas continentem, quas more patriæ presbyter itinerans sub indumento, è collo suspensas deferebat, obnixe rogans ne cæleste illud pabulum, eo articulo uxori denegaret; & ut omnem abstergeret dubietatem, pede quasi manu perfungens, pellem totam à capite lupæ detrahens, usque ad umbilicum replicavit, atque extemplo expressa, quæ sub pelle latuerat, forma fœminæ apparuit; quo viso sacerdos, obnixè postulantem, & devote suscipientem, terrore magis quam ratione compulsus, sacra synaxi refecit. Quibus rite peractis, lupus summâ grati animi significatione, sacerdotem in viam rectam, qua pergebat, direxit. Utinam & vos inveteratâ iracundiâ, & ferociâ lupi hodie agnum suscipientes, lupinam pellem exuatis, & vellere agni induamini. Ad hoc hortatur Petrus Cellensis Abbas in paucis pius & doctus, dum pellem oviculæ nuptialem vocat, qua nos indui vult, ut cum Bartholomæo ad nuptias agni admitti valeamus; *in* PELLE *ista*, inquit, *veniens ad nuptias non depellitur; sed intrare, & superius ascendere compellitur. Retribue igitur conviva* PELLEM PRO PELLE, *oculum pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore, animam pro anima: quid enim pro te, aut tibi facere potuit Deus, quam ut animam poneret? vade ergo, & tu fac similiter.*

a Pet. Cellensis in c. 22. Matt. b 2. Pellis divitiarum.

Secun-

a *Secunda pellis*, quam Apostolus exuit, fuit pretiosa divitiarum, ac rerum omnium temporalium, de qua secundum textum literalem, & maxime proprium, Satan egit, dum dixit *b*: PELLEM PRO PELLE, *& cuncta quæ habet, dabit homo pro anima sua*; quasi diceret, inquit *c* Origenes: *corium pro corio*; CORIUM DIVITIARUM, *pro corio corporis: rem familiarem & divitias, exterius* CORIUM; *interius verò corium, corpus & ossa intelligens, Corium quod non valde doleat, rem familiarem, corium quod valde doleat,* CORIUM CORPORIS; *ac si diceret (Satan) quid magnum passus est Iob, externo corio decoriatus? tange interius* CORIUM *ejus, id carnem eius, dolore affice, & contere, & apparebit constantia eius.*

Idem prosequitur *d* Pineda: pellis nomine significantur ex-
„ terna bona, quæ non censen-
„ tur hominis propria: Latino e-
„ nim vocabulo *pellis* ea dicitur, quæ separata, & detracta ab animali & carne: *cutis* verò quæ adhæret carni, sic Apuleius: *ludis de alieno corio*, id est, alterius bonis, sic pelles quæ manus Iacob tegebant, *e* Corderius, ex Hebræo legit: PELLEM SUB PELLE, addit que omnis generis opes significari, quæ per synecdochen *supellex* appellantur, quod olim sub pellibus plerumque asservari consuevissent: aut quod maximæ divitiæ, pretiosis pellibus constarent, ut vestes, aliaque utensilia; imo & ipsæ *pecuniæ, è pecudum pellibus f*, & corio (unde nomen habent) cuderentur.

Hanc pellem, homines libenter exuunt, ut pellem corporis servare queant; æger omnes opes, omnem supellectilem, in potiones quantumvis pretiosas, in chirurgos, in medicos consumet, qui de corio ejus ludunt, ut corium corporis integrum conservet; si quis de capite, de vita periclitatur, si de pelle agitur, *corium exterius*, rem omnem familiarem, pro corio interiori, hanc divitiarum pellem, pro pelle corporis sui, ultro insumet.

Si quis tempestate jactatur, interiori suæ pelli timeat, omnes opes, & merces qvantumvis pretiosas, in mare præcipitat, ut doctissime *g* Origenes: *exemplum*, inquit, *in nobis videmus: nam cum percutitur quilibet, vel cæditur, frequenter manum pro toto porrigit corpore, & dat* CORIUM *manus pro* CORIO CORPORIS. *Et qui in mari navigant, cum periculum passi fuerunt, omnia quæ in navi habuerunt, contemnunt, atque in mare projiciunt* DIVITIAS, EXTERIUS CORIUM, *ut ipsi evadant, & servent* INTERIUS CORIUM CORPORIS.

Ex quibus omnibus manifestum est, pellem hic significare opes, rem familiarem, & omem supellectilem, quam Bartholomæus omnino splendidam, amore Christi dimisit, seque omnibus divitiis, quibus affluebat, exuit: nam Petrus de Natalibus Episcopus, in suo Sanctorum catalogo, scribit Bartholomæum, Syrum fuisse, Regisque Syrorum ex Patre Nepotem, solumque ex omnibus Apostolis, nobilitate præclarum. Idem sensisse videtur,

a 2. Pellis divitiarum. b Iob. 2. c Origenes l. 2. in Iob. d Pineda in Iob c. 2. e Corderius Job. c. 2. f Scoti Adagia sacra. veteris test. tom. 2, p. 2, in Iob.

g Orig. cit.

tur, disertissimus, ac divinissimus ille divini verbi præco, Vincentius, Ordinis Prædicatorum, luminare magnum, qui sic discipulos altercantes inducit, a *quis eorum videretur esse major.* Primo Petrus dixit, quid contenditis inter vos? jam conclusum & decisum est quod ego: quia cum Christus, mihi promisit majoritatem vicariatus, & quod sum caput, cum dixit: *tu vocaberis Cophas*, quod interpretatur caput. Secundo dicit B. „ Andreas, quid dicis Petre, „ quod tu eris major? imo ego „ ero major: quia Christus Sal- „ vator mundi, primo vocavit „ me. Tertio dicebat S. Joan- „ nes, imo ego ero major: nam „ ego sum Virgo & vos habui- „ stis uxores, & estis Carnales. „ Item venit alius, scilicet „ S. Jacobus major, & dixit: „ quid dicis tu Joannes, quod e- „ ris major? certe non eris: „ Ratio, nam ego sum primo ge- „ nitus, ergo ero primus in Pa- „ radiso. Item dixerunt Jacobus „ minor Thadæus, & Simon: „ quid dicitis vos, quod eritis „ majores? certo non erit ve- „ rum, imo nos: nam sumus „ Nepotes ex prima sorore Ma- „ riæ Virginis, ideo erimus ma- „ jores. Item venit S. Mat- „ thæus, dicens: quid dicitis vos „ omnes, quod eritis majores? „ non credatis; & quid fecistis „ vos pro Christo? tu Petre di- „ misisti navem torquatam, & „ retia fracta, & ego dimisi „ plures pecunias, & multa alia „ bona temporalia, non est ergo facienda quæstio ultra; ergo „ ego ero major. Jam venit Phi- „ lippus, dicens: ego ero major: „ nam ego fui primus Aposto- „ lus, quem Christus ore pro- „ prio vocavit, *Veni, sequere me*, „ ergo non est quæstio facienda „ ulterius. Venit S. Bartholo- „ mæus, *ha taceatis*, *non sum ego* „ DE GENERE REGIO? *ego ero* „ *ergo primus, qui sum magis ge-* „ *nerosus*. Deinde venit S. Tho- „ mas dicens: quid dicitis vos? & „ non sum ego Doctor? & „ jam vocor Thomas, id est „ abyssus scientiæ, & vos omnes „ estis rudes, & grossi nunquam „ didicistis literas, tacete. In „ posterum venit Judas Iscario- „ tes, dicens: Et nonne ego sum „ procurator omnium, & ex „ manibus meis habetis vivere? „ jam estis mihi subditi, certe „ ergo ero major. Hi fuere Apo- „ stolorum stolidi discursus, priusquam virtute Spiritus sancti instructi, & confirmati ex alto; è quibus tamen patet, Bartholomæum genus suum jactare. Addit b Sanchez, teste Hieronymo, illum se Christo adjunxisse in purpura, & habitu pretioso; ceteris vero discipulis id demirantibus, Salvatorem ei patrocinando dixisse, fore aliquando tempus, ut non purpuram dumtaxat, vestesque omnes, sed & pellem suo sanguine purpuratus exueret.

Profecto ubi sub tali Magistro, in schola paupertatis, hic discipulus erudiri cœpit, omnibus se expoliavit, idque c *pro pelle immortalitatis, & gloriæ*:

a S. Vincent. post Dominic. 2. quod feria 3. serm. 2. in fine.

b Sanchez Royaum de Dieu l. 5. c. 10. in fine. c Hugo Card. in Iob. c. 2.

Nos-

Nosque ad imitandum excitans, Hugo Card. subdit: *pro hac ultima* PELLE, *debet homo dare omnem aliam* PELLEM, *& cuncta quæ habet.*

Quod si divitias liberis, statui, sustentationi necessarias, non abjiciatis; animum saltem exuatis necesse est, ut divitiæ vobis, in modum pellis separatæ à carne sint, non instar cutis adhærescentis; quales fuere pelliculæ, quibus Rebecca manus, & colla filii suo Jacob contexit: quæ citra dolorem exui poterant: non instar cutis pilosæ, quæ membra fratris ejus Esau tegebant, & intimis fibris adhærescebant; ut si pro justitiâ, pro fide, vel Deo sic volente, morte ipsa pellis hæc exuenda est, sine sensu, illam nobis detrahi patiamur.

§. 2.

Rursum circumdabor pelle mea. Iob. 19.

Tertia *a* pellis, quam gloriosus hic Christi Apostolus posuit, corporis fuit, quæ in supplicio, incredibili cum dolore, & inaudita feritate ablata est. Non dubitarit Chrysostomus, Jobum, virum adamantinum, & omnium Christianorum pugilum speculum nuncupare; eo tamen non pertigit, ut cutem sibi tolli, auferrique cerneret: istud enim vero, inter gravissima quæ pertulit tormenta, summo animi sensu recenset, carne penitus consumpta, solam sibi pellem, quæ nuda tegat ossa, superesse: *b* PELLI *meæ* inquit, *consumptis carnibus, adhæsit os meum.* At gloriosus Martyr noster, cum carne pellem quoque obtulit, & immani cruciatu, vivus, amore Christi sui excarnificatus est; seque victimam Deo obtulit; qui Levit. 1. jubet animali, primo pellis detrahatur in sacrificium offerendum: *detracta* PELLE, *hostiæ artus, in frusta concides*; ut non tam dira à Poëtis ficta, quam hæc facta sint, dum sic Marsyam Satyrium flebiliter lamentantur.

c *Clamanti* CUTIS *est summos direpta per artus:*
Nec quidquam nisi vulnus erat, cruor undique manat,
Detectique patent nervi, trepidæque SINE ULLA
PELLE, *micant venæ; salientia viscera posses,*
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

Quæ omnia non tam Marsyæ, quam Martyri nostro, verissime conveniunt. Amoris Jonathæ in Davidem, sacræ paginæ istud in argumentum adducunt: d *Ionathas expoliavit se tunica sua*: quo facto, mystice Martyres, amore Jesu sui, propriis sese exspoliantes indumentis, designantur. Quo alludere voluisse videtur Ambrosius, dum non levis affectus significationem erga Magistrum, in discipulis agnoscit, qui sub ingressum in Jerusalem, e *straverunt vestimenta sua in via*; ubi

a 3. Pellis corporis.

b Iob. 19. v. 20. c Ovid. l. 6. Metam. d 1 Reg. 18. e Ambr. l. 6. in Lucam.

sic ait: *discipuli Domini, amictu se proprio corporis exuentes, inter adversa turbarum, viam tibi suo stravere Martyrio.* Quos inter Bartholomæus noster, suo sanguine purpuratus signanter elucet. Hujus æmulator egregius Joannes Nicomediensis, vir nobilis; cui, quod edictum duorum Imp. contra Christianos, pro zelo detraxisset ac decerpsisset, cutis vivo detracta, superfusum cum sale acetum, ut ita in atrocissimo supplicii genere exspiraret. Quid ad hæc vos: *Sponsi*

> a *Sponsi Penelopes, Nebulones, Alcinoique*
> IN CUTE CURANDA *plus æquo operata juventus?*

Quibus omne studium est b *pelliculam curare*, molliter vestire, laute farcire, cautè custodire, ne acus punctarum, ne ferri candentis præstricturam c, ne morsum pulicis tolerare valentes. Interim te *pinguem & nitidum bene curata* CUTE compello, quis tunc tibi animi, & corporis sensus erit, dum horrendum illud vociferaberis: PELLIS d *nostra quasi clibanus exusta est?* Erit enim aliquando illud tempus, dum quam nunc CUTEM e *morti concesseris atræ*, rursus indues, ut ea quantum hic in deliciis fuit, tantum subeat tormentorum. Ubi econtra, Apostolus noster, cum Jobo, ardentissimo desiderio exclamat: f *rursum circumdabor* PELLE *mea, & in carne mea, videbo Deum Salvatorem meum.*

a Horat. l. 1. epist. 2. b Horat. l. 2. Sat. 2. c Horat. l. 1. epist. 4. d Thren. 5. v. 10. e Hor. Carm. l. 1. Ode 26. f Job. 19. v. 26.

Quam pretiosæ hæ pelles, super omnem Regum purpuram, in conspectu Domini futuræ, quo splendore coillustrandæ sint, paucis comprobabo, Exod. 26. v. 14. præcipitur Moysi: *facies operimentum* DE PELLIBUS ARIETUM *rubricatis*; in quibus pellibus, Martyrum pelles, suo sanguine rubricatas, præsignari voluit Venerabilis Beda: g *Apostoli* inquit, *& Apostolici viri*, PELLES ARIETUM *sunt, usque ad Martyrium rubricati*: suo enim sanguine Ecclesiam operuerunt, ejusque fidem stabilierunt, adversus omnes ingruentes infidelium procellas. Et Augustinus tom. 4. l. 2. quæst. supra Exod. c. 108. PELLIBUS *arietinis rubricatis significantur Martyres Sancti.*

Sed præclarissimè, ac propriissimè ad rem nostram Petrus Abbas Cellensis qui ab opere Phrygio, similitudinem mutuatur, & puncturis nos, velut acu pingi demonstrat atque una animat, ut sic pungamur, & pingamur: h *subigatur corpus in pœna, jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affligatur. In* PELLE *morticina, potius scribuntur ista ad meritum Coronæ (ut in charta pergamena* fieri solet) *quam infliguntur pro delicto culpæ.* Et paulo post: *quo tortor acrius pungit, eo decentius* PINGIT PELLEM *carnis meæ, quæ est una de* PELLIBUS *Salomonis.* PUNCTURA *tua, est mihi* PICTURA. Ingenioso illud sym-

g Beda. l. 3. tabern. cap. 3. h Petrus Cellens. l. 1. de conscientia.

bolo,

bolo expressit is qui cœlestem geminum pellem, aliamve materiam probè tensam, acu pingentem oculis subjecit, & quasi suo valore gloriaretur, hoc lemmate ludit: a *Dum* PUNGOR, PINGOR. *cede ergo* PELLEM, *ut* PINGAS *cum* PUNGIS: *pungendo enim &* PUNGIS, *&* PINGIS. Vidisti quandoque in sacris infulis, in pretiosis Regum, Principumque paludamentis, quibus inaugurari solent, varias effigies, auro, gemmisque distinctas; sed nulla adeo artificio se, ac pretiose expressa figurâ; aut pictura, quam hac puncturâ: b *extendit in supplicio* PELLEM; *sed tunc magis apparet figura picti*: Figura Bartholomæi, figura Sebastiani jaculis confixi, figura & pictura Christinæ, Martinæ, aliarumque Virginum, quarum pelles mille telis, ac stilis terebratæ fuerunt.

c Julius Fabius de vitiosis affectibus edomandis disserens: Deus inquit, non ut pictor agit, sed ut Phrygio; pictor tabulam politam, aut laminam cupream, in partes non secat, non comminuit; sed eos colores, artificioso penicillo illinit, ut omnibus pictura placeat, omnes eam mirentur, & laudent. At vero Phrygio, telam sericam, holosericam, Attalicam innumeris puncturis perorat, conscindit, particulas unionibus, & gemmis distinguit; hinc opus elaboratum, & pretiosum. Deus ab orbe condito sic egit, tot centena millia suorum, distendi, dispungi, mutilari, lacerari, secari permisit. His discussa capita, his confossum pectus, his discerpti artus; illi patibula, rotas, cruces, corporibus cruentis vestierunt; isti membratim lacerati, belluis objecti, telis confixi, plumbatis contusi, flagris & taureis concisi, membratim dissecti: quorum lanienæ ingemiscens Paulus: d *Secti sunt*, inquit, *lapidati sunt, in occisione gladii mortui sunt.*

En quomodo noster hic Phrygio, telam optimam in particulas conscindat: venustum hoc opus totum, ac perfectum, supremo die spectabimus, unde sic Belgius Poëta cecinit:

Die hier het wit Satijn door-
steken en doorkerven/
Sien wel/ dat sy hier door het
selve niet bederven:
Want soo des meesters hant
van steken maer onthoudt/
De wond is gaef en heel/ de
steke blinckt van 't gout.
O mensche! wie ghy zijt/ en
toont u niet t'onvreden/
Als Godt door-wondt uw hert
met druck en swarigheden/
't Is niet tot u verderf; siet/
Godes wonder-handt
Geneest oock als hy quetst/ver-
koelt oock als hy brandt.

Denique ne hic longior sim, triplici Martyrio Bartholomæus insignis exstitit pelle exutus, in crucem actus, tandem capite plexus est.

Andræas Cæsariensis illud Matth. 10. 34. *non veni pacem mittere, sed gladium*, intelligit de eo, quo Martyres percuterentur. Plus controversiæ inter sa-

a Petrus Cellens. cit. b Petrus Cellens. cit. c Fabius de mortif. cap. 21.

d Hebr. c. 11. v 37.

cros interpretes eſt, ſuper illo Lucæ 22. v. 36. ubi adhortatur Chriſtus diſcipulos, ut vendant tunicam, & emant gladium: *ſed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Cur emere nos jubet gladium, qui ferire prohibet? cur haberi præcipit, quem vetat educi: duos illi ſtatim Petrus obtulit gladios; & tamen jubet recondi, & reprehendit: *qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quos ergo gladios, pretio tunicæ emi imperat? myſterium exponit Ambroſius l. 10. in Lucam: *eſt gladius Paſſionis: ut exuas corpus, & immolatæ carnis exuviis, ematur tibi corona Martyrii;* quam ſibi glorioſus Apoſtolus emit, hoc unico motivo fortiſſimi vatis inflammatus: rurſum a *circumdabor* PELLE *mea*; longe alia, impaſſibili, incorruptibili, agili, illuſtri induendus; nam ut *b* Bellarminus ex Auguſtino *c* probat: Martyres ea corporis parte, in qua ſupplicia pertulerunt, ſigna virtutis pretioſiſſima, & venuſtiſſima prælaturos: quid igitur, inquit, erit videre *S. Bartholomæum, cui* PELLIS *a toto corpore detracta fuit, cernere toto corpore ita illuſtrem, ut omnem purpuram quantumvis pretioſam, ſuperare videatur?*

a Iob. 19. b Bellarm. de æterna felicit. l. 4. cap. 5. c Auguſt. l. 22. de Civit. cap. 20.

Plus dico, & concludo, cum „ doctiſſimo Pineda, qui expen- „ dens illa verba Jobi, ulceribus „ pleni: rurſum *circumdabor* „ PELLE *mea*, ait: quantus erit „ totius corporis B. Job ſplen- „ dor? pulchritudo quanta? ſi „ pro ſanie iſta *fœtidiſſima, qua totum corpus reſperſum fuit, & pro immundis ulceribus, & acutiſſimis omnium membrorum cruciatibus, illius corpus poſtea illuminatum, quibuſdam quaſi guttis lucis, & ſtellis vermiculatum erit.* Quæ ſi corpori, totique pelli, qua invictiſſimus Chriſti Athleta rurſus induendus, accommodemus, non modo illuminandum, & guttis lucis aſpergendum; ſed ut Agathonis verbis utar, *divini ſolis puriſſimum radium,* imo alterum Solem, non injuria aſſeverabimus; quod ſpectaſſe viſus eſt, qui audita atrociſſimâ Apoſtoli hujus laniena, felici nominis omine, cum gemitu exclamavit: Bartholomæus, d *Ah! Sol beatorum!* nunc quidem purpurea ſanguinis nube, ſed rubore tuo, ſerenitatis æternæ præſagus es.

d Anagramma.

FESTUM NATIVITATIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quæ est illa quæ progreditur quasi AURORA? Cant. 6.



SOLI *panduntur amori.*

ARGUMENTUM.

IAm longâ quinque sæculorum revolutione, genus humanum cœcâ caligine, & alta nocte consepultum jacebat, dum *tenebris* AURORA *fugatis, exoriri visa,* solem nobis justitiæ protulit, atque uberrimam omnis

lætitiæ, & gaudiorum ſegetem, progerminavit. Ut non injuria hac optatiſſima luce, omnium fidelium corda, velut florum ſinus, Soli *pandantur amori*, omnium ora reſonent: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo Mundo.* Hæc nobis natæ Virginis feſtivitate, quam exultandum ſit, docuere gentiles, quorum ritus nos aptius ad mores deducemus, & qua ratione quiſque veſtrum natalem ſuum celebrare debeat, edocebimus. Splendidum quidem illi Natali ſuo die convivium inſtruere, candididis conveſtiri, munuſcula in plebem elargiri, aliqua benevolentiæ, ac munificentiæ ſigna exercere conſueverunt: eadem & nos æmulabimur, ſplendidiſſimo menſe Domini convivio nos reficiendo, albis per ſacram exomologeſim induti, pauperibus ea luce liberaliorem ſtipem elargiendo, aliisque pietatis operibus, exemplo Sanctorum, ac virorum Principium vacando, noſtrumque natalem terris, & cœlis dignum celebrando. Quare omnes ſub calcem orationis meæ commonebo, ne dies encæniorum, qui Divis Natales ſunt, petulantia, temulentia, luxu, luxuria comburant; ſed debito honore, & pio cultu proſequantur.

§. I. *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo.*

§. II. *Vani ac prophani in natalitiis gentilium ritus, ad pios & ſanctos referuntur, ut Natalis Beatiſſimæ Virginis quam devotiſſime celebretur.*

F E-

FESTUM SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ NATÆ.

Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora? Cant. 6.

VEtus illa quondam & solemnis apud Thraciæ populos viguit consuetudo, natalem suorum fletu & lamentis prosequi, atque eum quo primum in lucem editi, lachrymarum nube diem involvere; quem morem etiam in barbaris ut sapientissimum, Doctorum maximus comprobavit: a *audenter pronuncio, quia principium vitæ hujus, initium dolorum est: fuere Philosophi hoc non ignorantes, qui in exortu pueros lugebant, in morte autem gaudebant: hoc significantes, quia homo ad* LABOREM NASCITUR, *ad quietem moritur.* Nascitur homo ad laborem, ad dolorem, ad mœrorem: nascitur ad calamitates, ad morbos, ad miserias mille, & cruciatus. *b* Medicorum Princeps Galenus centum & duodecim contrarias affectiones, seu morbos, in uno oculo notavit, & *c* Plinius non dubitavit asserere, morborum trecenta esse genera in humanâ vitâ, hoc est innumerabilia. Atque ipsâ quotidianâ experientiâ videmus, febrium agmina furibundo impetu in miseros mortales, velut in Scopum omnium calamitatum irruere. Unde perite sane graviterque, qui humanæ imbecillitatis venam attigerat, pronuntiavit: d *quis non ægrotat in hac vita? quis non longum languorem trahit?* NASCI *in hoc corpore mortali, incipere ægrotare est, incipere mori est.* Sic enim alibi quærit & queritur: e *nescio an in vitam mortalem venerim, an in mortem vitalem.* Fuerunt qui in ipso utero, lucis timorem, & mala obventura fletibus indicarunt: nostris his paucis annis, ait celeberrimus Historicus *f*, auditus est infanfans in hac ipsa urbe Vratislavia, nondum natus flere, homo in omni sua vita postea miserrimus. Flens in utero alter editus est, teste Fabricio, qui hunc & versibus illustravit, & baptismo adstitit. Quæ naturæ prodigia ac præsagia frustra sectamur, cum vix ultro soluti, elata voce infantes, noctes atque dies flentes & ejulantes, satis testentur in vallem se lachrymarum, in locum flentium expositos, suarum miseriarum vates ac præcones esse, eodem contestante Augustino: g *dum infan-*

a S. August. lib de Visitat infirm. b Galenus in introduct. c Plin. l. 26. cap. 1.

d August. in Psal. 102. e lib. confess. f Nierenberg. hist. nat. l. 3. cap. 23. g Aug lib. 21. de Civit cap. 14.

tia inquit, *non à risu, sed à fletu* ORDITUR HANC LUCEM, *quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodammodo.* Quare nemo quisquam mirabitur, si benignissimus Dominus ut vult gravissimus author Hugo Cardinalis: a *ideo Lazarum plorat quia revocaturus erat eum, ad ærumnas præsentis vitæ*, ad pericula, ad discrimina tum corporis tum animi, & mille mortes undique imminentes: *collachrymavit his propemodum verbis utens: eum qui in portum jam appulerat, rursus ad fluctus procellas voco, eum qui jam coronam consecutus erat, ad certamina rursus duco*; b adeo ut si omnia quæ homini in hac vita devoranda sunt, oculis subjicerentur, verissimum illud Senecæ (qui c canus ceu senecio unde nomen traxit in lucem editus) judicarit: d *nemo vitam acciperet, si daretur scientibus.*

Potentissimus ille divitiarum opulentiâ, & miseriarum tolerantia Jobus, cum videret diem natalem suum, tandem aliquando tot filiis, tot clientibus, tot segetibus, tot facultatibus funestum ac fatalem fuisse, facere non potuit quin exclamaret: *pereat dies in qua* NATUS SUM! dies quæ mihi vitam attulit, tam multis ademit; pereat dies illa, quæ annua recordatione, filiorum funera facit oculos obversari! quæ tam amplæ numerosæque familiæ, una luce parentavit! Ambrosius de fide Resurrect. d *clamat Iob: pereat dies in qua* NATUS SUM: *cognoverat* NASCI MALORUM *omnium esse principium & ideo diem qua* NATUS *est, perire optavit, ut tolleretur origo incommodorum.* Jobus, quem Chrysostomus adamantinum vocat, expressum in terris divinæ patientiæ simulachrum, sibi non potuit imperare, quin illum diem devoveret, eumque expunctum vellet è mensibus anni, & à reliquorum dierum ordine exauctoratum; potissimum autem teste f Gregorio, diem illum detestatur & execratur, quo in peccato conceptus & natus est. Mitto hic gravissimum veteris Origenis testimonium, qui hom. 8 super Levit. ait: *nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem festum vel convivium magnum egisse, in* DIE NATALIS FILII, *vel filiæ suæ*; non alia de causa quam quod lucem hanc ingressi, teterrima peccati umbra involuti, etiamnum horrorem animo concipiant, diemque illum natalem, quo numinis hostes exstitere, ut maxime feralem ac exitialem detestantur. Atque g *ipse Iob* inquit, *odio carnalis hujus vitæ adductus, pro celebratione* DIEI NATALIS *sui, eum maledicit, quia peccatorum & delictorum principium.* Quid quod illi ipsi, qui natales suos omni lætitiæ ac festivitatis significatione celebrarunt, novo scelere contaminarunt & humano sanguine cruentarunt, ut recte notavit Hieronymus: h *nullum alium invenimus observasse* DIEM NATALIS SUI, *nisi Herodem & Pharaonem: ut quorum erat par impietas, esset & una solennitas*, Pharao inter natalitias epulas, pistorum Principem

a Hugo Card. in cap. 11. Ioan. b I. Petrus c. 2. ep. 173. c Lipsius in vita Senecæ. d Seneca de brevit. vitæ. e Iob. cap. 3.

f Greg. l. 3. mor. c. 7. g Origen. l. 3. in Iob. h Hieron. lib. 2. in Matth.

cipem evocat ex ergastulo, non libertate donandum, sed morte mulctandum; ut quæ paulò ante gula regias dapes condiebat, tunc misero, laqueo frangetur. Herodes vero inter natalitias choreas, caput illud, cœli tubam, orbis tonitruum, divinitatis oraculum, caput Ioannis Baptistæ, quo major in orbe non surrexerat, à cervicibus revulsum, donabat mulierculæ saltatrici: ut quæ intra chorum saltando, quantulum præmium promeruerat, caput illud reportando, omnes pietatis metas transiliret. Originem audite a: *invenimus in veteri testamento, Pharaonem Regem Ægypti* DIEM NATALIS *sui cum festivitate celebrantem; in novo vero testamento Herodem: uterque tamen eorum, ipsam festivitatem natalis sui, profusione humani sanguinis cruentarunt: Ille enim præpositum pistorum, hic Sanctum Ioannem Prophetam obtruncavit in carcere.* Nec porro mysterio caret, Herodem die suo natali, cœnam potius celebrasse, quam prandium: b *Herodes natalis sui cœnam fecit.* Recte cœnam, ut tenebris eum, & nocti æternæ natum scires; acute illum perstringit Chrysologus: c *Herodes* NATALIS *sui cœnam fecit: bene cœnam, quia non luci sed tenebris addictus est hic* NATALIS, *in quo noctis filius natus est, non diei.* Pergit cœnam hanc nocturnam, & maxime obscœnam, cui ab inferis tenebriones interfuisse asserit d M. Basilius, execrari: *tandem aliquando natalium Herodis tempus instabat, splendidaque luxuriosi Regis erat mensa, & convivium Regifici luxus noctis insigne: in quo ebrietas bacchabatur, & dæmonum fraternitas,* NATIVITATIS *festum ducebat.* Et hos natales quis gaudio, tripudio, hilaritate omni celebrandos existimarit? atque hac etiam nostra tempestate istiusmodi festa natalitia quis instauranda arbitrabitur? quæ utinam non instaurarentur, & humano sanguine non rubescerent. Multa, inquit Chrysostomus, e *etiam nunc hujusmodi symposia celebrantur, in quibus etsi Ioannes non interficiatur, Christi tamen membra dilaniantur; etsi non adsit Herodiadis filia, tamen adsit Diabolus.* Christi enim membra dilaniantur, dum invido ac maledico dente, fama & vita proximi super mensam discerpitur, & humanis carnibus saturantur; à quibus epulis abhorrere monet Sapiens, Prov. 23. *noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnem ad vescendum conferunt. Quid est hic carnes comedere*, quærit peracute Richardus Victor: *nisi aliena infirma maledico dente lacerare? qui enim alienam vitam libenter rodunt, qui derogationibus libenter serviunt, qui proximorum infirmitatem delectabiliter carpunt, quid aliud quam carnes comedunt? ut ille querebatur Psalm. 26. appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas; de quo & Paulus Galatas monet: si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Nec filia Herodiadis deest, ubi salax & lasciva filia Gladio linguæ non unum Joannem jugulare consuevit. Quin potius: f

a Orig. hom. 8. in Lev. b Marci 6. v. 21. c Chrysol. serm. 174. d Basilius orat. 18. e Chrysost. in Matth. hom. 49. de S. Ioan. Bapt. f Tibul.

dicamus bona verba, venit NATALIS *ad aurus.*

Domitianus inter natalitios ludos quingentos supra duo millia, gladiatores extraxit in arenam, qui plagis utrimque positis, & repetitis immaniter se conficiebant, donec ad unum, omnes crudelissime trucidati corruerent, ut unius tyranni vita plurimorum hominum sanguine pasceretur. O impietas! quid crudelius quam quo die primum lucem aspexeris, eodem alios luce privare! O Principes natos in perniciem populorum! O natales Regum humano sanguine cruentos! Innocentum morte funestos! O natales mortalium omnium lachrymis, lamentis, corporis animique calamitatibus infestos! *dies Regis nostri: cœperunt Principes furere à vino.* Oseæ 7. Verum enim vero alia vobis hodierna die, festa natalia celebranda propono, nulla peccati nube obfuscata, nullo sinistro augurio funesta, sed festiva prorsus ac serena, superis, inferis, Deo ac hominibus perjucunda. Hodie natalis est Virginis toti orbi vitalis. a *Hodie* NATALEM *Beatissimæ Virginis Matris celebramus de qua vita omnium accepit* NATALEM. NATA *est hodie Virgo de qua salus omnium voluit nasci: ut natus ad mortem, daret ad vitam posse renasci.* Unde B. Petrus Cardinalis Damiani exclamat: b *merito ergo hodie profusis gaudiis totus utique terrarum orbis exultat: merito universa Sancta Ecclesia* NASCENTE *Sponsi sui Genitrice, ut ita præ gaudio dixerim, Fescennini carminis laudes alternat*; cujus lætitiæ segetem, & gaudii materiam uberrimam, prolixius prosequemur.

a Guerricus sermon. 1. in Nativit. B Virg. b B Petrus Damiani serm. 2. in Nativit. B. Virg.

§. I.

Nativitas tua Dei Genitrix gaudium annuntiavit universo mundo.

PRodigia & portenta, subinde etiam vaticinia, magnos Heroum ortus, ac Illustrium personarum natales præcessere; quo die Plato Philosophorum Sol ortus est, aureum imbrem de cœlo cecidisse, veterum monumenta testantur. Nondum natus erat Pericles Elympius, & jam Græcos vel nominis sui umbrâ terrebat. Cyri gloriam ex eo conjecisse narratur Astyages, quod ejus Mater sibi dormienti, visa esset ex se palmitem fundere, quo tota latè Asia regeretur. Theodori ortum Deus prædici voluit per Stellam, in sinum maternum dilapsam. Præclaram illam re & nomine claram, mater in lucem editura, de partu solicita, dum ante Christi è Cruce pendentis effigiem ardentius peroraret, hanc vocem audire meruit: c *ne paveas mulier. salva enim lumen quoddam paries, quod ipsum mundum clarius illustrabit*; quo edocto oraculo, natam infantulam Claram appellari voluit. Longum esset S. Aviti, Swiberti, Caroli Borromæi, aliorumque divorum ortus; cœlestibus flammis condecoratos, eorumque cunas divinis radiis undique circumfusas, narrare, unum scriptorum

c Sedulius in Seraphica Histor.

;torum Cæsarem induco Baronium *a*, in prævio suo ad annales apparatu: magna quidem & per omnia admiranda, quæ nec „ verbis satis dignè persequi ul- „ li possunt, præcessisse Nata- „ lem Dei Genitricis Mariæ, „ non puto adeo angusti pecto- „ ris & emotæ mentis reperiri „ hominem, qui non intelligat, „ si mente revolvat, atque ani- „ mo expendat, tot tantaque „ servis Dei ante ipsorum or- „ tum impartita divinitus pri- „ vilegia. Quis enim apud se re- „ petens quæ Samsonis, Samue- „ lis, Hieremiæ, & Joannis Ba- „ ptistæ natalitia processerunt, „ mox non firmiter credat, non „ tantum illis non caruisse Dei „ Genitricem Mariam, sed lon- „ ge amplioribus, augustiori- „ busque ornatam, auctam esse „ muneribus? Ac quis abjectè „ nimis, atque adeo humiliter „ de Deo sentiens; eum plura „ atque majora elargitum ser- „ vis, quam Matri, & amico „ sponsi, quam sponsæ, mente „ captus dixerit; ecquis enim illam & sacrorum Prophetarum oraculis prænuntiatam, manifestis veteris Testamenti typis præfiguratam, atque illustribus in matronis adumbratam, mille denique Sanctorum Patriarcharum votis, ac desideriis expetitam fuisse inficiabitur? Hæc aliaque cœlestia Virginis nascituræ prodigia, ac præsagia, qui volet, videre poterit apud P. Posam de Beata Virgine p. 2, t. 7.

b Summus olim Sacerdos Sanctuarium ingressurus, deferebat extremum vestis Sacerdotalis limbum, sive institam, aut fimbriam tintinnabulis distinctam. At quot putatis ea fuisse tintinnabula? consulte *c* Clementem Alexandrinum, & invenietis fuisse trecenta sexaginta sex, quot dies in anno numerantur: ut significaretur singulis quibusque diebus, voces & clamores exaudiri, quibus auroram hanc invocabant, & tandem aliquando orbi illucescere exoptabant. Hi nempe, teste *d* Richardo à S. Laurentio, *observaverunt si quando hanc auroram aspicerent, sic ubi appareret, si usquam sui proferret indicia; Simeon vero, Elizabeth & Anna, qui velut in puncto jam erumpentis Auroræ constituti, non solum ipsam, sed & filium suum videre, ardentissimè gestiebant.*

Subtilius hæc ac sublimius à Theologis comprobantur: qui docent veteris legis Patriarchas ac Prophetas, suis ferventissimis desideriis, ac inflammatis precibus Deum exorasse, ut orbis redemptionem maturarit. Testes habeo Doctorum Principes, Seraphicum Bonaventuram, & Angelicum Thomam: hic 3. p. q. 2. art. 11. sic ait: *ex congruo meruerunt Sancti Patres incarnationem, desiderando & petendo.* Alter vero in 3. dist. 4. art. 2. q. 1. *Sancti Patres flagrantissimis desideriis, meruerunt de congruo Incarnationis* ACCELERATIONEM. Unus instar omnium sit vir ille desideriorum, de quo sacræ paginæ loquuntur: *e ab exordio precum tuarum egressus est ser-* mo;

a Baron. in appar. n. 40. b Exod. 28.

c Clem. Alexand. lib. Strom. 5. d Richard. à S. Laur. de laudib. B. Mariæ l. 7. pag. 464. e Daniel. cap. 9.

mo; ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es, septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum, ut finem accipiat peccatum. Quin & aliorum post Danielem, Patrum orationib9 ac meritis, dies illi magis abbreviati sunt: Simeoni etenim cœlitus promissum est, a *non visurum mortem, nisi videret Christum Dominum*: non quod miraculosè vita ei prolongata sit, sed quod in ejus gratiam, Deus incarnationem accelerarit. Similiter de Anna Vidua sentit *b* Ambrosius: *talibus fuisse moribus, ut digna fuerit Salvatorem omnibus nunciare.* Præ his tamen omnibus, Virgo Maria Regem sæculorum, filium altissimi, properare, festinare, currere fecit instar gigantis: unde inquit Rupertus Abbas *vox Dei ad Mariam optantis, desiderantis festinantis est*, illa Canticorum: c *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea*; quibus eam ita accelerare velle declarat, ut instar columbæ (quæ inter volucres celerrima) pernici penna advolare desideret. Hoc nemo quisquam mirabitur qui attenderit, quid *c* ipsa aliquando Sanctæ Mechtildi affirmavit: d *Deus me in tantum super omnem creaturam dilexit, ut amore mei multoties pepercerit mundo, & antequam nata essem, ipse etiam ex amore nimio* ANTICIPAVIT NATIVITATEM *meam*; Redemptor noster e *desiderium collium æternorum*, non tam ardenter desideratur, quam venire desiderat. Incredibili veniendi ad homines inflammabatur desiderio, non quidem ab heri, & nudius tertius, sed jam inde à prima orbis molitione, quando f *fabricatus est auroram*, id est teste Richardo, *Mariam, & ex ea Solem.* Imo ab ipsa æternitate, adeo ut in quoscunque annos, dies, horas, vel momenta differretur, ipse quodammodo affligi, & torqueri videretur. Æternum Patrem Regius Psaltes allocutus: *distulisti*, inquit, g *Christum tuum.* Quid causæ, exponet Euthymius: p.1.t:t:77. *olim ante mundi constitutionem prædestinata fuerat incarnatio Dei, verum usque ad Sanctissimam Mariam, nondum incarnatione digna inventa erat officina; quæ simul atque est inventa, tum demum incarnatus est.* Ubi tandem Virgo nata est, quo pacto venit? h *Saliens in montibus*, in mortem saltantium, tripudiantium, exultantium, choreas celebrantium; quod ipsa Regina Cœli, servæ suæ Mechtildi aliquando significavit, quantum in hoc ortu Deus gavisus fuerit, dicens: i *in mea nativitate in tantum exultavit, ut ex abundantia sui gaudii cœlum & terra, & omnis creatura, licet tamen nesciens exultaret.* Exultavit ut gigas ad currendam viam, ubi solerter observandum, dum f *nitido patefecit ab ortis*

Purpureas AURORA *fores & plena rosarum*

a Luca 2. Aldrete de incarn. disput. 28. sect. 7. Suarez 3. p. q.2. disp.10 sec. 6. bAmb.l.2. in Lucam.V.Nieren.hom 43 de Nativ. B.Virg. cCant. 2.v.10 dMechtild. l.1.tit.de Nativit. Virg. e Gen,49.

f Psal. 73. Rich. à S.Laur.de laud Virg. l.7.pag 465 & Damian. ser.in Assumpt. g Ps 88. V. Petavium Theolog. dogmat. tom.4 de incarnat.l.2. c 7. n.6. h Cant.2. i 6. Mecht. D. l.1. f Ovid.2, Metam.

Atria

Atria, soli seu Phœbo properandum esse :
Iungere equos, Titan velocibus imperat horis.
Nil est quod illum distineat aut remoretur.

Luctam illam quam olim Jacob per noctem habuit cum Domino, diremit ille dicens : a *dimitte me, jam enim ascendit aurora.* bHailgrinus Cardinalis Sabinensis hic : Jacob, ait, figurat sanctos Patres, qui sub veteri Testamento precibus & lachrymis, quasi duobus brachiis, ut tangitur Oseæ 12. ubi agitur de lucta Jacob, nitebantur à Deo extorquere incarnationem Unigeniti sui : quorum cœtui respondetur, quasi in ortu Mariæ: *dimitte me, jam enim ascendit aurora.*

Quare nemo quisquam mirabitur,
Si Mariæ nascenti,

Lætitiæ causam maximam, assignat Ecclesia, dum nobis ante hac in tenebris & in umbra mortis sedentibus, aurora exorta est, quæ solem nobis optatissimum produxit. NATIVITAS TUA *Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo : ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.*

c Populi septentrionales sex menses in crassa ac continua nocte versantur : reditum Solis avidissimè præstolantur ; hinc in jugis montium excubias habent, ut albescente cœlo festo tubarum sono, incolis auroram denuntient ; acerbius atque luctuosius, ubi perpetua nox est, atque hi populi prope Bosphorum Cimmerii vocantur, de quibus Cicero lib. Academ. 8. *Cimmeriis aspectum Solis, sive Deus aliquis, sive natura ademit.* Hæc & gravissimorum & sanctorum Patrum sententia est : nam Magnus Basilius *d* inter suas epistolas connumerat quandam S. Gregorii Nazianzeni ad se scriptam, *c* cum in Ponto degeret, quæ sic habet : *Ego tuum Pontum admiror, & Ponticam tenebrosam sterilitatem & desideratum Solem. O Pontici Cimmerii, & sole carentes, & non tantum semestri nocte condemnati, quod sane de quibusdam proditur* ; verum noctem *unam longam, omnem vitam habentes, & revera umbram mortis.* Haud aliter humanum genus, vespertilionum aut noctuarum instar, non menses, sed annos, & lustra, & sæcula, in crassa scelerum nocte palpitabat, quia ut *e* Isaiæ ostensum : *tenebræ operiebant terram, & caligo populos*; in quos merito cadit illa *f* Lactantii exclamatio : *O montes Cimmeriis tenebris atriores.* Quanto putas gaudio, plausu, exultatione ac festis canticis Pontici illi, & Cimmerii, exorientem lucem salutarent? nos ipsi post brevem noctem experimur, aurora illucescente omnia hilarescere, flores sese pandere, aviculas cantu aëra mulcere, prata ipsa ridere, morbidos alleviari, mortales omnes reviviscere videntur. Quod si hæc fiunt, inquit Cardinalis

a Gen. 32. b Hailgrin hic. Richard. à S. Laur. de laud. Virg. l. 7. p. 468. c Plin. lib. 4. cap. 12. Solinus. Marol. Canic. tit. meteor. pag. 26.

d Basil. epist. 21. e Isaiæ. 60. f Lactant. lib. 4.

Bel-

„ Bellarminus, *a* cum quotidie
„ aurora ad nos revertatur, quid
„ fieret si forte aliquando con-
„ tingeret, ut Deo sic providente,
„ per unam aut alteram hebdo-
„ madam, noctem perpetuam
„ haberemus, nec sciremus quo
„ demum prodigio detentus re-
„ dire ad nos, & orbem nostrum
„ Sol illustrare non posset? quid
„ obsecro ageremus? qui gemi-
„ tus, qui clamores exaudiren-
„ tur? quam sæpe ad orientem
„ miseros & lachrimabundos o-
„ culos converteremus? At ubi
Auroræ tam diu, & tam cupidè
exspectatæ primus fulgor appa-
reret, & solem ac diem certissi-
me venturum prænuntiaret, quis
præ lætitiâ seipsum capere pos-
set? quæ cum ita sint, quis ex-
plicare queat, Auditores, quid
senserint ii, qui per multa sæcu-
la tenebris involuti, ubi Mariam
velut auroram exortam didice-
runt? Rupertus *b* in illa verba:
quæ est illa quæ progreditur? Sic
Virgine exoriente disserit: *quan-
do* NATA *es, O Virgo beata, tunc
vera nobis* AURORA *surrexit*:
AURORA *prænuntia diei sempi-
terni: quia sicut* AURORA *quoti-
diana, finis est præteritæ noctis,
& initium diei sequentis; sic* NA-
TIVITAS *tua, finis dolorum fuit,
& consolationis fuit initium: fi-
nis tristitiæ, & lætitiæ nobis ex-
stitit principium.* Erat quippe
tempus legis antiquæ tempus
noctis. Noxa primi parentis,
multorum sæculorum noctem
induxit: post noctem qua fur-
tum commisit, nullum in orbe
diem vidit: *noctu* enim ut ob-
servat S. Anastasius Sinaita, *c*
*comedit Adam, & est proditus, pri-
usquam ejus aperti essent oculi*,
econtra Maria, ut ex revelatione
viro religioso facta constat, au-
rora illucescente nobis nata est,
de qua præclare *d* B. Petrus Da-
mianus Cardinalis: *Ex illa hora
tenebræ factæ sunt super univer-
sam terram usque ad Virginem.
Hæc est illa nox, de qua scriptum
est: Posuisti tenebras & facta est
nox, in ipsa pertransierunt omnes
bestiæ silvæ; quia crudeles & in-
domiti spiritus, dimotis repagu-
lis, humanum genus totis viribus
obtriverunt; sed* NATA *Virgine,
surrexit* AURORA, *quia Maria
veri prævia luminis*, NATIVITA-
TE SUA, *mane clarissimum sere-
navit.* Libet itaque exclamare:

*Ex vere, & totum radios dif-
funde per orbem
Aurora lux! non te pyroeis, &
Eous, & Æthon
Sidereusque Phlegon, quan-
quam per inania currus
Phœbæos rapiant, & puris æ-
thera lustrent
Ignibus, advexere. Tuus for-
mosior ortus.*

Atque profecto *e* S. Isidorus
AURORA inquit sic dicta, quasi
AUREA HORA. Hora verò
aurea, qua pretiosissima *hæc* AU-
RORA *de qua nascitur Sol Iu-
stitiæ: solius solis claritati suc-
cumbens.* Aurea verò hora Nati-
vitatis tuæ, quia ab eâ, sæcula
aurea profluxere, ut vaticinatur
Poëta:

a Bellarm. conc. 42. in Nativ. B. Virg.
b Cant. 6. Rupert. in Cant.

c Athan. Sinait. l. 7. Hexam. Durandus
l. 7. c. 28. d B. Petrus Damiani serm.
in Assumpt. B. Virg. e Pet. Damiani
serm. de Assump. B. Virg.

Iam

a *Iam nova progenies cœlo dimittitur alto;*
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia secla.

Puella toties mundi jam prope depositi, perpetuis tenebris immersi, & in æternis sordibus ingemiscentis, precibus ac votis expetita nascitur, quinquaginta ferme sæculorum opus, quæ à mundi cunabulis ad ejus usque cunas effluxerunt.

b *Quæ te tam læta tulerunt*
Sæcula, quæ tanti talem genuere parentes?

Certabant sæcula, inquit Damascenus, *quodnam ortu Virginis glorietur:* certabant anni, certabant mentes, certabant dies & horæ; sed *tantæ molis erat*, naturam, Genitricem Dei, Dominum Mundi, vitæ reparatricem, c *negotium omnium sæculorum parturire.*

d *Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus.*

Quod si eum diem Romani natalem duxerint, quo hostium potestati erepti, libertati restituti, à præsentissimo discrimine liberati fuere, quidni mundus universus natalem suum hodie celebret? Tullius pro Flacco dicturus, diem illum fortunatissimum deprædicat, quo rem publicam à conjuratione e Catilinæ liberaverat: *O nonæ illæ decembres, quæ me consule tristes! quem ego diem vere Natalem hujus urbis aut certe salutarem appellare possum.* Sic Horatius religiosissime Kalendas Martias veneratus est, quod eo die casu arboris obtritus non fuisset: e *cum non minus nobis jucundi sint illi dies quibus conservamur, quam illi quibus* NASCIMUR. Potiori jure exclamare juvat; O idus illæ Septembris! quem ego diem natalem non hujus urbis, sed urbis, sed orbis appellare possum: g NATIVITAS *Beatissimæ & intemeratæ Genitricis Dei, merito præcipuum & singulare præbet hominibus gaudium, quæ totius extitit humanæ salutis exordium.*

Ferale Regis Assueri edictum pendebat in Susan; de omni stirpe Judæorum jam conclamatum erat, ubique luctus & lachrymæ, & plurima mortis imago. Quam nubem sanguineam, & funestam noctem, cum una Esther in tempore opportuno, velut aurora exsurgens dissipasset, omnis populus quanto gaudio, tripudiis exultarit, sacræ paginæ testantur: h *Iudæis autem* NOVA Lux *oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.* i Quæ ad ortum Virginis præclarè Richardus, * *ejus formæ mirator es amator factus,* sic adoptavit: In ortu ejus nova lux orta est justo, propter veritatis cognitionem quæ ignorabatur: gaudium propter carceris evasionem; honor propter hostis dejectionem: tripudium propter salutis recuperationem; ad hoc enim nata est; ut paternæ prævaricationis delictum „ ablueret, innocentiam repara- „ ret, districti judicis iracundiam „ placaret, portam cœli aperiret, „ & captivis libertatem conferret.

a Virg. Eccl.4. b Virg.l.1. c Bernard. ser.2. in Pentec. d Martial. l.7. e Cic.3. Catilin.

f Cic. cit. g B. Pet. Damian. ser. 2. in Nativ. B.V. h Esther 8. i Guerric. ser.2. in Nativ. B.Virg. * Rich. à S. Laur. l. 4.

Atto-

Attonitus igitur mundus demum percunctatur : a *quæ est ista? tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi tui*; hæ quippe faustæ acclamationes, tibi O Maria, potiori jure ab universo mortalium genere, quam olim Judithæ à Bethuliensibus, debentur. Sacra Regum historia exponit gaudium, lætitiam totiusque populi exultationem in hoc argumento, dum post tres annos in siccitate, ariditate, sterilitate, & fame jam extremâ transactos, quibus cœlum clausum & obseratum videbatur, gratissimus nuncius advolavit, dicens : b *Ecce nubecula parva à mari.* Joannes Hierosolym. de instit. Monach. cap. 32. Maria inquit, nubecula parva, dulcis & pura, de mari salsissimo & inquinatissimo : *Nil habet illa maris.* Luserit c aliquando Christianus Tullius, & Margaretam Philippi IV. Hispaniarum Regis nostri Reginam Matrem extulerit, dicens : hæc Regina Mater est, non humanis virtutibus exculta, sed divinis, è cœlo in Hispaniam dilapsa est. E cœlo Margarita non solum nomine, sed magis vivendi instituto pretiosa : nam ut è cœlesti rore & fulgetro gemmeæ Margaritæ coalescunt, ita ex divinæ contemplationis haustu, sola mihi videtur Regina conflata & concreta. At longe verius Damascenus orator : d *lætentur cœli & exultet terra, commoveatur mundi mare : in ipsa enim concha gignitur, quæ cœlitus ex Divinitatis fulgetro in utero concipiet, & Christum ingentis pretii unionem pariet.* Aut si lubet, cum eodem teste Isidoro, AURORA quasi *aura rorans* nuncupetur, Virginem è cœlesti rore pretiosissimum hunc unionem concepisse dicamus. Denique è cœlo lætantium, simulque admirantium voces audire videor : e *quæ est ista quæ progreditur ?* Divus Hieronymus hæc Angelis tribuit, qui exorientis Virginis luce perstricti, non sine mentis stupore sciscitantur : f *quæ est illa tam pulchra ad videndum, tam admirabilis ad contemplandum, tam desiderabilis ad amandum ? O Virgo mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis ! per te elementa renovantur, homines salvantur, dæmones conculcantur, & Angeli redintegrantur.*

Nec parum ad laudem & gloriam Virginis facit, quod Angelicæ mentes, cœlestis aulæ Principes, pulchritudinem ejus mirentur : si enim puella quædam ex agro forensi, & oppido rurali, regalem curiam ingressa, omnium Magnatum oculos animosque in suæ pulchritudinis admirationem raperet, ita ut se mutuo respectantes, magna cum admiratione dicerent: *quæ est ista* tam decora, tam speciosa, tam amabilis, tam admirabilis ? eximia prorsus istiusmodi species & pulchritudo sit necesse est : nam in Regum aulis, & Principum atriis quam plurimæ sunt, qui venustate singulari certent, & ornatu plane exquisito, præditæ sunt; cum igitur Angeli in cœlesti curia creati & versari, cœlestium pulchritudinem semper intueantur, & nihilominus splendor Mariæ in terra hac nostra rurali

a Iudith. 15. b 4. Reg. 18. c Mindosa Viridar. lib. 6. orat. 1. d Damasc. orat. 1. in Nativ. B. Virg.

e V. Rich. à S. Laur. l. 7. f Ansel. 1. orat.

rurali procreatæ, eos in sui admirationem rapiat, spectaculum illam extitisse rerum omnium pulcherrimum nemo quisquam inficiabitur. Quid, quod formæ ejus, supernæ patriæ cives tanti amatores facti sunt, ut Divæ Brigittæ per manifestam revelationem innotuerit: a *ipsos Angelos magis exultasse, quod te Deus creare voluerit, quam ex eo quod ipsos creaverat: & sic verè Deus cum Angelis, & Angeli cum Deo, de te O Virgo creaturarum omnium dignissima, intimè congaudebant,* & suavissimo concentu aëra mulcebant. Ubi opportunum illud Ethymon *b* Richardus adinvenit: AURORA, inquit, *quasi avium hora, quod tunc incipiunt modulari voces suas in laudibus Matris & filii. Aves cœli sunt Angeli, qui concorditer laudant eam, unde & potest dicere cum filio, quod dicit Iob. c. 38. cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Atque ut & nos ad hanc auroram salutandam, & laudes Virgini concinendas inducat: addit *aurora quasi avium ora aperiens*, quas *aves* ait *esse animas fideles, volantes pennis virtutum*, & Marianas laudes modulantes. O si hunc hodie referamus, ac omnium ora & corda SOLI *pandantur amori* MARIÆ! beatæ illæ mentes, ac linguæ, in quibus Maria cum aurora oritur, cum Sole vivit, nec cum die moritur! c *qui mane inquit vigilant ad me, invenient me*: qui more florum, sub auroram, SOLI *panduntur amori*: *Beati* d *qui mane vigilant ad me quotidie, & observant ad postes ostii mei*, significetur qui vere affectus est Virgini, singulis diebus primo mane eum debere oculos animosque intendere, & speciali eam obsequio sibi devincere. Vel *mane*, alludere videtur ad amantes quorum primæ cogitationes sunt de re amata de sponsa, quam ardenter concupiscunt, observantes ad fores, si forte alloquendi sit occasio: Virgo autem quærentibus se, statim est in foribus, & occurrit e *quasi Mater honorificata.* Sanctus Bernardinus Senensis hac pietate in Virginem sponsam suam excelluit: quotidie enim summo mane portas urbis egressus, Sacellum quoddam adibat, Virginem mundi auroram salutaturus: cumque illud factum insolens à familiaribus observaretur, pio dolo illis illusit: amicam quandam ad urbis confinia degere, quam indies blandè confabulaturus, accederet. Donec tandem sagacior juvenis, hujus vestigia legens, eum Virginis ædiculam intrantem, & ante ejus aram prostratum deprehendit. Atque is interim ex hac per plures annos concursatione, & sanctis diei primitiis, uberem meritorum messem, & gratiarum cumulum collegit, ut verissimum expertus fuerit illud sapientis: BEATI *qui mane vigilant ad me.* Quisquis & qui beatos inter censeri desiderat, f *oportet ad ortum lucis adorare te.* Id est interprete magno: *gratias agere de* ORTU *Mariæ, per quam illuminatus est mundus.* Etenim si Persæ summâ gratulatione auroram salutare, & omni veneratione adorare solebant, g *nos prævenire* *solem,*

a In Revel. Brigittæ, serm. Angel. 2.
b Richard. à S. Laur. de laud. Virg. l. 7.
c Prov. 8. d Prov. 8
e Eccl. 15. f Richard. à S. Laur. cit.
g Rich. cit.

ſolem, id eſt prius ad Mariam venire, quam ad Solem juſtitiæ ad benedictionem ſuam obtinendam. Nato mundi Salvatore, facta eſt multitudo cœleſtium Amphionum laudantium Deum, quos hoc Virginis natali non defuiſſe, ex illo B. Petri Damiani recte concluſeris, qui docet: *Sicuti in Nativitate Chriſti, ita etiam nihilominus in* NATIVITATE MATRIS *Chriſti, exultandum*; expreſſius vero Patriarcha Venetus, ferm. de Nativ. Virg. a *in cujus ortu lætati ſunt cæli, decantaverunt Angeli laudes Deo; promulgata eſt pax, humanæ ſpeciei cœpit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris quæ totum occupaverant orbem, radios ſuos* RUTILANS AURORA *perfudit.* Et diuina illa Prædicatorum tuba Vincentius, de Natali Virginis diſſerens, ait: b *O quale gaudium fecerunt! quia dixit Chriſtus, quod gaudium eſt Angelis Dei in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* (qui ſpiritualiter renaſcitur) *ergo quanto magis ſuper Virgine Maria, quæ nunquam peccavit.* Cui conformia ſunt, quæ Sancta Mechtildis ab ipſa Virgine Matre divinitus „ hauſit: cum ſint inquit (Ma„trem Dei alloquens) infinita „ quæ mentes delectent reco„lentium gloriam tuæ vene„randæ Aſſumptionis, vellem „ etiam edoceri, quid in feſto „ tuæ *Nativitatis* ſpecialius ab „ Angelis recolatur in cœlis. „ Cui B. Virgo reſpondit: An„geli Sancti modo in cœleſti „ gloria cum inæſtimabili re„tractant lætitia, gaudia illa ineffabilia, quæ habebant no- „ vem menſibus illis, quibus e- „ go creſcebam in utero Matris „ meæ, anhelantes ad ortum & „ natalem meum. Hinc nulli dubium eſſe poteſt ad cunas Virginis advolaſſe, & ut piè quidam meditantur, natam excepiſſe. Suos quondam Principes cum naſcebantur, Schytæ clypeo extulerint ad belli præindicium: ſuos Athenienſes Sacerdotalibus infulis texerint ad pacis auſpicium: Perſæ adverſo ſoli oppoſuerint ad religionis myſterium: Romani humi ſtraverint ad miſeriarum exemplum: Turcæ militati vexillo involverint, ad jactantiam: Græci purpurâ ad pompam: Parthi caſſide exceperint, ad militarem gloriam. Hæc Cœli Terræque Regina, veſtitu Charitatis deaurato, circumdata omnium virtutum varietate, Angelicis manibus excipitur. Nec eſt quod quis hic ſingulari numinis beneficio, ac læto præſagio accidiſſe commemoret, quod ad Mydæ cunas, formicæ frumentum devexerint, quæ rerum omnium copiam ſub eo Rege adfore prenunciarunt: Platonis cunabula, apes melle reſperſerint: atque in Ambroſii labiis molliter ſeſſitarint; Angelicæ apes ex lilio hoc Mariano melia, miſeri homunciones formicarum inſtar, frumentum electurum, in his cunis ſibi reconditum, merito gloriantur. Quo denique ac quanto gaudio Angeli natam Virginem proſecuti ſint, argumento, eſt, quod feſtivo ſuo acroamate, celebritatis hujus per orbem terrarum auctores, ac præcentores extiterunt:

a B. Laur. Iuſtin. ferm. de Nativ. B. Virg. b S. Vincent. ferm. de Nativ. B. Virg.

ierunt: nam ferunt Anachoretcn *a* hac ipſa luce quotannis audire cœleſtes Choraulas ſolitum, qui læviſſimis modulis latè aerem exhilararent: eumque precibus Deum exoraſſe, ut quid concentus hic tam ſolennis ſibi vellet indicaret. Qui cœlitus edoctus eſt, Angelos miro gaudio geſtire, & feſtivis canticis hunc diem celebrare, quo eorum Regina, mundi Domina, & Dei Mater in terris nata eſt. Cujus rei geſtæ ſeriem, cum vir ſanctus Pontifici Maximo fideliter retuliſſet, feſti hujus celebritas per orbem Chriſtianum inſtituta eſt. Quam lucem cum noctuæ, ac peſſimi tenebriones ferre non poſſent, ſublatam ac prorſus extinctam volebant. Lutherus in hujus diei Euangelium: pervelim inquit, hoc feſtum omitti, cum nullo ſcripturæ teſtimonio nitatur. *b* At luculento ſane teſtimonio, celebritas natæ Elizabethæ nixa eſt! hæc fax Angliæ, peſtis Eccleſiæ, Regina impudentiæ, cum 7. Septembris in Sanctiſſimæ Virginis profeſto nata eſſet, incredibili pompâ ac ſplendore, & campanarum ſtrepitu quotannis natalem ſuum per omne regnum celebrari curabat.

Addit Sandæus, in majorem Dei Matris contemptum, in omnibus Angliæ calendariis, natalem Elizabethæ magnis rubris literis, ſeu minio notatum; Sanctiſſimæ vero Virginis, atris & minuſculis characteribus expreſſum. Vel ideo apud nos majori in honore, amore, & veneratione, hæc ſaluberrima dies eſt, quæ largiſſimam nobis cæleſtium donorum affluentiam, atque apud filium gratiam & miſericordiam impetravit.

Ubi ut concludam, hoc poſtremum obſervandum occurrit: non ſine peculiari numinis providentiâ, Mariam menſe Septembri natam fuiſſe; quo ſcilicet nobis Deus manifeſtaret, ſe benigniori vultu, vel ex tunc reſpicere terram: Aſtrologi enim menſe Auguſto ſolem in ſigno leonis regnantem, acri æſtu terram urere & torrere; menſe vero Septembri, Virginis ſignum domumque ſolem ingreſſum, mitioribus radiis & benigniori influxu terram luſtrare aſſeverant. Id porro nobis in Natali Virginis eveniſſe videtur: nam prius quam Mariæ in terris oriretur, in leonis ſigno Deus regnabat, unde & leo dicebatur, & leo rugiens: c *leo rugiet, quis non pavebit?* Nunc vero iras omnes, ferociamque ponere, cum primum in Virginis ſignum, id eſt in ſinum tuum O Maria venerit: ubi leo manſuetudinem Agni induit, ut cum digito ſignat Baptiſta: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Olim Deus ultionum, Deus exercituum, ignis conſumens, nunc Deus conſolationis, Deus pacis ac dilectionis. Unde hoc? niſi quia Sol declinat ad Virginem. Alteram rationem adfert Damianus, dicens: d *inter cuncta hujus venerandæ ſolemnitatis inſignia, illud etiam non ſine profundi cauſa my-*

a Petrus à Natalib. S. Antonin. p. 1. hiſt. t. 14. c. 6. Vincent. in ſpec. l. 7. c. 119. Durand. l. 7. c. 8. b Rich. Briſtan. Anti-hæretic. motiv. tom. 2. motivo 22. Kal. Marian. Coluenerii. 8. Sept. n. 15.

c Amos. c. 3. d Pet. Damian. ſerm. 3. in nativ. B. V.

ſterii

sterii contigisse creditur, ut Mater Domini sub ipso pene vindemiarum tempore NASCERETUR *nunc quippe vinearum, palmites proventu onusti fructuum, ad ima defluunt: nunc uvarum botri gravida maturitate turgescunt. O quanti hanc vindemiam aridis mentium faucibus sitiebant!* ac tandem concludit: *merito ergo Beata Maria Virgo, sub ipso vindemiarum tempore* NASCITUR, *ut jam novæ gratiæ mustum ex variis sacræ scripturæ sententiis, velut ex diversis uvarum folliculis exprimatur; merito autumnali tempore* NASCITUR, *ut jam velut in autumno, totius sæculi fructus spiritualium arborum comedatur.* a Quod ipsum confirmat Hugo Card. non sine bono omine, Septembri mense natam esse, qui dicitur mensis *plenitudinis*, mensis *fructuum* quia in eo fructuum ubertate omnia plena sunt: plenæ arcæ, plenaquæ horrea. Et hæc Septembris gloriæ, hæc laus & commendatio; sed major illi à nascente Virgine, quæ non folia, id est bona duntaxat vota, quæ ventus inconstantiæ facile discutit: non etiam leves virtutum flosculos, quos adurit atque exsiccat primus æstus concupiscentiæ; sed solidos & natos æternitati dedit bonorum operum fructus, & præ his omnibus divinissimum Sanctissimi ventris sui fructum, brevi datura quare ut nos hac luce fructum legamus, quo cultu, qua pietate, ac religione Natalem prosequi debeamus, paucis adverte docebo.

a V. Lorin. in Psal. 64. Sanctum est templum tuum.

§. 2.

Vani ac prophani in natalitiis, gentilium ritus, ad pios Sanctos referuntur, ut Natalis Beatißimæ Virginis quam devotißimè celebretur.

RElgiose summorum virorum Natales, veteres observarunt: diem illam Persæ perpetuo sacram habuerunt, qua Xerxes accessit imperio: eam Syracusani semper coluerunt, quæ Timoleontem: eam Athenienses, quæ Socratem peperit: Romanis quoque dies illa solemnis fuit, qua urbis fundamenta ponere cœperunt. Nec non Calendæ Januariæ, Titi Imperatoris ortu nobiles, Decembres Nervæ, Novembres Adriani, Apriles Antonini, Februariæ Constantini, Idus Juliæ, Julii Cæsaris claræ natalibus, olim Romæ, magnâ cum pompâ celebrari consueverunt. Sed O Idus Septembres, præ omnibus æterna memoria retinendas! semper illa dies nobis dicetur supra cæteras beata, quæ nobis affulsit optima, tantoque tamque divino partui præluxit.

Hanc itaque ut Christiano more ac Mariano amore digne veneremur, libet imprimis antiquum illum à gentilibus ritum mutuare, quo in natali suo omnes amictu candido indui jubebantur, ut recte Pelignus Vates cecinit.

Est populus festo concolor ipsa suo.

& ipse de suo natali lib. 2. trist. eleg. 13.

Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut alba tuis.

Contestatur idipsum Hircani cujusdam Hebræi factum insigne, apud Josephum: qui die natali Ptolomei Regis Ægypti, centum pueros unius ætatis, & centum puellas ejusdem formæ, omnes candidissima veste amictos, talentum aureum in manu habentes, Regi natalitium munus misit. Hunc ritum nos quam maxime æmulari addecet, omnes hodie Virginis natæ candidatos, talento charitatis præditos, nos offerre convenit: animus omni sceleris labe expurgandus, alba cælestis gratiæ veste induendus, affectus, sensus, mores omnes dealbandi sunt: b *Considerate, inquit, Augustinus, quando aliquis homo potens aut nobilis* NATALEM *suum, aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies, quidquid in domo sua sordium invenerit, ordinet emundari: quidquid ineptum & incongruum projici: quidquid utile & necessarium, præcipit exhiberi. Domus etiam si obscura fuerit,* DEALBATUR, *pavimenta scopis mundantur.* Ita hac solenni Virginis Natali, & Patronæ nostræ, omnia interioris domus emundentur, dealbentur, floribus virtutum respergantur. Nostis quomodo? Attendite Cardinalem Damianum: c *Nos igitur ad honorom hujus Virginis pracinamus in confessione. Confessio & pulchritudo in conspectu ejus:* quæ more suo diviné d Hipponensis præsul exponit: *pulchritudinem amas? vis esse pulcher? confitere. Non dixit pulchritudo & confessio, sed confessio & pulchritudo. Fœdus eras, confitere ut sis pulcher: peccator eras, confitere ut sis justus: fœdare te potuisti, formosum te facere non potes?* d Gregorius Magnus expendens illa verba Ps. 50. SUPER NIVEM *dealbabor: quid hoc loco,* inquit, PER NIVEM, *nisi lucem justitiæ, &* CANDIDA ACCIPIMUS CORDA SANCTORUM? & alibi super illa Hieremiæ, Thren. 4. *candidiores Nazaræi ejus* NIVE: *quid,* inquit, *per* NIVEM, *nisi* CANDOR VITÆ COELESTIS *signatur?* in solemni Christi ad superos ascensu, Angeli in albis vestibus apparuere, *quia* IN ALBIS VESTIBUS *gaudium, & solemnitas mentis ostenditur.* e Ipsi Turcæ adeo religiosè nitelam vestium in legatis spectant, ut nefas sit, Regem Turcarum accedere atratum. Luculentum exemplum præbuit Rhodiorum equitum Præpositus *Philippus de Villiers*, qui cum Insula Rhodus funesto fato sub Solimanni tyrandem redacta esset, vir grandævus urbe sibi excundum duxit; veste sorti suæ apta: cumq; in hac pulla veste, Solimannum victoriâ suâ insolentem adire decreuisset, aditu prohibitus, diu stetit senex venerandâ canitie, & sorte sua miserandus; exigente eo rationem suæ remoræ, responsum est non conveniri Regem atrâ veste: atque hærendum, dum alia decens afferretur. Ipso iniquius ferente moras, allata est tandem aurea vestis, qua pompaticè compositus concessum est ei accedere Solimannum. Capitale duci-

a Caussin. Campi. eloq. p. 489. b S. August. serm. 1. in advent. c B. Pet. Damian. cit. Psal. 95. d Aug. in Psal. 95.

d Greg. mor. 27. c. 14. e Greg. hom. 29. in Euang. Gull. Postellus. lib. de institut. Turcarum. Bodinus in hist. Rodiorum Equitum.

ducitur barbarum Regem atrato amictu convenire; enimvero immane quantum discrepat, Regem Regum atra scelerum veste animum convestitum accedere, ejus mensam (prô scelus) in die solemnitatis, natalis tui accedere? in quo convivio deceret te habitu super nivem dealbato convestiri, id est ut *a* Hugo Cardinalis: INCOMPARABILITER ALBUS comparere, *sine ulla macula nigredinis peccati.* Convivium nemo mortalium augustius, splendidius, sumptuosius, quam Virgo Mater in hoc natali suo adornavit, ad quod nos omnes convivas invitat; in hoc convivio cæleste illud manna reconditum, quod continet omnis saporis suavitatem; *b hoc utique manna, quod in utero Mariæ repositum, tibi expositum atque appositum, est, frequenter* (hoc saltem Virginis natali) *utere ad salutem.* Laudandum hic & mirandum, quin & imitandum propono *insignem pietate virum*, Ferdinandum imperatorem, qui suum quidem colebat *c* Nativitatis diem sed non uti prisci illi: solum enim religiosissimo cultu eum traducebat: neque illum diem veluti hilariorum agebat, sed Deum vitæ suæ autorem, ob conservatam ad usque eum diem vitam incolumem laudabat, super quo gratias votis eximiis agebat: easdem quovis modo ut referret, ad aras agente sacerdote, tot offerebat nummos suæ Majestati congruos pauperibus distribuendos, quot numerabat annos.

Institutum certe quod nedum talem principem decuit, sed quod alii quoque principes ac dynastæ, & nos pro modulo nostro imitemur; Aliquod saltem in gratiam Virginis, pauperi munusculum elargiamur; nam ut Varro testatur: *d id moris, institutique majores nostri tenuerunt, ut in* DIE NATALI, *munus annale* GENIO SOLVERENT.

Sed ô perversos nunc Christianorum mores! toto prope jam orbe, Natalitia Sanctorum, Bacchorum ritu celebrantur, quasi vero delectet sanctos, luxus ille quo jura divina & humana omnia violantur: nullus fere angulus orbis Christiani hac impietate vacat: singulis quippe vicis, oppidis, & pagis suus est Sanctus, quem patronum tutelarem indigetarunt: in cujus die natali, largo mero aspergi, crapula distendi, lascivia diffluere consueverunt. Has Ethnicorum reliquias, & detestandos ritus, suo etiam sæculo grassantes, sic damnat *e* Augustinus: *Attende animo tot Martyrum millia: cur enim te Natalitia eorum, conviviis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam sequi honestis moribus non delectat?* satius esset Martyrum agones colere, epulo sacro, ubi anima instruitur gratia idonea ad virtutes Sanctorum æmulandum.

f Alias timendum est, ne nobis in animo accidat, quod Gentili quondam in corpore: Antipater Sidonius omnibus annis

a Hugo Card. in Ps. 50. super nivem.
b B. Laur. Iustin. serm. in Nativ. Virg.
c Ioan. Chocier Sax. hist. cent. 1. cap. 12. Idem refert de Emanuele Duce Sabaudiæ, P. Barry de Angelo cust. c. 6.
d Varro lib. de numeris. e Augustin. lib. de pœnit. c. 4. f Valer. Max. lib. 1. c. 8. n. 16.

uno

uno duntaxat die, quo natus e-
rat, febri implicabatur, cum jam
ad ultimam ætatem pervenisset,
natali suo, febri redeunte, illo
circuitu extinctus est. Sed pergo
porro & ad sacrificia, quæ in
Natali peragi solita, festino. *a*
Alexander ab Alexandro tradit
Romanos quondam genio suo,
non carne taurorum & sanguine,
sed lacte, melle, vino, libis, flo-
ribus, & thure litare solitos. *b* A-
lexandro Severo diem suum
natalem celebranti, victima cru-
enta aufugit, & sanguine suo
candidam Imperatoris vestem
cruentavit, cui mortem immi-
nentem cruor ille portendit.

Quisquis hodie candidis Vir-
ginis cunis adstas, natalem cele-
bras & forte (quod avertat pia
Mater) hostis sanguinem sitis,
manus sanguine plenas habes, vi-
ctima adstas sanguinolenta, &
niveos pannos virgunculæ natæ
cruentas, mortem tibi acerbissi-
mam portendis. Utinam Chri-
stiani recolerent morem illum
qui diu apud Gentiles constitit
illibatus: non carne taurorum,
aut animalium sanguine fas erat
immolari, sed incruenta, die na-
tali sacrificia peragebantur, id-
que ut refert ex Varrone *c* Cen-
sorinus: ***manus à cæde & sangui-
ne abstinebant, ne diem qua ipsi
lucem accepissent, aliis demerent.***
Nihil sanguinis, nihil fellis aut
amaritudinis hac luce promen-
dum est,

d ***Dicamus bona verba, venit na-
talis ad auras.***

Omnia ipso die natali, pacem,
pietatem, virtutem spirent, ut
*dies ille supremus quem quisque
reformidat*, gentili *e* Seneca mo-
nente ***æterni natalis sit.*** Hoc spe-
ctavit Alexander Lusacius, *f* no-
bilis Adolescens: is diem suum
Natalem, quo sacro fonte ablu-
tus, Ecclesiæ Albo candidatus
adscriptus est, ut solemnem Ka-
lendario suo inseruit, atque ita
coluit, velut è præcipuis anni to-
tius celebritatibus esset. *g* Cum
aliquando dies illi natalis immi-
neret, ad Patrem Capucinum
quendam sibi perfamiliarem, in
hunc sensum scripsit: Quæso te,
mi Pater, per Christi Domini „
nostri, ejusque sanctissimæ Ma- „
tris amorem, quandoquidem „
dies illa qua fui natus, non „
procul abest, velis pro me mi- „
sero peccatore, aliquid ultra „
consueta pietatis exercitia su- „
peraddere: ante omnia vero, „
mihi spiritum pœnitentiæ, qua „
vitæ præteritæ culpas abjici- „
am, & post hæc cor mundum „
& spiritum rectum impetra, qui
me totum renovet, talemque ef-
ficiat qualem esse me Deus vult.
Habes sanctissimi hujus viri e-
xemplar, qui in colendo natali
die, tibi præluxit, hunc sequere,
& imitare.

Denique hoc omnium nostrum
votum sit, ut dum Virgo terris
nascitur, cælo renascamur. Quod
D. Bernardinus multis precibus
& lachrymis expetiit, de illo
celeberrimus auctor vitæ illius
sic scripsit: *h* certe ego ipse con-
cionem illo habente Senis, de B.
Virgine, anno 1427. in die Nati-
vitatis Virginis, ita audivi eum
dicentem: Ego frater Bernardi-

a Alex. ab Alexandro l. 2. c. 22. b Lampridius in Alex. Severo. c Censorin. c. 1. de die natali. d Tibull.

e Seneca epist. 103. f Lib. 1. vitæ. cap. 6. g Barrii de Angelo cust. c 6. h Surius 20. May.

i nus,

nus, semper fui devotus B. Virgini: *in die enim* NATIVITATIS *ejus, ego natus sum, eodem die baptizatus, eo ipso die monasticum habitum indui: itemque eodem professus sum, & eodem etiam die primum sacrificium obtuli Deo, eodem die cupio excedere ex hac vita.* Quod ut omnibus non contingat, id certe exoptandum ut amori Virginis immorientes, alteri vitæ, ad eam contemplandam renascamur. Quod fœliciter, ut recte ominamur, evenit Francisco de Benavides, Ser. Archiducis Leopoldi Ephebo, signifero in obsidione Dunckerkana, in conspectu Principis ab hoste trajecto, cum biduo ante in natali Virginis, sacro epulo refectus esset: cujus hoc epitaphium.

State & audite dum vos alloquor,
COMMILITONES MEI.

Habent & mortui vocem suam, habent & sensum.
Vocem hanc si viventes audiant, si sensum habeant, fortunati.
Ego sum
FRANCISCUS DE SOTO-MAYOR
Manuel Benavides & Guevara;
Imo fui:
Alta hæc nomina, & simul omnia,
Cum vita mihi momento erepta sunt
Ego nunc sum
ANIMA NUDA ET SOLA.
Quod inter vos visus sum, jam pulvis & cinis, & nihil est.
Vivebam vobiscum securus in tempore;
Et raptus sum momento unico attonitus in æternitatem.

O Æternitas!
Quam te nemo capit, nisi quia te captus est!

O Æternitas!
Quam tibi vox brevis, & quam longus est sensus!

O Æternitas!
Quam paucis descripta litteris, secula quam immensa describis!
Æternitas vitæ aut Mortis,
Cum Deo beata, horribilis sine Deo.
Hunc ego solum judicem habui, & quod perculit
in exspectatum:
Penè adhuc vivus
Ad tribunal ejus steti, & audivi
SENTENTIAM ÆTERNITATIS.
Hanc ego non pronuncio;
Quia hoc judicis est, non judicati,
Vos audituri in extremo die & vestram & meam,
Utinam utriusque fortunatam!
Vixi inter vos annis pauculis:
Quia non solum illi XVIII. *vitæ meæ,*
Sed sæculorum omnium sunt breves.
Vixi in obsequio pii Principis
LEOPOLDI GUILIELMI:
Fælices qui vivunt ad Exemplum vitæ ejus & virtutis.
Illius in exercitu Imperatoria signa circumtuli;
Sed aliud jam in cælo signum vidi.

AD DUNCKERKAM
Hostili telo trajectus occubui
Et mox illa sine me expugnata est:
Sed cælum mihi sine me, & nisi a me non potuit expugnari

Pro

Pro illa Leopoldus
Princeps & dux meus ;
PRO HOC MARIA
MEA MATER ET PATRONA
CERTAVIT.
O MATER !
Quantum tibi debeo , & NATALI TUO ,
Tu , illo die concessisti mihi in Sanctissimo Sacramento filium tuum
Vt haberem benignum judicem post biduo moriturus.
Hanc amate Matrem , & hunc adorate filium ,
Qui viam vobis facilem optatis In Cælum.
Ad hoc ego veni cum natus & renatus sum ,
Hoc ego vidi cum denatus sum ;
Hoc ego si vici tunc vici , cum judicatus sum.
Venite & vos O Commilitones mei
Videte Cælum & vincite , dum tempus est.
Errare à cælo pronum est , non videre cælum
Proclivius est, semel excidisse cælo
Æternum est :

a Atque ideo Natalem Virginis,exemplo meo colite,*ut diem, quem reformidatis, æterni natalis sit.*

a Seneca Epist. 103.

FESTUM SANCTI MATTHÆI APOST. ET EUANGELIST.

Sequere me. Matth. 9.



Usque sequar te. Horat. l. 1. Sat. 9.

ARGUMENTUM.

SI magnates, ut vulgo jactatur, quid magneticum habeant, quo aliorum ad se animos alliciant, id enim vero in Redemptore nostro verissimum comprobatur, qui vel verbo: SEQUERE ME, quandoque vel nictu ocu-

oculi, vel nutu, adeo potenter, ad se mortalium animos pertrahebat, ut fortunis, facultatibus, voluptatib⁹, propinquis, conjuge, liberis, omnibus extemplo spretis, nudi nudũ, per saxa, per ignes, per mille mortis discrimina secuti sint. Non secus ac scapha exigua ingenti Myoparoni alligata (ut in præfixo symbolo videre est) per omnes fluctus, tempestates, ac procellas sequi consuevit. Hortatur & nos Christus ut sequamur, atque ut constet qua eundum sit, impressa, reliquit vestigia, sanguine signavit. His insistere gavisi sunt tot invictissimi Heroes suo sanguine purpurati, tot prisci Anachoretæ, per assiduum vitæ rigorem, lachrimas, vigilias, perpetuam carnis inediam per asperum & horridum vitæ genus, tot viri Religiosi intra religionis claustra quasi vivi consepulti: tot denique tenerrimi pueri ac puellæ quæ *a* SEQUUNTUR *Agnum quocumque ierit*. Vos vero, quos Seraphicus Doctor deplorat, *sequimini Mundi desideria, & hi sunt avari: quidam* SEQUUNTUR *carnis delectabilia, sicut gulosi, & luxuriosi*, *b* quibus illud Prov. 7. congruit, *ubi sermo est de muliere, quod juvenis eam* SEQUITUR *quasi bos ductus ad victimam; vel quasi Agnus lasciviens, ignorans quod ad vincula stultus trahatur: vel quasi avis festinet ad laqueum, nesciens quod de periculo animæ ejus agatur.* Quod periculum cum maximum, & præsentissimum sit, hodierna die cum Matthæo resipiscite, & vestigiis Christi insistite.

a Apoc. 14. *b* Bonavent. ser. de SS. Petro & Paulo.

§. I. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*, 1. Petri. 2. 21.

§. II. *Qui non accipit Crucem suam, &* SEQUITUR *me, non est me dignus* Matt. 10. *quod qua ratione Heterodoxi* INIMICI CRUCIS, *omnisque austeritatis intelligant, paucis disquiramus.*

§. III. *Quam pauci Christum sequantur.*

§. IV. *Continuò relictis omnibus* SECUTUS EST *eum.* Luc. 5.

FESTUM
SANCTI MATTHÆI
SEQUERE ME. Matt. 9.

DUm verbum Patris filius Altissimi, è cælis in terras descendens, nostram induit formam, tres sibi nobilissimos fines præfixit: primum ut sua nos morte redimeret: secundum, ut sua prædicatione doceret tertium, ut sua vita, omnium virtutum exemplar daret perfectissimum ad imitandum, juxta illud 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis* RELINQUENS EXEMPLUM, UT SEQUAMINI VESTIGIA EJUS. In quæ verba docet Cornelius, Christum tribus hisce de causis, quas allegavi, venisse in mundum: atque hæc Angelici *a* Doctoris sententia est: *convenientissimum fuit Christum pati mortem Crucis, primo quidem* PROPTER EXEMPLUM VIRTUTIS: *dicit enim Augustinus* l. 83. qq. 25. *Sapientia Dei, hominem* AD EXEMPLUM, *quo rectè instrueremur, suscepit*; ut quos habebat Redemptionis servos, haberet conversationis discipulos. Quæ solidissime, ac solertissime prosequitur gravis Theologus, *b* Leonardus Lessius, dum præ omnibus, Christum rationem exempli, & imitationis potissimum spectasse, ostendit: longe enim majorem impressionem in animum faciunt viva exempla, quæ oculis videntur, & manibus palpantur, quam illa spiritalis, & supernaturalis Doctrina, longè à sensibus remota. Nihil itaque, vel certè „ parum sine exemplo actum e- „ rat, in genere humano ad vitæ „ sanctitatem. Deinde, quantum „ hoc beneficium, ex eo perspici „ potest, quod hæc exempla o- „ mnis virtutis, tanti filio Dei „ steterint: ideo enim tot annis „ in terris nobiscum versatus „ est, ideo tot labores subiit, tot „ calumnias & acerbitates susti- „ nuit, tam gravia & indigna, „ perpessus est: momento quip- „ pe in formâ humana se exhi- „ bendo, una sanguinis gutta, una „ lachrimula, una precatione, ad „ totius mundi Redemptionem „ sufficientissimè satis fecisset; „ sed ad luculentissimum omnis „ virtutis & perfectionis exem- „ plum exhibendum, illa erant po- „ tissimum necessaria: quamvis simul in illis subeundis, non solum exemplum & imitationem, sed etiam Redemptionem, & solutionem nostri debiti spectaverit.

Tum emphaticè subdit: *ratio tamen exempli, & imitationis, videtur fuisse præcipua, cum modum necessariæ Redemptionis tantopere excesserit.* Unde passim Scriptura etiam passionem, & Crucem, exem-

a S. Thomas part. 3. q. 46. a 4. b Lessius de perfecti. divin. l. 2. c. 9. n. 62.

exempli causa ipsum subiisse, docet. Ut disertissimè patet ex i...).

§. I.

CHRISTUS PASSUS EST PRO NOBIS, VOBIS RELINQUENS EXEMPLUM, UT SEQUAMINI VESTIGIA EJUS. 1. Petri. 2.

Filii hujus sæculi, filii tenebrarum, in alta scelerum nocte, Andabatarum more cæcutientes, voragines, præcipitia, salebras, insidias, pericula undique imminentia non prospectant: quo, vel qua eundum sit planè ignorant: etenim ut præclarè filius ille lucis, Divus *a* Bernardus: *Habet mundus iste noctes suas, & non paucas; quid dico, quia noctes habet mundus? cum penè totus ipse sit nox.*

Omnes *b* *in tenebris ambulant*; quantum verò Charitatis, benevolentiæ, subsidii ac solatii allaturus sit, qui peregrino hic erranti, & in tenebris palpanti facem prætulerit, viam monstrarit, quis satis assequatur. Hoc Redemptor noster præstitit, qui illud illustre de se edit testimonium: *c* *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Ubi ex venerabili Beda notat *d* S. Thomas: *advertendum est, quia non ait, ego sum lux Angelorum, vel cæli, sed lux mundi, id est hominum in tenebris commorantium.*

Nostis qui in tenebris ambulant? hi sunt qui per obscuras vias, opes, honores, dignitates consequi, per ipsos *e* *Principes tenebrarum* agunt & satagunt. Quanta porrò nunc *potestas tenebrarum*, in illo diabolico *tibi dabo*, quis solis explices; nec mirum si solem Justitiæ, lucem ducem sequi detrectent, quia cæci sunt, secundum illud Deuter. 16. *Munera* EXCÆCANT *oculos sapientum, & mutant verba justorum.*

f Alii tenebriones, exercent *opera tenebrarum*, qui male agentes, adeo non sequuntur, ut maxime *oderint lucem*. De his *g* Bernardus: *Nox est hæretica pravitas: nox etiam Catholicorum carnalis, animalisque conversatio.*

Sunt & alii, de quibus *h* Joannes: *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet: qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* S. Pater fratrem, Soror Sororem, Uxor Maritum, si tu propinquum, affinem, vicinum oderis, *in tenebris ambulas*; si vetus odium animo foves, si illatam tibi, aut tuis injuriam non remittis, *in tenebris ambulas, & nescis quo eas.* Quod expendens *i* D. Cyprianus: *it enim nesciens*, inquit, *in gehennam: ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam; recedens scilicet à Christi lumine monentis, & dicentis: Ego sum lumen mundi, qui me* SECUTUS *fuerit, non ambulat in tenebris.*

Ut vero sciatis, quid sit Christum sequi, ac quemq; vestrũ non modo Apostolos sed illum sequi posse, subjungit: *Sequitur autem Christum, qui præceptis ejus insistit: qui per Magisterii ejus viã graditur: qui* VESTIGIA EJUS, *atque itinera*

a Bernard. serm. 75. in Cant. b Psal. 81. c Joan. 8. v. 12. d S. Thom. in Joan. cit.

e Ephes. 6.
f Rom. 13. v. 12. g Bern. cit. h 1. Joan. 2. v. 10. i Cyprian. de zelo & livore.

sectatur : qui id quod Christus & fecit, & docuit, imitatur, secundum quod Petrus quoque hortatur, & monet, dicens : Christus passus est pro nobis &c.

Denique palpabiles ac terribiles tenebræ sunt scelerum, ac perversorum morum, quas ex alta lucis specula Angelicus Doctor contemplatus, exclamat : a *Tenebræ satis metuendæ sunt morum, non oculorum, & si oculorum, non exteriorum, sed interiorum : unde discernitur non album & nigrum, sed justum & injustum.* Tales tenebræ sunt super universam faciem terræ.

In hisce tam densis ac spissis tenebris, benignissimus Redemptor noster famuli instar, aut pedissequi, nobis lucernam præfert, ut Seraphicus Bonaventura scitè annotavit : b *Lucerna est lumen in testa : lumen in vase, est divinitas in humanitate. Præcedit Christus tenens lucernam :* SEQUITUR CHRISTIANUS, *tenens exempli semitam, proposuit humanitatem lucentem ex divinitate, extulit lucernam ut videamus in fide, ambulemus in operatione, dirigamur imitatione.*

Hanc lucernam secuti sunt Petrus & Andreas, gentilitatis nocte involuti : hanc lucernam secutus est Matthæus, qui excussis scelerum tenebris, continuo secutus est eum. e *Arguit autem* inepte, teste Hieronymo, *Porphyrius & Iulianus Augustus, vel imperitiam Historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim* SECUTI SUNT SALVATOREM, *quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem* SECUTI, *cum tantæ virtutes, tantaque signa præcesserint. Certè fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in facie refulgebat humana, videntes ad se trahere poterat in primo adspectu.*

Invitat & nos Dux noster, nec solum facem præfert, sed & qua eundum sit, vestigia signat ; quæ ut sequamur, stimulo esse potest quod Clemens Alexandrinus observavit, ad illa verba Sponsi : d *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis tuis, filia Principis!* Olim nempe puellas subter calceos seu cothurnos suos, aureos clavos gestare solitas, in quorum capitellis verba, aut symbola amatoria insculpta erant, quæ arenæ impressa, ab Amasiis penè vestigia sequentibus, studiosè legebantur. Non verba, sed efficacissima amoris testimonia, nobis sanguinea amantissimi Jesu designant vestigia, quæ à prætorio Pilati, ad usque e Crucem, 1321. cruenta fixit. Ne hæc sequi pigeat, præclari Doctoris peroratio impellat. f Augustinus in Psal. 36. *à Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet,* sic ait : *ipse est Christianus, qui non aspernatur viam Christi, sequi per passiones ipsius : noli per aliam viam velle ire, quam per illam, qua ipse ivit ; dura videtur, sed est tuta via : alia forte delicias habet, sed latronibus plena est.*

Multi ambulant vias difficiles, minus tutas & maxime

a S. Thom. in Joan. c 8 v. 12. b S. Bon. in Ps. 118 v. 105. Lucerna pedibus meis. c Hieron. l. 1. comment. in Matt. c. 9.

d Clemens Alexand. in c. 7. Cantic. e Adrichom. n. 113. f Aug. in Psal. 36.

peri-

periculosas, iter Hierosolymitanum ingressi, ut Christi vestigia intueri, venerari, & exosculari valeant: quæ dum torrentem Cedron pertransiret, lapidi impressa reliquit, teste *a* Baronio: accepimus ab his, qui hæc viderunt, etiam in imo vallis, quam „ torrens Cedron præterfluit, in „ lapidibus ipsis ejusdem Christi „ Domini nostri *vestigia pedum* impressa remansisse, hactenusque servata esse. *b* Quod Illustrissimus juxta ac piissimus Princeps Radzivilius, oculatus testis confirmat: ad dexteram, inquit, parvi pontis super torrentem Cedron impositi, locus est in Petræ „ superficie plana, in quo *vestigia* „ *manuum*, *utriusque genu*, & „ *extremitates digitorum pedum*, „ *Salvatoris nostri sunt expressa*, „ cum a Judæis ponticulo deje„ ctus, ibidem concidisset. Lo„ cum hunc peregrini deosculan„ tur, & habet septem annos, & „ totidem quadragenas de indul„ gentia. *Vestigia hæc*, cum in „ aperto sint aëre, pluvias & „ tempestates excipiant, & quo„ tidiano usu & deosculatione atterantur, tamen jam à mille quingentis & amplius annis, planè integra & velut recenter expressa apparent.

c Nec minus ab extremis orbis partibus concurritur, ad visenda quæ in monte Olivarum Christus *excedens terris* VESTIGIA FECIT, de quibus *d* Hieronymus: *mons Oliveti ad orientem Hierosolymis est, ubi* ULTIMA VESTIGIA DOMINI, *humo impressa, hodieque monstrantur: cumque terra eadem quotidie à credentibus excavetur, nihilominus tamen* EADEM SANCTA VESTIGIA *pristinum statum continuo recipiunt. Denique cum Ecclesia, (in cujus medio sunt) pulcherrimo opere conderetur, summum tamen cacumen, propter divini corporis meatum, nullo modo contegi, & concamerari potuit.*

Magna quidem populi ad ea concursantis devotio, mira & stupenda horum vestigiorum veneratio; sed non eò vos hodie ablego: pauci enim inde sanctitatem referunt. Gentiles, Barbari, ipsi Turcæ, proximè iis insistunt: Christiani peregrini inde reduces, parum in vita, in moribus exprimunt, quo Christi vestigia sequi contestentur.

Non physicis, sed moralibus Christi vestigiis insistendum est: *e quid est enim* SEQUI, *nisi imitari?* ut Matthæus fecit, *quem jussit* SEQUI, inquit *f* Ambrosius, *non corporis gressu, sed mentis affectu.* Quid est vestigia sectari, nisi humilitatis, paupertatis, Charitatis & Passionis ejus exempla imitari? ut *g* Seraphicè Bonaventura: *sunt qui* SEQUUNTUR *agnum mansuetissimum, Doctorem prudentissimum, Regem potentissimum, & patrem dulcissimum. Tales fuerunt Apostoli. Potest unusquisque Apostolorum dicere pro se illud Iob.* 23. VESTIGIA *ejus* SECUTUS *est pes meus*: VESTIGIA HUMILITATIS *profundissimæ, paupertatis altissimæ, charitatis ardentissimæ, & patientiæ constantissimæ.*

Matthæus quam *humilitatis vestigia* secutus fuerit, scite S. Hieronym-

a Baron. ann Christ. 34 n. 66. b Radzivil. peregrin. Hierosol. epist. 2. pag. 62. c Greg. lib. 2. d Hier. de locis Heb act. Apost. Quaresmius de terra S. tom. 2. pag. 309.

e Bern. de Pass. c. 32. f Amb. l. 5. in Luc. c. 5. g Bonav. ser. de SS. Petro & Paulo.

ronymus expressit, dum alios Euangelistas, nomen Matthæi telonarii, occultasse observat, ipsum vero Auctorem, se palam toti mundo manifestasse, dicendo: *vidit hominem sedentem in telonio*, a *Matthæum nomine. Ceteri Euangelistæ*, ait b Hieronymus, *propter verecundiam & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt Levi; ipse autem* c *Matthæum se, & publicanum nominat.*

Matthæus secutus est *vestigia paupertatis altissimæ*, non ut Petrus & Andreas, qui retibus, cariosa scapha, vili supellectile relicta, secuti sunt eum, sed saccos & cistas auro graves, continuo reliquit: *d* Chrysologus hic: ME SEQUERE *de supernis ad superna tendentem, & non aurum de inferni ad inferna mergentem.* addit vero Lucas: e *relictis omnibus, surgens* SECUTUS EST EUM. Vidit Judæa hodie clarum inter pauca miraculum, camelum scilicet gibbo posito, per angustias acus sese penetrantem, dum Matthæus è prædivite Publicano, angustam viam nudus, & omnibus spretis, etiam affectus ingressus est. *f* Ideo Abulensis quæst. 37. in Matt. *Adhuc fuit majus miraculum, quia cum sederet in ardoribus avaritiæ, lucra terrena captans in tolonio, Christo vocante, omnia deseruit quæ habebat, & quæ habere poterat: & quod majus, etiam quod habere cupiebat.*

Secutus est *Vestigia Charitatis & patientiæ constantissimæ*, dum Christum prædicando, sudando, sanguinem fundendo ad acerbissimam mortem comitatus est; cujus rei typum expressum ce[...]nis, cymbam ingenti Myoparoni annexam, quæ per fluctus, procellas, tempestates, semper sequitur, cum hoc lemmate: g *usque sequar te.*

S. Thomas in epist. 1. Petri c. 2. UT SEQUAMINI VESTIGIA EJUS, inducit illud Genesis 33. *præcedat Dominus meus servum suum, & ego paulatim* SEQUAR VESTIGIA EJUS. Ubi in mentem mihi venit, *h* Wenceslaum Bohemiæ Regem, illustri sanctitatis famâ conspicuum, cum pro more, intempestâ nocte, perfrigidaque hyeme, colendi Numinis causâ, templa obiret, è Proceribus Podininum quempiam, supplicationis comitem adscivisse: præibat ipse Rex per saxa gelu horrida, per humum nivibus, brumaque obsitam, per cæli inclementiam, ventis ac frigoribus infestam, capite pedibusque nudis, vix tenui præcinctus tunicâ, lacernâque coopertus, Podininus vero Scythicis pellibus, totoque tegmine Sarmatarum adversus frigora munitus. Producuntur preces, extrahitur ambitus atque supplicatio; algere sensim, tum tremere, mox rigere, demum manus, pedesque ad ciendum calorem supplodere Podininus. Id vero cum è strepitu percepisset Wenceslaus, moræ, frigorisque impatientem blandè compellare, cohortarique ut perseveret. Ille contra neque precari se diutius, neque pedibus insistere, neque inambulare posse. Igitur ut animum, viresque subjiceret deficienti, *quæ à præunte*

a Matt. 9. b Hieron. in catena D. Thomæ Matt. 9. v. 7. d Chrysol. ser. 29. e Luc. 5. v. 28. f Abulensis in Matt. q. 37.

g Horat. l. 1. Sat. 9. h Dubravius in hist. Bohemiæ, Surius 28. Sept.

me-

me, inquit Rex, *imprimuntur* VESTIGIA, *tu identidem preme, atque insiste Podinine, & sine dubio perstabis.* Quod cum ille non segniter præstitisset, suoque pede præcedentis vestigia tereret, confestim frigus abscedere, remittere tremor, corpus universum non incalescere modo, sed inflammari cœpit; ut non jam tardo, difficilique incessu Regem penè sequi, sed expedito atque incitato gressu, prævertere se posse confideret.

Itane vero? hos animos roburque Podinino dedere Wenceslai vestigia, ut itinere frigidissimo caleret? hunc vigorem membris, has animo faces subjecere, ut Regem suum alacer Loquendo, inter asperrimas nives & frigora, totus inardescere videretur? Nos autem Christiani, quo tandem animo erimus, quibus tanto celsiora, sanctioraque proposita sunt Christi Ducis nostri sectanda vestigia? num ad luculentos illos divinæ charitatis ignes, quibus succensa sunt atque inflammata, & torpentes ac stupentes obrigebimus? nunc segnes, ignavi, queribundi, difficultates itinerum perhorrescemus? num si qua tempora periculosa inciderint, si laboriosa se obtulerint certamina, si cum frigore, inedia, infamia, morbis, aliisque humanæ vitæ miseriis: si cum animi nostri perturbationibus & internis molestiis depugnandum sit, num inquam imperia Ducis aspernabimus, pavidi consistemus, terga vertemus; Recordamini obsecro, præclaram illam, omnique seculorum memoriâ dignissimam, Sanctissimi Antistis Malachiæ sententiam, quem cum intentum operi periculoso quidem, sed ad promovendam Dei gloriam mire accommodato, mortis infamiæque metu deterrere sui à suscepto munere niterentur: a *Sinite fratres*, inquit, *sinite me imitari Magistrum meum*: *sine causa sum Christianus, si* CHRISTUM NON SEQUOR. norat quippe verissimum illud oraculum:

§. 2.

QUI NON ACCIPIT CRUCEM SUAM, ET SEQUITUR ME, NON EST ME DIGNUS. MATTH. 10.

Quod qua ratione Heterodoxi INIMICI CRUCIS CHRISTI, b *omnisque austeritatis, intelligant, paucis disquiramus*:

DIcam hoc Auditores quanta possum vocis laterumque contentione, ut ab omnibus exaudiar: *sine causa Christiani sumus*, sine causa *Ecclesiastici*, de sorte Domini sumus, sine causa *Religiosi* sumus, si ducem nostrũ *Christum non sequimur*: si dissimilem ab ipsius vestigiis semitam insistamus; ut ille in sole, nos in umbra; ille in pulvere, nos in otio; ille in acerbissimis pœnis, nos in oblectamentis vitam transigamus, ille per spinas, nos per rosas ambulemus? illud enim vero purpuratus Pater Bonaventura, maxime erubescendum dictitans, in ardentissimas has voces prorumpit: c *sine vulnere nec volo, nec possum vivere, cum aspicio Deum meum pro me vulneratum.*

a Bernard. in vita S. Malachiæ. b Philip. 3. c In vita S. Bonavent.

Hoc omnes imitatores crucis senserunt, omnes facti sunt, hac brevi Cami agmiensis *a* Præsulis parænesi stimulati: *si ipse est salutis nostræ via, qui Christum* VESTIGIIS SALUTARIBUS SEQUIMUR, *per Christi exempla gradiamur.*

P. Franciscus *b* Borgias cum preces, multas in horas extenderet prostratus in faciem (ut Christum orasse noverat) os ita corrupit, ut dentes omnes suis emoti sedibus deciderent: ita in se flagellis sævit, ut sæpius ad sexcentos validos ictus numerarentur. *c* Dicere solitus vitam sibi sine solatio fore, si sciret se moriturum eo die, quo nil passus, quo nullum mortificationis vestigium post Christum posuisset.

d Accidit aliquando ut P. Gabriel Logronius eo mentis fervore tam diu se flagris cruentaret, dum Christus illi apparuerit, & benigne compescuerit, dicens: *e* Satis est Gabriel, satis est. Sed proxime Christum flagellatum subsecutus Antonius Corsus Capuccinus, qui per horas quinque, continuata durissima flagellatione, sex mille sexcentis, sexaginta sex plagis, corpus lacerabat: cum enim numerum, totidem à Christo toleratis olim flagellorum ictibus sacrum esse dicebat. Cujus moris plures habuit sectatores, quos imitari volentibus spes, & admirari ipsa propemodum laboret fides.

Vultis tamen è teneriori sexu virgunculam, quæ inertiam & torporem excutiat? *f* Joanna à S. Cruce, ingenti adhærebat cruci clavis, deductis late brachiis, diu suspensa pendebat, volutabatur inter spinas: in pœnas suas ingeniosa, descriptis ferrea in laminâ Christi patientis insignibus, eaque perusta, qua parte lacerando corpori aptatura, qua parte lacerando corpori asperatur, pro cilicio utens, vivam Domini sui dolorum imaginem exprimebat.

Quod si ad hæc expallescitis, consultem cruciatus, qui ab hostibus, ab amicis, a Dei manu immittuntur, assumentes, Ducem sequamini. Ad hoc exemplo suo S. Bernardus non Religiosos duntaxat, sed & Christianos omnes exhortatur, dicens: *g Dignum est, & multum tibi expedit compati & commori passo, & mortuo Christo: ad hoc enim facta sunt ejusmodi, ut in his omnibus configuretur, & conformetur vita Christiani: qui enim tanquam membrum Christi, dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare.*

Quemadmodum tot teneri, opulenti, nobiles juvenes ac juvenculæ faciunt, illud Christi monitum spectantes: h *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie &* SEQUATUR ME, seculi deliciis, & carnis illecebris spretis, intra monasticum claustrum, summa in austeritate, vitam instituunt.

Notent hoc, exclamat *i* divinæ legis interpres, notent hoc molles Hæretici, qui fidem Christi

a Cyprian. lib. de bono patient. b P. Rhovariæ virtutum lib. l. 7. c. 5. §. 4. c In vita l. 4. c. 5. d Nierenbergii Ascetica pag. 86. e P. Rhov. l. 7. c. 5. §. 25. f Ibidem §. 13.

g S. Bernard. serm. 2. in cœna Domin. h Lucæ 9. 23. CONTROVERSIA de pœnitentia & bonis operibus contra Hæreticos. i Cornelius à lapid. in 1 Petri 2. ut sequamur vestigia ejus:

sequi

sequi volunt, non passionis vestigia, dicentes solam fidem in Christum sufficere ad salutem: Christum enim pro nobis plane satisfecisse; quare nulla esse bonorum operum merita, satisfactiones nullas. Audiant hi quod intonat hic S. Petrus 1. epist. c. 2. v. 21. & ex eo S. Gregorius *a*: *remansit*, inquit, *quia non omnia nostra Christus explevit; per crucem quidem suam omnes redemit; sed rem mansit: ut qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat: b si compatimur, & conregnabimus.*

Quis unquam vera spreta Religione, ad Heterodoxos confugit, ut vitam austeram ducere, crucem Christi tollere, eumque sequi melius posset; cum hoc Lutheri, eorum Antesignani monitum sit: c *ne cures, licet hic vel ille ex Sanctorum numero, austeram vitam vixerit, à carnium esu abstinuerit, vestes cilicinas gestaverit; ne cures, ne moreris; sed dicito: quamvis isti Ordinum Auctores, & Architecti miracula patrassent, mortuos excitassent & præ nimio pietatis ardore, jejuniis & corporis diverberatione sese percmissent; nihilominus manum non veterim. Jejunium tuum, oratio tua, flagellatio tua, nihil emolumenti mihi parit.* Ac tandem concludit: *numquam concessero, hanc esse ad cælum viam.* Existimio illum rectam ad cælum viam, latam & spatiosam sibi suisque aperuisse. Unde Luthero glorianti tot infames è claustris transfugas sua dogmata, ac vestigia secutos, apte respondit Thomas Morus, hoc tam pronum, quam lapides ex alto deorsum labi: Tu, inquit, ducis deorsum per declive vitiorum; *d* Catholici cum Christo sursum ad ardua, tendunt virtutum.

Christus dicit: e *qui non accipit crucem suam & SEQUITUR ME, non est me dignus.* Quod non solis Apostolis dictum, sed ut annotavit ven. Beda; f *Pulchre posuit ad omnes* S. Lucas c. 9. *dicebat autem AD OMNES, si quis vult post me venire, &c.* Ubi divina illa intelligentia S. Thomas: g *ne putarent Christum quidem passurum persecutiones pro vita mundi, eis vero liceret lentam vitam ducere, ostendit necessario quod per æqua certamina gradi decet, cupientes ejus gloriam obtinere.*

Hinc Doctor gentium, illud vas electionis: h *castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* & ad Coloss. 1. v. 24. *adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi, in carne mea.* & cap. 3. v. 5. *mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram.* Lucæ 3. v. 8. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* i Quemadmodum Catholici faciunt, apud quos vigent jejunia, abstinentia à carnibus, non modo per quadragesimam, sed apud Carthusianos, aliosque per omnem vitam; S. Francisci de Paulo Religiosi Minimi, & sanctæ Theresiæ alumni, aliique ab omni, quod unquam victitavit.

At quos *fructus pœnitentiæ*

a Greg. in 1. Reg. c. 9. v. 29. b 2. Timoth. 2. 12. c Lutherus in c. 1. Evang. S. Ioann. tom. 2. novorum operum. fol. 418.

d Stapleton. in vita c. 13. e Matth. 10. v. 38. f Beda hom. 56. in Matth. g S. Thom. in Luc. 9. h 1. Cor. 9. v. 27. i Extractum Catholic. 32. Vraege.

molles nostri, & effœminati Hæretici faciunt? quam Prædicantes eorum suis prædicant pœnitentiam? nisi forte illam Epicureorum a: *comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* aut illud Sap. 2. v. 6. *fruamur bonis quæ sunt & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Quibus hæc primæ veritatis concio, aliquando ad ruborem & confusionem ingeretur: b *Væ tibi Corozain! væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*, quæ frustra Christus interminatur, si pœnitentiæ non requirantur. c Esto enim patiendo solverit plenum redemptionis nostræ pretium; vult tamen nos quoque pati (ut in Scripturis supra allatis patet) quia non decet sub capite spinoso, membrum fieri delicatum, ait Hieronymus; sed potius decet membra capiti configurari, inquit Paulus, ad Rom. 8. *ut conformes simus imagini filii Dei.* Tum quia ipse finxit, ut hoc Passionis suæ pretium, per Passiones nostras nobis applicemus: non enim otiosis, & desidibus, non iis qui desideria carnis sequuntur, qui Spiritu Dei aguntur, qui carnem suam crucifixerunt, & crucem portantes ejus vestigia sequuntur, hoc pretium impenditur.

Sed contra objiciunt Hæretici, illud Eccl. *quid est homo, ut possit* SEQUI *Regem factorem suum?* Respondet d S. Thomas: VESTIGIA DIVINITATIS *homo non potest sequi, sed* VESTIGIA HUMANITATIS *potest*, licet ut parvuli: e *non passibus æquis.* Quam similitudinem præmittit ad illa verba Gen. 33. *præcedat Dominus meus servum suum, & ego paulatim* SEQUOR VESTIGIA SUA, *sicut video parvulos meos posse.*

Victor Uticensis hunc præclarum morem Christianorum parentum adnotavit, cum Martyres ducerentur ad supplicium, infantulos suos eorum vestigiis insistendos submittebant, ut illa jam tum vel replentes premere inciperent; sic enim lib. 2. Historiæ, de persecutione Vandalica: *per vertices montium, & vallium, concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suosque infantulos,* VESTIGIIS MARTYRUM *projicientes.*

Quibus innumeros parvulos insistisse legimus, quos per Italiam, Germaniam, Angliam, Galliamque atrox Judæorum impietas, die, modoq; eisdem, quibus olim Patres sui Christum Dominum, crudelissimè necarunt, & flagellis cæsos, & spinis coronatos, in crucem egerunt; Simones inquam, Gulielmos, Hugones, Richardos, aliosque ipsis parentibus quandoque spectantibus & animantibus. f Hos inter eminuit Christophorus trium annorum puer, qui in Hispania, Ferdinando Rege, in oppido cui nomen

a Isaiæ 22. v. 15. b Matth. 11. v. 21. c Cornel. 1. Petri 2. d S. Thomas in Epist. 1. Petri c. 2.

e Virg. 2. Æneid. f Riccius in triumpho Crucis.

Guar-

Guardia prope Toletum, omnia Christi tormenta à Mauris sigillatim perpessus, perfectissime Christum secutus est. Dum ad columnam cæditur crudeliter, a *non aperuit os suum*, non vocem, non signum doloris ullum dedit, nisi in ultimis quinque plagis, quod eo numero suæ plagæ, illas Christi superassent, exclamans: Effodienti sibi latus dextrum in cruce ait: *si cor quæris, alterum latus effodias.* Extat de hoc versus:

Dum Christi tormenta refers in corpore, & ipsum
Pectore, Christophori nomen, & omen habes.

Quæ ne longe quæsita parentes fore teneriores autument, imitationi serviet, quod *b* Lublini accidit: hic cum in hebdomada sanctiore, magna flagellantium supplicatio, institueretur, pia quædam Matrona, filiolum in tenera omnino ætate seminudum, cum scutica in manu, agmini verberantium inseruit, eumque palam hortata est: animose, fili mi, hac ætate ea perpeti, ejusque vestigia, sequi ne detrectes, qui amore tui passius, & mortuus est.

Alterum est, quo Heterodoxi Christum sequi detrectant, per castitatis vestigia, cum tot in Ecclesia Virgines, c *quæ carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis*, d SEQUANTUR *agnum quocumque ierit*; ipsi autem sequantur hœdum aut hircum libidinis. *e* Augustinus de Sancta Virginitate: *quo ire putamus hunc agnum? quò nemo* EUM SEQUI *vel audeat, vel valeat, nisi vos. Quo putamus eum ire? in quos saltus & prata? ubi credo sunt grandia gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, &c. nam sunt aliis alia, sed nullis talia.* Ad vos itaque Virgines sermonem converto cum Hipponensi Præsule: *Vos itaque* SEQUIMINI *eum, tenendo perseveranter, quod vovistis ardenter, ne Virginitatis bonum à vobis pereat, cui facere nihil potestis, ut redeas. Videbit vos cetera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc* SEQUI *non potest, videbit, nec invidebit: nam & illud Canticum novum, proprium vestrum, dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono.*

Huic Virginali agmini, quod mireris, etiam inter barbaros, Apostolus, noster facem præluxit, & Christum sponsum sequi docuit. Egipium Regem Æthiopum ad orthodoxam fidem convertit illustri prodigio, filium ejus demortuum ad vitam revocando: insuper & Reginam, & filiam Iphigeniam Æthiopas, purioribus undis primus lavit; quæ ad fidem, votum servandæ castitatis adjunxit, & una cum ducentis Virginibus, in nobili Parthenone sese inclusit. Sed cum Egipio functo, frater ejus Hirtacus regnum occupasset, & Iphigeniam jam olim Deo desponsam, copulare sibi sacrilegus pertentaret. Matthæus quod

a Psal. 37. b In litteris annuis a. 1. 5.95. c Galat. 5. v. 24. d Apoc. 14. v. 4.

e August. de Sancta Virg. in libro uno cap. 27. tom. 6.

quod palam impium procum damnaret, & multa de Virginitate, coram Iphigenia & sociis Virginibus ardenter disseruisset, dum ad aram facit, securi cæsus ipse, ut loquitur *a* Damianus, *Virginitatis victima* occubuit, ipsumque altare suo cruore adspersit. Continuo Iphigenia, Virginitatis patrono templum ponit. Hic Rex non amore jam, sed odio & rabie accensus, ignes Virginis ædibus subjicit, ut quæ libidinis flammis non arserat, commune cum suis incendio conflagraret; sed Apostolus in aëre conspicuus, utrisque repressit, & à sacris ædibus sceleratas flammas avertit. Atque hæ Virginum primitiæ, post Virginum Matrem, quæ agnum secutæ sunt.

Sed quid acturi sunt conjuges? quid peccatrices, quæ Virginitatem amiserunt? *b* SEQUANTUR ITAQUE AGNUM, inquit Augustinus, *ceteri fideles, qui Virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quousque ipsi potuerint. Beati pauperes Spiritu, imitamini eum, &c. Hæc qui imitantur, in his Agnum* SEQUUNTUR. *Sed certe etiam conjugati possunt ire* PER ILLA VESTIGIA, *etsi non perfecte in eadem formâ ponentes pedem, veruntamen in eisdem semitis gradientes.*

a Damian. sermon. de S. Matthæo.
b August. l. de Virginit. c. 28.

§. 3.

Quam pauci Christum sequantur.

HUgo Cardinalis in illud 1. Petri 2. UT SEQUAMUR VESTIGIA EJUS, ad propositum nostrum, sic disertissime excurrit: *multi magis* SEQUUNTUR *ea, quæ eis non proderunt; contra quos invehitur Bernardus: Si sapis, si cor habes, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine* SEQUI *illa, quæ* ASSEQUI *miserum est; beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata coinquinant, amissa cruciant. Hinc invenio, primum qui* SEQUITUR *carnem: secundum qui* SEQUITUR *mundum: tertium qui* SEQUITUR *diabolum; sed quartum de numero vestrum requiro, scilicet qui* SEQUITUR *Deum.*

Una via qua Christus præivit, ducit ad cœlum, ducit ad æternam beatitudinem, & quam *c pauci sunt, qui inveniunt,* (qui quærunt) *eam.* Hæc uberrimis dignissima lachrymis, de numero vestrum tot reperiri, qui carnem, qui mundum, qui diabolum sequuntur, & in æternum ruunt exitium.

Doctor Seraphicus: *d quidam sunt* SEQUENTES *mundi desideria: mundum* SEQUUNTUR *avari & cupidi. quidam sunt* SEQUENTES *carnis delectabilia, sicut gulosi: & luxuriosi: qui ad nihil aliud vocant, nisi ut bene comedant & bibant, & vana videant, & audiant, &c. unde de iis dicitur*

c Matth. 7. v. 14. d Bonavent. serm. de SS. Petro & Paulo.

Pro-

Proverb. 7. ubi est sermo de muliere, quod invenit eam, SEQUITUR *quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus. Vel quasi avis festinet ad laqueum, nesciens quod de periculo animæ ejus agatur. Nota verba : nam* 1. SEQUITUR *eam Lentus, quasi bos ad Macellum ductus.* 2. SEQUITUR *eam lætus, quasi Lasciviens agnus.* 3. SEQUITUR *eam festinus, quasi avis ad escam, celeri volatu deducta.*

Hujus rei specimen, oculis animoque B. Petri de Tecelano, Deus aliquando objecit, cum nocte quadam in majori *a* Ecclesiâ Senensis civitatis, magnis fletibus, atque suspiriis Dominum deprecaretur, ut tuto nosse posset, quo duce, ac via Christum, & non carnem, sequi posset? Vidit namque per memoratam Ecclesiam discurrentes Angelos, qui super pavimentum cineres spargerent, atque operirent : quo facto duas sedes ante Principem aram collocarunt. Mox vero postes majoris portæ reserati sunt, per quam subito Christum Dominum introeuntem conspexit, pauperis formâ indutum, ac transtollens pedibus, ad paratas illas sedes per cineream pavimentum incedentem; *pedum vestigia* ejus servabat, attendebatque clarè, qua præcessisset via : ad sedes vero cum pervenisset, earum alteram occupavit, & quievit in ea.

Post secuta est Virgo Mater, pressè *filii sui vestigia legens*, quam ille, sed cum alteram occupare jussit. Exinde sequebantur Apostoli, eandem tenentes viam, suosque exactè *vestigiis Domini* figentes pedes : qui dum ad Christum in throno sedentem pervenissent, ab eodem comiter ac benignè accepti sunt.

Post hæc, multos ex diversis statuum generibus ingredientes vidit, qui nitebantur omnes ad Christum pariter pervenire, plantas suas conati *vestigiis Domini* inserere, sed variis phantasiis atque affectibus disturbati, pauci admodum, iis insistebant. Tandem zelo ac fervore hominum magis intepescente, ac magna ex parte cessante, *oblitterari vestigia*, tegique visa sunt : donec vir quidam pauper, vilis ac despectus, magna utriusque sexus hominum septus caterva apparuit, qui magnam animi præ se ferens tristitiam ac mœrorem, ex eo quod *Salvatoris vestigia* obsoleta velut, atque obliterata jacerent, mox illa ut inveniret, oppido laborare occœpit, tantumque effecit, ut ex eis aliqua inveniret, quibus actutum generosè insistens, alia ex aliis, procedens, detexit : per quæ ipse cum turba socia alacriter incedens, feliciter quoque ad Christi thronum devenit, ubi ab eodem benignè exceptus & collaudatus est. Atque his ita peractis, disparuit visio, & vir Dei Petrus, evidenter intellexit, Franciscum *per Christi vestigia* incedentem, sibi socium & Magistrum ad *vestigia Christi* patienti consectanda destinari, quam tam pauci mundani reperi-

a Chronica Minor. p. 2 l. 5. c. 20.

reperire potuissent, qui velut boves ac victimam, carnem sequuntur.

Idem olim amarissime, questus mellifluus Bernardus: a *quidam sunt, qui non* SEQUUNTUR *Christum, sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt, de quibus Propheta: Ecce qui elongant se à te, peribunt. Alii non* SEQUUNTUR, *sed praeunt, qui Magistrorum sententiis suas præferunt. Nonnulli* SEQUUNTUR, *sed non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt, vel usque in finem non perseverantes, de medio itinere revertuntur.*

Quam multi cum Petro, à longe Christum sequuntur? quam multi ferventer sequi incipiunt, sed in via deficiunt! b *quid autem prodest* CHRISTUM SEQUI, *si non contingat consequi?* Unde & c Tertull. *ut sequamini vestigia ejus*, legit *ut assequamini.*

Aliud observet Augustinus, plerosque sequi Christum, sed non propter Christum, Judæi, & omnis illa turba, quæ per avia & invia deserti loca, Christum sequebatur, signa videbat, & miraculorum vim in se suisque monstrandam sperabat: multi enim ex his languidi, mutili, variis corporis morbis divexati: alii animo malè affecto, nescio qua curiositate impulsi sequebantur. Quod vitium & hoc seculo deplorat d SS. Doctor, in ea verba Joannis: *non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus*, sic ait: *quam multi non quærunt Iesum, nisi ut faciat illis bene. Impletur quotidie talibus Ecclesia. Vix quæritur Iesus, propter Iesum.*

a Bernard. ser. 22. de parvis. b Bernard. epist. 253. ad Abbatem Garlnum. c Tertull. in Scorpiaco cap. 12. d August. in Ioann. cap. 6. tract. 23.

Quærunt, & sequuntur eum aliqui, cum Juda ad cœnam usque. Hi nempe, qui ob lucrum temporale illi serviunt. Alii sequuntur usque ad hortum, quemadmodum Joannes, qui ut Christum vidit comprehendi, relicta sindone aufugit. Tales sunt, qui tam diu Christum sequuntur, quamdiu per amœna vireta prosperitatis humanæ, & consolationis internæ procedunt; at ubi turbo adversitatis irruerit, eo spreto discedunt, atque hæc maxima pars, inquit e Bernardus, qui vellent *Christum consequi, sed* NON SEQUI, dum scilicet, *volunt illo frui, at non ita imitari.*

Alii sequuntur Christum cum Petro, usque in atrium Principis Sacerdotum; sed ubi in pravum contubernium incidunt, eum negant, pernegant, & sequi detrectant. Cujusmodi complures reperire est, qui in sociorum gratiam se ingurgitant, in flagitia proruunt, proximum calumniis proscindunt, Deum & Sanctos blasphemiis lacessunt.

Alii sequuntur cum Zyrenæo, usque ad Crucem; sed non ad crucifixionem: conspecta enim Cruce horrent, & retrocedunt, quibus iterum inculcandum: f *quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi?*

Imitari hic oportet canes venaticos, qui leporem insequuntur: is qui ceteris velocior, & sagacior, jam prædam olfecit, conspexit, ardenter per invia & avia, per saxa & spinas insequitur;

e Bernard. serm. 21. in cant. f Bernard. epist. 253.

quitur; alii quidem canes allatrantes insequuntur aliquo usque sed paulatim deficiunt, deserunt, redeunt ad propria, ulterius sequi, & consequi, desperant; sed ille instat, prosequitur, donec assequatur. Hæc hactenus;

Nunc Christum exemplo Matthæi *statim* sequendum doceamus.

§. 4.

Continuo RELICTIS OMNIBUS, SURGENS SECUTUS EST EUM. Luc. 5.

ANgelica illa mens, S. Thomas ad illa verba Matt. 9. v. 7. *& surgens secutus est eum*, promptitudinem Apostoli, *non* a *usitata penna expressit: disce*, inquit, b *vocati obedientiam; neque enim restitit, neque domum abire rogavit, & suis hoc communicare.* Voculis duabus, non prolixâ oratione, non fusa verborum ambage, sed verbo, *sequere me*, nudus nudum, pauperem pauper, per sudores, labores, spinas, sanguinem secutus est statim, ut diserte Cardinalis Damianus: c *Mox ut vocantis se Salvatoris audivit imperium, non cunctatus est, non sua disponendi quæsivit inducias, &c.*

Videt te, ô Deus peccator? vigili & intento semper oculo divinæ miserationis sedentem in telonio, forte & injustis lucris, vel curis hujus sæculi immersum, vel otio torpentis vitæ, aut luxuriæ cœno volutantem, & dicit ibi toties ad aurem, per internos motus, & præconum voces: surge, *& sequere me*; assurge, ne tergiversare, cito Deum vocantem sequere.

Noli esse similis illi, ad quem cum Christus diceret, *sequere me*, tempus dilationis quæsivit: c *Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire Patrem meum.* Perappositè ad rem nostram Hugo Cardinalis: d *iste tenet typum quorundam, qui differunt claustrum intrare propter parentes; unde volunt prius sepelire eos, id est prius esse mortuos, quam intrare.* Differunt Christum sequi, quod debeant adesse matri decrepitæ, patri grandævo, ubi obierint tum se totos Deo victuros spondent. Sic Mater B. Luciæ, ut refert Cajet. in ejus historia, ad illam dicebat: e *claude primo filia oculos meos*; at illa matre spreta, continuo sponsum vocantem secuta est. Porro ut Augustinus f peracutè observavit, Christus dixit: QUI SEQUITUR ME; *non ait, qui sequetur me, sed qui sequitur me. In eo quod facere debemus, præsens tempus posuit.*

Sic Petrus & Andreas, qui nulla signa viderant, ad nudam vocem Magistri vocantis: *venite post me*, è vestigio, absque ulla mora, CONTINUO *relictisq retibus* SECUTI SUNT EUM. Quid tu Adolescens, tu filia vanitatis vinculis irretita, adhuc moras nescis? dic cum Petro: *quare non possum te* MODO SEQUI? quare calcato mundi fastu, non possum modo sequi humilitatis vestigia? h *Quem nobis proponeremus*

a Hom. b S. Thomas in Matth. c. 9. v. 7. c Damian. serm. 50. de S. Matth.

c Luc. 9. v. 59. d Hugo Cardin in Matt. c. 8. v. 21. e Deaponte in Matt. c. 8. v. 21. f Aug. tract. 35. in Ioann. g Matth. 4. v. 20. h Aug. in Psal. 33

ad imitandum, non habebamus: omnis enim mortalitas hominum, superbia tumuerat, & si existeret aliquis humilis vir in Spiritu, sicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani, non dedignaretur SEQUI VESTIGIA DEI. Non pudeat, non pigeat vos Auditores, sequi Dominum vestrum, in quo, per quem, à quo, omne vobis bonum est. Nolite per Deum immortalem ipsis brutis vos inhumaniores exhibere. Audite rem inauditam: *a* Persarum metu in Salaminam Insulam enavigabat Xantippus, relicto domi catello: qui omni nisu satagens sequi herum suum, in mare sese abjecit, & visæ oræ adnatans, in Insulam quidem exscendit; at subito, deficiente Spiritu, extinctus est. Quid, amabo vos, ab hero catellus, nisi frustum panis, subinde etiam & verbera & fustes retulerat (& tamen Dominum per fluctus, & tempestates, immenso oceani tractu, ad extremum vitæ Spiritum consequitur: & vos Iesum Dominum vestrum, à quo corpus, spiritum & vitam hauritis, sequi etiam non tanto cum incommodo, aut vitæ discrimine detrectatis? Non ita fidelis illa anima, de qua Bernardus: b *dilecta tua relictis omnibus propter te, concupiscit semper ire post te, semper tuis* INHÆRERE VESTIGIIS, AC SEQUI TE QUOCUMQUE IERIS: *Sciens quoniam viæ tuæ, viæ pulchræ, & omnes Semitæ tuæ pacificæ, & quia qui* SEQUITUR *te, non ambulat in tenebris*, sed in luce, in meridie, ubi oves quæ Pastorem secutæ sunt, patris deliciis sempiternis. c *Per dura Christus ambulavit; sed magna promisit* SEQUERE: *noli tantum attendere quà iturus; sed etiam quo venturus sit. Tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam.*

a Plutarch. in Themistocle.

b Bernard. serm. in Cantic. c August. in Psalm. 36.

FESTUM SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

MICHAEL *Unus de Principibus primis, venit in adjutorium.* Dan. 10.



Custodit & arcet. Ovid. l. XI. Metam.

ARGUMENTUM.

INter omnia genera armorum, ex universa Panopliâ, scutum ad sese tuendum, & hostium tela arcendum, valet potissimum. Quapropter tanta apud Romanos,

manos, & priscos illos commilitones, tanto in pretio, tanta in æstimatione, ac veneratione fuit, ut relicta parmula fugisse, signum inertiæ summum, & dedecus militi maximum duceretur: adeo ut vel ipse Lacenæ mulieres, filios ad bellum progredientes, & in campum descendentes commonerent: *cum hoc, vel in hoc* redirent. Verum enim vero Princeps militiæ cœlestis, Invictissimus Michael: *ipse Dei* CLYPEUS contra omnes Tartarei hostis insidias & insultus, potentissime nos a *custodit, & arcet*; ipse SCUTUM b *inexpugnabile*, quod omnia ignea tela nequissimi elidit. Hoc tuti, ac muniti, potissimum in supremo agone, in die belli, dum consurgent in nos prælia, *Signifer S. Michael* defendet nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio. Insuper & nobilissimam, aureis scuto exaratam literis, nobis tesseram reliquit: QUIS UT DEUS? quam si & nos animis, ac cordibus inscribamus, quidquid Mundus, dæmon, caro deliciarum, aut divitiarum proponit, hoc validissimo umbone, *quis ut Deus?* retundemus.

a Ovid. lib. 15. Metam. *b* Sap. 5.

§. I. *Custodia Angelorum tutelarium, & cum primis omnium Principis* MICHAELIS, *Scutum inexpugnabile est.* Sap. 5.

§. II. ANGELIS SUIS MANDAVIT DE TE, UT CUSTODIANT TE, IN OMNIBUS VIIS TUIS, *per omnem vitam.*

§. III. *Signifer* S. MICHAEL *animas in morte suscipit, & repræsentat eas Iudici.*

FESTUM SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

MICHAEL *Unus de Principibus primis, venit in adjutorium.* Dan. 10.

EXimii belli Duces, viri Martiales, qui sub Bellonæ signis incanuerunt, hanc suo bellico dignam ingenio, aliquando controversiam movere: quid ex omni armorum genere, ex universa panoplia, Militem inter omnia hostium tela, & insultus inimicorum, maxime incolumem servet? quid potissimum tutelæ, ac præsidii conferret? nonnulli loricam plurimum tutari, alii totum confectum arbitrabantur, si caput galeâ munitum, illæsum servaretur: fuere qui gladio, & acinace debere militem valere dictitabant; plerique qui clypeo dextrè uti norant, atque innumera hostium tela hoc tegmine eliserant & illuserant, in eo omnem tutelam collocandam esse pronuntiabant, idque & Romanorum, & Græcorum omnium, qui bello unquam clari exstitere, testimoniis comprobabant. Huc omne præsidium, huc simul exitum referebant. Ea porro illis consuetudo fuit, ut qui in prælio dimicando fortiter cecidisset, eodem quo præliati fuerant clypeo, ad sepulturam efferentur. Quod solenne externorum rituum, non ignarus Mantuanus sua in Æneade expressit, cum de Pallante Arcadum Principe, à Rutilis interfecto, ita cecinit:

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Lacæna quædam mulier filium ad bellum profecturum, clypeo armavit: quam precem existimatis addidisse? ut cautè incederet? ut vitæ consuleret? ut juvenilem audaciam temperaret? de hac re ne verbum quidem. Quid præcepit, ***cum hoc***, inquit, ***aut in hoc redi.*** Quod Magni Basilii confirmat testimonium orat. 40. ***Lacenæ mulieres liberos hortantur, aut scutum è prælio salvum reportarent, aut in eo reportarentur: cum hoc, aut in hoc redi.*** Qui dimeter Spartanæ fæminæ recantandus; ***cum hoc, aut in hoc redi.*** Ades mihi filius, ad bellum mitteris, præbe te & meum & Lacedæmonium, proba virtute tua & Matrem tibi esse viraginem, Spartanam, & patriam virorum

rorum educatricem; omnia de te spolia hostes ferant, clypeo cave sis, nunquam te expolient, manus tibi, & brachia rescindantur, patere: clypeum à te revelli nunquam patiare. Animus à corpore exigatur, clypeo nunquam destituaris, levior est vitæ, quam clypei jactura. Redi ita precor superes, sed hac lege: *cum hoc, aut in hoc*; vivus cum hoc, mortuus in hoc; neque vivus, neque mortuus sine hoc: hoc tibi sit Vincenti solium, hoc tibi sit cadenti feretrum, hoc tibi triumphanti monumentum, hoc tibi exspiranti mausoleum: *cum hoc, aut in hoc, nunquam sine hoc.* Quibus subscribit Justus „ Lipsius de militia Romana „ l. 5. Dialog. 20. hanc quæ„ stionem ventilans: præci„ puum, inquit, munimentum „ pediti, atque equiti, *prægrande* „ *scutum.* Ajo utilius non esse „ inter arma; sed nostra ignavia, an audacia, è militia omni ejecit. Virtutis nullum est accommodatius insigne, quam scutum. Adeste parum, dum id probo: occidit bellico in conflictu gemina illa virtus Jonathæ, & Saulis: cum Principe, ac Rege, optimi quique militum corruerunt; funebre vates Regius misera in strage, cecinit Epicedium; quid primum in eo queritur? quid deplorat? an sceptrum Regis manibus excussum, hostilibus pedibus attritum? an purpuram nativo succo decolorem, infuso cruore saturatam? an diadema Saulis capiti direptum, equorum ungulis collisum? nihil ista. Majorem jacturam lamentatur: *ibi abjectus est*, inqui, *a* CLYPEUS *fortium*, CLYPEUS *Saulis.*

Ac si querebundus ingemisceret: ô clades! ô pernicies! o calamitates! in totum exercitus robur hostilis furor desæviret, in reliqua belli instrumenta, militaris procella detonaret, unus superesset clypeus Saulis, salva mihi omnia esse viderentur; nunc autem amisso clypeo, spes abjicitur, languent animi, prostrata mihi omnia videntur esse, & perculsa. Cernitis in clypeo quantum sit momenti, quantum tutelæ, quantum præsidii? Verum enim vero celebrent sacræ paginæ *clypeum fortium, clypeum Saulis*, extollant Poëtæ Telamonis, Turni, aut Ajacis *b clypei septemplicis orbes.* Fecerit Rex *Salomon c ducenta* SCUTA DE AURO PURISSIMO, *sexcentos auri siclos dederit in laminas* SCUTI *unius*, omnia hæc multo Chalybe fortia septemplici ære munita, ac denso auro obducta scuta unicum illud scutum quo Princeps Militiæ cœlestis; nos proteget ac tuetur, vel potius *ipse Dei clypeus* & robore & virtute, & æstimatione denique longe antecellit.

§. I.

Custodia Angelorum tutelarium, & cum primis omnium Principis MICHAELIS SCUTUM INEXPUGNABILE Sap. 5.

OLim Lacedæmonii non modo vita functos, efferebant,

a 2. Reg. 1. v. 21. b Vigil. 12. Æneid. Ovid. l. 13. Metam. c l. 3. Reg. cap. 10.

sed

sed & infantes recenter natos, in clypeum vice cunarum collocabant: sic & Hercules apud Theocritum, & Iphictus ab Alcmenâ, vix in lucem editi, scuto excepti sunt:

a *Cum ambos lavisset, & lacte repleßet.*

Posuit super scutum aureum. Qua ceremonia innuebant, nos bello natos, ad vitæ discrimina, & hostium tela propulsanda, scuto opus habere. Hoc benignissimus Deus paternâ suâ providentiâ ab æterno prospexit, hominem inter omnia, inerme & imbelle animal, dum orbi nascitur, maxime scuto, tutelâ, tegmine, & munimine egere: Etenim, ut recte Seneca: pisces squammis, volucres plumis, feras pilis, texit ac protexit natura; animantibus quibusdam ungues, rictum, rostrum, calcem dedit, has ferocia, robore, viribus: illas velocitate, calliditate armavit: b *ac hominem imbecillum, fragilem, nudum, inermem, alienæ opis indigum, cujuslibet feræ pabulum produxit. Odor illi sudorque, & lassitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & sine quibus vivere non poteſt, mortifera sunt.* Quocuncque se movet, mille casibus ac periculis expositus est, quot pori tot ostia mortis. Ea propter custodia hæc parvulorum, quam maxime necessaria. c *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, ne ab effreni equo parvuli proterantur, à rabido cane mordeantur, ne spinis, aciculis fauces præfocentur, ne in aquas, ne in ignem, & apertas voragines ruant, Angelis suis, Principibus suis mandavit, ut custodiant, & clypeo ac cælestibus armis tueantur; idque ab ipso ortu Nativitatis, & primis incunabulis, ut docet *d* Magister sententiarum, *e* S. Thomas, *f* Molina, *g* Vasques, *h* Valentia, *i* Amicus. Et expresse tradit S. Hieronymus in illud Matth. *Angeli eorum, &c. Magna,* inquit, *dignitas animarum, ut unaquaque habeat* AB ORTU NATIVITATIS IN CUSTODIAM *sui Angelum delegatum.* Quam curam parvulorum, cœlestes illos Pædagogos avidissime arripere, solertissime exsequi, innumeris compertum est testimoniis.

Gen. 21. Agar cum puero *errabant in solitudine Bersabeæ, cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborem quæ ibi erat, & abiit. Dixit enim: non videbo morientem puerum. Vocavitque Angelus Dei Agar, dicens: quid agis Agar? noli timere, exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est; surge, tolle puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* Super quæ verba Theodoretus q. 2. *aptissimè profectò Deus per Angelum, quæ ad puerum procreandum pertinebant, effatus est.* Complures infantes, tenelluli, Magnatum ac Principum filii, etiam & plebeorum, mortis faucibus, à tutelari genio erepti, quos Deus, in gentem magnam, in capita familiæ, Reipublicæ, in Religiosorum ordinum Prælatos, & Anti-

a Theocrit. b Seneca consolat. ad Marcian. cap. XI. c Matth. 4.

d Magist. in 2. distinct. 11 cap. 1. e S. Thom. 1. p. q. 113. a. 5. f Molin. ibid. g Vasques disp. ult. c. 1. h Valent. 1. p. q. 8. i Amic. de Aug. disp. 19. sec. 2.

ſtites facere decernit. Pantaleon Diaconus in Homiliis de Michaele, apud Lippomannum ſcribit, Michaëlem fuiſſe, qui ſe tribus pueris in fornace Babylonica ſocium adjunxit, & velut clypeo igni abjecto, reddidit fornacem quaſi ventum roris flantem, & omni ope humana deſtitutos, ne pilo leviter perſtricto, incolumes ſervavit. Quod ſi omnibus hominibus, à teneris malus genius tentator adeſt, cujus poteſtati non ſumus reſiſtendo, par eſt, ut pro paternâ ſuâ in nos providentiâ benigniſſimus Deus, & bonum Angelum cuique aſſignet. Quod ſic diſcutit Doctor Angelicus 1. p. q. 14. a. 1. argumento 2. *Non eſt æqua conditio pugnæ, ut infirmus contra fortem, ignarus contra aſtutum, exponatur ad bellum; ſed homines ſunt infirmi & ignari, dæmones autem potentes & aſtuti: cur ergo permittit juſtitiæ auctor, ut homines à dæmonibus impugnentur? Reſpondet ad hoc, ut non ſit inæqualis pugnæ conditio inter homines & dæmones, fit ex parte hominis talis recompenſatio, principaliter quidem per auxilium gratiæ, ſecundario autem per* CUSTODIAM ANGELORUM. Unde 4. Reg. 4. Elizeus ad miniſtrum ſuum: *noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam contra nos.* Quæ cum ita ſint, parentes mane, veſperi, parvulos ſuos hiſce Pædagogis, & tutoribus, obnixe commendent, eos ipſi, ſuoſque, colere, amare ac venerari à teneris aſſueſcant. Hinc præſens tutelaris ſui præſidium expertus Adoleſcens, undis hauſtus, qui è ſodalitio Angelorum, verſiculos quoſdam memoriæ acceperat mandandos *a*, quos brevi, poſt Angeli cuſtodis officium eſſet recitaturus: cumque ad cataractam molæ, inter diſcendum, alio forte evagatur, in profluentem præceps ruit, jamque in ipſas molæ rotas, fluminis impetu rapiebatur, dum ſchedam cui inſcripti erant verſiculi, mordicus retinens, angelico incolumis evaſit ſubſidio.

b Alia quoque Fœmina, cum geminis liberis, eodem freta præſidio, ceteris omnibus hauſtis, in portum appulit. Quis ad hæc, aliaque innumera, cum Bonaventura non exclamet in Feſto S. Michaelis? c *Magnæ pietatis, & benignitatis indicium eſt, deputare tales Miniſtros humanæ fragilitati, ſine quibus nullo modo eſſet tuta.* Quare ſi tantopere nos parentibus natura conciliat: morum atque artium diſciplina Pædagogis, aut præceptoribus: vitæ conſuetudo, & benevolentia, amicis: ceteris hominibus vaga volubiliſque fortunæ ratio, quæ nobis tandem cum Angelo tutelari, Religionis neceſſitas intercedit, cujus in nos amor, cura, tutelaque, omnes omnium charitates, & neceſſitudines illas complexa eſt? quod identidem repetam, & pluribus ut omnes intelligant, confirmabo. Nego ullum tam illuſtre, tamque inuſitatum beneficii genus, quod vel communione ſanguinis, & uſura lucis à parentibus: vel conformatione, & elegantia doctrinæ à Magiſtris: vel ſuavitate

a Paradiſus pueror. p. 2. c. 6. §. 14 & 15. b Ibidem. c S. Bonav. ſerm in Feſto S. Michaelis.

convi-

convictus, fide & officiorum multitudine ab amicis, vel denique ulla fortunarum aut cujusmodi rerum facultate, à ceteris hominibus, quibus nos civile jus, & quædam vitæ communitas adstrinxit: nullum inquam beneficii genus, quod proficiscatur ab iis, quin Angelorum cura, studio, benevolentia, præsidio, eminentiori quadam ratione cumulatissime contineatur. Parentibus dormientibus, absentibus, aliud agentibus, quis præsto erit? Augustinus Soliloq. cap. 27. *Magna cura & vigilanti studio, adsunt nobis omnibus horis, & locis, succurrentes, & providentes necessitatibus nostris.*

Custos noster semper vigilat, diu, noctuque excubat pro nobis: a *non dormit, neque dormitat qui custodit te.* In sacro epithalamio legitur: *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel.* Qui sunt fortes isti? & quæ est illa Custodia, seu Regia *Guardia* excubantium? Athanasius in lib. quæst. q. 122. *fortes hi, Angeli Dei sunt*; in eo autem quod lectum circumstant, intelligi datur eximia eorum cura, & vigilantia, qua nobis dormientibus, illi excubant. Dum Princeps, aut Generalis exercitus, se quieti dedit, & somnum captat, semper ante fores Regii atrii, aut tentorii, miles pervigil excubias agit: Eo loco nos Deus habet, stupendum hoc, nec minus Christiano, viro Religioso, animæ piæ pudendum, illi non incidisse, aut certo rarius, quod homini Ethnico fixum, ac statutum erat.

Epictetus ille, origine quidem vilis, ac debilis corpore; sed mente nobilissimus, & qui inter omnis ævi lumina refulsit; cujus lucerna fictilis, illo mortuo, mille drachmis, seu centum Philippeis veniit, in memoriam, & honorem viri, & ob divinas scriptiones, quas ad lucernam illam elucubravit: hic inquam Philosophus, de genio tutelari disserens: b *Procuratorem*, ait, *unicuique addidit genium cujusque, eumque illi custodiendum tradidit; & talem quidem, qui nec dormiat, nec decipiatur. Cum igitur fores clauseritis, & conclave tenebrosum effeceritis, cavete ne unquam dicatis, vos esse solos: neque enim estis, sed Deus intus est, vester genius intus est.* Quis hæc sibi hactenus persuasit? quis solus coram hoc solo erubuit? o impure! o libidinose, quisquis es, quid impium illud, SOLUS SUM, in lascivam turpitudinem te incendit? obscœnarum cogitationum, vel primos aspectus exhorresce: *non es solus.* Putabat certe c Bernardus sufficere ad omne peccatum devitandum, inspectorem nostri Angelum contemplari. Quam doctrinam mellifluus Doctor ex Ambrosio suxisse videtur, qui serm. 8. in Psal. 111. sic ait: *Quamvis cum ancilla vel meretrice sit, si quem forte spectatorem cognoverit facinoris sui, pudore inceptum deserit; quanto*

a Bernard. in Psalm. qui habitat, sermon. 11. Cant. 2.

b Epist. l. 1. dissr. c. 14. c Bernard. in Psalm. 90.

magis, si quis allevet mentis oculos, & consideret plena esse omnia ANGELORUM? (& quidem tutelarem sibi præsentem & intimum) *concepto potest renuntiare peccato?* Accedit cœlestes illas excubias, prospicere obventura pericula, eaque avertere facillime posse. Angelicum super hoc Angelorum argumento, Doctorem audiamus: a *futura contingentia, inquit, quæ frequenter eveniunt, ab Angelo possunt probabili conjectura cognosci.*

Probationi serviet, quod de Patre Cotono, qui Henrico IV. Galliarum Regi, fuit à confessionibus, refertur: *b* crebro sanctissimos Angelos, præsertim Custodem suum, ac aliorum, qui specialiter ipsius curæ erant commissi, pulcherrimam indutos formam cernebat, reverenter eis, & amicè colloquebatur. A quibus etiam cognoscebat „ Clientum occultas necessitates; à tutelaribus generalibus Provinciarum, quas sæpe „ obibat (charitate vel officio „ cogente) præcognovit, & prædixit terribilem illam tempestatem, quæ nuper a. 1626. „ à Parlamento contra Societatem excitata est. Ejus extant hac de re literæ, ad fidelissimum amicum. Prædixit „ simul Burdegalæ cum esset, „ hanc brevi tempestatem pacatam iri, & successuram in majus societatis per Gallias stabilimentum. Cum esset in „ urbe Massiliensi, ingressus „ templum, quod appellant *des Acales*, inter ceteros solus „ conspexit, Sacerdotem capite „ bufonis, pileo quadrato tectum. Hic adstantes sciscitatus, quis ille esset Sacerdos? „ intelligit esse celeberrimum „ illum, per omnem Galliam „ doctrinâ, & vitæ sanctimonia eximium, Ludovicum Gaufredum; siluit Cotonus, sed non diu post, quæ illi per assistentem occulto genium manifesta fuere, urbi & orbi innotuere; dum Gaufredus omnem suam vafritiem, & Hyprocrisim palam confessus, artis necromanticæ instructor, & omnium præstigiarum, ac Magorum Princeps Anno 1611. sacris exutus; & degradatus, brachio sæculari traditus, vivus exustus est.

a S. Thom. 1. p. q. 57. a. 3. b ForNerus de Angelo custode serm. 27. pag. 250. a. 1627.

Hactenus Angeli tutelaris, supra omnem humanam providentiam, prudentiam, ac tutelam à primis incunabilis ostendimus, qui nobiscum quasi nascitur, & ad cunabula nostra evigilare non dedignatur, atque in omnem casum corporis, & animi præsens, ac præsto est. Sed hic aliquid à vobis desiderari, & à fœminis gravidis, ac prægnantibus requiri video. Quid? an custodia hæc cœlestium Spirituum, dumtaxat parvulis in lucem effusis assignatur? & fœtus in utero, eorum præsidio destituendi sunt? quine sagarum veneficiis, aut dæmonum præstigiis, aut naturali quovis infortunio, divinæ gratiæ expertes, immaturo fato opprimantur, eo quam maxime egere videntur? quam verè anxiam solicitudinem, gravissima

vissima Doctorum, vobis hodie adimet auctoritas, & ipsa manifesta ratio convincet: diserte Sanctus Anselmus, in elucidario post medium: *unaquaeque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur.* Consentit Sanctus Thom. in 2.dist.11.p.1.q.1. a 3.ad 3. Albertus a 3. Bonaventura in expositione textus, Richardus ibidem, aliique complures.

Suaderi potest primo, inquit a Suarez, quia tunc homo incipit esse viator, & est capax peccati originalis, ac per gratiam Dei, fit etiam capax meriti, ut in Joanne Baptista. Item credibile est, statim illi adjungi „ dæmonem, qui specialiter nocere, & damnum inferre procuret; ergo etiam debet illi „ Angelus ex tunc deputari, ut „ dæmonem arceat, & alia impedimenta tam corporalia, „ quam spiritualia (quæ innumera imminent) ex tunc præcaveat. Quod autem Angelus „ custos Matris, possit simul „ hanc fœtus curam suscipere, „ illi non tam peculiare est, & „ interdum Mater, aut noverca, „ non obsecundans suo Angelo, potest aliquid tentare filio nocivum, quod Angelus „ filii custos impedire poterat. „ Denique hæc providentia liberalior, & certior est ideoque huic parti libentius adhæreo. Atque hæc in solatium Matrum dicta sufficiant.

Nec vos conturbet, si heterodoxi hic oblatrent, atque hanc assertionem Calvinus, ut falsum commentum convitietur. Hæc porrò doctrina, Angelos custodes hominibus deputatos, catholica est, tanto consensu b Ecclesiæ Universalis recepta, & in scripturis, prout à Patribus intellecta est, tam magnum habet fundamentum, ut sine ingenti temeritate negari non possit. Iacob Gen.48. Angelus eripuit me de cunctis malis. Eccl.5. Isa.66. Judith 13. & Act. 12. hæc fidelium verba sunt: *Angelus ejus est, &c.* Unde Eusebius l. 13. de præp. Euang. c. 7. *Angelum unicuique ad custodiam divinitus datum, ex scripturis nos didicimus.* Quæ omnia infallibilis Universæ Ecclesiæ confirmat consensus, sic precantis: *Deus qui ineffabili providentiâ sanctos Angelos tuos, ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum protectione semper defendi, & æterna societate gaudere.*

§. 2.

Angelis suis mandavit de te, ut CUSTODIANT TE IN OMNIBUS VIIS TUIS *per omnem vitam.*

CElebris olim apud Græcos Myrtili Clypeus, ex quo Alciatus suum duxit Emblema, cujus hoc lemma: *auxilium nunquam deficiens.* Is autem Myrtilus, fuit ingentis animi miles, clypeo pugnare solitus, quo o-

a Suarez de Ang. l. 6. c. 17. n. 18. Amicus de Ang. disp. 19. sec. 2.

b Suarez de Angel. disp. 6. c. 17. n. 8.

omnium hoſtium tela, & enſes excutiebat. Hic cum ad maritimam expeditionem navigaſſet, ſubmerſa navi, ſuo innixus clypeo, in tutum portum delatus eſt, unde Leonides Poëta.

Effugi geminum, clypeo diſcrimen, in uno:
Cum premererque ſalo, cum premererque ſolo.

Terra, marique, domi, & foris, *in omnibus viis*, auxilium NUNQUAM DEFICIENS. Hoc admirabundus exaggerat, ſtylo lacte & melle manante, apis illa Claravallenſis, a *Magna dignatio, & vere magna dilectio charitatis! quis enim? de quo? quid mandavit? cujus ſunt Angeli? cujus obediunt voluntati? ſumma majeſtas mandavit Angelis, & Angelis ſuis, illis utique tam ſublimibus, tam beatis, tam proxime ſibi cohærentibus, & vere domeſticis, mandavit de te. Tu quis es Domine? quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum? quaſi vero non ſit homo putredo, & filius hominis vermis. At quid putas mandavit de te? ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; Ubique, undique ex omni parte vos protegant; & quemadmodum Matres, parvulos maxime per vias difficiles, & lutoſas ulnis geſtare ſolent, ita & Angeli: *in manibus portabunt te*, ut pulchre proſequitur idem Doctor: b *etſi parvuli ſimus, & tam magna & periculoſa reſtet via; quid tamen ſub tantis cuſtodibus timeamus?* Et paulo poſt: *inter mille quæ immineut pericula verſanti, vide quam neceſſaria ſit illa cuſtodia in viis tuis: in manibus portabunt, & deducent parvulum, qua pedes parvulus ambulare. Non patiuntur tentari* (aut defatigari) *ſupra quam ſuſtinere poteſt; ſed in manibus tollent, ut pertranſeat offendiculum? Quam facile tranſibit, qui manibus illis portatur, quam ſuaviter* (etiam in mediis fluctibus) *juxta commune proverbium natat, cujus alter ſuſtinet mentum?*

Scutum è toto armorum genere unum eſt, quod ad tuenda omnia corporis membra fabricatur, caput galeâ, thorace pectus, loricâ femur, alia corporis membra, aliis armorum generibus muniuntur, ſcutum verſatur pariter omnium in præſidium, omnium flectitur ac reflectitur in tutelam, ubique præſto eſt, adeſt pectori, ambit latera, ſervat caput, totum corpus protegit, ac circumdat; unde unde tela ingruant; c CUSTODIT, & ARCET. Ejuſmodi nobis ſcuto opus eſt, quia ut Doctor Seraphicus: d *Adverſarius veſter Diabolus, tanquam Leo circuit quærens quem devoret: cui nulla poteſtas ſuper terram comparari poteſt. Iob. 4. Modo impugnat per violentiam tribulationum, modo per blanditias tentationum, modò per aſtutias, & fraudulentias illuſionum. Contra igitur hoſtes tam callidos, tam potentes, humana fragilitas nequaquam ſtare poſſet, niſi haberet Sanctos Angelos adjutores, qui eorum ſævitiam coercerent, & eorum repellerent impugnationes.* Hieron. in Pſal. 33. *immittet Angelus Domini in*

a Bernard. in Pſalm. 90. b Bernard. ibid. ſerm. 12.

c Ovid. l. 11. Metam. d Bonavent. ſerm. de S. Michaele.

CIRCUITU *&c.* ex Heb. CIRCUMDAT *Angelus Domini in* CIRCUITU *timentes eum, & eruet eos.* Sicut igitur Rex secum semper habet, qui corpus ejus tueantur, & fideliter custodiant, sic Deus nobis etiam cœlestes milites providit, qui ubique armis suæ potentiæ nos custodiant, & protegant; ut securus quisque nostrum, hoc velut clypeo munitus prodire queat, quam olim Artemon, qui nunquam domo exibat, nisi quis scutum supra verticem ejus gestasset, ne quid ex alto forte improvisum feriret. Ita, inquit Bernardus: a *quia undique hic circumdatus est tentationibus,* SCUTO *circumdabit te veritas ejus, ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia.* Protegit nos à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano, non accedet ad te malum. Vere munitissima civitatum est anima, & urbs fortitudinis quoniam à Sancto Angelo ad tutelam *circumdatur; qui insultantes à longe stare compellit, & irruentes deludit.* Contra spiritualia nequitiæ, contra hostes invisibiles, pugna maxime anxia, & formidanda; sed non hic timendum: *Angelorum custodia deputatur hominibus, etiam quantum ad invisibilia & occulta, quæ pertinent ad singulorum salutem.* Quod prolixius Doctor Angelicus confirmat 1. p. q. 113. a. 4. in corp. *dicendum quod homo in statu vitæ istius constitutus est quasi in quadam via, quæ debet tendere ad patriam: in qua quidem via, multa pericula homini imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori: secundum illud Psalm. 14. in via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Et ideo sicut hominibus, per viam non tutam ambulantibus, dantur custodes* (convoy, guarde, copiæ tutelares) *ita & cuilibet homini, quamdiu Viator est, Custos Angelus deputatur.*

Insurgant tentationes infidelitatis, blasphemiæ, luxuriæ, totus [illegible] ignea in vos tela emittat, unica tessera quam gloriosus Princeps Michael, clypeo profert: QUIS UT DEUS? omnes has infestationes potenter elidet. Duces ac heroes olim, & etiamnum, in scutis varia insignia cœlarunt, varia symbola, &c. ut *b* Lipsius: pene quidquid in rerum natura est scutis proferebant. c *Clypeus* pro quo Ajax cum Ulysse decertavit, *vasti cælatus imagine mundi.* Plutarchus de solertia animalium, ait Ulyssem, *Delphini in* SCUTO *habuisse* effigiem.

Athenæus, de Alcibiade refert, scutum ex ebore & auro confectum habuisse, *& in eo Cupidinem* pro insigni gestasse.

d Borbonius Cardinalis Clypeum nudum pro gentilitia tessera adlegit, in quo nil depictum, cum hac epigraphe: *Melior fortuna notabit.*

Sed omnium qui unquam illustria scutis symbola prætulerunt, nullum præstantius, quam quod Princeps militiæ cœ-

a Bernard. in Psalm. 90. sermon. 5.

b Lipsius analecta ad mil. Rom. Dial. 2. c Ovid. l. 13. Metam. d Octav. Strada. Caussin Symb. l. 12. §. 17.

cœlestis, aureis & gemmeis exaratum characteribus signavit? Quis ut Deus? hac tesserâ, nulla cujusquam scutum melior fortuna notabit. Hæc radiis suis, fulguris instar, Luciferum perculit. Invidus aurea scuta objicit, quibus avaros excæcat: caro cupidinem, qui lascivos suis telis inflammat; contra hæc tela ignea nequissimi, *Princeps militiæ* cœlestis scutum, quo suos tueatur, omnibus objicit: *Quis ut Deus*? mundus divitias, honores, voluptates proponat: *Quis ut Deus?* Judith miraculum pulchritudinis, omnes Helenas & Veneres, formæ elegantiâ præcellens, a *cui etiam Dominus contulit splendorem; quamvis omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat Dominus pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili* decore omnium oculis appareret, ejusque venustatem omnes attoniti venerabantur: ea quippe conspecta *captus est in oculis suis Holofernes*, quodque de Helena Trojani: milites Assyrii de Juditha clamabant: *quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare* (& sanguinem fundere) *contra eos debeant?*

Interim quis hanc candidissimam columbam, inter tot vultures, ovem in eodem stabulo cum lupo committat, & intactam ac illæsam evasisse credat? ipsa de se loquatur, & quem sui defensorem nacta, edisserat: *b Vivit Dominus, quoniam* custodivit me Angelus ejus, *& hinc euntem*, (per omnia militum castra) *& ibi* commorantem (apud perditissimum lenonem) & inde huc revertentem (per petulantium militum turmas) *& non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Confidite, ô castæ animæ, illibatæ mentes; etsi omnes inferorum legiones irruant, etsi sanguis intra venas bulliat, etsi media in fornace caro exæstuet, hoc custode tutæ eritis; reddet ille fornacem, velut ventum roris flantem, omnemque ardorem restinguet, experto credite magno Hieronymo qui in illud Proverb. 25. aqua frigida animæ sitienti: sic ait: Angelus bonus *aqua frigida, qui sitientis ardorem extinguit, atque ab æstu præsentium tentationum, liberam reddit animã, ille protegit,* ILLE TUETUR, ET ARCET. Confirmationi non inelegans serviet historia. Diocletiano, & *c* Maximiano in Christianos sævientibus, narrat Basilius Theophilam Virginem, formâ & prosapia nobilissimam, cum à lictoribus in lupanar vi traheretur, in via sic esse precatam: Mi Jesu, amor mi! O Sponse mi! O fons castitatis! matura opem, & sponsæ tuæ pudicitiam serva, hoc cor, hoc os, & oculi lachrimis pleni loquebantur. Prostibulum ingressa, Euangelium, ut mos erat Christianis, lectura protulit. Sedebat Virgo, & legebat verecundissimo vultu, ad omnem modestiam composito: adstabat è cælesti aula submissus genius. Fuere qui irruere aude-

a Iudith. c. 10. b Iudith. c. 13.

c S. Basilius tract. de vera virgin. Baron. tom. 2. pag. 677.

rent:

rent; sed horum primus intemperantior, mortuus concidit: alii exinde subsecuti, splendore nimio obcæcati, exitum quo intrarant, reperire nequibant, eventum rei aliis præstolantibus, dum & ipsi explorantes quid actum, ingrediuntur, vident mirabilia, & terribilia magna, Virginem sacrum codicem lectitantem; prope vero, admirabili splendore radiantem juvenem; atque ut noris quid scuto symboli objecerit, cum metu prope obriguissent, exclamavit: *a quis sicut Deus Christianorum?* scilicet

b *Opposuit molem* CLYPEI, *texitque jacentem*
Servavitque animam.

Hic Adolescens, inquit Basil. Virginis protector fuit, uti Virgineus Daniel Susannæ. Hic Adolescens protector Cæciliæ fuit, quæ ad Valerianum sponsum adhuc gentilem: *c* Ego Valeriane in Angeli tutela sum, qui Virginitatem meam custodit. Hic Adolescens protector Agnetis, Teclæ, aliarumque innumerabilium Virginum fuit. Erit & vester, si ejus vos tutelæ committatis, ad ejus præsidium recurratis: d *Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminet, invoca* CUSTODEM *tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus: in tribulatione inclama eum, & dic: Domine, salva nos, perimus: non dormit, neque dormitat qui custodit te, etsi ad tempus quandoque dissimulet.* Extra

a S. rius 26 Decemb b Ovid l. 13 Metam. c Metaph. breviar. Roman. d Bern. in Psal. 9 , serm 11

teli jactum Magdalena inesse videbatur, dum in solitudine Christo confixa degeret; interim & hic eam infernalis genius impetere ausus est, ut vitæ auctor ex certa revelatione cognovit, dicens: *e* quoties Archangelus Michaël ab importunissimis dæmonis tentationibus eripuit? annon cum in horribilissimi draconis forma, eam deglutire moliretur, adfuit, eam defendit, & draconem compescuit? an non dæmonum choros, cum quem tenebat vitæ rigorem dissuadentes, in fugam compulit, & abegit? annon etiam Crucem in aditu speluncæ erexit, dicens: *cave ne extimescas impostorum. Custos tui Altissimus.* Clama & tu cum *f* Sophronio, sanctissimo Præsule: *O Sanctissime Michael! remissas manus meas contra bello assuetos hostes, confirma: & cicatrices meas, quæ graveolentiam exhalant, planeque computrescunt, sana, & ardentium libidinum, perturbationumque incendium, seda.*

Efficax ad hoc medium, ipsum quod Michael scuto præfert symbolum: *Quis ut Deus?* quoties te Adolescens, formæ venustas ad libidinem incendit, eam pulchritudinem mentis oculis objice, quæ increata omnes omnium pulchritudines infinito excedit intervallo, & exclama: *quis ut Deus?* quis pulcher, quis formosus, quis speciosus *ut Deus?* quicum omnes alias pulchritudines collatas, ut meras turpitudines detestaberis;

e Granatensis serm. 1. de Magdalen. f Sophron. Archiep. Constantinop. orat. 6. de excellent. Ang. Biblioth. PP. tom. 2.

a *Miraris*, inquit a *Augustinus*, *in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane* (in vino) *saporem*, in auro fulgorem, b *sed quis ut Deus; quidquid te delectat in arte, commendat artificem*. Hoc validissimo clypeo, *quis ut Deus?* omnia tela ignea retundes. Contra tela linguarum, calumniarum, obtrectationum, scuto patientiæ *quis ut Deus*; utere: quis vestrum tot telis linguarum, tot calumniarum jaculis, tam acriter impetitus *ut Deus*? quis patiens, quis mansuetus, quis longanimis *ut Deus*? Ad hoc propositum audiamus Hipponensem Præsulem: dum talia forte perpetimur, intueamur caput nostrum, ut ejus exemplo commoniti dicamus: *si ille*, c QUID NOS? si inquam ille, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, tot ludibria, alapas, flagella, mortem denique acerbissimam pertulit, *quid nos?* qui tot scelera admisimus, toties rei mortis æternæ. Si ille, *quid ego?* Hoc sæpe versetur in corde: si injuria afficiaris, si paupertate premaris, si falso deferaris, *quis ut Deus*; quis despectus, quis pauper, quis innocens *ut Deus*, *si ille*, *quid ego?*

Obtulit miles quidam bellicosus Duci suo, Scipioni Africano clypeum, quem adversus omnes ictus munitissimum esse prædicabat. Quid Africanus: libenterne suscepit? induitur alacer in sinistram? gratulabundus cumulato pretio rependit? nihil sibi minus persuasit, imo torvus & severus: d *abi*, inquit, *bone miles cum tuo munere, ego dextra utor, non læva, gladio mihi opus est, non clypeo.* Nos Christiani majori laude, amplioríque merito digni erimus, si plus præsidii in patientiæ clypeo, quam in gladio vindictæ posuerimus. Nos homines ab homine offensi, injuriam reservamus, beatæ illæ mentes, summæ illæ intelligentiæ, cælestis aulæ principes, toties ab homine mortali læsi, & lacessiti, mansuetudinem & patientiam luculenter docent, audi B. Petrum Cardinalem Damiani. serm. de exaltat. Crucis: e ANGELOS *ad nostram custodiam deputatos, quotidie multipliciter offendimus, & offensam negligentia cumulamus; ipsi autem licet frequenter injurias à nobis patiantur, sustinent tamen, & compatiuntur peccatoribus, nec minor illorum circa nos custodia imo major solicitudo, cum* NON CUSTODIS SIT, *infirmis magis, quam sanis operam exhibere.*

Hactenus quæ, & quanta sit SS. Angelorum in omnibus viis, periculis, infestationibus corporis, & animi, nostri custodia audistis, nunc quanti momenti sit, extrema vitæ luctâ, in bivio disparis æternitatis constitutis, per viam illam, ubi non patet vestigium hominis, fidum Ducem, ipsum Angelorum principem Michaelem nancisci, videamus.

a Aug. serm. 1. de omnib. SS. b Aug. in Psalm. 26. c August. in Psalm. 34.

d Mendosa in viridar. Pierius lib. 42. e B. Petr. Damian. serm. de exaltat. S. Crucis.

§. 3. Si-

§. 3.

Signifer S. MICHAEL, *animas in morte suscipit, & repræsentat eas Iudici.*

HOc optime signatum est in Daniele c. 6. ubi dicitur: a *misit Dominus* ANGELUM *suum, & conclusit ora leonum.* Hunc Angelum D. Michaelem fuisse, apud plerosque auctores indubitatum est. *Leones dæmones sunt, qui multo leonibus crudeliores, nos appetunt devorare.* Hinc est quod Ecclesia, in suprema illa lucta ardentissime precatur: *libera eos de ore Leonis, ne absorbeat eos tartarus.*

Si Deus olim populo Israelitico, tam amabili providentia Ducem præfecerit, qui in terram promissionis deduceret, quis demirabitur, si animabus tanti redemptis, de ductore prospexerit, qui in terram sanctam, in patriam ad quam conditi perducat? non Moysen, non Josue: sed è cælesti curia dynastam, & quidem illum qui apud Josue b *princeps exercitus Domini*: & apud Danielem: c *Populi Israël* nuncupatur, id est Michaelem constituit, qui nos ex hac Ægypto, in terram promissam deducat; ubi inquit Rupertus, nullus deinceps hostis pertimescendus. Quis obsecro vestrûm, non summæ gratiæ loco reponeret, si Cæsar, aut Rex, aut princeps, à quo ad aulam accitus esset, non solum propriam rhedam, sed & præcipuos aulæ perfectos ei obviam mitteret? Hoc benignissimus Deus pauperrimis etiam mendiculis, & infimæ sortis homunculis, nullo unquam tempore denegavit. Testis mendicus iste Lazarus, qui ad ostium divitis jacens, de micis, quæ è mensa cadebant, famem explere postulabat, totus ulceribus plenus; tamen factum est ut moreretur mendicus, & *portaretur ab* ANGELIS *in sinum Abrahæ.* d Chrysostomus hom. 5. in Lucam, dicit huc Angelos certatim, & turmatim advolasse, sibique summo honori duxisse, hos onus potuisse subire: *portabatur ab* ANGELIS, inquit, *ne saltem ambulans laboraret: & non unus Angelus, sed plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant: gaudet unusquisque* ANGELORUM *tantum onus tangere.* Hinc est quod homini, jam in fatali lectulo deposito, & supremum spiritum exhalanti, acclamet Ecclesia: *accurrite* ANGELI *Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi,* & per totum illud iter, quod Tartarii hostes obsident, securam ante Thronum Dei sistite. Ubi illud solerter, in solatium animarum fidelium, observandum: gravis Theologi apud Cæsarium doctrinam esse, dæmoni nullam potestatem factam, ut animas ad piaculares flammas ablegandas contingat, aut eo abripiat: e *dæmones,* inquit, *animam electam de corporis ergastulo egredientem, nunquam tangunt, sed Angeli beatè eam ad purgatorium deferunt,*

a Bonav. serm. de S. Michaele. Pantaleon Diacon. Hom. de S. Michael. b Josuæ 5. c Dan. c. 10.

d Chrysost. hom. 5. in Lucam. e Cæsarius l. 1. c. 32.

si purgari necesse sit: non enim decet, ut carbonarius purget aurum, sed artifex. Sed ut institutum prosequamur: Ecquis eum militem, aut belli ducem non ut incomparabilem suspiciat, & admiretur; non quavis prece, & precio in sui tutelam, ac defensionem comparare studeret, qui solus, & inermis, integras hostium legiones delere, ac profligare invicta virtute valeret? quis autem ille sit, attendite:

a Lescus Polonorum princeps cum parva militum manu, ab innumeris Lithuanorum millibus impetitus, forte ab itineris molestiis paulum quietis capiebat: & ecce S. Michaelem conspexit sibi adstantem, auditque dicentem: *Ego sum* ARCHIDUX ET PRINCEPS *totius Ecclesiæ Christianorum: habe fiduciam ad Dominum, ego tibi assistam contra hostes tuos, ut ab iis nobilem victoriam reportes.* Quod reipsa præstitit, ac parta percelebri victoria, Lescus cum Lublinum rediisset, in honorem S. Michaelis munificentissimam Basilicam à fundamentis extrui jussit.

Præsentius multo ac præclarius contra invisibiles hostes, atque integros cacodæmonum exercitus, unius hujus Tutelaris præsidium est: b *ipse Dei* CLYPEUS.

Viris bellicosis, ac militiæ ducibus usitatum est, dum arcem aliquam, aut urbem quampiam munitissimam, diuturna obsidione, variisque assultibus expugnare nequierunt, tandem generalem summo cum impetu, omni ex parte oppugnationem adornare, ut distractis in diversa præsidiariis, eorum vires ad resistendum imminuant, atque ita alicubi transcensis vallis, aut per dejectas murorum ruinas, irruant, civitate potiantur, omnia ferro & flamma devastent. Consimili prope bellandi genere, infernalis hostis uti consuevit, ut munitissimam illam arcem animæ nostræ, urbem fortitudinis expugnet: per omnem quidem vitam, illam arctè cingit, impetit; sed tandem communi assultu, ex omni parte, illam invadit. Est porro hic ultimus diaboli assultus tam vehemens, tam terrificus, & truculentus, ut Angelus noster, quotidie clamet, moneat, & ad arma comparanda exhortetur: *c Væ terræ, & mari* habitantibus in insulis, & in terra continenti, *quia descendet ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Tunc *d circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique.*

His misera anima victa succumberet, & in æternum abriperetur exitium, nisi custodes Angeli suppetias ferrent, ut S. Cyrillus Alex. declarat: *Adsunt nobis tunc exercitus, & potestates tenebrarum, ut ipsi animæ vel aspectus solus gravior sit omni pœna: quos intuens anima turbatur, fremit, horrescit, angustiatur, refugit. Taceo gravissima tentationum certamina, quibus tunc maximè contra animam insurgit, quas nisi divina gratia, & ope cœlestium civium,* SS. ORUM PRÆCIPUE ANGELORUM SUBNIXI VINCERE NON POSSEMUS, *adeo sæviet hostis horrende.*

a Cromerus l. 10. hist. Polon. b Ovid. l. 15. Metam.

c. Apoc. 12. d Luc. 19.

Testis omni exceptione major *a* D. Anselmus, qui de religioso sui Ordinis Osberto refert, quod in articulo mortis, tertio gravem dæmonis insultum sustinuerit; sed Michaelis Archangeli præsidio semper defensus. Primus erat de peccatis ante baptismum admissis (fuerat enim in adulta ætate baptizatus) sed respondit Angelus, ea omnia baptismatis fonte expiata. Secundus erat de iis quæ post baptismum perpetrarat, subjecit Michael, & hæc per ingressum in religionem remissa fuisse. Tertius erat de iis, quæ in monasterio degens contraxisset; sed & hæc per obedientiæ opera, & diuturnam molestæ ægritudinis tolerantiam deleta censeri, atque ita cum irrita sua tela jacuisset, tartareus hostis decessit.

Nos dum in montem Dei Oreb, divum illum arduum ascensuri, gelido sudore perfusi, monstrum illud horrendum, ingens, pertimescimus; sed aderit nobis *b* S. Michael. Cum B. Oringia Virgo (ut refert noster alter Baronius Bollandus, mortalium doctissimus nuncupatus) ad Garganum montem, ut divo Michaëli, in quem singulari pietate ferebatur, venerabunda sua vota deferret: obvium illi fuit monstrum terrificum, equo vectum, atque in eam ferali incursu irruere parat. Illa totis ossibus contremiscens, jamque equi solerses proterendam rata, divo Michaeli tutelari suo se commendat, & ilico auxiliares duo equites, toti candidi, è cælesti aula submissi sunt, qui atrum illum, & infernalem equitem in fugam egerunt, & tutum Virgini iter, in beatum illum montem reddiderunt. Quare si & nos arduum æternitatis iter ingressuri, ab omni spectro tuti, ab omni incursu infernalis draconis securi esse velimus, illum cælestis Hierarchiæ principem, quotidiano cultu, officio Angelico, rosario parvo (cujus hæc praxis est, ad minora grana recitando: *Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum, pietate superna custodi, rege, & guberna.* Ad majora: *Ave Maria.*) aliisque ardentibus votis demereamur, & cum Sophronio Archiepiscopo Constantinopoleos, identidem clamemus, & invocemus. *c O ter sanctissime summeque amande, & veneranda sacræ militiæ princeps, & administer* Michael, *Angelorum Coryphæe, omni cultu, omnique laudum celebratione dignissime: qui Iudaici populi ductor quondam exstitisti, ipsique planam ad meliora viam, summa fide ostendisti*; nobis in terra illa deserta, plena horroris; in regione illa mortis, & tenebrarum, te ducem præbe: *quique ingenti illa, horrendaque, ac longe lateque per omnia sonitum spargente tuba olim personiturus es, quando tandem omnia illa admirabilia* (quæ vivaciter istic exaggerat) *consummabuntur, tunc ò sancte Archisatrapa, errantium ductor, prolapsorum excitator, animarum propugnator, corporum conservator, dæmonum exterminator, creaturæ illustrator, tunc obsecro te, tunc fidus causæ meæ Patronus adesse ne gravere.*

a Fornerus de Ang. cust. ser. 23. b Bollan. in vita 10. Jan. c. 2.

c Sophron. orat. 6. de Ang. excel. in Bibliot. PP.

Non

Non mirari dumtaxat, sed & imitari juvat, eximium quem Ferdinandus Portugalliæ Princeps, D. Michaeli Tutelari suo cultum exhibuit: hic inter alios, quos sibi adsciverat cælestes Patronos, D. Michaelem peculiari pietate, & Religione prosequebatur, eumque diebus singulis supplex adibat, precesque ac vota ad ipsius aras deponebat. Deinde pridie festi ejusdem Divi, jejunium sibi indixerat, ut etiam hac corporis maceratione, suum in eum amorem; cultumque testaretur; denique hac ei festa ac solenni luce, sacra synaxi reficiebatur, & hoc in honorem sui Tutelaris; cui mirifice placuit ea devotio. Quod deinde testatum voluit, etiam ipsi Ferdinando clienti suo, cui paucis ante obitum diebus, hæc exhibita de cælis visio: D. scilicet Michael supplex, Dei Matrem orabat, ut Ferdinandum terris educeret, & cælis induceret, ne malitia forte mutaret intellectum, & cum ætate mentem perverteret, atque ea qua tum pollebat vitæ innocentia excederet. Cui petitioni annuit Virgo Mater, adpromisitque futurum, ut ante occasum diei quem designabat, esset una secum, & cum filio suo, Ferdinandus in cælis. Cujus jam conscius, nihil aliud in curis & amoribus habuit, quam ut divæ Matri, divoque Michaëli gratias ageret, seque ad securum è terris, & mortali corpore exitum pararet, quod & fecit. Ecce quis à cultu gloriosissimi illius Archangeli in morte fructus secutus, & vitæ spes, quem a *Deus scilicet constituit principem super omnes animas suscipiendas.* Quare ut & nos consimili favore, & beneficio dignos reddamus, monet *b* B. Laurentius Justinianus, præ ceteris cælitibus S. Michaelem veneremur, dicens: *innumera mala cohibentur, ne fiant: dæmonum malitia cohibetur, ne ad libitum noceat: bonorum vita custoditur, ne deficiat. Ceterum, quamvis omnes cæli milites, maxime cum honore debeamus excolere, præcipue tamen* GLORIOSISSIMUM MICHAELEM, *exercitus primatem, & Ducem.* Illudque frequenter corde, & ore versemus, quod inter sacros hymnos, & missarum solemnia decantat Ecclesia: *Ut signifer tuus* SANCTUS MICHAEL, *repræsentet animas nostras in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus.* *c* Sic S. Arnulpho in extremis S. Michael se Ducem præbuit, ad beatam patriam deducens.

Hanc ipsam animarum tutelam luculentissimo exemplo, in obitu S. Henrici Imp. legere, & intelligere est, qui cum Judici sistendus, omnia opera sua, bona & mala in lance pensitari cerneret, bonis porro præponderantibus, *d* S. Michael Archangelus malignos hostes arcuit, & fugavit. Unde quam maxime omnes Christi fideles, ejusdem cælestis militiæ principem, quotidie peculiari cultu prosequi deberent, quod Seraphicum Franciscum factitasse scribit Bonaventura: *nam is* B. MICHAELI ARCHANGELO *spirituali amore erat devotior, eo* quod

a Eccl.

b B. Laur. Justin. ser. 1. de S. Michael.
c Baron. a 1087. Surius. 25. Aug. d 14. Julii Bellarm. de SS. Principib.

quod animarum repræsentandarum haberet officium, idque proveniebat ex zelo quem habebat ad salutem omnium salvandorum. Denique, ut concludam, hanc quisque Saluberrimam praxim amplectatur, & piissima desideria ac vota, ad Tutelarem suum dirigat, quæ S. Carolus Borromæus tam ardenter postulavit. *a* Hic in morte triplicem sibi gratiam à tutelari genio impetrari expostulavit, dum sic precatur: sanctissime, & vigilantissime Custos Angele, constituo te procuratorem testamenti, ultimæque voluntatis meæ, ad impetrandas mihi à Domino Jesu has gratias: prima est, ut donet mihi unum solum lachrymosum suspirium ex infinitis illis quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus in Cruce pependit, quorum efficacia & virtute mitigentur lachrymabiles illi singultus cordisque pressuræ & angustiæ, quibus in hora mortis affligar, & ut gloriosissima Dei Mater Maria dignetur vel unico etiam aspectu, ex iis quos ipsa sub Cruce stans habuit, Virgineos oculos in filium unicum defigendo. Secunda gratia est, ut tu, fidelissime Custos, in illa potissimum hora mihi succurras, ut inveniam benignissimum judicem, ex merito flagrantissimæ illius charitatis, qua paternum ipsius pectus in Cruce fuit inflammatum, pro salute peccatorum. Tertia gratia est, ut tu idem piissime custos, animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergastulo corporis egressam, redemptori meo offeras, ut eum tecum in gaudiis sempiternis videam, & in æternum fruar.

Qua beatissima sorte, ut quisque vestrum aliquando perfrui, ac potiri valeat, Potentissimum illum in judicio patronum, quot diebus inclamet, atque hanc piissimam precationem usurpet: *b Iterum re & nomine Michael, te oro, & quanto possum sensu obtestor, ut è vitæ hujus curriculo exituro, lætus, pacatusque appareas, meque sub honorato alarum tuarum velamine abscondas, atque ex angustiis, obscurisque inferorum locis ereptum, in locum tabernaculi admirabilis constituas, deducens usque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis.*

a Drexel. de Christo moriente, part. 2. c. 2. § 4.

b Sophron. supra cit.

FESTUM S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

Bonorum laborum gloriosus est fructus. Sap. 3.



Prædivite cornu. Ovid. l. 9. Metam.

ARGUMENTUM.

DIvum Lucam olim Ezechiel, *bovis* specie, quod animal ad arandum, & laborandum natum est, adumbravit; nos ex instituto nostro brevitatis memores, & uni rei insistentes, cornu ejus solummodo contemplandum suscepimus: quod ut Poëtæ fabulantur, dum devicto ab Hercule immani Tauro, Najades floribus,

ribus, ac fructibus repleverunt, quid aliud innuere voluere, quam labori, suaves fructus, suamque ex merito, condignam mercedem respondere? quos autem mysticus, ac cælestis ille *bos*, Lucas, labores exantlavit, ex eo manifestum erit, quod cum Paulo jure gloriari possit: a *abundantius omnibus laboravi.* Quid miri, si ut sapienter sapiens: b *bonorum* LABORUM, *gloriosus fructus*, & merces magna nimis exstiterit? quæ etiam hic vilis, & temporanea, omnia quamtumvis molesta, aspera, & ardua mitigare, ac dulcorare consuevit. Hoc argumento ad populum Antiochenum usus quondam orator c aureus: *Sicut mercator*, inquit, *non sentit navigans* LABOREM, *spe lucri excitatus: & pugil generose fert corporis vulnera, coronam respiciens; ita & nos cælestia intendentes bona, quæcumque inferantur gravia, generosè feremus, bona futurorum spe roborati.* Ac tandem concludemus, quantæ inhumanitatis, ac crudelitatis sit, quamque graviter, non raro ab iis Dominis peccetur, qui operarios, famulos, ancillas, justa mercede, ac stipendio defraudant. Quod merito inter peccata, in cœlum clamantia, numeratur.

a 1. Cor. 15. b Sap. 3. c Chrysost. hom. 16. ad pop.

§. I. *Divus Lucas ab Ezechiele, sub* BOVIS *specie visus, qui abundantius* OMNIBUS LABORAVIT. I. Corinth. 15.

§. II. *Bonorum* LABORUM GLORIOSUS est fructus Sapient. cap. 3.

§. III. *Non alligabis os* BOVI *Trituranti.* I. Corinth. cap. 9.

FESTUM

FESTUM SANCTI LUCÆ EUANG.

Bonorum LABORUM *gloriosus est fructus.* Sap. 3.

SUmmus ille Architectus rerum omnium Deus, humani generis parentem moliri aggressus, non dixit: *fiat*, ut ceteris rebus, sed, *faciamus hominem*: quo laborem & studium quoddam innuere videbatur; ut & homo ab Auctore, quem in se quodammodo laborantem experiebatur, ad laborem se natum, minime addubitaret. Hinc Ambrosia sua facundia Mediolanensis Antistes: a *si Deus majore quodam studio te creavit, cur ipse tui studium relinquis? si Deus in te* LABORAVIT, *qui* LABORARE *non novit, cur ipse fugitans sis* LABORIS? Adamum quidem omnium principem constituit, atque in Paradiso voluptatis, in loco deliciarum, ubi sponte sua, b *& per se dabat omnia tellus*, ipsum collocavit, non ut otiaretur, *sed ut* OPERARETUR, *& custodiret illum*; manus dedit ad operandum, ut alas avibus ad volandum. c Hoc oris aurei oraculum est: *Deus posuit hominem ad* LABORANDUM, *artusque ejus ad hoc effinxit; idcirco otiosus, ab ordine suo, & creatione deficit.* Nec primus homo dumtaxat, sed & omnis d *homo nascitur ad* LABOREM, *ut avis ad volatum*; adeo ut Bernardus e jure percunctetur: *quomodo scit se esse hominem, qui ad id paratus non est, ad quod natus?* nam juxta interpretes, ad omnes posteros se extendit præceptum illud Domini: f *Maledicta terra in opere tuo, in* LABORIBUS *comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, & in sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* Quod experientiâ edocti, vel ipsi gentiles senserunt, ac censuerunt; Septimus Severus Imperator, g pro militari tessera, Tribunum dare jussit: LABOREMUS; sive cum Euripide sentiret, Poëta magno, & sui temporis facile omnium doctissimo: neminem esse clarum *sine labore*; sive magnificum illud dogma Stoicorum, altè in mentibus inustum haberet: *in actu moriendum*, omnibus suis laborandum præcepit. Militia est vita nostra, hanc quisque sibi militarem tesseram datam autumet, LABOREMUS. Ita omnes magni & præclari in Ecclesia viri, ad labores, sua aliorumque causa, ultrò & constanter suscipiendos, se natos arbitrabantur, atque adeo operum strenuitate capiebantur, ut non prius laborandi, quam vivendi finem facerent; quod probè tenerent, Christiano *laborandum usque ad defatigationem.* Intueamur in Beatum Martinum Turonensem, Galliæ immensum decus, ac strenui operarii exemplar: & audiamus clarissimi illius animi dignam cælo

a Amb ser. 1. in Psal. 118. b Ovid. l. 1. metam. c Chrys. hom. 2. ad Thess. c. 3. d Job. 5. e Bern. ser. de obed. pat. sap.

f Gen. 3. g Ælius Spartan. in Severo.

vocem

vocem, qui cum esset velut in atrio feliciſſimæ quietis, & propè jam manu prenſaret Coronam, quam illi Deus apparaverat, ea vel conſpecta, ſi quis adhuc inquit, reſtat in venis cruor, ſi quis in corde calor, ſi vitales ſpiritus ſuppeditant. Cupio ut omnia, mi Jeſu, tibi tuiſque ſerviant: *ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non* RECUSO LABOREM. O Cygneum divini hominis cantum! & melos Deo ſuaviſſimum! quod Beatæ mentes ſymphonia proſecutæ, cælum & terram incredibili ſuavitate complerunt.

Parem prope laudem tribuit Nepotiano D. Hieronymus: a *inter presbyteros & coæquales* PRIMUS IN OPERE, *extremus in ordine.* Simillimum etiam virum divinæ lyræ Princeps David, & intimo animo colebat, & oratione pingebat, ſemper agentem atque operoſum: *à cuſtodia matutina uſque ad noctem*; quæ verba conſiderans S. Hilarius *b* nullum tempus inquit, habet vacuum, *totius diei* INDEFESSUS OPERARIUS *eſt*; imo vero non diem tantum Apoſtolicæ vitæ cultores, verum & noctes in pulcherrimis, & utiliſſimis laboribus ſæpe inſumpſerunt. Præclara eſt illa vox Bonafacii VIII. & ſummo *c* Catholicæ Religionis Moderatore digniſſima: *amplectimur voluntarios pro ſubditorum quiete* LABORES: *& noctes quandoque tranſimus inſomnes, ut ſcandala removeamus ab ipſis.* S. Ambroſius ea cauſa miratur in primis S. Paulum, & præconio ſuæ laudis exornat, d *quod in* LABORE *& ærumna*, nocte & die non ceſſaret ab opere; ipſe vero inquit e *tam ſolicitus erat circa officium ſibi delegatum, ut nec nocte ceſſaret*, ut ad Theſſ. 2. habetur diſertè: *in* LABORE, ET DEFATIGATIONE, *nocte & die operantes.*

Catalogum bene longum ipſe contexit, quomodo in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, vitam denique in LABORIBUS PLURIMIS traduxerit. Adeo ut ſi qui in vinea Domini indefeſſi operarii unquam exſtiterint, ſi qui Herculeos labores invicta animi conſtantiâ exantlarint, unus Paulus multis paraſangis præcelluerit. Quod niſi luce meridiana clarius fuiſſet, ac palam omnibus innotuiſſet, de ſe minimè gloriatus fuiſſet: f *abundantius omnibus laboravi*: quæ verba D. Hieronymus expendens, ait: *noviſſimus in ordine, primus in meritis; quia extremus licet, plus omnibus laboravit.* Nunc vero ſi de quo nobis hodierna luce ſermo eſt D. Lucam in omnibus Paulo ſocium, ac aſſiduum Coadjutorem ſeſe præbuiſſe oſtendero, nonne eum cum Paulo, merito gloriari poſſe exiſtimatis, hoc ſplendidiſſimo elogio: *abundantius illis omnibus laboravi?*

a Hier. r. epiſt. 2. b S. Hilar. in Pſal. 119. c Præfat. 6. decretal.

d 2 Corint. 11. e Ambroſ. 1. Cor. 5. f 1 Cor. 15.

§. I.

D. Lucas ab Ezechiele sub BOVIS *specie visus, quia abundantius omnibus* LABORAVIT.

VIvum hominis strenui, ac operarii indefessi symbolum, gentiles olim *a* bovem esse dictitarunt: animal *b natum tolerare* LABOREM: quod quam apte Euangelistæ nostro congruat, testatur Petrus *c* Damiani Cardinalis: Lucas inquit, bos, *quia sacræ linguæ vomere, cordis nostri arva prosulcat, eaque Euangelici seminis jactu, vitali fruge fœcundat.* Boves Prisca lingua Italica nonnulli volunt *Lucas* appellatos, ex illo *d* Plinii: *Elephantes Italia primum vidit, Pyrrhi Regis bello: & boves* LUCAS *appellarunt.* Alii ex *e* Varrone, Lucam à luce dictum volunt, quia boves Lucas appellavit, *quod in clypeis picti longè relucerent.* Et Paulus interprete Origene, in Epist. ad Romanos, *f* Lucam *Lucium* cognominavit, quem & nos nunc cælo insertum, lucidissimum admiramur.

Pulchre Metaphrastes, quam bos illustris exstiterit, ex operibus præclarissimis ostendit: *Lucas prædicatione* ILLUSTRIS, *despicit cognationem, despicit & naturæ viscera, abjicit pecunias, possessiones, omnemque substantiam: ita ut nemo adeo facile pulverem, ac manuum sordes abjiceret: despectis cunctis inferioribus, superna velociter amplectitur.* Quam strenuus bos Lucas fuerit, non multis verbis, sed LABORIBUS *g plurimis*, commonstravit Lysander, invictissimus dux Lacedæmoniorum, illud non raro usurpare solitus: bovem sibi ruri esse, quo etiam tacente, dum labores attenderet, de strenuitate nullus dubitaret. Haud aliter Doctor gentium, Luca seu bove obmutescente, satis eum commendavit, ubi velut eodem secum jugo colligatum, & continuum laborum suorum socium deprædicavit, dicens: h *misimus cum illo fratrem, cujus laus est in Euangelio, qui & Comes peregrinationis nostræ.* *i* S. Hieronymus: *Lucas Medicus Antiochensis, sectator Pauli, & omnis peregrinationis ejus Comes.* Vincentius * divinus orator docet *S. Lucam 37. annis* LABORASSE *cum Paulo inter infideles.* Ex quibus recte conficit Ribadinera: *l* certum esse, S. „ Lucam Pauli comitem fuisse „ in suis ærumnis, afflictionibus, „ & peregrinationibus; partici- „ pemque fuisse omnium molestiarum, & persecutionum, quas Paulus pertulit, dum terrarum orbem obiret: atque ex hac indissolubili per omnia societate, Lucam sibi *Charissimum* compellavit, cujus verbi efficaciam, prudenter expendit, & potenter exponit *m* Ambrosius: *Vere*, inquit, CHARISSIMUS *Paulo fuit Lucas: quia omnia postponens, semper Apostolum secutus est.* Un-

a Pierius. l. 3. b Ovid. l. 13. Metam. c B. Pet. Dami festo S Lucæ. d Plin. l. 8. c. 6. e Varro l. 6. f De Paz præfat. in Luc.

g Apophth. Lycosten. h 2. Corinth. 8. i Hieron. de scrip. Eccl. * S. Vincent. festo S Lucæ. l Ribad. in vita 18. Octob. m Amb. in illud Lucæ 10. exiit qui seminat.

de

de non immerito Mendosa *a* noster, Regius ac egregius interpres: unus, inquit Lucas, multis operariis, & Ecclesiæ agricolis antecelluit: poteſtque jure illud Pauli (cujus individuus ſocius fuit) uſurpare: *abundantius omnibus* LABORAVI.

Nec ſolum ipſe laborat, meſſis Euangelicæ operator eximius, ſed & aliis, verbi Dei præconibus laborantibus, uberrimam ipſe materiam ſuppeditat. Denique quid mirum, ſi pro innumeris laboraſſe dicatur, qui adeò indefeſſus, & aliis deficientibus, nunquam ille laſſus è meſſe ſe receperit; ſocium ejus Paulum audiamus 2. Timoth 4. *Demas me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit in Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum* SOLUS; in hujus unius humeros, jam omnium aliorum onus, & labor recumbebat: unus ipſe Paulo conſtanter affixus; aureè *b* Chryſoſtomus: *Lucas quippe diſtrahi, avellique non poterat, patientiſſimus* LABORIS. Paulo vincto, biennio adhæſit, laborans uſque ad vincula.

Operarios in vinea Domini; quamtumvis ſtrenuos & indefeſſos vobis proponite, & certo comperietis, Euangeliſtam illud merito uſurpare poſſe: *abundantius illis omnibus* LABORAVI. Audiſtis quandoq; Joanni Nunnio ex illuſtri Guſmanorum ſtirpe, de vocatione anxio, *c* Dei matrem ſeſe manifeſta viſione ſpectandam exhibuiſſe, eumque benigne his verbis compellaſſe: *Vis ſervire filio meo uſque ad* DEFATIGATIONEM? Serviit ille, innumerique alii, in laboribus plurimis *uſque ad defatigationem. d* P. Didacus Caravallius in Japonia, hominem ægrum, ac mortis minimè ſecurum ut expiaret, ſeptem dierum iter difficillimum, ac latronibus & inſidiatoribus infeſtiſſimum eſt ingreſſus. Sed quid hæc ad Euangeliſtam noſtrum, qui pennis inſtructus, Italiam, Africam colluſtravit? *e* in Ægyptum ſuperiorem, inferioremque Thebaidem penetravit, ubi ſterile illud deſertum, deſtructis Idolorum aris excoluit: & non unum, ſed innumeros paganos expiavit. *f* P. Alphonſum Barzanam, Peruvii vulgo Apoſtolum ſuum nominant, eoque geſſit quæ cum magnis Apoſtolis conferendum probant; à Beato Franciſco Borgia in Peruvium regnum miſſus, magnam ætatis partem in Tucumania, & Paraquaria tranſegit, & plurimos mortales Apoſtolica prædicatione Chriſto lucrifecit: undecim omnino gentium linguas percalluit, quarum beneficio diverſis nationibus per 23. annos, omnibus periculis, laboribus, & ſudoribus poſthabitis, Euangélium prædicavit; Itinera ad defatigationem confecit: ſæpe cum aliter non poſſet, impoſitus in ſedem aut feretrum potius, quaſi efferretur mortuus, ſuccollantibus aliis, multa loca circumiit, egregius venator animarum. Sæpe divinitus ad longa ſpatia breviſſimo

a P. Eſcobar Mendoſa tom. 4. in Euang. l. 8. c. 10. obſer. 3. pag, 287.
b Chryſoſt. c Imago 1. ſæculi d'Outerman in vita.

d P. Rho. Varia virt. hiſt. l. 1. c. 3. e Ribad.
f P. Alegamb Bibliotheca ſcript. ſoci.

tem-

tempore transferebatur, ut opem adferret mortalibus: constat eum horis undecim aliquando decurrisse iter octidui. Cæterum pedes semper instituebat expeditiones suas, omni aëris inclementiâ contempta; crebro quinos senosve dies sine cibo extraxit, sola Eucharistia pastus; hunc tamen adeo strenuum in vinea Domini, Euangelicus bos noster nimium quantum superavit! cujus tamen vestigia proxime pressit Gaspar Barzeus, qui ut Goam appulit, à Xaverio magno Indiarum *a* Apostolo, Armuziam deploratissimum omnium vitiorum emporium missus, Augiæ illud stabulum expurgavit, Mahumetanorum ora conclusit, Coranum celeberrimum ipsorum delubrium obstruxit, reliqua fana expiavit, Judæos repressit, gentilium capita, expugnavit, Japonios, Sinas, Æthiopes, Abissinos, Scythas, gentes omnes ubi spes aliqua blandiretur fructus, animo erat complexus. Vir fuit Gaspar LABORIOSUS AD MIRACULUM, unus ipse agebat, sub quæ *decem gnavi operarii* succumberent; tandem in ipsa quam habebat ferventissima Concione, repentina animi defectione, ut Christi militem decet, prope stans, pugnansque concidit verum his *omnibus* S. Lucas *abundantius laboravit.*

a In Bibliotheca, script. soci.

§. 2.

Bonorum LABORUM, *gloriosus est fructus.* Sap. 3.

FRuctum laborum scitè expressit, qui bovis cornu, fructibus ac floribus oppletum (quod Cornu Copiæ vocant) depingi curavit, subjecto lemmate: b *prædivite cornu.* Cornu enim bovis, vivum laboris symbolum est, è quo non modo fructus uberrimus in hac vita bonorum temporalium respondet, sed & insuper flores exsurgunt ad coronam gloriæ immarcessibilem contexendam in cælis. Ovidius inter labores Herculis, non minimum commendat, quo luctantem cum Tauro; & validâ vi, cornu infringentem inducit.

> c *Rigidum fera dextera cornu*
> *Dum tenet, infregit, truncâque à fronte revellit.*
> Et ut fructum agnoscas laborum.
> *Najades hoc pomis, & odoro flore repletum*
> *Sacrarunt; divesque meo bona copia cornu est.*

Quam uberem vero laborem suorum fructuum fortissimus bos collegerit, & quam *prædivite cornu* D. Lucas exultare queat, ex illo Sapientis eruamus. Prov. 14. *Ubi non sunt* BOVES, *præsepe vacuum est: ubi autem plurima*

b Ovid. lib. 9. Metam. c Ovid. l. 9. metam.

sunt

sunt segetes , ibi manifesta est fortitudo BOVIS; quæ Magnus *a* Gregorius acutè exponens, ait: *Gratias omnipotenti Deo solvimus, quia impletum videmus quod scriptum est: ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo* BOVIS: *si enim* BOS FORTIS *aratrum linguæ, in corda audientium non transfixisset, tanta fidelium seges minime surrexisset.* Apposite *b* Lyranus: *de sancto Luca,* ait, *potest exponi, quod scriptum est: ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo* BOVIS.

Nolim hic exaggerare, quantum labor is sit bono publico scribere, & qui plus cæteris in reducendis ad ovile Christi perditis ovibus laboravit, plus omnibus & Apostolis & Euangelistis, litterarum exarasse, nam ut August. ep. 130. *Alii non scripserunt, alii nec tantum, nec tanta gratia scripserunt.* Addit B. Petrus Damiani, festo S. Lucæ: *Scripsit Lucas Apostolorum libros, & actus quibus ipse* COLLABORATOR *interfuit;* quo vero fructu, subdit Idem Lyranus: *c in Euangelio Lucæ continentur segetes plurimæ, videlicet Domini Iesu verba, quæ sunt animarum pabula. ergo ibi manifesta est fortitudo* BOVIS. Atque omnis qui per omnes sacros Ecclesiastes hisce scriptis, toto orbe usque ad consummationem sæculi fructus futurus est, unius Lucæ operibus tribuendus est; pro quibus non aliam mercedem spectavit, quam bos ille mutus Theologorum princeps Aquinas, pro summa laborum expetiit: *non aliam nempe, quam te Domine Iesu;* cujus postulationi congruit illud Aug. l. 22. de civit. c. 30. *præmium virtutis, erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo majus nihil possit esse, promisit.* Quis enarrare, aut mente complecti valeat, sudorem, molestias, curas, vigilias, lucubrationes, defatigationes, quas per orbem universum, mortales indies exantlare consueverunt? considerate omnes officinas, bene mane recludi, merces exponi: omnis generis operas, fossores, sutores, sartores, sculptores, textores; vietores, fullones, restiones, fabros insuper argentarios, cæmentarios, lignarios, ferrarios, ad quosvis maxime labores arduos se accingere: *considerate,* inquit vigilantissimus Antistes, d *quantum* LABORENT *omnes, nec sentiunt quod* LABORENT, ut quid hoc? quid eos tam promptè, alacriter, hilariter facit insudare? vilis & exilis spes lucri, merces brevis & levis:

e *Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor,*
Indocili numero, cum grave mollit opus.
Cantat & innitens limosæ pronus arenæ,
Adverso tardam qui trahit amne ratem.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis,
Fallitur Ancilla, decipiturque labor.

a S. Greg. in Regist. indict. 1 c. 30. b Lyran. in Pro. c 14. c Lyr. in Euang. Lucæ.

d August. in c. 16. Matth. serm. tom. 10. e Ovid. l. 4. trist. eleg. 1.

Spes

Spes præmii solatium est laboris, inquit a Augustinus : Denarius diurnus, *solatium est laboris :* merces operi tribuenda, *solatium est laboris* : lucrum quod exspectamus, *solatium est laboris* : Nihil tam durum, nihil tam arduum, quod fructus laboris non emolliat, non evincat. Philo (ut loquitur b Augustinus) vir liberaliter eruditissimus, unus eorum cujus eloquentiam Græci, Platoni æquare non dubitarunt; hic lib. de Abraham sapienter protulit : *Nunc pecuniæ causa scrutamur intima quæque, aperimus terræ venas duras & refractarias.* Ubi nullam adeo inaccessam, & repugnantem duritiem esse asserit, nullum laborem adeo improbum, quem non libenter insumant, si spes lucri affulgeat.

Studia mercatorum vobiscum expendite, quæ non anxietates, curæ, solicitudines, timores, rumores illos exagitant? quoties vel ipsi, vel merces eorum, ac fortunæ omnes periclitantur? *nec sentiunt quod* LABORANT, quia spes lucri *solatium est laboris*; huic toti immersi, toti absorpti, ut aliud plane omni tempore & loco cogitare non videantur : seu mensæ accumbant, seu cubitum concedant, seu strato assurgant, de eo diu, noctuque soliciti sunt.

Hoc argumento ad populum Antiochenum, usus quondam c Chrysost. *sicut mercator non sentit navigationis* LABOREM, *spe lucri excitatus : Et pugil generose fert corporis vulnera, coronam respiciens, ita & nos cælestia intuentes bona, quæcunque inferantur gravia, generose feremus bona futurorum spe roborati.* Eosdem stimulos, idem calcar suis subdendum duxit Carolus, sacri Romani Imp. Princeps, Comes Mansfeldius, mars Hungariæ, Turcarum terror, quem nec Mars alter sed mors generosa è medio sustulit. Hic pro gentilitia tesserâ sibi delegit geminum d *cornu copiæ*, Acheloi, & Amaltheæ, quo Christianos ad militares labores, multabat, propositis uberrimis laborum fructibus, terrestribus per Acheloi, cælestibus, per Amaltheæ cornu, cum hac Epigraphe: *Pretium non vile* LABORUM

Quam arduum est, Juvenem nobili loco natum, patrios lares, parentes, propinquos, omnia vitæ commoda deserere, & castra sequi? Vigilias, frigus, æstum, famem, sitim, extremam quandoque inediam tolerare; e Augustinus eorum per omnem vitam miserias prosequitur : *Veterani homines, qui in militia* LABORANT, *& versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à juventute : quanta dura tolerant? quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula?* vitam omni monasticâ longe duriorem ducunt, & quorsum hæc omnia? *quis igitur finis*, quærit f Bernardus, FRUCTUSQUE, *sæcularis hujus non dico militiæ, sed malitiæ?* Hæc omnia gregarius miles intrepide aggreditur, ut panem victalitium, ut stipendium mereatur : Alii, ut signiferi, Centurionis,

a Aug. epist. 14. b Aug. lib. 12. contra Faustum. c Chrysost. hom. 16. ad pop.

d Typotii symb. tom 2. p. 95. e Aug. in Psal. 30. Conc. 2. f Bern. ad milites templi. Conc. 2.

titulos, ut mercedem suâ bellicâ virtute dignam recipiant. Hæc illis animos addit, & in vulnera, & mortem agit. Tiberium munificentissimum æque ac sagacissimum fuisse certum est, in devinciendis sibi militum animis, ostentatione præmiorum, quod maximo cum acumine explicatum lego his verbis: a *reverentia præmii, morienti alacritatem ab illis emens.* Perbelle sanè emisse dicitur Tiberius à militibus suis, opulentâ & peramplâ præmiorum pollicitatione, moriendi alacritatem. Spes præmii vel per somnium oblati, *b* Assassinorum parvulos ad contemnendam atrocissimam mortem adegit: sui regis imperio, in cujuscuncque Principis aulam, & conclave, in Imperatoris prætoris prætorium, sese penetrare, & designatum à Rege suo caput obtruncare minime dubitabant, etsi nullum effugio locum viderent. Ad eam Rex alacritatem, sic excitarat: quos deprehenderat consiliis suis idoneos, propinato quodam poculo, sic alto somno obruebat, ut nihil sentientes in amœnissimum quoddam palatium deferri juberet, ac deponi: Expergefactis proponebattur omnis generis delitiæ, quas omnium suavissimas arbitraretur, quicuncque solius corporis voluptates nosset; quibus ita degustatis cum eodem quo pridie medicamento sopiti essent, in eum quo reperti fuerant, locum referebantur. Evigilantibus Rex persuadebat in cælum abductos, delicias illas præcepisse, quibus æternum fruerentur, si morte etiam contempta, sibi obtemperare auderent. Atque hac inani ac umbratili cælestis paradisi imagine ludificabat, & ad ardua quæque impellebat. Servire gratis natura horremus omnes; cum vero nobilissima merces in oculis est, hic celeres manus, hic prompti pedes, hic labor & obsequium præsto sunt. Pastoritius juvenis David, cum audisset Philisthæum Gigantem omnibus esse terrori, nec illum reperiri, qui pedem cum illo conferre auderet, sagaciter quæsivit: c *quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc?* responderunt passim omnes: *virum qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei.* Hæc tanta merces victori sponsa, Jessæum juvenem animavit, hæc pugnare, hæc vincere fecit. Vita hominis *d* Jobo teste, *militia est*, hanc Philisthæus ab orco nunquam finit tranquillam, in horas penè singulas luctandum. Nos hic non immeri o quærimus: *quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc?* omnes ex alto cælites respondent: vir *qui percusserit* eum, omnibus thesauris cælestibus potietur, omnibus cæli voluptatibus perfruetur, beatus ter quaterque, sexcenties millies, omnibus sensibus, potentiis, facultatibus, corpore & animo beatissimus, Rex Regum supremam filiam dabit ei, vitam immortalem, æternam, bonis omnibus affluentem. Hæc illa filia formosissima, dos filiæ bonorum omnium

a Simocatta. l. 3. c. 12. b Paulus Venetus hist. Ind. Orien l. 3. c 28.

c 1 Reg. 17. d Job. 7.

quæ optari & plurimum quam optari possint, affluentia. Quid mirum si David in hanc intendens, nihil sibi arduum duxerit, pro hac sponsa cælesti? *inclinavit*, inquit, a *Cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter* RETRIBUTIONEM. Cor meum O Deus! instar libræ, quæ duas habet lances, in quarum vnam si præmium æternū, voluptates illas immensas, bonum infinitum collocaro, lanx altera quæ vitæ hujus ærumnas, & molestias continet, velut pauculis plumis injectis, ilico subsiliet; altera vere inclinabitur. Quare *inclino cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter* RETRIBUTIONEM. HugoCard. b *scilicet æternam, non propter temporalem, quæ facit mercenariam.* Eodem divini amoris æstu inflammatus, dicat mercator: *inclinavi cor meum* ad servandum justum pretium, justam libram, vlnam, mensuram, nil ultra sortem exigendo, nil adulterinæ mercis admiscendo, *propter* RETRIBUTIONEM *scilicet æternā*: dicat causidicus, legis peritus, consiliarius, Iudex *inclinavi cor meum*, ut jus pupillorū, & viduarū tuear, ut manus servem innoxias à corruptela, *propter* RETRIBUTIONEM, *scilicet æternam*: dicat omnis Christianus: *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, ad servanda mandata tua, & Ecclesiæ præcepta, *propter* RETRIBUTIONEM: *quia* c *in custodiēdis illis*, RETRIBUTIO MULTA: Dicat Religiosus, *inclinavi cor meum* ad servanda quibus me obstrinxi, vota, & leges monasticas, *propter* RETRIBUTIONEM: Dicat frater laicus, *inclinavi cor meum* ad omnia quantumvis abjecta, quantumvis ardua, & permolesta Religionis officia, *propter* RETRIBUTIONEM, *scilicet æternam, non temporalem*, quæ mercenariū facit. Quod ipsis cælitibus, quam gratum accidat, divini favoris argumēta subinde manifestarunt: dum fratris nostri cæmentarij manus, à morte P. d Petrus Scarga, multo splendidiores animadvertit: cumque nostræ Societatis alter coadjutor Alphonsus Rodriquez præ senio non posset junioris gressus & passus adæquare, ac ideo præ debilitate in monticulo quodam consedisset, ejus frontem præ defatigatione pedestris itineris sudantem, Beatissima Virgo candidissimo linteo absterſit, quæ prolixius Lancicius opusculo spirit. XV. c. 6. prosequitur. Agricola in sudore vultus sui arat, serit, occat, non sine defatigatione, tædio longioris, & toties repetiti laboris. Quæ molesta quāquam & aspera revera sint; levia tamen, atque adeò jucunda, futuræ messis spes facit; ut laborem omnem cælique injurias, agricola perferat cum lætitia & cantu, non multo aliter quam in delicijs & opiparis dapibus.

Sapienti consilio e Persas (cum adhuc Medorum servitute premerentur,) ad rem maxime arduam aggrediendam, Cyrus excitasse fertur: Persepolim urbem ingressus, cōvocato populo, jubet omnes securibus præsto esse, & silvam viæ proximam excidere.

a Psal. 118. b Hugo Card. in Psal. 118. c Psal. 18.

d Lancic. opusc. xv. cap. 6. e Iustin. l. 1. hist.

cum

cum strenue effecissent, eosdem postera die, ludis, lautisque conviviis recreavit, cumque jam inter pocula alacriores cerneret, rogat ut cum conditio proponatur, utrius vitæ sortem legant si Medis parere pergerent, duram servitutem quoad viverent toleraturos: in libertatem sese vindicare si mallent, lautiorem quã cœpissent degustare, vitam perpetuam fore. Ingeniosum plane commentum, opipari memoria convivii, omnes laboriosæ vitæ levare angores: omnem opportuna suavissimæ mensæ dulcedine, condire vitæ durioris asperitatem. Exiguæ illius spe mercedis, filij huius sæculi laborant, ac desudant: noctes & dies opifices occupantur, vt die festo, aut Dominico, liberalius sese ingurgitent.

Nos filios lucis, quid agere convenit? quibus, vt Isaias *a* loquitur: *faciet Dominus Exercituũ convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum.* Vbi videtur alludere Propheta, ad convivium vindemiale, quod solet exhiberi vindemiatoribus post labores vindemiæ; estq; typus convivij cælestis, in quo faciet operarios suos b *discumbere*, & omni bonorum affluentia saturabit eos. Quare aliam longe sublimiorem, super omnia terrena mercedem D. Lucas spectavit, & nos exspectare docuit. Etenim vti Isaias *c* dixit: *Cognovit* BOS *possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Solertissimus S S. literarum interpres, pulcherrimam inter bovẽ, & asinum differentiam annotavit: quod ille cognoscat *possessorem suum*, *d* sed Asinus non Dominum, *sed præsepe Domini sui*; per quem, inquit, optime figurãtur, qui ob lucrũ temporale Domino inservierint; per bovẽ vero, qui Deo suo fideliter serviunt, ut eum pro mercede summa aliquando possidere possint. Quid mirum si justi, si viri Religiosi, Apostolici, nullos labores subterfugiant, usque ad defatigationem desudent, ad sudorem & sanguinem decertent, quibus merces copiosa; merces magna nimis promissa est in cælis?

Iob Hussæus Princeps, omnibus fortunæ telis impetitus, variis morborum cruciatibus afflictus, innumeris Satanæ injuriis divexatus, adamantinum, ut Chrysostomus loquitur, in omnibus animum servans, hoc uno contra omnia solatii clypeo usus; *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, reposita est hæc* SPES *in sinu meo.* Alludere videtur ad matrem viduam quæ in amaritudine est, & innumeros suos luctus, ac dolores, unica quàm in sinu gestat prole (in qua omnis spes familiæ & domus inclinata recumbit) solatur, atque ab ea unicum suum in omnibus adversis lenimentum mutuatur. Sic Dominus addidit animos Abrahæ, dum eum terram & cognationem suam deserere mandavit, paucis his verbis, sed solatio plenis: *e* *ero merces tua magna nimis*; si hac diuturnà bellorum tempestate, terræ & fundi, si

a Isa. 25. b Luc. 9. c Isa. 1.

d Aresius festo S. Lucæ. e Gen 15.

prædia & villas ab hoste erepta: si filii aut filiæ, si uxor aut propinqui morte sublati, noris illum non auferri, quid dixit: *Ero merces tua magna nimis.*

Moyses huc animos, oculosque intendens, honoribus nuntium remisit, atque improperium delegit: a *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.*

Quod si & tibi contingat notam inuri, innocenter accusari, potenter humiliari, improperium Christi tolerare, adspicias *in remunerationem.* Paulus inter omnes labores & ærumnas, præ oculis semper coronam justitiæ habebat, *quam reddet*, inquit, *mihi in illa die justus judex, atque hoc* REMUNERATIONIS LINTEO *b* (eleganti usus metaphora Gregorius) *laborum suorum sudores, Paulus detergebat*, omnium persecutionum molestias *detergebat*, omnium dolorum lachrymas *detergebat*, omnium tormentorum sanguinem *detergebat.* Hoc remunerationis linteo D. Lucas laborum, dolorum, tormentorum suorum sudorem & sanguinem detersit.

Quatuor illa mystica animalia Ezechieli objecta, viros illos Euangelicos Zelo Dei plenos, ad omnia onera, & quosvis labores obeundos designabant; c *sed & similitudo super capita animalium firmamenti.* Sanctius hic, *divinam gloriam sese objecisse* asserit, qua mercede sibi proposita, jam velut alis instructi ad omnem Dei nutum perniciter volitabant. Præ cæteris autem Lucas sub *bovis* symbolo, laboriosissimam Provinciam sortitus, fructu animorum uberrimo in terris, & gloriæ in cœlis *quasi remunerationis linteo, sudorem detersit*; quod si spes messis alat agricolas, & hoc velut linteo omnes molestias detergant, quid ni Sacer Euangelista noster hoc usus est de quo

Alevinus: *Velut cœlestis Agricola Lucas, semina Doctrinæ Euangelii innumeralibus mentibus hominum serens, ac vomere suæ insignis linguæ nuntiandæ sulcans, ad Creatoris sui fidem eos convertit*; labore magno & sudore multo, sed REMUNERATIONIS LINTEO, *laborum suorum sudores* detersit. Hoc linteo omnes adversitates, omnes calumnias, omnes cruciatus detersit; quo ut & nos, quidquid adversi, quidquid injuriæ, quidquid maledicentiæ inferri potest, abstergamus, merces in oculis habenda est. Novimus è cœli curiâ non raro ad *d* S. Aldegundem delegatos, qui eam inter adversa quæque, futurorum gaudiorum commemoratione animarent; è gravissimis verò quæ robustam etiam virtutem quatiunt, calumnia censetur: hac Aldegundis cum turpiter notaretur, seque maledictis proscindi, & innocenter traduci à malevolis audiret, *quæ est humana fragilia*

a Heb. 11. b Greg. l. 8. mor. c. 7.
c Ezech. cap. 1.

d Surius in vita 30. Jan.

gilitatis conditio, aliquantulum cruciari cœpit. Cui mox in mediis fluctibus Angelus adfuit, & suavibus eam verbis demulcens: quid, inquit, O Virgo dulcissima, malevolorum hominum invidia te conturbat, cum tibi cœlestis Regni gloria, illis vero, nisi resipiscant, æternæ gehennæ supplicium paratum sit? Talibus illa recreata sermonibus, nihil deinceps obloquentium vanitates faciendas putavit; sed constanter obniti, atque obluctari per omnem vitam statuit. a *Dices forsan*; *grandis labor, semper se mortificare, & cogere voluntatem*; *sed respice, quod promissum est: omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur, & spes præmii*, SOLATIUM EST LABORIS. Dicet quis vestrum; *grandis labor*, imo impossibile, inveteratam multorum annorum, potandi, fornicandi, jurandi consuetudinem vincere, & cogere voluntatem; sed attende quid breve lucrum, ac temporaneum pretium, in milite perverso potuerit, & ex eo quid in te immensum ac æternum gloriæ præmium efficere debeat, cognosces. *b* Miles ante urbem Ostendanam ita perjuriis ac blasphemiis assuê-rat, ut ad singula verba unum diabolum infarciret; sæpe monitus, respondit: adeò consuetudinem illam roboratam, ut si videret Tartarum præ oculis apertum, desistere nequiret. Ad extremam penuriam, & inopiam redactus, petiit eleemosynam ab uno è Patribus nostris castrensibus, qui solitus stipem pro militibus erogare. Aureum illi pater adpromittit se daturum, si per horam se sequatur, castra ac militum stationes lustrando, citra ullum juramentum. Acceptat conditionem, dum per transennam à sociis varie lacessitur, irritatur sacerdos, præit, aureum illi ad hos insultus ostentans. Res mira, solus conspectus, & spes aurei, tantum in barbaro milite valuit, ut consuetudinem omnino superarit. Hoc pacto P. Scribanus cum auriga convenerat, duplum persolveret, si citra juramentum se deveheret. Hac praxi parentes etjam indulgentiores, liberos mentiri, jurare, lascivos sermones proferre dedoceant, aliosque somnolentos, ac pigros, præmio proposito excitare studeant.

a S. Aug. epist. 14. b Pennequin Amori divin. p. 3. c. 17 § 3.

Cum P. Gonsalvus *c* petiisset à S. P. N. Ignatio, num liceret adolescentulos in Societatem receptos, præmiolis ad studendum allicere; omnino, inquit, id sibi placere: ut sicut catelli dominorum, etiam hac ratione excitarentur munusculis, ad studia literarum majori conatu peragenda; sic enim & milites animantur ad prælium. *d* Marses Dux militiæ sub Justino II. Imp. (ut refert Paulus Diaconus apud Baronium a. *566*.) agens Neapoli in Campania, ut Lonbardos è Regionis suæ squallore, & pauperrimo rure, ad fertilissimos Italiæ campos cum armis invadendos evocaret, nuntium præmisit, qui lectissima Italiæ poma, aliarumque frugum species eis offerret. Quarum specie

c Lancicius opusc. 12. cap. 6. pag. 116. d Baron. a. 566

delectati Longob., & ex iis opimam terræ fœcunditatem conjicientes, magno statim & horribili exercitu, nullis parcentes laboribus, Italiam invaserunt. Alia profecto nos poma, non computrescentia, alii fructus manent, qui hic contra omnia adversa decertarint: a *Dices forsan, grandis labor* est calumniam revocare, famam, fortunas alienas restituere? *sed respice quod promissum est, omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur.* Nihil in præceptis Domini adeo arduum videatur quod merces promissa in cœlis non evincat; dicamus cum Propheta ps. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter* RETRIBUTIONEM. Aliam vero, nec minimam difficultatem, alibi objicit; quam præmio etiam proposito, facile exsuperandam docet sermone 5. de Sancto Stephano: *Sed dicet aliquis, grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres, non parvus quidem labor est in hoc sæculo, sed grande erit* PRÆMIUM *in futuro.* Quod vero & quantum hoc præmium, & merces futura sit, exponit: *per amorem hominis inimici, efficieris non solum amicus Dei, sed etiam filius.* Ut Matth. 5. dicitur. Tum pergit: *Si te aliquis homo dives in hoc sæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servires, quas ei dignitates impenderes? servitia durissima, & turpissima sustineres convitia, ut ad caducam & fragilem hæreditatem ipsius pervenires; quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam: convincimus enim certa ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus injuriam sustinere.* Dices forsan, *grandis labor est*, mundo spreto, parentibus, propinquis, divitiis, deliciis omnibus exutum, intra Religionis septa sese abdere. Solent hic homines sæculares, nobiles, teneros adolescentes & adolescentulas, sub austerissimæ monasticæ disciplinæ jugo sese mancipantes, miseros & infelices dicere, usque compati: ignari prorsus omnem illis rigorem, dulcem ac suavem reddi, dum promissum centuplum oculis, animoque obversatur. Vbi non me sed melleum, ferventium Monachorum Archimandritam, qui expertus *b* loquitur, audite: *Omnis qui reliquerit patrem* &c. CENTUPLUM ACCIPIET &c. *hæc sunt*, inquit, *verba quæ contemptum Mundi in universo mundo, & voluntariam hominibus persuasere paupertatem. Hæc sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, & optima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus & efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis*, PROMISSIONE FIDELI. Quam ob rem cum & tanta merces promittatur, & is qui promittit nec fallere, nec oblivisci etiam promissum posse, quid mirum divitum, nobilium, Principum, Regum filios, ac filias, hoc brevi vitæ spatio sese sæculi voluptatibus subduxisse, ut centupla, quin imo infinita voluptate, in æternum potiantur? testem hic unum adduxisse sufficiat, rem ita se habere. Ai-

a Aug. cit.

b Bern. serm. Ecce nos reliquimus omnia.

mi-

[illegible]nulphus *a* nobilissimus ac ditissimus, cum inter omnes delicias, vitam eg[illegible]sset D. Bernardi concionibus impulsus, monasticam disciplinam in Claravallensi cœnobio professus est: in quo tam paupere & rigido instituto, cum [illegible] super aliquando viscerum doloribus, gravissime cruciatus, d[illegible] exanimis, mutusque jacuisset, ut ad se rediit, in eam vocem erupit: *Vera sunt omnia, quæ dixisti Domine Jesu*; quod cum [illegible] iteraret, omnes qui ade[illegible] stupentes, percunctabantur q[illegible]modo haberet? ille autem nihil aliud respondebat, quam illud idem: *vera sunt Domine, quæ dixisti.* Quare nonnullis suspicantibus, eum præ dolore, mentis impotem, aliena loqui: Ego vero ait ipse integra mente hæc protuli, quoniam Dominus testatus est, qui reliquerit Patrem, aut Matrem &c. *Centuplum* se ei daturum, id quod ego nunc reipsa experior. Etenim hæc ipsa tam ingentis cruciatus acerbitas, adeo mihi dulcis est, propter spem divinæ remunerationis, quam in ea repositam sentio, ut hac molestia caruisse me nolim, non modo pro illis quas reliqui opibus, sed centuplo etiam amplioribus. Quod ipsum Divus Hieronymus *b* in Sancto Hilarione deprædicat, dicens: *Nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis acquiritur.* Homines [illegible] sæculares, homines carnales illa non capiunt, illa non sapiunt, quia non credunt, non fidunt huic centuplæ mercedi. Hoc enim illud est, quod Ægidius ille, ut accepimus, *c* ex primis Beati Francisci sociis, eique imprimis carus ob excellentem sanctitatem, sæculari cuidam literato exprobravit aliquando, à quo cum quæsisset: *credisne magna esse præmia, quæ Deus præparavit diligentibus se, & servientibus sibi?* isque respondisset credo. Atqui ego, inquit, ostendam te non credere; quantum valent possessiones tuæ? mille ait ille aureos: si hos ergo ita collocare posses ut subito centum mille conficerent, nonne statim eos exponeres? ergo cum non exponas, manifestè apparet, te fidem non habere Christi promisso. Quo argumento complures etiamnum se convictos fateantur, necesse est.

Alia certe efficaciori ac potentiori exhortatione ipse Seraphicus Pater usus non est, qua tirones suos sub onere fatiscentes animaret, quam hac: *Fratres magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis: Et quænam porro hæc*, subdit: *Tanta est gloria quæ me exspectat, ut omnis pœna me delectet*; omnis tribulatio, mortificatio omnis. Hac sola spe roboratus beatissimus Euangelista, mortificationem Christi, cum Apostolo semper portavit, ut de illo, quasi longo Martyrio excarnificato, Ecclesia: *Interveniat pro nobis quæsumus Domine Sanctus tuus Lucas Euangelista, qui Crucis mortificationem jugiter in suo corpore, pro tui nominis honore portavit.*

a Platus de bono statu s Relig. l. 3. c. 13. b Hieron. in vita S. Hilar.

d Platus l. 3 cap. 38.

Audiamus hic Justinianum, & ab illo juris fonte, pulcherrimum dictum, ad illustrandum orationem derivemus, qui serm. 1. de Sancto Luca sic ait: a *Tribulationibus multis exercitatus, non fractus, carnis mortificatione pro gloria Domini, Martyrii adeptus est palmam.* Bos ille gratissima Deo victima, & hostia pacifica occubuit; ubi illud potissimum mirandum, & deprædicandum occurrit, illum maxime glorioso ac victorioso Martyrii instrumento, mortem subiisse: de quo Nicephorus lib. 2. cap. 34. *Lucas à divini verbi contemptoribus, ex fructifera oleæ arbore suspensus, Deo Spiritum commendavit.* Hinc credo Seraphicus Doctor ait: b *Bona arbor Lucas fuit, quia bonos fructus portavit.*

Denique ne hic longior sim, pudeat nos ea detrectare pro mercede æterna, quæ gentiles pro temporali subiere, ea subterfugere proposita immortali gloria, quæ ipsi pro fluxâ ac peritura avide complexi sunt. Romanus Philosophus plurimum commendat paupertatem Fabritii, exilium Vitetii, tormenta Reguli, venenum, Socratis, mortem Catonis: quia viri illi alacri animo, pro inani quadam gloria, omnia illa pertulerunt; quam quidem umbratilem, & transeuntem gloriam, tanti faciebat idem Seneca, ut de illa diceret: *Nos non advocabimus patientiam, quos tantum* PRÆMIUM *exspectat?* Quod de fluxu ac futili apud mortales gloria gentilis, hoc nos Christiani, potiori jure de perenni, de incomprehensibili usurpare possumus: *Nos non advocabimus patientiam, quos tantum* PRÆMIUM *gloriæ æternæ exspectat?* Nos non advocabimus patientiam in paupertate, in morbo, in jactura bonorum, honoris perituri, *quos tantum* PRÆMIUM *exspectat?* nos non aspernabimus fœdas voluptates, ut cœlestibus fruamur? c *quis non contemnat dulcedinem seculi, inhians dulcedini vitæ æternæ.*

Concludo cum d M. Gregorio: igitur *si delectet mentem magnitudo* PRÆMIORUM, *non deterreat certamen* LABORUM; quia, ut Paulus ait, *unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum* LABOREM; ubi omnes monemur, ut & nos operariis, mercedem secundum laborem, non subtrahamus.

§. 3.

Non alligabis os BOVI *trituranti.* 1. Cor. 9.

Literali sensu, Cornelius hæc exponit: quia par est ut animalia laborantia comedant. Solebant autem in Palæstina, ut etjamnum in Canariis, & nonnullis Regionibus fit, per boves, qui circumacti, ungulis pedum suorum, segetes terebant, grana excutere unde, Poëta:

BOBUS*que triturant.*

a B. Laurent. Justin. ser. 1. de S. Luc.
b Bonav. ser. 1. de S. Luca.

c August. in Psal. 68. d Greg. hom. 37. in Evang.

Ve-

Verum enim vero dum benignissimus Dominus hoc olim Judæis Deuteron. 25. & Apostolus Corinthiis mandavit, aliud longe spectavit. *a* Tertullianus: *Bovi terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere submovendi antepræcepit, quia* DIGNUS OPERARIUS MERCEDE SUA. Quod manifesto patet in exemplis, quæ Doctor gentium ibidem loci adducit: b *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* quod, quid aliud docet, inquit Tertullianus: quam EX LABORE suo *unumquemque vivere oportere.* Unum mihi instar omnium hodierna luce, erit divi Lucæ testimonium, dicentis ac docentis: c *Dignus est* OPERARIUS MERCEDE *sua*, quæ verba Sanctus Vincentius hoc festo sibi pro themate exponenda desumpsit, nosque hic pluribus prosequemur, quam enormiter hoc corruptissimo sæculo peccetur à pluribus, qui operarios justa mercede, famulos, & ancillas debito stipendio defraudant: nec modo barbarum, sed ferum in morem dominari, inque eos sævire consueverunt.

Quatuor enumerantur gravissima orbis flagitia, quæ in cœlum clamare dicuntur, quod vindicis Dei manum, ac irati Numinis pœnas provocent: 1. Est homicidium innocentis voluntarium, de quo dixit Dominus ad Cain: e *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

2. Est peccatum Sodomiticum, de quo dixit Dominus Genes. 18. *Clamor Sodomorum multiplicatus est*: & Angeli illud execrantes, dixerunt ad Loth: e *Delebimus hunc locum eo quod increverit clamor eorum coram Domino.*

3. Est oppressio Pauperum, Viduarum, & Pupillorum, de quibus ait Dominus: Viduæ & pupillo non nocebitis, f *si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii pupilli.*

4. Denique, de quo in præsentiarum agimus, est merces operariorum defraudata. Hoc, clamore suo cœlos penetrare Apostolus testatur, dicens: g *Ecce merces operariorum, qui messuerunt Regiones vestras*, quæ fraudata *est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Quæ paucis Lorinus noster complexus:

> h *Clamitat in cælis vox sanguinis, & Sodomorum,*
> *Vox oppressorum, & merces detenta laborum.*

Vox sanguinis innocentis cœlos penetrat, & Numinis vindictam (ut in Caino vidimus) provocat, nec minus justus clamor est Mercenarii, cujus sanguinem tollis & vita privas, dum mercede defraudas; hoc æternæ

a Tertull. l. 4. in Mar. c. 21. b 1. Cor. 9. v. 7. d Luc. c. 10. e Gen. 19. 4

f Exodi 27. Jacobi cap. 5. vers 4. g Lorin. in cap. 5. Jacobi.

sapientiæ judicium est, hæc supremi judicis sententia: a *qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum: qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Nam qui fraudat operarium mercede sua, quantum in se est occidit eum, quia tollit ab eo victum quo suam, & suorum vitam sustentare debebat. Hinc subdit: *Panis egentium, vita pauperum est, & qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Quare hæc Juridice, ac Theologice, dilucidis tamen ad captum terminis, exponere conabor.

Dico primo. Sicut qui conducit domum in annum, debet solvere pensionem integram, si per conductorem stat, ne utatur domo, sic dicendum est de operario conducto ad laborandum: sic enim per ipsum non stet, sed per locatorem, qui opera non indiget, adhuc debetur ei merces, ut cum aliis docet *b* Lessius lib. 2. de Jure & Just. cap. 24. dub. 2. num. 1.

Unde Cardinalis de Lugo *c* eruditissimè hæc tractans, ait: non est ergo recedendum à communi Regula, quod conductor teneatur per se loquendo ad integram mercedem solvendam, quando per locatorem non stat, quod ejus opera utatur. Ut constat *ex L. sed addes §. cum quidam ff. locati* his verbis: *Cum quidam exceptor operas suas locasset, deinde is qui eas conduxerat, discessisset; Imperator Antoninus rescripsit ad libellum exceptoris in hæc verba: Cum per te non stetisse proponas, quo minus, locatas operas Antonio Aquilæ solveres, si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem contractus impleri æquum est.*

Ex his ad propositum, Eminentissimus Theologus primo concludit: quando Dominus sine justa causa famulum, vel ancillam, ante finitum tempus contractus expulit, debere totam mercedem solvere, nisi famulus alteri æque utiliter operam suam locavit: cum per famulum non steterit, quod Dominus ejus opera uti noluerit.

Qua in parte non raro, & Justitiæ, & charitatis leges violantur: dum famuli & ancillæ ob vitrum confractum, ob rem deperditam, citra ullam culpam, ab hero turbulento vel truculento ædibus deturbantur: quibus subinde magna cum inopia confligandum, nec habentes quo divertant, corpus & animam perdunt.

Similis incommodi ac jacturæ, illi quoque ansam præbent, qui justum stipendium, ac debitam mercedem, non negant, sed persolvere differunt iis, qui labores manuum suarum manducare debent, & sæpe sæpius non habent quo vitam sustentent.

Cœlestis ille Paterfamilias à quo vos divites ac potentes Domini, mercedem magnam exspectatis, hic vobis documen-

a Ecclesi. 34. v. 26. b Lessius. c Lugo de jure & Just. tom. 2. disp. 29. sect. 3. n. 55.

to sit, qui ait sub vesperum opere diurno persoluto : a *Voca operarios, & redde eis mercedem.*

Non dixit cras, vel postea, sed hoc ipso die, hoc vespere; ubi obiter notandum, operibus nostris Deum statim mercedem rependere, & animæ, gratiam conferre, qua æternam gloriam mereatur. Id ipsum jam olim in lege cautum erat, ubi sic Dominus: b *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*; sed eodem vespere; quo uxor, & liberi, velut pulli corvorum, escā expetunt. Vnde expressius c Deuteronom: *non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ; sed* EODEM DIE REDDES *ei pretium laboris sui* ANTE SOLIS OCCASUM, *quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam. Ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Hæc justissimi Tobiæ cura, & solicitudo, ac pia ad filium monita: d *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit*, STATIM *ei mercedem restitue, Merces Mercenarii tui, apud te non remaneat.*

Hugo Cardinalis in c. 5. Iacobi: *Merces clamat*: dicit *signanter (inquit) merces clamat, non mercenarius, quia aliquando contingit quod pauper læsus est, nec audet mutire præ timore divitis.* Quid adhæc feri ac ferrei Domini, qui per menses & annos differunt mercedem famulorum, & operariorum? dicent forte, libenter eos hanc moram tolerare; quis tibi hoc asseruit nihil inquit petunt, tacent, non queruntur; tacent quia te moleste ferre hujusmodi petitiones sciunt, tacent quia repulsam tuam non sine amaro scommate reformidant: Audiant hi detonantē e Chrysostomum: *Quando quis violentiam patitur à potente, etiamsi non sit ausus vociferari, sed latenter lachrymatur, tacitus clamor ejus in excelso auditur, quia non magnus clamor velociter auditur à Deo, sed justus.*

Dico 2. illam censeri justam famuli mercedem quæ attingit saltem infimum mercedis, quæ in eo loco talibus personis ad ea ministeria tribui solet: ut si alii famuli, ancillæ lucrentur passim 6. libras Flandricas annue, non censeatur justam mercedem persolvere, qui 4. duntaxat suis dederit. Sic quæri solet, quando operarius, vel famulus, nullum aliud pretium determinat, sed inservit Domino, remittens se ejus judicio & arbitrio, ad quam mercedem Dominus teneatur? respondetur teneri ad dandam justam mercedem, qualis communiter dari solet aliis, pro ejusmodi ministeriis.

Vbi solerter f Molina noster observat, defectum justæ mercedis, suppleri interdum à Dominis, procurando famulis officia, promotiones, nuptias, vel alia lucra, vel honores: qua spe ducti famuli minorem justo

a Matt. 20. b Levit. 19. c Deuteron. 24. v. 14. d Tobiæ 4.

e Chrysost. opere imperf hom. 2. in Ecclesia. 35 Lessius de jure l. 2. c. 24. d. 4 Lugo de Jure tom. 2. disp. 29. sect. 3. n. 62. f. Molina de Iure disp. 506. n. 2. & 3.

mercedem initio acceptarunt; At vero si his sepositis pressus necessitate operarius, aut servus, de parva mercede conveniat, *a* quia conductor nil amplius vult dare, tenetur locator ad justam mercedem, quia non sponte, sed ex necessitate operam suam tam vili pretio elocat: sicut si quis penuriâ oppressus rem magni pretii parvo vendat, tenetur conductor supplere mercedem ad æquivalentiam. Intelligendo si Paterfamilias illius operarii labore indigeat, non si gratis se offerat.

b Dico 3. in famulis & ancillis plus requiritur ut furtum grave sit, quam in extraneis: Domini enim sciunt, attenta fragilitate humana, non posse ita fideliter res domesticas administrari, quin aliquid adhæreat: sicut qui conducit operarios in vineam, supponit pro certo uvas ab iis comedendas ad saturitatem, nec potest hic certa Regula præscribi; sed ex prudenti judicio confessarii, liberalitas, vel tenacitas dominorum attendenda est. Sic Princeps liberalis Romæ dicere solebat, se contentum esse, si ex dolio vini, quod sibi uni reservarat, cellarius solus, & aliqua persona nimis ei conjuncta biberet. Hactenus Cardin. de Lugo, sed hæc & sequentia ne famulis ansa præbeatur, ad solos Dominos quandoque tractavi.

Accedit si famuli debitâ diligentiâ & curâ res Domini administrent, & citra eorum culpam res frangatur, aut deperdatur, ideo nil de mercede debita subtrahendum: cum nec tu ipse tua melius asservare valeas. Nec semel deprehensum, argenteum cochlear, aut nummum aureum deperditum, injuriæ, aut furto ancillæ imputari, quem herilis filius clam suffuratus fuerat. Quare quibus in casibus tacita compensatione uti possint, & quando excusentur famuli occulte recipientes res Dominii ratione compensationis, vide fusè apud Lugo de Jure tom. 1. disp. 16. sect. 4. num. 79. 83. &c. & sect. 5. Lessium de Jure. l. 2. c. 12. dub. 10. n. 63. & cap. 24. dub. 4. Dianam tom. 2. tract. 6. Resol. 16.

Nec minus barbarum est, famulos gravi ægritudine dejectos, omni humano auxilio, vel solatio corporis & animæ destituere: si quid melioris obsonii, aut potionis datum fuerit, pretium mercedi subducere. Ejusmodi Dominos acuto suo stilo Mediolanensis Præsul acriter perstringit, dicens: c *Sunt plerique qui magis canum, quam servorum curam gerunt, & faciunt eos juxta se vel recumbere vel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes: qui utrum servi sui fame moriantur, ignorant, & quod e gravius est, nisi his præparatum fuerit, pro cane servus affligitur.* d *Vides in nonnullorum domibus, nitidos & crassos canes discurrere; homines autem pallentes & titubantes incedere.*

a Lessius de Jure l. 2. cap. 12. dub 10.
b V. Navar. in manuali cap. 18. n. 109. Lugo tom. 1, disp. 16. sect. 4. §. 2. p. 433. V. S. Tho. 22. q 62. a. 3. Lugo cit.

c Ambros. serm. 33. d V. Pater. in epist. Jacob. cap 5.

Han-

Hauriant hi viscera misericordiæ, ab homine militari, cujus hæc pro famuli sui sanitate ad Christum deprecantis oratio: *Domine*, inquit Centurio, a *puer meus jacet in domo Paralyticus, & male torquetur.* Adhibuerat humana remedia, quæ cum non prodessent, recurrit ad divina: *Jacet*, inquit, *in Domo*, non in Xenodochio, non sub dio: non domo illum ejeci quasi inutilem, sed memor servitii præstiti domi retineo, de necessariis prospicio, insuper à te suppliciter peto, ut quod verbo potes, ei pristinas vires restituas. Placuit Christo fides Centurionis, placuit & misericordia in servum, atque ideo prout postulaverat, statim famulo sanitatem contulit, *& sanatus est puer in illa hora.* b Origenes hanc pietatem Centurionis in servum, adeò Redemptori placuisse asserit, ut non modò servo corporis valetudinem, sed & sibi animæ salutem impetrarit: plus, inquit, à Domino quam petierat impe-„ travit, cum multi ad Chri-„ stum accederent, ille pro fra-„ tre salutem, ille pro filio, a-„ lius pro amico deprecaretur, „ *nullus pro servo*, nisi ille solus „ oravit, & hoc ei ad augmen-„ tum beatitudinis, & coronam „ gloriæ erat.

Tales vos servis vestris exhibete, quod potenter Sapiens inculcat, Eccl. 33. v. 31. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.* Vide quam gratum animum heri in servum, requirat Deus: non ait quasi amicum, quod satis esse videbatur; sed sicut fratrem, sicut filium, sicut *animam tuam*; Alii legunt; *sit tibi ut tu.* Nam ut bene Doctor Angelicus observavit: c *bonus Paterfamilias aliquid pretiosius dat servo ægrotanti, quod non dat filio sano.* Hoc in genere enituit S. Caroli Borromæi pietas in servos suos, qui hoc publico testimonio dictitare soliti: d S. Cardinalem amasse suos omnes, non ut servos, sed ut filios, & fratres, & large suppeditasse, quæ oportebat. Si quis è suis ægrotaret, jubebat eum omnino quam diligentissime curari, eique muneri homines peritos & Christiana charitate flagrantes præfecerat: & infimos quosque tanta comitate & suavitate ipse visitabat ac solabatur, ut nemo non esset, cui non illa Domini sui humanitas, morbum levare videretur. Quæ ex intimis Sancti Cardinalis se accepisse testatur Hieronymus Platus. Consimili encomio laudatur Cardinalis Cæsarinus, Pius II. Pius V. Summi Pontifices, quorum illustria virtutis Christianæ exempla, si non moveant, hominis Ethnici ac gentilis doctrina ruborem incutiat, dum sic Lucilium suum Seneca commendat: e *Libenter ex his quæ à te veniunt cognovi, familiariter te cum tuis servis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet: servi sunt, imo homines; servi sunt, imo contubernales: servi sunt, imo humiles amici. Servi sunt, imo con-*

a Matth. 8. b Origenes hom. 5. ex variis.

c S. Thom. 1. p. q. 30. a. 4. ad 3. d Hieronym. Platus lib. de Cardinalit. dignitat. cap. 23. e Seneca epist. 45.

servi,

servi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ.

a Dico 4. Si famuli, si operarii, operosius, si accuratius, si majori cum cura, diutius quam debeant insudarint, plusculum supra condictam mercedem conferendum esse: Etenim si equos, canes, falcones liberalius habemus, si strenuam, si utilem Domino operam impenderint, quidni famulis & ancillis plus æquo laborantibus, & in multam noctem desudantibus, haustum meliorem; bolum pinguiorem, par calceorum, interulam novam, aut aliquid corollarii loco adjicimus? Quod ab Ethnico factum legimus: b *sordidissimorum quoque artificiorum institoribus*, SUPRA CONSTITUTUM *aliquid adjecimus, si nobis opera illorum enixior vita est; & opifici vilissimæ mercis, & in diem se locanti,* COROLLARIUM *adspersimus.* Atque ita vult Sandæus *c* noster, pro operis secundariis, supra tempus debitum laborantibus aliquid supra mercedem addi, quod inquit *Bibale* vocant.

Sic *d* Cardinalis Costa Lusitanus, gratuitâ mercede promissa, Domesticos sibi arctissimè devinxerat. Vt erat corpore affecto quoties in morbum inciderat, famulos præmonebat, nil se illis à morte testamento legasse; *e* at si seduli forent in se curando, & ministrando, singulis certam pecuniæ summam, novas vestes daturum: atque ita vitam ad annum centesimum secundum extendit. Verum enim vero ea nunc quorundam Dominorum crudelitas, ea barbaries est, ut nō modo strenuis famulis plusculum conferant, sed mancipiorum ac jumentorum instar laborare compellant, insuper durissimè habeant, verbis proscindant, pugnis contundant. Atque hinc quid miri, si ubi ædibus excesserint, vos ut Leones execrentur, ut tyrannos depingant: *f Infelicibus servis movere labia, ne hoc quidem ut loquantur licet, Virga murmur omne compescitur: & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt. Nocte tota jejuni mutique perstant. Alia crudelia & inhumana prætereo, quod nec tanquam hominibus, sed tanquam jumentis abutimur.* Sic fit ut *isti de Domino loquantur, quibus loqui coram Domino non licet.*

Rigor omnis, qui ferociam, aut barbariem oleat cavendus: affectus enim subditorum nimis compressi violenter, in desperationem tandem abeunt; uti exhalationes intra nubes constrictæ, in fulgura dissiliunt. Vnde optimus morum Magister Seneca: *g servos non habemus hostes, sed facimus.* Vnam hic terrificam tragœdiam servi in Dominum (quæ omnibus merito terrorem incutiat) fusius præter morem, velut paradigma, alia amplificandi, adduxisse sufficiat. Quid *h* olim quantumque Dominis in servos licuerit, quamque impune illos aut loris ii conciderint, aut ferro mutilarint, aut in Crucem sæpe sublatos, nulla juris misericordiâ, peremerint:

a Sandæi Theolog. Myst. com. x. p 105. b Seneca l. 6. de benef. cap. 17. c Sandæus cit. d Garrimbertus l 5. de vitis Pont. e V. P. Cordier, familie Sainte pag. 715.

f Senea epist. 47. g Senecæ cit. h Pontani Attica Bell. vol. 2, c. 54. Bidermanni l. 2. Acroam, 3.

notius

notius in vulgum eſt quam ut debeat demonſtrari. Sed nihilo obſcurior & ſervorum vindicta eſt, qua multi quondam, ut jugum excuterent, rabie armati, ferrum in Dominos converterunt. Quâ in re confirmanda, non committam, ut Tyrios vobis ex Juſtino, aut alios ex aliis ſcriptoribus moleſtè obtrudam, quos jam ipſi meminiſtis, per noctis unius tenebras, manu ſervili nefarie eſſe trucidatos. Novum aliud, ac neſcio an multis veſtrûm antehac inauditum producam. Quod quanquam ſpectatu fœdum fuit & atrox; mireſcet tamen hic paullum, ſi è longinquo narratum, inter acroamata audiatur.

Adoleſcentem è barbaris, haud ſcio, bellone captum, an de cataſta emptum, vir nobilis *ſeverè magis, quam liberaliter*, ad operas ſerviles damnarat; eumque ne clam effugeret, compedibus vinctum arctè ſemper anxiéque cuſtodiebat; ea ſervitus cum per ſe dura, tum etiam diuturna, omnem homini calamitoſo ſpem libertatis præciderat. Qua enim parte tentaret, an auro fortaſſe quo ſæpe libertas, nonnunquam & vita emitur? ſed hujus inane votum eſt ubi in tegete rupto, laceroque centone omne peculium ſepelitur. At fugâ certe, quæ quondam deſperatis etiam ſaluti fuit? ad hanc vero non conſilium deerat; ſed rimam, infelix qua elaberetur nuſquam videbat. Obſtabat Domeſticus carcer; aut ſi qua hic olim fatiſceret, catenæ morabantur. Igitur vim, inquis, pararet, effractoque ergaſtulo & pertuſa compede, erumperet. Atqui dictu facilius hoc nobis eſt, quam illi factu. Denique vel precibus Dominum aggrederetûr. Hunc vero *nec affabilem habebat; & ad fuſtes impingendos, quam audiendis precibus, benigniorem.* Reſtabat enim, ut viveret ſervus & moreretur.

Cum hac fortuna dum annis plurimis luctatur, adoleſcens paulatim in virum evaſit, validum viribus, & lacertoſum. Sed cum viribus, ex æquo & labor illi creſcebat. Inde ſervitus indies gravior. Victus igitur impatientiâ, cœpit occulte vindictam cogitare: nam quid multis hic ego per lenta ſupplicia contabeſco? ſi moriendum ſemel in vinculis eſt, moriamur: ſed cito & quod ſolatio ſit, non ſolum moriamur. Ex eo die totus ad componendam tragœdiam incumbere, modumque inire quo heriles injurias ulciſceretur. Hæc agitanti, multa quotidie in mentem veniebant. Quid? obtruncari per inſidias homo unus quam facili negotio poteſt? res ictu peragitur. Aut, ſi vis aperta non placet, in promptu venenum eſt: quid ceſſas? ægrius hero facere non poteſt, quam ſi vitam eripias, qua gaudet. Quid? ægrius illi non poſſim? poſſum enim vero, ſi ſapio, poſſum. Non illi mecum tam bene convenit, ut morte ulciſcar. Gravior eſt ira, quam ut malo tam brevi ſatietur. Quærendum ſupplicium, quod duret, & cujus ille tædio, mortem in remedium quærat.

Hæc

Hæc apud animum suum barbarus, ita volutabat, ut nullo tamen indicio meditatum facinus proderet. Sed ante occupet hic aliquis: ecquid atrocius morte in herum scelestus parare potuerit? Et subibit fortasse; illum potuisse de Domini fortunis & cimeliis, expilandis: aut ædibus, quas amplissimas colebat, inflammandis cogitare. Nam ut Euclionés avari hæc pertinacissime retinent, sic eorundem jactura, vel acerbius, vel certe diuturnius, quam ipsa morte cruciantur. Nihil istorum iste: sed vindictæ genus ut plebejum & humile aspernatus, ad aliud, Matre Medea, vel patre Thyeste dignum, accingitur. Quod quidem tam immane, tamque sævum nefas, ut prius ille non prodidit quam reipsa perpetravit: ita neque vos mihi vim hanc afferetis, ut ante quam ipsa narrationis series postulet, in medium intempestivè producam.

Cum nemo de familia, suspectam adhuc perfidiam haberet, nemo etiam erat, qui à mancipio, eoque vincto, timendum cuiquam crederet. Quo factum est, ut hero aliquoties aut venatum egresso, aut peregrè profecto, uxor liberique domi propemodum incustoditi relinquerentur. Id non perinde, ac putabatur barbarus negligebat: attentus ad rem, simul opportunitas foret, auspicandam. Igitur, cum exspectatione sæpè delusa, cœptum nefarium diu distulisset; audendi copiam, quanta nunquam sperabatur occasio facit. Per calores æstivos cuncta familia in suburbanum prædium, ex more, concesserat. In eo prædio erant cum aliæ voluptatum illecebræ multæ, tum præsertim elegans prætorium, in arcis speciem ædificatum. Circumcirca piscinæ, fossæque stagnantibus undis locum ambibant; ita quidem ut modico ponte ad arcam accessus pateret; subduci tamen pensilis pons facilime posset. Supra portam, edita turris eminebat, è qua despici omnis vicinia percommode poterat. Hanc turrim homo suæ sibi tragœdiæ scenam, & lanienam optarat.

Forte dies feriatus, isque solito serenior illuxerat, & auræ pomeridianæ invitabant. Sternuntur equi, junguntur currus, herusque cum famulis evehitur. Sequitur cum alio grege uxor: campique & valles, animi causa peragrantur. Ad arcis custodiam servus otiose relinquitur; unaque in gynæceo nutrix, quæ heriles liberos curet. Cætera omnia solitudo; qua nihil opportunius audendo sceleri. Iste occasionem, velut in sinu dilapsam, arripit: primumque omnium, adducto ponte, tam effugiendi, quam intrandi locum intercipit. Tum infantes pueros nutrici per vim ereptos, & nequicquam flentes, in turrim qua de diximus, abstrahit: atque inibi sese illosque, pessulis adductis includit & munit. Nutrix, quanquam nesciebat quid homo moliretur, tamen mali aliquid metuens, domum ululatu, & fœmineo clamore implet, superumque & hominum opem sollicitans, quærit erumpere aliqua, & fami-

liam:

liam vocare. Sed præceperat hoc ejus consilium scelestus, cum providens pontem rescidit: nihilque mulieri liberum, præter steriles lacrymas reliquit.

Interea dum hæc domi instruuntur, foris familia cum Dominis animos laxabat, ignara quantum infortunium reversuris occurreret. Herus in primis suâ felicitate lætus, uberes hinc inde agros, & vineas uxori, & latifundia monstrabat, quibus abundarent: amplum communibus liberis, certumque patrimonium. Inter quæ colloquia paullatim ad prædium reversi, vident præclusis foribus, sublatoque ponte ingressum negari. Simul ejulantem audiunt nutriculam: simul plorantes liberos. Hic incerti quid fieret, mutique alter alterum adspiciunt,& in re nova consilium à famulis; at isti ab heris imperium, pavidi exspectant: dum denique servus è summa turris pinna prospiciens, exclusos heros amarissimè derisit. Quem conspectum Paterfamilias(cum prolixè conviciis prius, minisque intonuisset) aperire fores, pontemque ilico demittere jubet: sensurum intus continuò, quid periculi sit herum ludificari. Ille adversus hæc imperia pridem armatus, tanto liberius insultat: & flocci hilique minas facit: dum herus in rabiem actus, comites jubet, Crucem & quidquid aliud servilis supplicii est, properare, alios faces promere, alios rotas expedire, quibus in verberonem animadvertant. Barbarus nihil, ne sic quidem, terretur, ultro & per ludibrium, ecquid adhuc pacisci de venia possit, interrogat. Quid de venia tu, scelestè? de venia tu ulla? non si terrarum orbis mihi supplicet. Nec vivam in crastinum ego, ni pessimis exemplis hodie te ulciscar. Iterum ille deridens, negat facturum id herum; sed agno mitiorem, mox etiam nolenti, veniam promissurum. Quibus auditis non tantum crepuit iracundiâ herus: suique velut impos, hac illac discursare, vocare operas, admovere scalas, aditumq; vi quærere. Nequicquam molitur: cum Ecce, filiolum videt infantem, ab ipsa illa turri manus tendere, & in servilibus ulnis, inanimæ fractæque Matris nomen blæsis clamoribus vocare. Hic demum intelligere parens quo loco res esset. Utique perisse filium, ni carnifici Pater supplex fieret. Igitur positis minis, ipse,uxorque ad preces versi, veniam præteritorum offerre, & petere: insuper si infantem dimitteret, libertatem servo, aurumque quantum vellet promittere. Triumphare se barbarus tum serio putavit, cum heros sibi suos esse supplices vidit: quos tamen eosdem, quo magis adhuc iceret, altero terrendos spectaculo censuit: alterumque liberorum, jam bimulum, indidem eis è pinna ostendit.

Hic vero Pater insanum vociferans, & in genua provolutus, palmas mancipio tendere: perque humana & divina, ut duorum innocentiæ parceret, obsecrare. Si quod crimen fuerit, id omne Patris esse: illos nec ausos quicquam, nec potuisse.

Mi-

Me dede morti ; noxium macta caput.
Hoc merge jugulo ferrum ; in hoc sæva manu
Grassare pectus, nil recuso.

Sed longe violentior Mater, cum ungues in genis lacerandis, vellendisque crinibus diu fatigasset : ululatus est irritas preces ad exorandum mancipium convertit.

Me me trucida : parte qua vis exige
Immane ferrum. Aut pœna si gravior placet,
Absume flammis. ignibus torre feros
Per Adria disperge fluctus. Omnia
Mater merebor -- Animarunt armaruntque parricidam, hæ preces : ut jam demum voti sui potitum se crederet cum vindicandi modum, qui ipsis gravissimè doleret, invenisset. Quare ut auspicaretur tragœdiam, manu læva infantem, dextrâ cultrum arripit, eumque lactenti jugulo, sic ut videri posset, admovet. Nolim importunus hic mihi flagitator instet : qui gestus & verba, & sensus infelicium parentum, in hoc spectaculo desiderare se dicat : imitari me Thimantem permittite : ut quod colore narrationis nequeo ; velo silentii repræsentem. Quæ enim lingua, aut quæ penna, tam prompta, disertaque sit, ut illos animi dolores, quibus parens uterque rumpebatur, exæquet ? certe ego dum huic parti orationis succumbo, eam cogitationibus vestris impressam relinquo. Nam parricidium quod audire nos è longinquo vix sustinemus, oculis intueri parentes cogebantur. Stat barbarus carnifex, cultroque in jugulum adacto, vagientem puerum lente trucidat : & cum sanguine, adhuc calenti, se aspersisset, tremulum corpus è summa turri, in subjectæ piscinæ fossam, crudelis abjicit. Finitam hic lanienam existimatis ? non equidem ego, qui ultimum adhuc actum, nihil a cetera tragœdia abludentem exspecto, nunc vero ? pervastatâ jam domo, liberis jugulatis, saxis cruore natantibus, herisque barbare conculcatis, potest aliud adhuc in familia malum exspectari ? potest, nam ut famelici feræ, cum cætera consumpserunt, in proprios artus rabie feruntur : sic furiosus iste, jam cæde aliena defunctus, ferrum, ne qua hebesceret in se convertit. Cum enim sceleris furorisque sui veniam, ne à se ipso quidem speraret : & dudum famulos, operasque conglobatim accitas irruere, & scalas ferre, & portas moliri vectibus videret : amens non exspectato carnifice, ipsemet sibi cultro jus dixit : & conviciis prius quæ rabies suggesserat, effusis ; laudataque vindictâ, quam de hero eximiam sumpserat : sese ferro impiè, immaniterque trajecit : deque altissima turri, eandem in piscinam præceps iit : liberum se ratus, si heri minantis & imminentis tormenta (de æternis parum sollicitus) hoc compendio effugisset.

Bar-

Barbaram audiſtis non hominis furentis, ſed ſævientis belluæ vindictam. Quanquam nulla ne bellua quidem tam immanis eſt. Ecquam enim injuriam, tantam hic, tamque atrocem in ſe accepit, ut ei ulciſcendæ, ad fœdum hoc ſævumque facinus deſcenderet? ſervitutem inquis duram & inclementem ſerviebat: ſæpe verbis ab hero, ſæpe verberibus objurgatus, trucem quotidie vultum, & minaces oculos, nullum benevolentis animi ſignum videbat. Interea labor aſſiduus & labore moleſtior contemptus. Hæc illi tu ſuavia fuiſſe aut jucunda cenſes? minime gentium ego: nec enim ſic deliro ut hominem in ea fortuna conſpectum, cum Stoicis felicem, beatumque proclamem: ceterum acerba adeo triſtiaque fuiſſe, eventus docuit, ut proinde remedia deſiderarit, malo ipſo mille partibus acerbiora; ut verbum herile, ſervili ferro: ut vultus rugoſior, vulnere: ut minæ vindicandæ fuerint morte? & quali, cœlites boni! quali morte! morte funeſta & tragica, morte vel audientibus nobis, nedum oppetenti horreſcenda. Sed fuerit hæc ejus belluæ (ut ſane fuit) cœca & ad ulciſcendam injuriam, ſtolidaque ſtultaque pertinacia: erit ea tamen non nemini documentum, ut qui magnis ſervorum legionibus cingi ſe videt amari ab illis malit, quam formidari: neque ut eo potentiorem ſe putet, quo torvior aut frontem contrahere, aut ſupercilio minari, aut vocem aſperare didicerit. Quid his moribus conſequi ſperet, quam ut moroſius aliis, odioſus etiam ſuis reddatur? utque *ipſo procedente, omnes, tanquam noxium animal!* è cubili proſilierit, diffugiant? mutet hoc ille tam ferum, & intractabile ingenium, atque ut humanius dominetur, non tonet aſſiduè, neque ſemper quaqua incedit, fulmina mittat: ſed ſervis quoque affabilem ſe, facilemque præbeat: cedo, quid capturus hinc eſt detrimenti? quid? *amabitur.* O detrimentum hero optabile! quem ante fugerant ſervi, oderantque; jam certatim amabunt & colent: jam ad eum tanquam ad parentem, vel (ut cum Seneca loquamur) *tanquam ad beneficum ſidus advolabunt: jam objicient ſe pro illo mucronibus inſidiantium, & cum neceſſe erit, ſubſternent corpora ſua, ut iter illi ad ſalutem ſternatur.* Hæc heris clementibus omnia ſervorum, *Amor* præbebit; eadem omnia duris, aſperis *timor* negabit.

Hanc ſævitiam, ac barbariem, miramur, & execramur, cum atrociora vos maneant ſupplicia, qui dum conſervo veſtro vos crudeles exhibetis, & mercede operarios fruſtrando velut tenentes præfocatis, ſummus ille Dominus, qui ſibi factum reputat, quod uni è minimis, ligatis manibus & pedibus, tradet vos tortoribus in æternum cruciandos. Quare concludo ſaluberrimo quantumvis viri gentilis monito: a *hoc præcepti mei ſumma eſt: ſic cum inferiori vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem*

a Seneca epiſt. 47.

rem

rem velis vivere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantundem in te Domino tuo licere. Veniet in mentem brevi adfore tempus, quo ſtabunt ſervi in magna conſtantia Dominos iniquos judicaturi; veniat in mentem adfore tempus, quo Dominus vocabit operarios, & reddet unicuique ſecundum laborem, mercedem magnam nimis, copioſam æternam, in cœlis.

FESTUM SANCTÆ URSULÆ.

Adducentur Regi Virgines post eam. Psalm. 44.



URSULA. Anagramma. LAURUS.

PLURES PARIT ILLA CORONAS.

NOn est quod sapientissimus mortalium, multum occupetur, ut a *mulierem fortem* inveniat; eam hodie in campum prodeuntem, non è Ruolschis Camillam aliquam, vel ex Assyriis Semiramidem, aut ex

a Prov. 31.

Ama-

Amazonibus Penthesileam; sed quæ omnes robore, ac animi fortitudine exsuperavit, Vrsulam candidissimi agminis Ducem, & undecim millium Antesignanam spectabitis.

Quæ utrum plus Christianæ fortitudinis, patriam, parentes, aulæ delicias, & carnis illecebras fugiendo; an vero fortiter ac viriliter contra minas, & insultus tyranni, ad mortem usque dimicando comprobarit, ubi in utramque partem disceptaro, vestro rem dirimendam, relinquam judicio.

Ceterum, ut & Virgines habeant, quo Vrsulâ Duce, hisce candidis agminibus adscribi queant, non est quod generosiores, persecutiones & tyrannum sibi deesse querantur; aut molliores, tantos se, quos Virgines Spiritu Dei plenæ, cruciatus constanter pertulêre, ferre posse reformident: ostendam etenim & ipsam Virginitatem quoddam esse Martyrium, pro qua tuenda, & formam, & famam, & vitam ac sanguinem, illustres filiæ profudêre.

§. I. *Mundi delicias, ac carnis illecebras cum* VRSULA *fugere, Christianæ fortitudinis est.*

§. II. *In acie contra omnes adversitatis incursus, & sævissimos Tyrannorum insultus, cum* VRSULA *standum, & pro Virginitate ad mortem dimicandum.*

§. III. *Qua ratione Virgines, Martyres esse queant.*

F E-

FESTUM SANCTÆ URSULÆ.

Adducentur Regi Virgines post eam. Psal. 44.

QUam olim sibi Gentilitiam tesseram Pertinax Imperator adlegit : *militemus*, eandem mortalibus omnibus propriam esse, Hussæus vates diserte affirmavit ; a *militia est vita hominis super terram.* Omnes hunc orbem ingressi ; in arenam descendimus, perpetuò contra hostes, fœderis nescios, dimicaturi ; *b* Unde Cyprianus : *quid aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur? quam adversus jacula ejus, & tela, conflictationibus dimicatur? cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est : cum carnalibus vitiis, & desideriis (quæ* MILITANT *adversus animam) cum illecebris sæcularibus, assidua nobis, & jugis, & molesta luctatio est.* Propterea olim Mexicani ; quoties infantulus ex utero Matris in lucem prodibat, illum non modo verbis monebant, natum ad labores bellicos ; verum etiam ipsa arma tradebant, arcum & sagittam corpusculo adaptando, prima veluti militaris vitæ rudimenta. Ita inquit *c* Chrysologus : *Christiano* MILITARE *est, id quod vivit in sæculo.* Hujus miserrimæ vitæ conditionem, satis superque expressisse visus est & eloquio, & Pontificatu maximus Leo serm. 1. de quadrag : *Vita hæc nostra in medio insidiatorum, in medio præliorum est. Si volumus superare, pugnandum est.*

a Job.7 ℣ 1. b Cyprian. serm. 4. de mortalit. c Chrysolog. serm. 54.

Verum enim vero inter acerrima prælia, inter acriora certamina, nulla graviora ac duriora sunt quam ubi pro castimoniæ nitore, pro pudicitiæ flore, pro virginitatis integritate decertatur. Hæc sanctissimi ac sapientissimi Præsulis Hipponensis doctrina est : d *inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis ; ubi quotidiana est pugna, & rara Victoria.* Causam quæritis tantæ difficultatis ? accipite ab eodem doctore : *gravem castitas sortita est inimicum qui quotidie vincitur, & timetur* ; insidet in ipsis venis, ac visceribus nostris, perpetuo classicum canit, nunquam receptui : nullæ sunt induciæ, tumultus est plusquam si Hannibal stet ante portas. Intus periculum est, aditus omnes sensuum obsidentur, librantur arietes, mundus struit insidias, dæmon adhibet machinas, caro molitur cuniculo, omnes ad hoc laborant, e *ut corpus, animi domicilium, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigant in theatrum.* Quid nos

d Aug. serm. 250. de temp. e Chrysol. serm. 12.

contra

contra hæc pericula? patent undique portæ, nullæ excubiæ, nullæ vigiliæ. Quis vestrûm pro pudicitia adeò strenue in vigiliis certavit, ut laureatus ille pugil Xaverius in somnis? ne per somnium hoc cogitastis, etenim ut phrasi Paulina utar: a *nondum usque ad sanguinem restitistis*, ut Xaverius? usque ad sanguinem dico? utinam ad sudorem! hostem non modo venientem non arcetis; sed ut veniat, provocatis; quæ timenda essent, studiose ambitis pericula, sic in nos libido armatur, dum à nobis amatur. Græcorum oratorum disertissimus Chrysostomus, mirabili voto exardescens, velut accersito pictore, sic ait: b *Pinge mihi sermonem Virginitatis. Specimen, atque rei magnitudinem disce, quod bellum habet quotidie, nullatenus sedandum, ipso barbarico bello deterius.*

Hinc Ethnici Deas Virgines, finxerunt armatas; Hieronymus ad Principiam Virginem exponens illud Psalmi 44. c *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; specie tua, & pulchritudine tua*, ait: *Istum arbitror te locum optime intelligere, & accinctam Christi gladio militare; ut autem scias semper Virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates, gentilis quoque error, Deas* VIRGINES, *finxit* ARMATAS. Quo vel gentiles significabant, sine armis, & robore, virginitatem non posse asservari. Quin ipse rerum omnium sapientissimus molitor Deus, patentissimo loco illam posuit: suspice cælum, & videbis in zodiaco, lato illo cœli baltheo intra libram, & leonem, Virginem, ut hinc temperantia, inde fortitudine se muniat, atque defendat. Hinc quidem leo collocetur; nam castitati tuendæ pugnandum est, luctandum est, tentationibus & illecebris acriter resistendum. Qui pugnare non vult, nec vult vincere, nec Virgo permanere. Hæc virtus non nisi quotidianis prœliis conservatur. Rectissime Chrysostomus: d *Virgo à bello nunquam cessare potest.* Sic adsit Leo Virgini, sed, nec libra desit. Homo continentiæ amans, ad libram omnia examinet: labores, ne otietur: socios, ne seducatur: sermones, ne excedat: mensam, vestes, ne lasciviat: oculos, ne longius & liberius evagentur: peccandi occasiones, ut fugiat. Nusquam non opus hac trutina, opus cautela, opus fortitudine, assiduo pugnandum est. Verum in hoc acri, & ancipiti certamine constitutis, cogitandum ac agitandum est, qua ratione victoriam reportare, palmam consequi, laurea donari valeamus? ubi ea nobis primum controversia sese objicit, num in hac pugna fugiendum, num obsistendum sit? quam fortissima mulierum, generosissima Virginei exercitus Dux atque Antesignana Ursula, exemplo suo diremit: e *interdum fugam, interdum bellum simulans*, fugam à sæculo, ab aula, à voluptatibus capessendo; constantiam vero

a Heb. 12. b Chrysost. tom. 5. homil. 9. de pœnit. c Hieronym. epist. 140.

d Chrysost. tom. 5. hom. 5. de pœnitent. e Surius in vita 22. oct.

in adversis, in persecutionibus, in truculenta morte comprobando, hæc fugere, in his his stare, & ad mortem decertare, nos docuit.

§. I.

Mundi delicias, ac carnis illecebras, cum Vrsula fugere, Christianæ fortitudinis est.

QUam turpis ac ignominiosa sit à statione, campo, vel prælio, fuga, sacri ac profani oratores satis loquuntur, & nos ipsi fugitivos ut inertes, ac imbelles milites non injuria execramur, ac detestamur. *a* Tertullianus l. de fuga in persecutione, absolute negat fugam, ab homine forti capessendam: *pulchrior*, inquit, *est mortuus in pugna amissus, quam in* FUGA *salvus: malo miserandum, quam erubescendum.* Quin inter Romanos, fortissimi dicebantur, qui nunquam è bello fugerant. Lucius Dentatus, teste Livio, centum & viginti præliis, cum hostibus congressus, nunquam terga vertit, nullam accepit averso pectore cicatricem; quapropter *Romanus Achilles* appellatus.

Probus Imperator, cum ei è præda equus offerretur, qui centum & decem milliaria currere diceretur, & per octo & decem dies cursum continuare, equum repudiavit, dicens: *b* FUGITIVO *militi potius, quam forti Imperatori eum equum convenire.* De Septimio Severo, felicissimo illo inter Romanos Imperatore, qui nunquam adverso Marte, nisi cum morte dimicavit, refert *c* Beda memorabile dictum. Perducto in Britanniam bello, Severus pedibus laborans, inferendæ cladis victoriam morabatur. Itaque exercitus pugnandi desiderio incensus, dum cunctantem exspectat Severum, ejusdem filium Bassarium, Cæsarem consalutat. Cujus rei allato nuntio, Severus extemplo, omni prorsus mora posthabita, deferri se jubet in castra, statimque novum Cæsarem cum tribunis, & centurionibus cogit. Quibus Augusti præsentia perterritis, utpote sibi consciis, in genua provolutis: *nesciebatis*, inquit Severus, severo prorsus supercilio, *Imperatorem non pedibus in acie, sed capite dimicare?* Indicans consilio ac prudentia, non autem ad fugiendum pernicitate opus esse.

Verum enimvero non semper fugam dedecori, ac probro vertendam, doctissimè ac disertissimè tradit D. Athanasius, in Apologia de fuga sua, ubi fugam actum fortitudinis esse affirmat, & cum multa in hanc rem exempla prodidisset, tandem concludit: *ista documenta exhibent,* FUGAM *nequaquam metu susceptam esse; sed magnam vim fortitudinis in ea contineri.* Sic mundi delicias, carnis illecebras, lascivi proci blanditias fugere, hoc virtutis, hoc roboris, hoc Christianæ est fortitudinis. Ita purpuratus Doctor: *d honestius cum spiritu,*

a Tertull. b Vopiscus.

c Beda l. 1. hist. Eccl. d Cyprian. de jejunio & tentation. Christi.

m quam

quam cum carne luctamur. Libidinum morsus nemo evadit illæsus: flatus ille pestilens, etiam longe positos inficit. Hoc certaminis genus, FUGAM *potius, quam assultum requirit.*

Idem Cyprianus de singularitate Clericorum, multa inculcans de metu, & cautela, qua peragenda sunt, hæc pro castitate certamina: *Estote*, inquit, *timidi, ut sitis intrepidi, & licet timor in certamine infirmitas esse videatur; tamen* a *virtus in infirmitate perficitur* quasi in hoc timore fortitudo, in hac fugâ, victoria consistat.

Haud aberrasse à proposito videbor, si de Romanorum historiis hic pauca ex Tito Livio delibaro. *b* Quis ignoret dissidium illud Romanos inter & Albanos, Horatiorum & Curiatiorum virtuti fuisse decernendum, non tam armis quam fuga fuisse sublatum? *Cæsis duobus Romanis, unus solummodo superstes erat, qui* FUGAM *capessens, non pugna, sed cursu restituit rem, & fortunam Roma dignam, quam dimicando pene perdiderat, fecit* FUGIENDO. Ita plane contingere in eo, de quo loquimur certamine, certo certius statuamus.

Testem hoc loco appello omni exceptione majorem S. Paulum, qui 1. Cor. 5. graviter monet: FUGITE *fornicationem*: in quæ verba *c* Doctor Angelicus: *Cætera vitia vincuntur resistendo, sed vitium fornicationis vincitur* FUGIENDO, *id est, totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones.* Ipsi Cacodæmoni, hosti Tartareo ac teterrimo suadet Princeps Apostolorum resistendum, dicens *d*: *Cui resistite fortes in fide.* Ubi orator aureus perapposite inducit Jobum, cum Diabolo congredientem, & fœminam fugientem: *e Quis non admiretur*, inquit, *videns virum hunc cum Diabolo viriliter certantem, & omnes maligni machinas vincere, Virginis autem faciem* FUGERE, *& à formosæ puellæ aspectu, oculos subducere? Diabolum accedens non* FUGIT; *sed mansit, sicut leo virtutibus fidens; Virgine autem visa, non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine; sed statim secessit.* Cum adversus diabolum & vitia depugnandum est, morale illud Apostoli identidem inclamandum: *Resistite diabolo, resistite.* Animum invadit ira? *resistite.* Invidia mentem impugnat? *resistite.* Avaritiæ & pecuniæ amor lacessit? *resistite.* Arrogantia supercilium erigit? *resistite.* Acedia & torpor aggravat? *resistite.* Libido & lascivia impetit, tela ignea ab oculis, ab ore, à manibus emittuntur? hic aliud armorum genus capescendum: FUGITE, FUGITE. Ipsissima hæc Augustini præceptio est: *f quod libidinem* FUGIENDAM *esse suggerrimus, Apostolus Paulus evidenter ostendit, qui cum omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit,* RESISTITE, *sed* FUGITE *fornicationem. Ergo contra libidinis impetum apprehende* FUGAM, *si vis obtinere victoriam: nec tibi verendum sit* FUGERE, *si castitatis palmam vis obtinere.*

Elias Regi Achab, etiam cum

a 2 Cor. 12. b Livius. l. 1. Decade. 1. c S. Thom. in 1 Cor. 5.

d 1 Petri 5. e Chrysost. hom. de continentia Iosephi. f Aug. serm. 250. de temp.

præ-

præsenti vitæ discrimine ultro occurrit, ac restitit: sed Iesabelem, procacem mulierem fugit; Atque una nos docuit à sæculi hujus illecebris, quam longissimè fugere. Elias minus ab irato Rege, quam à falaci fœmina sibi metuebat. Unde Ambrosius: *a* FUGIEBAT *sæcularem illecebram Propheta, & conversationis maculosæ contagionem.* Ubi nunc qui sanctitate pollent Eliæ, & fugiunt *illecebram, & conversationis maculosæ contagionem?* homines molliter vestiti, splendide enutriti, nihil maculæ, nihil contagionis veriti, minime sibi fugiendum arbitrantur. Dedecori forte verterint castissimo Josepho, generosissimo pudicitiæ propugnatori, quod relicto etiam pallio, quam infamis pellex attinebat, aufugerit: *b* FUGA *usus pro armis.* Utinam quod rei gestæ in tabula expressæ, quidam apte subscripsit, *plures invenire esset tales profugos servos, quam pellicientes Dominas.* Atque in eo robur animi, ac fortitudinem suam, fugiendo declararent. Juvat hic audire infamem Poëtam, sed sana & vera monentem, ut puellares illecebras, quam longissime quisque fugiat:

c Tu tamen & firmis quamvis retinebere vinclis,
I procul, & longas carpere disce vias.
Flebis, & occurret: desertæ nomen Amicæ;
Stabit & in media pes tibi sæpe via.
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento:
Perfer, & invitos currere coge pedes.
Dura si quis præcepta vocet mea, dura fatemur
Esse, sed ut valeas, multa dolenda feres.

Exemplo Josephi, exstimulat nos S. Ambrosius de fuga sæculi c. 4. persequuntur nos peccatorum illecebræ, persequitur libido; *sed* FUGE *tanquam furiosam Dominam: quæ si comprehenderit, nec die, nec nocte quiescere sinit, exagitat, urit, incendit.* Nisi fugeris, nusquam effugies, omnis victoria in fuga est. Sic Parthos fugientes dimicare consuevisse accepimus, ut gloriosam de hostibus victoriam reportarent, ut canit ille maximus Poëtarum:

d *Fidentemque* FUGA *Parthum, versisque sagittis.*

Fugiendo hostes, à tergore jaculando, feriebant, vincebant, victoriam & palmas referebant. Nec minus sibi gloriosum existiment mulieres, ac puellæ si mœchum, aut lenonem, velut *e* Draconem fugerint. Describitur in Apocalypsi singulare certamen inter mulierem, & Draconem. Aves scire quod pugnæ genus, & ex qua parte steterit victoria? lege ibidem n. 6. & FUGIT *mulier*, & quod mireris, hac ratione Draconem superavit, quemadmodum diserte n. 9. subditur: *& projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui seducit universum orbem & audivi*

a Ambros. lib. de fuga sæculi. c. 6
b Basil. orat. 8. c Ovid.
d Virg. e Apoc. 12.

vocem magnam è cælo dicentem, nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus. Quis non animadvertat, ut puellæ gloriosam de Stygio illo dracone victoriam consequantur, fuga præcedat necesse sit? virgineas hic vobis phalanges, atque earum generosissimam ducem Ursulam, Dionethi Britonum Regis filiam, ob formæ florem Connano Armorico dynastæ desponsam, imitandum propono; quæ ut virginitatem, quam cælesti sponso dicarat, illibatam servaret, omnes mundi delicias, & aulæ illecebras ac tyranni blanditias, cum sociabus fugere statuit. Classis itaque castissima, a *pudori sui timens*, vela facit; dumque littora legunt, hinc Galli, illinc Germani sacram Virginum classem admirantur, quæ modulato cantu divinos hymnos concinebant; quos choros facile dixeris Angelorum.

Tum navibus exscendentes, pedestre iter, Romam versus per Alpes, quæ Herculem, Hannibalemque defatigarunt, pedibus avium more, Crucis labarum præferente Ursula, pervolabant. Verissime hujus Virginei exercitus Princeps Ursula, illud Prophetæ usurpare posset: b *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea, deducet me victor.* Ubi fortitudinem non ab adamantino pectore, ab æreis lacertis, ab insuperabili robore, vel ab aliis hujusmodi sexcentis capitibus; sed novo invento, & hieroglyphico prorsus inaudito, à cervinis pedibus, & pernici fuga commendat; ut facile quisque intelligat, ad castimoniæ decus conservandum, fugam cervorum instar capescere, Christianæ fortitudinis esse.

Versatus ac versutus in arte amandi Pelignus vates, fugam adeo comprobavit, ut lauro dignam finxerit. Conjecerat ardentes suos oculos Phœbus in Daphnidem, specie pervenusta virginem.

c *Spectat inornatos collo pendere capillos,*
Et quid si comantur ait; videt igne micantes,
Sideribus similes oculos. FUGIT *ocior aurâ*
Illa levi: neque ad hæc revocantis verba resistit.
Nympha mane: sic agna lupum, sic cerva leonem,
Sic Aquilam pennâ fugiunt trepidante Columbæ;
Hostes quæque suos.

Dixit, & verissime quidem: docuitq; sua Daphnis fuga ejusmodi blandos pudicitiæ procos, puellis magis fugiendos, quam agna lupum, aut cervo leonem, aquilamque Columbæ fugiant. Dumque ambo currunt, *hic spe celer illa timore:*

Qui tamen insequitur, pennis adjutus amoris,
Ocior est.

At dum jam prendere & manus injicere parat, illico illa in Laurum covertitur.

Usque vel ab hoste heroicam

a Festi Mariani. ex Lipoman. Bonfinius. hist. Hung. Decade 1. l. 5. b Habacuc. 3.

c Ovid. l. 1. Metam.

hanc

hanc fugam probari constet, subditur.

Hanc quoque Phœbus amat. Sicque illam amice affatus, ac precatus est:

Arbor eris certe dixit mea, semper habebunt
Te coma, te cytharæ, te nostræ LAURE *pharetræ.*
Utque meum intonsis caput est juvenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.

Unde hæc arbor Apollini sacra? unde coma, & ipsæ pharetræ lauro cingenda? Unde perpetuus illi viriditatis honor, nisi à Virginis fuga? ut ingeniosus ac Religiosus Poëta observavit, dum dixit

FUGA *lauriferos parit illa triumphos.*

Quod suo idiomate scitè expressit:

Terwijl hy roept/en vlept/en sucht/
De suyver Maeghet neemt de vlucht:
En sy loopt voor/ en hy loopt naer/
En daer loopt dat oneenigh paer.
Het scheen hy was soo dapper vlugg'/
Al hadd' hy vleughels op den rugh:
Doch soo hy haer nu hebben sou/
En dat hy haer nu vatten wou/
Soo is terstondt dat aerdigh dier
Verandert in een groen LAURIER.

Quid te O a *Ursula*, *Laurus*, ipsi numini gratiosam effecit? quid comas lauro cinxit, nisi gloriosa illa fuga quam à patriâ, à parentibus, ab aula, à lenocinante Tyranno, à Cupidineis telis, cum sociabus tuis feliciter ac fortiter adornasti? quid mirum si Ursula *Laurus* nuncupetur? quid mirum si lauro coronetur?

FUGA *lauriferos parit illa triumphos.*

Quid mirum si æternum vivat & vigeat?

b *Utque viret semper* LAURUS, *nec fronde caduca*
Carpitur, æternum sic habet illa decus.

Hanc è virginibus quisquis laurum ambit, honesta fuga eam sibi demerebitur. Unde subdidit idem:

Een Maeghet die niet vallen wil/
En magh niet veel zijn op den dril.
En dan is beter eens gevlucht/
Als veel en langhen tydt ghesucht:
Want siet op een verbrande vlap
Daer stroopt men suycker al te spap.
Den Maeghdom/en verlooren eer/
En koomen met gheen krijten weer.
Daerom soo schouwt dit vliegend vier/
En ick kroon u met groen LAURIER.

a Ursula. Anagramm. Laurus.
b Ovid. l. 3. hist. eleg. 1.

Fugit David ante faciem Absolonis, non quod sibi diffideret, aut copias ejus formidaret, sed ut *a* Chrysostomus tradit: *fugiebat David, non ut qui timeret, sed ut qui filium caveret occidere.* A fortiori tibi fugiendum, non ut qui timeas, sed ut qui animam caveas occidere.

Hic vobis induco Virginem Neapolitanam, *b* quam Francus nobilis perditè deperibat, atque omnibus blanditiis, ac lenociniis, quibus illa se caute subducebat, frustra flectere nitebatur. Dum tandem suboluit illi, filiam cum parentibus statuisse in suburbanum excurrere: hanc oportunitatem nactus, ipse prævolat: in silvulam, qua ex insidiis transeuntem observare posset, se abdit. Vtque juventus alacrior, puella habitu pastoritio, celeri gressu parentes prævertit, atque inscia & innocua in hunc procum, columba in accipitrem, agna in lupum incidit. Quid agat? consilium in arena. Noris, inquit, me hactenus voluntati tuæ restitisse, quod parentes mei tetrici, ac morosi, nuptias nostras minime comprobent, & virides juventæ meæ annos marcescere sinant; sed ut noris quo animo in te sim, hodie finem statuam: illum quo accinctus, gladium mihi ad breve tempus accommoda, ac tutum experieris, fœmineâ manu, heroica virorum facinora patrari posse. Hac tam insperata puellæ animositate persuasus, quasi consensum vi parentibus extorquere vellet, gladium concedit, quo illa propere furorem simulans, ad parentes confugit, hanc nequid gravius accideret insequitur. Iamque filia inter parentes, & ipsum lascivum procum consistens, ut contestaretur & fugâ, & armis, pro virginitate decertandum esse, genas ejus, uno alterove vulnere, suo gladio generosè conscidit, addens: IMPOSTERUM EDOCTUS *esset, ingenuam virginem velle violare*: atque his dictis, se fuga in profluentem præcipitavit, inque adversam ripam, secundo flumine, & flamine delata, ab effusa urbe (quo fama jam percrebuerat, triumphantium more excepta, & lauro redimita est. Illudque palmarium Virginis facinus tota Italia, cedro, & lauro dignum decantatum est.

Festivum est quod Arator, vetus Poeta, & post eum, Beda, alijque interpretes in sporta, *c* qua Paulus Damasci præpositi manus effugit, excogitavit: *Sporta,* inquiunt, *plerumque à palmis contexitur; in sporta igitur Paulus* FUGIT, *quia ejus* FUGAM *non timor, & imbecillitas, sed fortitudo, & palma consequuntur.*

In fuga sola salus, in fuga victoria, & virginitatis palma est

Die staet / en vvaeght, Blyft selden maeght.

Acute, & argute Seneca: *d quantū possumus nos à lubrico recedamus, in sicco quoque, parum fortiter stamus.* Longe à periculi

a Chrysost. in Psalm. 3 b Peiters. Masquer.

c 2. Cor. 11. d Seneca epist. 116.

rece

recedendum, sic fugit agna lupum, passer milvum, columba accipitrem. *a* Vnde Cyprianus de singul. cleri: *Nunquam securus cum thesauro latr. tenetur inclusus*: *Nec intra eandem caveam habitans cum lupo, tutus est agnus.* Quid interim vos parentes, patres familias agitis? quoties ancillam cum famulo, solam cum solo, domi relinquitis: quoties Materfamilias se cubitum recipit, & pedissequam jubet operiri, ut filium concubia nocte bene potum reducem excipiat: quoties finit filiam clauso ostio, cum lascivo proco confabulari, toties agnum cum lupo, intra eandem caveam committis.

Hinc ut communis fert parœmia, cuilibet tria M. M. M. fugienda *Mustum*, *Mulier*, *Militia*. seu vernacule, tria M. M. M. Most / Mensch / Masen. Atque à femina cum primis, veluti à facie colubri, seu vipera fugiendum.

Si quis accedentem ad se, & assilientem spectaret viperam, an non ab ea quantocius profugeret? hoc magni Hieronymi *b* monitum est: *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere? quis unquam apud viperam securus somnos capit, quæ etsi non percutiat, certe solicitat?* securius est perire non posse, (quod accidit fugienti) quamjuxta periculum non perisse. Hac quotidiana lucta, ut se expediret, procul urbem, ac omnes matronas Romanas fugiens, inter feras ac lustra vitam egit. Vnde à Vigilantio repræhensus, quasi iners miles stationem desereret, quærenti cur in eremum confugisset, respondit: ut ima *tua bella non patiar, ut non me capiat oculus meretricis. Respondebis hoc non est pugnare, sed* FUGERE; *fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.* Et quis tu, qui præsidentior Hieronymo esse audeas, & pugnare cum pudicitiæ periculo, quam fugere præsumas? cum vel exercitatissimus sibi diffidat, licet hasta, & clypeo munitus, & in fuga sibi omne præsidium esse decantet:

> c *Mox ergo sumpsit arcum,*
> *Et auream pharetram*
> *Me prælio lacessens;*
> *Ego vero ut olim Achilles,*
> *Lorica amictus, atque*
> *Scuto, minax & hasta,*
> *Cum Amore præliabar.*
> *Iacebat ille tela,*
> VERTEBAM AT EGO
> TERGA.

Militia hujus sæculi, fugæ se committere, indecorum ducit; oppositum plane contingit in castris summi Dei, qui etiam fugientibus subsidium, & cælites suppetias mittit, ut discrimini, potissimum pudicitiæ exposi.i, generose elabantur.

Ipsam hic Vrsulam in hoc certamine, cum candidis suis agminibus alumnæ suæ præsto fuisse attendite.

d Virgo Belgica sese Deo, & D. Vrsulæ devoverat, concepto perpetuæ castitatis voto, cui

a Cypria. de singularit. Cleri cor b Hieronym epist. 47.

c Anacreon. d Lobbetius gloria Patriarch. . . 6. Vrsula. pag. 575. Annuæ colleg. Valencen. a. 160.;.

dum inſidiatur impurus adoleſcens, monſtrata via, clancularius in cubiculum Virginis irrepit, ſeſeque abdit quam occultiſſime. Aſcendit Virgo fraudis inſcia, fuſiſque pro more veſpertinis precibus, cœpit præter ſolitum tremiſcere, & nunc hac, nunc illac circumſpectare, & perſpicacis inſtar columbæ, velut umbram timere accipitris. Quid deinde? caſtigat imbellem animum, & fortis adlaborat eſſe, metu diſcuſſo, ſed fruſtra: crebreſcit horror, augetur metus, Virginei pudoris vel præcurſor, vel comes, vel etiam tutor. Tandem luſtratis omnibus cubiculi angulis, caſtitatis inſidiatorem ſub lectica reperit abditum. Exſilit inde blandientibus verbis, laſcivienti habitu. Non tulit petulantiam Chriſtiana Amazon, & arreptum candelabrum tam alte in hoſtile caput impegit, ut domum vix evaſerit vivus.

Potuiſſet, imo & debuiſſet, à vulnere refrigeſcere, ac remitti æſtus ille impuri amoris; ſed incaluit, exarſitque magis: perſanato quippe, poſt aliquot menſes capitis vulnere, ad alias ſe convertit artes, conſultoque mago, Virginem expugnare conatur. Ita nimirum à vulnere capitis, gravius in animum gliſcebat vulnus, ſemel, bis, tertio, amatorios pulveres, animorum philtra, carthaſque peregrinis characteribus exaratas, Virginis veſtibus, libris, cubiculo inſeruit; ſed interno monitore tuta virginitas fraudem ſemper detexit. Quid igitur effrenis amor? an hic ſiſtat? an conquieſcat? minime, dum enim contra magicas artes contraque blanditias invictum ſpectat, atque obfirmatum animum; Virginem vi aggreditur.

Captata ſolitudine, cum parentes ab[illegible]ctant, clanculariâ clave ad cubiculum pervadit, ubi Virgo ſtrato ſe dedit, faventibus tenebris, prorumpit è latebris, circum[illegible]atque ceu raptor ad agnam, ceu lupus ad prædam.

Quid faciet pavida columba, ſub ungue accipitris? inclamet? nullus exaudiat: gemet? non iis movetur inceſtus amor: luctetur? ſed certa ſtabit ab hoſte victoria.

Itaque jam non de morte dubia, ſed de pudore trepida, animum ad virtutem parat, ad artes vertitur, vacua præſidio, ſed Deo plena. Habet nimirum & ſuas artes ingenioſa caſtitas, & inermis licet ipſa, armatos tamen, nunc ſtravit, nunc exarmavit. Quid agimus, inquit, tacita? niſi proſpicimus, captiva virginitas: votum eſt mori; ſed metus deflorari. Eſt in Virgine vulneri locus, non eſt contumeliæ: *Age*, inquit, *pertinax amator, dum caſtæ mihi eſſe non licet; liceat eſſe cautæ, erit utriuſque famæ conſultum, ſi peſſulus foribus obdatur, ne ſero domum revertens ancilla, amores iſtos turbet vel infamet.*

Provide, ſubdit inſanus amator, *ſed comitata ibis, ne ſolitos ludos agas.* Præit illa ſuperinducta ſubucula, prehenſat comes laciniam, & dum per tenebras gradiuntur, primoreſque fores

Virgo

Virgo premisat, raptim aperit, è manibus elabitur, atque in medias se plateas proripit.

a *Ut fugiunt aquilas timidissima turba Columbæ,*
Utque fugit visos Agna novella lupos.

O providam castitatem! quæ nec capta quidem capi potuit. Ita demum adolescens, dum metus amorem, infamia desiderium vincit, ad breve tempus à sua insania destitit; ad tempus, inquam breve: nam cum hac ratione nihil profecisse se videt, ad alias artes conversus, magicis incantationibus, spiritus malignos per Virginis cubiculum noctu inambulare facit, ut vel sic nocturno terrore vinceret, quam impuris amoribus vincere non potuit, sed neque sic vicit: detecta enim fraus fuit, & philtrum cereo domestico insertum reperit, atque exemit; tum ad *Deiparæ*, Divæque *Ursulæ* præsidium confugit. Res mira! ecce audit velut agmen magnum & confertum, moderato gressu cubiculum suum pertransire: audit, inquam, & primo horrescit, tum fugam meditatur, atque ad cubiculi januam advolat, sed impediri se sentit, moxque metum omnem ab animo detergi, imo se tanto perfundi gaudio, internaque luce, ut etsi oculis nihil cerneret, non dubitaret tamen, & virgineum agmen, & Virginum Reginam eo advenisse, quod ipsum confirmavit relicta cælestis odoris fragrantia, quam & ancilla, quæ forte advenit, persensit & ipsa, quæsivitque, unde tam inusitatus, tam admirabilis odor, cui similem hauserat nunquam.

Quæcumque in istiusmodi angustiis comprehensa Virgo, effugium circumspicit, Virginum ducem Ursulam ejusque auxiliares copias invocet.

a Ovid. l. 1. de arte.

§. 2.

In acie contra omnes adversitatis incursus, & sævissimos Tyrannorum insultus, cum VRSVLA standum, & pro virginitate ad mortem depugnandum.

HIc Salomone opus est, qui edisserat, num ex imbelli sexu, mulier reperienda, quæ eos animos habeat, eos spiritus alat, tanto mentis, corporisque robore prædita sit, ut mulierem fortem recte nuncupare, ac vere deprædicare possimus; quam dum sapiens quærit, & nusquam invenit? quæ, & qualis illa mulier fortis sit, disquiramus. Septuaginta in hunc locum Prov. 31. v. 10. *Mulierem fortem*, vertunt: *mulierem virilem, seu viraginem*, quæ virtute cum viris certet, imo viros superet. Vatablus eodem collimans, intelliget b *mulierem masculam.* En tibi masculo animo Rodegundis, Persidis Regina, quæ cum vix strato surrexisset, ac componendis crinibus distineretur, nuntio accepto

b Dinet. Theatre de la Noblesse Fransoise, tom. 2. l. 2. c. 9.

de rebellione fuorum, paffis ut erat capillis, aula, omnique mundo mulicbri relicto, in publicum profiliit, ad arma conclamari, exercitum conflari juffit, atque ipfa a *dux fœmina*, non prius capitis crines compofuit, quam rebelles in ordinem redegiffet. Vnde gentilitia illa teffera Perfis ufurpata: Reginam fluxis crinibus infignibus circumferre.

b Non minus congrue Salazar, aliique interpretes exponunt: *mulierem exercitus, feu militarem,* quæ audeat in arenam condefcendere, cum viris contendere, & in acie dimicare: quod Amazonum Reginam factitaffe legimus, quam celebrat Virgilius:

c *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
Penthefilea furens, mediifque in millibus ardet.

Harum bellicarum mulierum, inquit Auguftinus, d *tanta virtus in rebus gerendis fuit, ut per multam feriem annorum regnantes, nonnullas gentes fubigerent, Afiamque totam fub tributo ponerent.*

Notat Curtius, exufto finiftro ubere, Amazones pugnare confueviffe: e *aduritur,* inquit, *dextera mamma, ut arcum facilius tendant, & tela vibrent.* Quod & in Camilla Volfchorum Regina, extollit idem Poëta:

f *Unum exerta latus pugnæ pharetrata Camilla.*

a Virg. 1. Æneid. b Salazar in Prov. 31. v. 10. c Virg. l. 1. Æn. d Aug. tom. 4 quæft. ex veteri & novo teftam. mixtim. c. 115. e Curt. l. 6. f Virg. l. 11. Æn.

Atque ut alias fexcentas omittam, Semiramis potentiffima Affyriæ Regina, hoc fibi ftilis, & obelifcis, fuoque epitaphio infculpi fecit: g *Me natura quidem fœminam finxit, ego vero geftis, nulli fortiffimorum virorum inferior.* Hæc porro eo animi, corporifque robore; ut leænæ aufa fuos catulos furripere, ipfis Mauris bellum indixerit, & fuperarit, Regem Indiarum profligarit.

Hebræi, aliique interpretes legunt *mulierem virtutis*, qualem fe exhibuit Zenobia, Palmyrenorum Regina, quæ ut effet forma corporis egregia, *oculis fupra modum vigentibus* (verba Pollionis funt) *tanto candore in dentibus, ut margaritas eam plerique habere putarent, non dentes.*

Nihil tamen muliebre, ac molle fapuit, fed venatu fe in montibus, & filvis, contra feras exercuit: armata in campum ipfa proceffit, bella cum Romanis, & Aureliano geffit, Ægyptum invafit, & victo ac cæfo ejus præfide *Probo*, occupavit.

Cum tot itaque fortes mulieres reperiantur, quid eft quod fapientiffimus mortalium, vel unicam quærat? nifi forte eam fuo fæculo non repererit, qualem hodie orbis celebrat Chriftianus, quæ omnes omnium harum dotes, ea eft S. Vrfula, eminenti quodam modo complexa eft. Hæc porrò mulier *virilis plane, ac mafcula* Rodegunde multo animofior, aulæ deliciis ac omni muliebri ornatu, non ad tempus, fed in æternum valere juffis, non modo cincinnis, ac capillitio incompofito, cum Re-

g Diner. cit. Polyænus.

ges,

ge, ac gente Deo Rebelli congressa est, sed & capite suo, eum subdere ac debellare conata est.

Exstitit vero *mulier exercitus*, seu militaris, quæ numerosissimum illum undecim millium, lectissimarum, non matronarum, sed Virginum exercitum in campum induxit, non exsecto dumtaxat sinistro ubere, sed & utroque, & toto corpore, in vulnera, in mortem prodigo:

a *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
VRSULA *plena Deo*, MEDIISQUE IN MILLIBUS *ardet.*

Cujus glorioso sepulchro vero, quod Semiramis sibi vanè, inscripsero: *Me natura quidem fœminam finxit, ego vero gestis, nulli fortissimorum virorum inferior.*

Fuit denique *mulier virtutis*, seu, ut Bernardus interpretatur *Virginitatis.* Quam hactenus recensitæ, passim omnes ignorarunt. Hæc invicto animi robore, docet se, & carnem, & blandimenta omnia superare; ac supra veterem illam Juditham meruit triumphare, dum sponsum suum b *Holofernem* nomine, per Baptismum *Ætherium* nuncupatum, mundum, & carnem docuit calcare, & virginitatis, ac Martyrii palmâ secum vidit condecorari. Lubet illius meminisse, cum c *multum terris, jactatus, & alto.*

a Virg. 1. b Bonfinius hist. Hung. Decade 1. l. 5. c Virg. 1. Æn.

Exercitus Virginum Coloniam appulit, atque earum Dux *Vrsula, Crucis vexilla ferens, in terram primo desilivit*; quam aliæ copiæ subsecutæ sunt. Cum ecce Hunni truces, ac Barbari, qui tum forte Coloniam obsederant, in has lectissimas Virginum turmas excurrunt, & velut agnos, feroces lupi invadunt. Quid hic Vrsula? quid aliæ Virginum turmæ? an retrocedere, an deprecari, an fugam circumspicere, an ferrum, an vulnera, an mortem extimescere? stant omnes fixo pede, eodemque hærent vestigio, paratæ pro Virginitate, ac Religione cadere, ac mori. Quod ne temere fieret, & sine militari statione, sine lege, sine modo, ordineque, suas ipsa acies instruere, atque explicare mihi visa est *Vrsula*, velut Dux, atque Antesignana sacræ illius Militiæ, quam in undecim velut legiones distribuit. Dignum cælo, dignum superis, Deoque spectaculum, quod nulla hactenus vidit ætas, nulla visura posteritas. Ad Rheni adlabentis ripas, ingens erat, atque effusa planities, in hac ordines suos dispofuit Vrsula: in prima acie, mihi consistere visæ sunt Virgineæ legiones omnino quatuor, in secunda totidem, in tertia vero tres: singulis autem præesse una, ut genere nobilis, ita virtute præstans, ac robore, quæ ceteris animos faceret. Media videtur, atque eminet Vrsula, ut avito sanguine, ac formâ, ita constantia, invictaque fortitudine omnibus

superior. Vbi sic in acie stetere Virgines, ex adverso incurrere visæ sunt armatæ Hunnorum copiæ: è quibus hi telis, ac sagittis horridi, illi nudato ferro, enseque formidandi; isti bipennibus, & hastis instructi; omnes in vulnera, in cædem, stragemque proni ac præcipites. Ab his pars una telis transfigitur, pars altera ferro cæditur, pars bipennibus secatur, & per immania vulnera purpureas, imo candidas emittunt animas, purpureas à Martyrio, à virginitate candidas; nulla reluctatur, a flexis pars magna genibus jugula porrigere, manus Deo ad cælum efferre, nonullæ quæ subsidebant, clausis fatum oculis exspectare: invidere quandoque præmortuis, tanquam vices præripuerint. Discurrere aliæ, ne cædi superessent, pro exspirantib9 orare, quæ primo ictu non ceciderint.

In medio agmine Vrsula, erecto Crucis vexillo, animosius stare, omnes animare. In hanc dum Iulius, seu ut alij, Giula, Hunnorum præfectus celeri cursu involat, jamque telis configere parat! *O pulchritudo naturæ privilegium!* O potentes huius illecebræ! simul atque Vrsulam vidit, & in ea formæ elegantioris miraculum, manum sustinuit, iram repressit; adeo verum illud Origenis: *forma vincit armatos, & ferrum pulchritudo captivat.* Et certe vicit in Vrsula, captivumque tenuit & ferrum, & animum ferocientis tyranni. Sed non diu vincet. Quia Vrsulæ continentiam non vincet. Vt enim barbarus princeps amabili illa, virgineaque specie captus, à minis, à ferro, & cæde, ad amatoria, blanditiasq; descendit, suosq; qui Germaniç domitor, & Europç prope totius victor habebatur, in connubium regni, favores, sceptra, ac diadema offerret, Vrsula intrepide ad hæc: Sponsus mihi non è terris, sed è cælis jam dudum quæsitus, est æterni Patris filius, generisque nostri Redemptor, c *Sponsus sanguinum.* Data illi fides, ideòque ne verba perde, stat cum cælesti sponso, Iesu meo vivere, & mori. Dixit, & ne telo cupidinis pectus violarent, barbari telis, vltro cervicem porrexit. Nec mora, amore in rabiem verso, arcum inflexit, & sagittam emisit in Vrsulæ latus: simul & effluit ingens anima, & in cælestis sponsi amplexus, caraque oscula proruit, ipsamque e sinum æternæ beatitatis.

O beatissimarum puellarum exercitum, d in perpetuum virorum ruborem, confusionemque repertum! hic oculos, hic animos pascite, oculos quidem fuso veluti rubro sanguinis Oceano; animos autem præclaro illo magnarum virtutum spectaculo. Quas inter eminet Constantia Christiana, & supra sexum, supra ætatem fortitudine eximia Vrsula.

Cui LAURUS *æternos* e *honores*,
VIRGINEO *peperit triumpho.*

O quam amabilis, f & præamabilis? quam fælix, & gloriosa! quam dulcis, & præhonoranda, sanctissima Virgo Vrsula, per quam Deus tantam gratiam, & misericordiam tot millibus exhiberet! & quanta est ista solemnitas tot mil-

a Bonfinius cit. Ægidius Gelenius de admiranda magnit. Coloniæ pag. 352. b Plato lib. de Rep.

c Exodi. 4 d Bonfinius cit. e Horat. f Carthusianus serm. 1. de S. Vrsula.

lium

lium prudentum ? quid ad hæc, vos Virgines ? ubi illud robur, ubi animus, ubi sanguis, qui vobis pro virginitate tuenda fluat? Hæc solennitas quanta quanta est cum vobis tota debeatur, adnitar profectò ut vos inflammem; ut hunc castimoniæ thesaurum omni custodia conservetis, omnibus viribus propugnetis.

Extollant alij Carthaginienses matronas, quæ teste Floro, cum funes deficerent, forti generosoque ausu capillos sibi radi curarint, ut in funes torti, ad machinas bellicas protrahendas impenderentur; potiori jure, à forti pectore, & manu, ego Virginem laudaro, & in cælum extulero, quæ virginitatem suam capillitio redimere non dubitavit. Mulieri viduæ filia erat nubilis Virgo forma non mala, sed nihil suppetebat, quo eam honesto cuipiam viro collocaret. Etenim quæ sunt etiam ad vitam parcè, ac duriter agendam necessaria, omnia deerant: adeo vt quæcumque loco moveri possent, quibus res ipsius paupercula continebatur, aut vendidisset, aut pignori opposuisset: quid multa? eò inopiæ redacta erat, ut de vendenda filiæ pudicitia cogitaret. Cuius consilij cum participem filiam fecisset, eandemq; summopere adhortata esset, ut eo questu sibi, cum extremâ penuriâ luctanti succurreret, ne fame, ceterarumq; rerum inopiâ conficeretur. Prudens Virgo assimulavit se cum Matre sentire; sed dieculam ad eam rem petijt: æquum enim ajebat omnia antea experiri, quam ad illud extremum, atque ultimum remedium decurrere. His dictis, productam auroque simillimam comam suo capiti ferro præscidit, matrique vendendam exhibuit. Quam cum illa in forovenalem haberet, vir locuples ea pulchritudine delectatus constitit, rogatque num ea sacræ cupiam Deo Virgini præcisa esset? Tum mater, egregium filiæ facinus, summamque illius pauperratem exposuit, qua suadente capillos sibi ademisset, ut sine pudicitæ jacturâ, necessitati vitæ succurreret. Obstupuit vir ille locuples Virginis sagacitatem, & pudicitiam, simulque misericordiâ motus est. Itaque celans animo quod cogitabat, mulierem bono animo esse jussit; sed plenius doceri cupiens, discessit, & clam vicinos adijt, eosque de Virginis vita, ac moribus percunctatus, invenit illorum de pudicitiâ sermones, cum ejusdem Matris oratione congruere. Qua fama compulsus, Virginem indotatam duxit uxorem domum, summa patris sui voluntate, qui in affinitatibus conglutinandis, bonarum Virginum famam omnibus anteferendam existimavit.

At quantum ab hac viragine distant modernæ Virgines, pellices potius dixero quæ tantum abest ut virginitatis decus, pretioso capitis sui ornamento redimere paratæ sint, ut etiam capillis pro retibus utantur, ad capiendas adolescentum animas; vnde non injuria Crispi hi cincinni *Locken* vocantur, quibus

a Florus l. 2. c. 15. b Iani Nici Erithræi exempla c. 156.

bus oculos, animosque pelliceant, imo ut aptum igni pabulum sunt flammarum jacula emittunt.

Matronæ Romanæ, quando *a*Galli primo in urbem impetum fecerunt, deficientibus nervis, capillos raserunt, quibus chordæ necterentur in arcus flectendos, & sagittas emittendas. Hoc Romanum, sed & illud vanum & insanum, capillis velut jaculis uti, ad animos vulnerandos, & inflammandos, alio longe igne quam sponsa in Canticis, quam tot Virgines Deo sacratæ æmulantur. Fuerunt & aliæ prudentes Virgines, quæ immarcessibilem Angelicæ Virginitatis decorem, fragili corporis formæ, brevi in fœtorem & vermes abituræ prætulerunt, proq; hac tuenda fluxam venustatem ultro abjecere: norant enim quantum castæ ac niveæ mentis pulchritudo, corporea, ac carnea potior, ac præcellentior sit. Hanc porro si quis penitus nosse cupit, comperiet corporis pulchritudinem esse *brevem gratiam, temporis & morbi ludibrium*, ut ait *b* verus ac sincerus censor Nazianzenus. Hanc Bernardus vocat *c coloratam carnis putredinem, & purulentiam flavi sanguineique humoris, vitreæ cutis superficiem æqualiter suffundentem.* Vere vitreæ cutis superficies, ut Poeta:

Forma bonum fragile.

Sic vel Ethnici censuerunt. Theophrasto, forma est *fraus muta, & silens.* Socrati, est *blanda tyrannis*, quæ pudicitiæ insidiatur: *d* Lis *est cum forma magna pudicitiæ.* Est denique libidinis incentivum, adeo *e ut amor formæ rationis oblivio sit, & insaniæ proximus.* At quis mihi vivis coloribus castimoniæ, aut Virginitatis speciem, venustatemque depingat? *Eburnea domus, est corpus castum, ait Arnobius f in quo tinea non facit ullam læsionem peccati.* Patriarcha Venetus *g* de ea agens: vocat *augmentum omnis pulchritudinis*, quæ ipsum Regum Regem in sui rapit dilectionem. *Quid castitate decorius?* exclamat *h* Bernardus: præ hac omnia speciosa sordescere, D. Ephrem *i* testatur. *O castitas! cui abominationi sunt deliciæ, venustas corporis, & ornatus vestium.* Quid mirum si pro hac tuenda illam ultro prodigere, tot Virgines prudentes studuerunt? Talis S. Liberata, Regis Lusitaniæ filia, quæ cum esset incredibili corporis pulchritudine, cui plures proci insidiabantur, ne per nuptias Virginitatis suæ, * *tanta pulchritudinis ornamentum* deperdere cogeretur, cælestem suũ sponsum oravit, & exoravit, ut corporis formam, in teterrimam speciem commutarit, ac monstro similem reddiderit.

Hinc ea sanctitas consecuta, ut inter cetera miracula, cytharœdi ad mortem injuste damnati, dum per transennam imaginem ejus veneratur, ac Virginis patrocinium implorat, innocen-

a Veget. Nyssen dom. 4. post Pascha. disc. 3. b Greg. Nazian. in carm. & orat. 29. Bern. serm. 40. in Cant.

d Ovid. e Hieron. lib. 1. adv. Iovinian. f Arnob. in Ps. 44. g Laur. Iustinian. in ligno vitæ. h Bern. ep. 42 i S. Ephrem, tom. 1. ser. de castit. l. de Virg. * Bern, serm. 40. in Cant.

innocentiam ejus, argenteæ ocreæ excussione declararit. Altera *a* quid etiam fortius tentavit, cum à Regis libidine, integritati periculum imminere sentiret, faciem, cujus forma Regem captum sciebat, titione ardenti varie adussit, omnemque pulchritudinem obliteravit, ut Regis furorem extingueret, & candidam castimoniæ vestem, ab omni fuligine intactam servaret. Hæc nemo demirabitur, qui illud *b* Ecclesiastici expenderit quod *omnis ponderatio, non est digna continentis animæ.* Id est, ut exponit *c* Hugo Card. *ad comparationem animæ continentis. Inde est quod votum contientiæ, non habet dispensationem, quia non habet compensationem;* Quod si quis Virgini, Christo desponsæ offerat crumenam nummis plenam, appendat torques aureos, armillas, inaures, munera regia: *ponderatio non est digna continentis animæ.*

Quod si dotem etiam Virgini pauperi opulentissimam, dignitatem, ac generis nobilitatem insuper qua pollet, totiusque familiæ è paupere divitem fortunam condicat, ut virginitatem extorqueat: *ponderatio non est digna continentis animæ.* Non si formam, si famam, non si vitam adimere quis velit, virginitas exponenda est, *d* quia *ponderatio non est digna, non habet dispensationem, quia non habet compensationem.* Verum quidem illud Sapientis: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ;* Vtque opes, ac ipsam etiam corporis formam perdideris, imo *omnia perdideris, famam servare memento.* Hanc tamen etiam calumniantium linguis, quam castimoniam obscœnis lenonibus prostituere, longe præstantius. Virginitatem Deo voverat S. Vlphia, *f* quæ ut erat amœnâ quadam & corporis, & morum venustate spectabilis, in procorum oculos, & amores, simul & insidias incurrit: cumque nulla esset eas declinandi ratio, amentiam finxit, ut per insanæ mentis deliria, erroresque, & famam amitteret, & procos omnes, atque amasios à se dimitteret, fugaretque. Sic famam ipsam, boniq; nominis odorem sparsit, ac prodegit, atque ut una Virginum prudentum esse posset, amens videri voluit.

Sed parum hoc, ultro pro servanda pudicitia famam prodigere, fuere qui eam etiam Religiosissimis viris, & candidissimis mentibus extorsere, quibus teterrimam libidinis notam inusserunt, quia in partes suas trahere, & pudicitiam expugnare non valuissent.

Testis Susanna (ut & norint conjugati sibi validissime decertandum) testes viri Religiosi innumeri, quibus hic cum gravissima nominis infamia luctandum fuit potius, quam vel minimum castimoniæ suæ detrimentum fecissent. Innumeræ denique Virgines prudentes repertæ sunt, quæ pari cum Vrsula zelo, Virginitatis thesaurum præ vita, & sanguine æstimarunt: quia *non est digna* pon-

a P. Ioan. Rho. vide virtutum hist. pag. 763. b Eccl. 26. c Hugo Cardin. in Eccl. 26. d Hugo cit. e Prov. 22.

f Bolland. 31. Ian.

ponderatio continentis animæ, è millib⁹ unam adduxisse sufficiet.

Afferant qui Amoris evolvunt annales, si quam ex vltima memoria repetunt Heroinam, in amore adeò solertem ac fortem, vt si Euphrasiam *a* legant, non continuo huic omnes longo intervallo posthabeant: Deprehensa Euphrasia, Virgo Nicomediensis altercataque diutius cum impuro gladiatore, dum se eo loci vidit, ut neque vi, neque lachrimis ab armato, atque impotente juvene tueri pudicitiam posset; sistere illum jubet, ostenditque velle se pretio redimere, quod prece non potuisset: sagam se, ac magicis initiatam carminibus fingit, ijsque ab infantia operam dedisse, notum sibi esse medicamenti genus, quo qui semel corpus illinat, nullo deinceps ferro, telove nocumentum incurrat. Tantum arcani; quod ad eam diem clam omnibus habuisset, monstraturam se ea conditione, ut sibi persanctè juret, nullam imposterum pudori injuriam illaturum. Quod cum miles incensus armorum gloria, facturum jurejurando se obstringeret, avertit ab eo puella se tantisper, & liquefacta, quam forte penes se habebat cera, collum ac cervices oblinit sibi: tum conversa ad juvenem, Ut scias inquit, data à me tibi verba non esse, periculo meo fidem arti, quam exposui, comprobabo. Age stringe jam ferrum miles, istaque gladiatoria vi collum, quod modo ipsa mihi liquamine communivi pete, validis quantum potes lacertis, mox intelliges, quàm tutam reddere me, adversum te potuerim artificio meo. Ille cui ardorem libidinis, cupido experiundi medicamenti pene restinxerat, ferrum securus educit, inque locum à Virgine designatum, valide vibrat ac teneræ collum puellæ confestim secat, præciditque eodem ictu sibi spem potiundæ Virginis, ac Virgini, metum amittendæ Virginitatis. O plenum generosæ animæ pectus! O susceptum in arena, sed è cœlo suggestum consilium! O Virginei amoris fabri, usque adeò solertis ingenium! At ô corruptos nunc sæculi mores, o perversos nunc puellarum, juvenumque amores! habent & ij præstigias suas, & phyltra, quibus pudicitiam non ad sanguinem propugnent, sed quavis arte, vel Marte expugnent.

Quos ut cum Ioviniano pariter confundat Hieronymus, gentilium exempla inducit: *Vt quæ Christianæ pudicitiæ despiciunt fidem, discant saltem ab Ethnicis castitatem.* Vnde inquit: *percurram breviter Græcas, & Latinas, barbarasque historias, & docebo: Virginitatem semper tenuisse pudicitiæ principatum. Aristoclides Tyrannus adamavit Virginem Stymphalidem, quæ cum patre occiso, ad templum Dianæ confugisset, & simulachrum ejus teneret, nec vi posset avelli, in eodem loco confossa est.*

a Niceph. l. 7. c. 13. hist Eccl Strada. prolusion. Academ. l. 1. prolus. 5.

Hieron. l. 1. ad Jovinian.

Ob cu-

Ob cujus necem tanta omnis Arcadia dolore commota, ut bellum publice sumeret, & necem Virginis ulcisceretur. Tanta vel apud Gentiles Virginitatis Religio, ac veneratio. Quod quo manifestius sit, pergit porro: *Quis valeat silentio præterire septem Milesias Virgines, quæ Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt. Exemplum sui cunctis Virginibus relinquentes, honestis mentibus* MAGIS PUDICITIAM CURÆ ESSE, QUAM VITAM.

§. 3.

Qua ratione Virgines, Martyres esse queant.

COmpello hic viros Religiosos, qui candidis mentibus, & Spiritu Dei ferventibus aures præbent, edisserant obsecro, quoties has ex æstuanti pectore voces, & fervida suspiria exceperint: mille votis se exoptare, formam, famam, sanguinem, vitam profundere, quam virginitatis jacturam facere: unum id se indolere, quod cum Tecla, Cæcilia, Catharina, Ursula, Virginitatis suæ, Lilium Martyrii ostro tingere non liceret. Tali zelo cum & inter suos quosdam accensos adverteret Augustinus, hac ad eos exhortatione usus est: a *nemo dicat fratres Charissimi, quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possunt: habet enim pax nostra Martyres suos; nam libidinem fugere, pars magna* MARTYRII *est.* Atque hic fructus uberrimus hodiernæ parænesis erit, ut quæ in Ursula, ejusque glorioso comitatu, Martyrii palmam suspiciunt, qua ratione & ipsi, citra Tyranni persecutionem, eam prensare possint, intelligant.

Chrysostomus in exordio encomiasticæ de sancta Tecla, eam ante Martyrium cruentum, Martyrium Virginitatis obiisse docet: b *Virginitas illis qui rem accurate perpendunt, magnum quoddam Martyrium videtur: sunt enim crudeles quidam Carnifices, corporis voluptates; imo vero carnificibus crudeliores; nam vinculis torquent non manufactis: per oculos animam vulnerant: per aures mentis rigori, atque constantiæ, luxuriæ faces admovent: Novis subinde præliis nos lacessunt. Quando quis oculis cæcitatem indixerit, ne formas spectent; tum id quod clausum est, reserant voluptates, & lascivis per aures cantilenis resolvunt. Quando in aures cantibus meretriciis occlusus inciderint: tum libidines cogitationibus ornatæ illudunt. Quando illas per omnia, ut paucis complectar, vigilantes superaverimus, dormientes umbratili pugna divexant. Ita nos perpetuis, & in orbem redeuntibus præliis urgent. Porro si juventutem etiam aggressæ fuerint, tum verò stipula cum fornace jungetur. Quæ omnia Beatæ Virginis Teclæ* (dicam etiam Ursulæ) *longum* MARTYRIUM, VIRGINITATEM *reddebant; quæ cum voluptatibus, ut cum bestiis pugnabat; cum cogitationibus, ut cum cruciatibus lucta-*

a Aug. serm. 250. de temp.

b Chrysost. orat. de S. Thecla.

luctabatur : cum libidinum imaginationibus, quasi cum tormentis carnificum congrediebatur. Sed ab illo tamen multiplici, ac domestico bello, victoriam reportabat.

Quis nunc diffidat, etiam sine sanguine, & persecutore, Martyrii palmam se consequi posse? etenim oculos, aures, mentem, ab illicitis cohibere: *magnum quoddam* MARTYRIUM *est*. Omnes voluptates, & carnis illecebras superare: *longum* MARTYRIUM *est*: effervescentes floridæ juventutis motus frenare, penitusque extinguere: *longum* MARTYRIUM *est*, quod suo doctor mellifluus confirmat suffragio, dicens: a *parcitas in ubertate* (quam habuit David & Job) *largitas in paupertate* (quam exercuit Tobias, & Vidua) *Castitas in juventute* (qua usus est Joseph, & innumeræ virgunculæ, MARTYRIUM EST SINE SANGUINE. Imo hæc cum carne, in juvenibus lucta, adeo quibusdam dura, ac diuturna, ut cum Martyribus semel cervicem ferro subdere, longe mallent, quam his assiduo excruciari. Quid quod orator aureus, Virgines, flammas libidinis triumphantes, vivicomburium pati asseveret? qui ad hanc fortitudinem exhortans concionem, proposita tacita cautione, pace frui Ecclesiam, & persecutionis turbine non agitari, sic respondet: b *Equidem id etiam scio, persecutionis quidem tempus non est*; *at* MARTYRII *est tempus. Non persequuntur homines; at persequuntur dæmones: non laxat Tyrannus; at vexat diabolus tyrannorum sævissimus: non objectas prunas conspicis; at cupiditatis conspicis flammam accensam. Illi prunas calcarunt, tu naturæ pyram calca. Illi cum bestiis pugnarunt, tu iram, immitem & indomitam belluam fræna. Illi adversus intolerabiles dolores steterunt, tu absurdas, pravasque cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince. Ita* MARTYRES *imitabere. Ignis est naturæ cupiditas: ignis inextinctus sæva quidem prunarum est flamma; verum hac vehementior, est* FLAMMA CUPIDITATIS. c *Quodque scriptor Proverbiorum, fieri non posse dicit in corpore, idipsum in anima Virgo cogitur sustinere: numquid potest homo, inquit, ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Ecce ambulat ipsa, & perfert cruciatum. Nunquid potest quisquam abscondere ignem in sinu, & vestimenta ejus non ardeant? At hæc ipsa non vestibus, sed intus ignem continens, furentem & crepitantem* FLAMMAM PERFERT, *& sustinet.* En atrocissimum per flammas, quod Virgo patitur Martyrium.

Adstipulatur eidem castitatis Martyrio S. Hieronymus: inducit enim Demetriadem Virginem ex avita familia nobilissimam, Christi nuptias cogitantem, de probæ aviæ, & Julianæ matris contraria voluntate solicitam, animantem sese ad domesticum certamen, exemplo S. Virginis Agnetis, quæ & ætatem vicit, & tyrannum; quasi & ipsi de profitenda Virginitate consilium capienti, Martyrium in-

a Bern. in sentent. b Chrysost. orat de S. Barlaam. Mart.

c Chrysost. de Virginit. cap. 34.

incruentum esset subeundum. Et vero stimulos, quibus seipsam urgebat ad impigre perficiendum opus Dei, his postremo verbis exacuit: a *Habet & pudicitia servata*, MARTYRIUM SUUM. Quod ipsum, exemplo ipsius Agnetis probat Ambrosius, dum sic concludit, dicens: b *Habetis igitur in una hostia* DUPLEX MARTYRIUM, *pudoris, & Religionis; & Virgo permansit & Martyrium obtinuit.* Apertissime Martyrium cruentum, Religionis causa intentatum fecerunt ab incruento pudoris, & illibatæ Virginitatis Martyrio. Nec minus dilucide, paulo post Marcellinam sororem compellans, eamque ad imitationem Agnetis exstimulans, ait: *non ideo laudabilis Virginitas, quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa* MARTYRES FACIT.

Hujus amore Martyrii, tot nobiles, ac nubiles filiæ inflammatæ, omnes aulæ delicias, omnes Regni divitias, omnes carnis delicias, forti animo aspernatæ sunt, ut hac Virginitatis Laureola, & aureola donari possent. Qua præ ceteris condecorari meruit, Virgo illa in Germaniâ, illustri familia, forma corporis pervenusta; moribus, ceterisque gratiis elegantissima. Hanc sibi Sigismundus Rex in sponsam, bona parentum venia (de qua nullus erat dubitandi locus, c cum hisce nuptiis familia ad regiam dignitatem elevaretur) sibi delegit. At omnis ex parte Virginis difficultas movebatur, quæ se, suamque castimoniam immortali Regi devoverat. Interim inter Sigismundum & parentes, Matrimonium concluditur, eóque res deducta, ut & locus, & tempus, & dies certus connubio ineundo, ac nuptiis celebrandis constitutus sit. Jamque sponsa in templum deducta, ut Regi Sponso suo manus daret, pernicitate mira, cunctis stupore defixis, ad Virginis Matris aram convolavit, cui recte quadrat, quod de Altari sui temporis Ambrosius: d *Memoria nostra puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias à parentibus, & propinquis, ad sacrosanctum Altare profugit.* Atque, inde potenti oratione, sic Regem affata est: per has lachrimas Majestatem vestram, quam possum ardentissime rogo, ut me indignissimam, in quam oculos defigeres, ad hanc aram vivere, & mori sinas. Fateor longe supra omne meritum, & spem meam, esse favorem, & honorem, quo sua Majestas me dignatur; sed noveris me Virginitatem quam cœlesti ac immortali Sponso dicavi, regio diademati & omnibus mundi regnis præferre. Rex hos constantes puellæ, pro Virginitate animos admiratus, adeo suspexit, & collaudavit, ut pudicitiæ illius se defensorem fore spoponderit, ac reipsa splendididissimum convivium apparari, Regiis quæ paratæ erant vestibus illam indui, omnibus margaritis, ac monilibus exornari, gemmeo diademate coronari jussit, atq; ita hoc regio choragio indutam, Christo

a Hieron. epist. 8. b Amb. l. 1. de Virg. c Vincent. Belluac. Spec. mor. p. 3. c. 1.

d Amb. lib. 1. de Virg.

Spon-

Sponſo ſuo, Regi cœlorum, qui ejus ſpeciem concupierat, illam libens volenſque conſecravit.

Ut & vos, ô Virgines, hic Virginitatis ardor teneat, ut & ſanguis pro ea conſervanda in venis bulliat, excitet vos invictiſſima, de qua inpræſentiarum agimus, Virginum Anteſignana, Urſula, cujus ſanguis in civitate Amalphina apud *a* Patres Capuccinos Sacras inter Reliquias, religioſe aſſervatur, ampulla Vitrea probe clauſus. Is quotannis, die illi feſto, divino prodigio ſolvi ſolet, liquefieri, & quodammodo ebullire, ut vel ex eo prodat, quomodo illius anima ab æſtu divini amoris ſolveretur olim, ac liquefieret: & quomodo nos etiam ipſi ſolvi, ac liqueſcere debeamus, inque amorem Sponſi, cui ipſa & formam, & vitam, & ſanguinem pro Virginitate conſecravit, pariter exardeſcere debeamus.

a P. Crombach in Urſula vindic. l. 10. c. 14. P. Silveſter Petra Sancta Thaumaſia Relig. tom. 3. p. 113. Lobber. gloria Patriarch. pag. 569.

F E-

FESTUM
SS. SIMONIS ET JUDÆ
APOSTOLORUM.

Fac tibi duas tubas argenteas. Numeror. 10.



Spiritus intus agit. Virg. 6. Æneid.

ARGUMENTUM.

SUb Juda, & Simone, Machabæis: a *Clamor belli adſcendit ad cælum ſicut* TUBA *&* *exclamaverunt* TUBIS. Verum duæ tubæ, novæ legis, ubi b *Spiritus intus agit*,

a L. 1. Mach. c. 5. v. 31. & 33. b 6. Æneid.

alium

alium ſonitum per orbem dederunt, alium terrorem hoſtibus incuſſerunt, ac longe potentius quam olim Gedeonis buccinæ, Jerichuntinos muros, hæ cæleſtes tubæ, infidelium ac perverſorum hominum mores ſubverterunt. *a* Nec myſterio vacat, eas à Propheta *ductiles* appellari, quia ut Hipponenſis Præſul exponit; *tundendo producuntur*; atque ita aptiſſimæ ad laudes Deo concinendas redduntur. Quales ſe præbuere, non modo hi duo invictiſſimi pugiles; ſed & omnes ii, qui morbis dejecti, pauperie oppreſſi, calumniis impetiti, injuriis laceſſiti *in tubis* b *ductilibus* laudes canunt Deo. Nullus etenim ſonus gratior, nulla muſica ſuavior, nulla harmonia divinis auribus blandior adlabitur, præ iſtâ, qua adverſæ fortunæ malleis, veluti contuſi, *Deo gratias cantare* eumque laudare audiuntur. Unicum porro in adverſis, ſincero corde, *Deo gratias* depromptum, plus valet (ut videbimus) quam ſex millia in proſperis, & rerum omnium affluentia.

§. I. *Fac tibi duas tubas argenteas.* Num. 10.

§. II. *SS. Simon & Iudas concinuerunt domino* IN TUBIS DUCTILIBUS Pſal. 97.

§. III. *b* SPIRITUS INTUS AGIT, *quando in adverſis Deo laudes concinunt.*

a Aug. in Pſal. 97. *b* Pſal. 97. *c* 6. Æneid.

F E-

FESTUM
SS. SIMONIS ET IUDÆ.

Fac tibi duas tubas argenteas. Numeror. 10.

HEros ille invictissimus Mathatias, priscæ legis æmulator egregius, in extremo vitæ agone constitutus, utrumque filium suum, Simonem & Judam *a* Machabæum paternè adhortatus est, ut fortiter pro grege, & lege Dei decertarent, eosque à prudentia, ac fortitudine collaudans, Duces populo, ad bellandum bella Domini præfecit, dicens: *Ecce* SIMON *frater vester, scio quod vir consilii est: &* JUDAS MACHABÆUS *fortis viribus à juventute sua, sit vobis Princeps militiæ.* Ac tandem moribundâ voce, & manu postremam illis benedictionem impertivit.

b Hugo Cardinalis appositè in rem nostram ait: *Hæc exhortatio illam significat, quam fecit Dominus* (JESUS) *imminente passione, discipulis suis post cœnam, & satis illi concordat, unde in fine sequitur: & benedixit eos.* Magna Simonis laus à consilio & prudentia; quia ut rectè Ambrosius: c *talis esse debet qui consilium dat, ut seipsum formam aliis exhibeat in Doctrina, in integritate: ut sit ejus sermo salubris, consilium utile &c.* Tali consilio ac prudentia discipulos suos Christus imbutos voluit, cum *d* dixit: *Estote prudentes sicut Serpentes.* & alibi: e *ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

Rabanus *f* Simonem virum consilii, ex peculiari Spiritus Sancti gratia, nuncupatum affirmat, dicens: *Simon, audiens interpretatur, & benedixit Simonem esse virum consilii, quia qui Spiritus Sancti gratia docente, auditu instruuntur interno, utiles per omnia, atque habiles consilio sunt.*

At noster Simon Apostolus, divino Spiritus Sancti illapsu, non modo donum consilii, sed & donum intellectus, donum sapientiæ, fortitudinis, omniumque gratiarum adeptus est.

Judam vero Machabæum, vel ipsum nomen, bellicosum declarat, nam μάχομαι bellare est. Nec ullum à Græcis nomen accipere potuit Judas polemicæ, & bellicosæ suæ indoli aptius. Quare si, ut rectè *g* Mediolanensis Antistes, *fortitudo potissimum adversis probetur, spectemus* JUDÆ MACHABÆI, atque ipsius Simonis, *exitum gloriosiorem* triumphalibus

a Lib. 1. Machab. c. 2. v 65. b Hugo Cardinal. in lib. 1. Machab. cap. 2. v. 65. c Amb. l. 2. de offic.

d Matt. 10. v. 16 e Lucæ 21. v. 16. f Raban. in gloss. g Amb. l. 1. offic. c. 41.

triumphalibus

triumphis; a atque ut novos hosce Christianæ militiæ Principes, antiquis illis belli ducibus, ut nomine, sic re simillimos exstitisse cognoscatis, paucis dum eos inter se compono, attendite.

Sacri Machabæorum annales referunt, quod *abiit* SIMON *in Galilaam, & commisit pralia multa cum gentibus, & contrita sunt gentes à facie ejus*; quocumque pergeret adeo terribilis hostibus apparebat, ut jure illud Cæsaris usurpare potuerit: *Veni, vidi, vici.* Quid, quod vel conspectum ejus ferre reformidarint.

Et surrexit JUDAS, *qui vocabatur Machabæus, & præliabatur prælium Israel cum lætitia.* Ubi scitè observat Hugo Cardinalis, *quia Dominus lætificabat eos intus per gratiam.* Nunc si lubet, bella Domini quanta cum animi alacritate, quanto cum gaudio, Apostoli hi prosecuti sint, videamus.

S. Simon, ut testatur b D. Fulgentius, *an zelo quo æstuavit*, seu ut expressius Nizephorus, propter flagrantem in Magistrum suum ardorem, summamque Euangelicæ rei per omnia curam, *Zelotes* cognominatus est, quod vel maxime comprobavit, cum accepto jam Spiritu Sancto, in Ægyptum, Cyrenem, Africam, Mauritaniam & Lybiam, expeditionem adornavit. Interea Judas Thadæus, Germanus ejus, Judæam primum, inde Galilæam, Samariam, Idumæam, Arabiam, Mesopotaniam, ac tandem c Edessam lustravit. Hic Regem Edessæ Abagarum convenit, telam ferens, in qua vultum, sui quam simillimum servator expresserat, munus certe ab artifice quem referebat, maxime commendandum. Quod ubi cubiculo decumbentis Regis fuit illatum, locum illico omnem inusitata luce complevit: mox adspectu suo Apostolus, qui teste S. Bonaventura, miro splendore radiabat, Abagarum à morbo recreavit, tactu vero persanavit etiam. In sacris undis cum omni aula sua ablutus, imaginem conspicuo loco venerandam proposuit, ipse epigraphen, literis auro liventibus, in hunc sensum adjecit: *Spes non confundit, quam quis in te Christe Iesu reponit.*

Tum cordi ac curæ fuit Thadæo, quam maximè, ut vivos Dei vultus, Barbarorum animis induceret, & falsas Deorum imagines, eorumque fana ac delubra funditus everteret.

Olim Judas ille Machabæus d *aras eorum, & sculptilia Deorum ipsorum succendit igni.* Haud multo segnius, Judas noster Thadæus idola destruxit, magos confudit, dæmones fugavit, de inferorum hostibus, una cum Simone triumphavit. Qua porro id ratione factum sit, paucis, adverte, docebo.

Baradach potentissimi Regis Babyloniæ Primas, totiusque exercitus Arehistrategus, Indos excr-

a Simon & Judas Machab. cum SS. Apost. Simone & Juda Thadæo conferuntur l. 1. Machab c.5. v.21. Redanus hic. in Machab. pag. 570. Lib. 1. Machab. c.3 v 1. b S. Fulgent. serm. 9. Niceph. hist. Eccl. lib. 2. c.40. Baron. à Chri. 44. n. 20.

c S. Bonav. serm. de SS. Simone & Juda. d Lib. 1. Machab. c 5. v. 68.

bello a petiturus, super ancipiti aleâ, idola sua, omni veneratione sciscitatur; quæ dum pertinaciter obmutescerent, audit ex sacrificulis, dæmonum administris, nec Deorum ora aperienda, nec oracula fundenda, quamdiu istac in Provincia, hi duo Christi pugiles morarentur. Quæsiti, reperti, adducti coram, Baradach, idolis ora laxarunt, quo efficacius falsitatis arguerentur. Fandi itaque copia data, edicunt bellum quod parat, longum fore & maximè cruentum, atque utrimque magnam militum cladem futuram.

Expalluit & expavit ad hoc sinistrum oraculum belli Dux: cui mox Apostoli omnem metum ademerunt, dicentes: minimè fidendum fictis Deorum simulachris, qui ex patre mendacii, falsa vaticinantur, quandoquidem sub crepusculum diei proximè insequentis, hora tertia, Indorum Legati adfuturi essent supplices dexteram daturi, & pacem rogaturi; quod ut eventus comprobavit, in admirationem sui & amorem, ipsum Archistrategum usq; eo tapuerunt, ut sententia mortis in sactificulos decreto, Apostolos magnis muneribus locupletarit: quæ dum ipsi generosè respuerent, ut homines divinos complexus, aditum in Babyloniæ Regnum, atque ad ipsum Regem accessum patefecit; apud quem, ut nobis Advenis invidiam conflarent, istius gentis Mystæ ac Magi, suis incantationibus, ingentem vim Serpentum produxere, qui cum ad nutum horum Apostolorum in ipsos Magos ac idolorum cultores insilirent, eosque miserè excruciarent (dilaniare inhibiti) Rex cum omni sua aula, ad Christi castra concessit, de quo felicius noster Simon & Iudas, quam Machabæi de Nicanore triumpharunt.

Iudæ Machabæi laus & fama tam illustris semper exstitit, ut ejus nomine, soleant Christiani Heroes condecorari, qui contra infideles fortiter dimicarunt; ut è Lotharingica domo b Godefridus Bullonius, primus qui Hierosolymitanum Regnum recuperavit, cujus sepulturæ hoc brevè inscriptum Epitaphium:

> *Rex Baldutnus*, IUDAS ALTER MACHABÆUS
> *Spes patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus utriusque.*

Ex eadem familia cum Hæreticorum, in ipsa Galliæ viscera sese penetrantium copias, illustrissimus Dux Guisius stravisset, ac penitus extirpasset, Macchabæi nomine, encomio laudatissimo insignitus est.

Nos qui Christiani sumus, si Machabæi titulo exornari velimus, strenuos nos, ac bellicosos, contra omnes insultus mundi, carnis, & diaboli exhibeamus Et quoniam magno teste Ambrosio, c *fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam adversis probatur*, *spectemus* (ut supra diximus) *Machabæi exitum, qui gloriosiorem mortem, triumphis invenit.*

a Ribadinera festo SS. Simonis & Iuda.

b Serarius in Iudi es. c Amb. l. 1. Offic. c. 41.

Hic

Hic ultimum, in quo pro Religione, ac Deo suo fortiter occubuit, bellum aggressurus, tubas adhibuit, & in oratione clamavit ad Dominum l. 1. Machab. c. 5. v. 31. cœpit bellum, *& clamor belli ascendit ad cœlum sicut* TUBA. & v. 3. *exclamaverunt* TUBIS *& clamaverunt in oratione*. Invictum ut credo, illum Ducem Gœdeon æmulati, qui tubarum clangore, & militum clamore ad Dominum, Ierichuntinos superavit.

Nos priusquam Apostolorum *gloriosiorem mortem triumphis* demonstremus, quemadmodum velut tuba exaltantes vocem suam, civitatem diaboli destruxerint, ipsosque Deos in *tubas argenteas*, adversitatum ac tumultionum pressuris *ductiles* efformarint, videamus.

§. 1.

FAC TIBI DUAS TUBAS ARGENTEAS Numeror. 10.

REfert Ælianus *a* Theonem pictorem celeberrimum, omnem artis suæ industriam, & ingenii vires advocasse, ut fortissimum quendam belli Ducem mortis furore correptum, minaci fronte, scintillantibus oculis, spumanti ore, toto corporis habitu cædem anhelantem scitè exprimeret.

Quod cum feliciter, & ex voto suo consecutus esset, non prius tabulam spectandam proposuit, nec Siparium dimovit, quam tubicines post tabulam reconditi, tubas inflare cœpissent. Idem mihi hodie finis præstitutus est, non prius Duces nostros praclarissimos; oculis vestris penitius contemplandos proponere, quam auribus, gratissimus tubarum clangor insonuerit.

Ac primum quidem *b duas* TUBAS ARGENTEAS, quas Dominus per Moysen fieri præcepit, Sanctus Ambrosius *c* RATIONABILES TUBAS interpretatur, *argento probato, id est, pretioso verbo compositas & ornatas*; quibus non raucum quid increpans, terribili sonitu murmur interstrepat; sed *sublimes gratia Deo continua jubilatione fundantur: talium enim* TUBARUM SONITU, *mortui suscitantur*. hostes animi in fugam vertuntur, muri interioris Jericho destruuntur.

Origenes *d* ille vere Adamantinus, si in fide perstitisset, divinum illud, quo Josue urbem Jericho expugnavit, stratagema contemplatus, orbem universum crassissimis flagitiis, ceu muris validissimis cinctum, prædicatione Apostolorum, quasi clangore tubarum funditus eversos, hisce verbis testatur: *Iericho figuram præsentis sæculi obtinet; cujus robur & munimenta*, SACERDOTALIBUS TUBIS *videmus esse destructa: firmitas namque & munimenta, quibus velut muris, mundus iste nitebatur, idolorum cultus erat, divinationum fallacia, Augurum atq; Aruspicum, magorumque commenta, quibus om-*

a Ælian. l. 2. c. 44.

b Numerror. 10. c S. Ambr. tom. 3. de fide Resurrect. d Origenes in Iesu Nave c. 5. hom. 6.

nibus,

nibus, velut muris validissimis ambiebatur. Hic mundus insuper etiam diversis Philosophorum dogmatibus & e… inentissimis assertionibus, velut proceris quibusdam & robustis turribus firmabatur. Veniens vero Dominus noster Iesus Christus, mittit Sacerdotes Apostolos suos portantes TUBAS DUCTILES *prædicationis. Sacerdotali* TUBA *primus in Euangelio suo Matthæus increpuit: Marcus quoque, & Lucas, & Ioannes suis singuli* TUBIS *Sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam epistolarum suarum personat* TUBIS*: Iacobus quoq; ac* IUDAS: qui una cum Simone, quomodo per universam Persidem, in quam simul convenerant, sonum ediderint, & clangore suo, *idolorum cultum, & Magorũ commenta*, quibus *velut muris* ea Regio cingebatur, destruxerint, mutæ satis loquuntur, celeberrima illa Solis & Lunæ simulachra.

Iam cœlestes hi Buccinatores *a* in Persarum Regnum sese penetrarant, & similes Christo, *prædicando Euangelium & pœnitentiam, plurimas* gentes ab errore revocarant; cum subito in eos odio commoti, à magicis artibus nominati duo Zonet & Arphaxad, deinde idolorum Sacerdotes ac Ministri, eos in vincula conjecerunt. Inde eductus Simon ad templum Solis: Iudas autem ad fanum Lunæ, ut horum Deorum simulachris immolarent; at nullus unquam Tullius in Philippicis, aut Verrinis efficacius invectus est, quam hi duo in infames Idolorum cultores, clarissimis argumentis convincentes, hæc esse opera hominum manufacta, ipsumque Solem ac Lunam cœlo spectabilem, habere conditorem suum qui b*fabricatus est auroram & Solem*: hunc esse ortum ex Virgine Solem Justitiæ Christum Dominum nostrum: Lunam autem Deiparam, de qua David c*Luna perfecta in æternum.* Atq; ipsa lege divina cautum, inanimata illa sidera venerari Deuteron. 4. *Cave ne forte elevatis oculis ad cœlum videas Solem & Lunam & omnia astra cœli, & errore deceptus, adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Atque inde ad preces conversi, ecce mirum dictu, visuque, & simulachra, sua mole ruere, & ex iis Stygiorũ Æthiopum formâ excedere dæmones, & inconditis clamoribus ac mugitibus omnia complere cœperunt; atque ita civitas diaboli, cum muris suis ac machinis, ad harum tubarum clangorem corruit, & subversa est. Hortatur hic sacros Ecclesiastas Hipponensis Antistes, ut eorum exemplo, mundi hujus muros, id est perversos mores, machinationes, fraudes, dolos, turres superbiæ, avaritiæ, cum populis suis, id est omnibus ceteris vitiis & concupiscentiis, vocis suæ clangore destruant atque evertant: *sicut enim* inquit, CANENTIBUS TUBIS, *muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet, ut civitas mundi, id est superbia cum suis turribus, avaritia scilicet, invidia, atque luxuria, simul cum populis, id est omnib⁹ concupiscentiis malis*

a S. Vincent. festo SS. Simonis & Iudæ. Ribadin. in vita.

b Psalm. 73. 16 c Psalm. 88. 38 August. serm. 106. de tempore.

assidua Sacerdotum prædicatione destruatur, atque dispereat. Vtinam ea vocis contentione, ea Spiritus libertate, divini verbi Præcones dicerent, *ut superbiam cum suis turribus*, turritas inquam vertices, erectas cervices, elatos animos deponere: avaritiam cum altis auri argentique cumulis, in pauperum ventres; quasi in humiles valles demoliri: sulphuream denique invidiæ ac luxuriæ machinam, divini amoris fomite subvertere, efficaciter aniterentur. *Non aergo oportet ut Sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem*: b *Clama ne cesses*, QUASI TUBA *exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* TUBA *itaque peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed & cor concutiat: nec delectet cantu, sed colliget auditu, & strennos quoque hortetur in bonis, & remissos terreat pro delictis.* c *Nam sicut in prælio* TUBA *formidolosi militis montem dejicit, & animum fortis accendit, ita & Sacerdotalis* TUBA *mentem peccatoris humiliat, animos viri Sancti corroborat.* Ac tandem concludit, egregie hoc divini Præcentoris elogio: *nec parcit voci, ut parcat saluti.* Tona, fulmina, flammas æternas, ignem & sulphur evome. Fabulantur certas aliquando tubas eo artificio fuisse conflatas, ut eodem tempore quo alicujus Spiritu animarentur, in sonum pariter & flammas erumperent; ut fulgura non minus quam tonitura de tubis, veluti de nubibus exire viderentur. Ita prorsus ex Apostolicis tubis tonitrua ac fulgura prodierunt.

Quin & vos spectet Auditores, monitum illud d Isaiæ: *quasi* TUBA *exalta vocem tuam*: si in familiis vestris sermones lascivi, protervi, detractorii audiantur: *quasi tuba exalta vocem tuam*, increpa, insona, intona; si legem Dei violari, festa contemni, jejunia infringi, flagitia committi deprehendas. *quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo tuo scelera eorum.*

Hactenus Apostolos; quasi e *duas* TUBAS ARGENTEAS; *argento probato, id est pretioso verbo compositas & ornatas* extitisse probavimus, nunc quemadmodum *ductile* fuerint, prosequamur.

§. 2.

SS. Simon & Iudas concinuerunt Domino IN TUBIS DUCTILIBUS. Psalm. 97.

Animat nos Psaltes Regius, ut cantemus *Domino, in* TUBIS DUCTILIBUS, *in voce tubæ corneæ.* In quæ verba more suo acutè & argutè f Augustinus *quid sibi volunt* TUBAE DUCTILE s? atque ipse sibi ac nobis respondet: DUCTILES TUBAE *æreæ sunt, tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando eritis* TUBAE DUCTILES, *ad laudem Dei productæ.* Cantemus & nos Domino *in tubis* hisce *ductilibus*, in Sanctis Apostolis,

a Aug. cit. b Isaiæ 18. c Pelegrini Paradox. in c. 12. Matt. Parad. 5. pag. 370.

d Isaiæ 18. e Ambr l. 3. de fide resurrect. Psal. 97. f August. in Psalm. 97.

qui

qui labore & sudore per fervidas Ægypti & Persidis arenas in fame & siti, in jejuniis multis, in persecutionibus assiduis, in carcere & vinculis, in persecutionibus assiduis, in calumniis acerrimis, *in innumerabilibus ærumnis & afflictionibus*, tormentis acerbissimis detenti sunt, contusi sunt, malleis ac tunsionibus plurimis ductiles facti sunt: *quia necesse est* (sic loquitur orbis oraculum S. b Gregorius) *ut hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum probentur tunsionibus, & d[illegible] crescant.*

Sed ne longior sim, omnes adversitatis ictus, quibus valide Apostoli contusi fuerunt, libens prætereo, unius linguæ pervicacis calumniam, quæ viros Dei contundere ac confundere satagebat, non possum, quin vobis hic in medium proferam. Sermo iste per vulgus increbuit, atque ea fama vagabatur, homines illos, quos ut cœlo delapsos, jam complures suspiciebant, fictam quandam ac inanem sanctitatis umbram præ se ferre, revera autem prostitutæ nequitiæ, c ac omnium flagitiorum artifices existere; quod ut in comperto sit, Euphrosynum quendam horum Diaconum infamis plane sceleris reum agunt, & illustre veritatis testimonium puellam inducunt, quæ ab Euphrosyno se imprægnatam palam omnibus, inter ipsos partus dolores profitetur: unde facilis conjectura, qui talem circumducerent Diaconum, quam ipsi integri & illibati forent Sacerdotes. Urit vehementer Christi servos hoc convitium; porro quam validi, præ omni malleorum tunsione, calumniarum ictus sint, ipse Iobus satis testatus est, qui inter omnes adversitates conticuit, atque alto silentio dolorem pressit; at ubi verbera linguæ expertus est, sese continere non potuit, quin erumperet, & in justas querelas gemitusque elaberetur, dicens: d *usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus.* In ædium ruinâ erectus stetit Iobi animus, perculit illum pecorum strages, perculit charissimorum pignorum oppressio, perculit illum toto corpore Satan ulcere pessimo, & his omnibus concussus stetit elinguis; at quod mireris, vim linguæ, maledici dentis aciem, ut ictum Serpentis validissimum tam vividè sensit, ut in querelas & lamenta proruperit. e Ita inquit Origenes: *Sæpenumero qui corporis cruciamenta toleravit, non passus est verba.* Quod ipsum confirmat f Ambrosius: *Multi cum vicerint adhibita tormenta, sermonum duritiam non sustinuerunt.* Et quisquam leve ducat, Cœlestis Imperatoris Legatos, linguis omnium impeti, oculis perstringi; digitis notari? hac tamen ratione tubâ duci ac conflari volebat, qua g *fama super æthera noti*, eorum innocentia omnibus innotesceret: divino etenim prodigio factum est, ut infans in lucē editus, jussus edicere, an Dia-

a Nicephor. l. 2. c. 40. b S. Greg. l. 30. mor. c. 7. c Ribadin. in vita.

d Iob. c. 19. e Origen. in Iob. c. 19. v. 2. f Amb. l. 2. mor. c. 3. g Virg. 1. Æneid.

conus Pater suus esset, cum omnibus aulicis ac [illegible] in [illegible] circumdatis, [illegible] innocentem diserte pronunciavit. Quem felicissimum eventum præ cæteris extollit [illegible] Doctor Seraphicus: *Gentiles videbant in illis Apostolis signa & miracula inconsueta, scilicet Magos in suis præstigiis ligari, serpentes effugari, tigrides mansuefieri, mortuos suscitari*, ET QUOD PLUS EST, *filium puellæ, quem ex adulterio conceperat unius diei, ad proferendum testimonium, ut Diaconum infamatum absolveret, appellari.*

Quid ad hæc Auditores? psallite & vos *in* TUBIS DUCTILIBUS. Nostis quomodo? Hipponensem Præsulem *b* audite: *Quando malorum hominum persecutionem patimur vapulando, erimus* TUBÆ DUCTILES, *ad laudem Domini productæ, si cum tribulatione proficimus. Tribulatio tunsio est, profectus productio est.* Tentatio interior, afflictio Spiritus, tunsio est: jactura bonorum, vastatio agrorum, morbus, miseria, paupertas, tunsio est: immatura mors liberorum, charæ conjugis, tunsio est: injuria nomini ac famæ illata, tunsio est. Hi mallei sunt, quibus in tubas ductiles producimur; mallei insuper sunt maritus temulentus, uxor contumax, filius discolus, vicinus invidus, amicus fraudulentus, judex iniquus, adversitas denique omnis, ad quos validissimos ictus, ut quisque vestrûm obduret, monet *c* Augustinus: *Malleo* inquit *tunditur & justus & peccator: ille ut probetur, iste ut puniatur; aut certe, ut justus augeatur in bono & peccator corrigatur a malis: sub illo enim malleo, in manu, id est, in potestate Dei constituto, tunduntur non solum humiles, sed & superbi; sed humiles producuntur, superbi comminuuntur*, ut vitrum. Eo alludit B. Damianus: *d sit ergo mens nostra, non quasi vitrum, quod ad primum percussionis ictum impatiens frangitur; sed pretiosi potius vena metalli, quæ sub mallei tunsione purgatur. Esset plane vitrum cunctis metallorum fulgoribus longe præstantius, si primis ictibus pressum non cederet.* Attendite [illegible] ad ictus, vos vitreos probatis. *e Malleo Apostolus tundebatur* & infractus permansit. *f In isto malleo tunduntur* DUCTILES TUBÆ, *id est animæ Sanctæ, ut resonent Dei laudes.* Quod fit quando Spiritu Dei pleni, in adversitatibus & ærumnis, hunc gratissimum Deo sonum, gratiarum actionem insonamus.

§. 3.

SPIRITUS INTUS AGIT, *quando in adversis, Deo laudes concinimus.*

AUdi oraculum Africanum: *g beatus Iob ita* DEI SPIRITU *plenus erat, ut velut* DUCTILIS TUBA, LAUDES DOMINI *dulciter decantaret.* Ad hunc tam fortem & suavem sonum aures arrigite: *h quando a diabolo per-*

a S. Bonav. in festo SS. Simonis & Judæ. b Aug. ser. 222. de temp. c Aug. serm. 222. de temp.

d B. Pet. Damian. Opusc. 40. cap. 7. e Aug. cit. f August. in Psal. 97. g Aug. serm. 222. h Aug. cit.

cussus

cussus, tantis damnis, orbitate etjam filiorum afflictus, in nullo contra Dominum murmuravit. Tunsione illa tantæ tribulationis, factus est tuba ductilis. Ergo audiamus si ipsa bene sonuit: audi, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. O sonum fortem! O sonum dulcem! quem non dormientem excitet sonus ille? Priusquam tuba illa Judicii à damnoso veterno altè dormientem excitet.

O sonum fortem! O sonum dulcem! Deo in ærumnis, in morbis, in corporis animique afflictionibus, laudes canere. Tussit quis totam noctem, præcordiis male concussis, somnum non vidit, & omnes horarum partes numeravit, ubi longam illam noctem per mille tædia & cruciatus, volvendo se & revolvendo emensus est, si bene mane exclamarit *benedictus Deus*, qui aliam pro me longè acerbissimam, noctem illam passioni postremam exantlasti, *O sonum fortem! O sonum dulcem!*

Est qui dolore capitis, torsione stomachi, qui arthritide, calculo, podagra laboret, & tamen hoc unum respirat: *Benedictus Deus*, qui pro me, à planta pedis usque ad verticem capitis, concisus es vulnere super vulnus. *O sonum fortem! O sonum dulcem!* a Beatus servulus, qui Gregorium Magnum habet Encomiasten, a prima ætate usque ad finem vitæ plurimis annis paralysi detinebatur; ita quidem ut nec manum ad os movere, nec in alterum se latus vertere potuerit: nihilominus tota pæne Biblia memoriæ mandavit audiendo. Istius vivere quid erat, nisi diu mori? dumque sic quotidie tot annis moreretur, illud unum *Deo gratias* assidue usurpabat. *O sonum fortem! O sonum dulcem!*

Est qui gravissimè queritur vastationem agrorum, jacturam bonorum, extremam familiæ suæ satis numerosæ penuriam. Dolet insuper non suppetere, quod in pauperes, ut solebat, libens & liberaliter effundat. Hauriat ex fonte aureo solatium: b *Omnibus privatum generosè & cum* GRATIARUM ACTIONE *id ferre, multo majus est, quam in divitiis degentem facere eleemosynam.* & alibi: *Parem habebis mercedem cum eo qui pecunias suas pauperibus largitus est, si amissis illis,* GRATIAS *egeris.* c Hanc vocem si emiseris, *O sonum fortem! O sonum dulcem!*

Alter infortunium suum fert ægerrime, merces suas mari haustas, horrea flammis absumpta, aut magnam auri vim inopinà pretiosa, ab infida pedissequa, à rapaci famulo clam subrepta. Adi è fonte rivulum: d *perdidisti pecunias* (in rees monilia) *si* GRATIAS QUIDEM EGERIS, *animam lucratus es.*

Denique ærumnas quisque suas & adversitates in memoriam revocet, & tam fortissimum Christi militem, purpuratum Martyrem Theodorum æmuletur: qui ævo Maximiliani Imperatoris, laceratis & pertusis jam lateribus, vix spi-

a Greg. l. 4. Dial. c. 14.

b Chrysost. tom. 4. in 1. ad Tim. 2. c. 2. tom. 3. c Chrys. hom. 5 de patientia Job. d Chrys. in c. 11. Gen. hom. 33. & tom. 5. hom. 1. prope finem.

spirans amplius, in hæc verba exspiravit: a BENEDICAM DOMINUM OMNI TEMPORE. *O sonum fortem! O sonum dulcem!*

Augustinus in illa verba Psaltis Regii: b *Benedicam Dominum in omni tempore*, sic apte disserit: *dicit Christus, dicat & Christianus. Quando benedicam Dominum, ait tibi aliquis? quando tibi benefacit, quando multum abundat frumenti, olei, vini, auri, argenti, pecorum; felicitas tota abundat in domo, circumstant omnia, tunc benedices Dominum? non, sed in omni tempore, quando ista auferuntur*, & post pauca inducent Jobum: *Ecce habes exemplum benedicentis in omni tempore*, quoties nova clades nuntiabatur, toties Job novas Deo gratias agebat. Venit qui nuntiaret: boves cum asinis à Sabæis abacti sunt. Ad quæ Jobus: *Sit nomen Domini benedictum.* Venit alius: ignis è cœlo lapsus, ovium greges absumpsit. Job iterum: *Sit nomen Domini benedictum:* Venit tertius: camelos invaserunt Chaldæi, & abegerunt omnes. Job constanter: *Sit nomen Domini benedictum.* Venit alius: liberi tui omnes una cum domus ruina sepulti sunt. Job ut prius: *sit nomen Domini benedictum, sicut Domino placuit, ita factum est.* Exurgit hic in laudes Prophetæ celeberrimus Doctor exclamando: c *quomodo sonuit! quam suavem sonum dedit ista tuba ductilis!*

Mi Deus, quam graves & acerbos Job ictus pertulit, & numquam non *suavem sonum* dedit: perdidit sui pecoris millia duodecim, imo armentum totum, jactura fortunarum, orbitate liberorum, omni calamitatum genere percussus, non excandescit, non furit, nil mali cuipiam imprecatur, nil dissonum rationi, aut alienum à constantia sonat.

Si cui nostrûm ovicula subtrahatur unica, equus aut bos unicus auferatur, si gallina clam à vicino subducatur, si ancilla vel famulus è suppellectili cochlear argenteum, aut aliud quid deprædarit, pro.inus excandescentia, furor, inconditi clamores, non festivus aut suavis sonus, sed furibundum & hiulcum rixarum, injuriarum, blasphemiarum murum personat.

Vultis Auditores, nobile illius paradigma cernere, quod meis oculis, inquit d Drexelius, spectavi, auribus excepi. Anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, quo Serenissimus Elector, Bavariæ Dux Maximilianus in Bohemiam rebellem arma movit, die Augusti vicesimo nono in oppidum Bohemicum Strowiz Prætorianus miles ingressus est. Ego cum sociis ad tuguriolum sutoris deductus sum: Hic videre & audire fuit, quam homo levi malo præstrictus horrendum infremat, furibundè concrepet, sutor Paterfamilias, Religione Anabaptista erat, vir usquequaque humanissimus, verba melle ac sesamo sparsa jaciebat. Si quis militum salutasset hunc opificem, Adventorem ille resalutabat amicissimè; si quis calceos petiisset prom-

a Psalm. 33. b August. in Psalm. 33. expositione Psalm. v. 1.
c Aug. Psalm. in Psalm. 97.
d Drexel Job. c. 10.

promptiſſime, ac miti pretio dabat: ſi quis novas ſoleas vetuſtis calceis induci cupiſſet, paratiſſimus gratificari ſatagebat; ſi quis è tugurio diſcedens valedixiſſet, ille hominem ſuaviſſime compellans, mi frater, ajebat, Dominus Jeſus te cuſtodiat. Rectiſſime hactenus ſonant omnia. Sed ſubito alia exaudiri muſica: ſiquidem repente vir ille bonus par ſolearum cœpit quærere, nec tamen eas uſpiam reperire. Hic datum ſpectaculo initium. Ego è regione me collocavi, ut probe in oculis eſſet Comœdia. Et vidi ſane, quam leviter factus infremuerit, in quas diras vociferatione proruperit.

Sutor ob ſoleas, quas putabat furto ſubtractas, jam pœnè in rabiem efferatus, neminem ingredientium non allatrare, omnes tam inquilinos quam exteros invadere; uxorem, liberos acerrimis verbis proſcindere, ſutoriam ſupellectilem huc illuc disjicere, ligulas chalybeas, ferreas tudes, malcolas, modulos & formas omnia ingenti cum ſtrepitu, & fremitu permiſcere; modo radulam, modo ſpongiam, modo forcipem aut forficem, modo falculam, modo aſſulam ſutoriam prehendere, & mox iterum rejicere; jam caput fricare, jam impatienter exſpuere, jam calcitrare, jam ſuperos & inferos exſecrari. Ita exiguæ rei jactura non *ſuavem ſonum*, ſed efferas impatientiæ voces, & immanes blaſphemias expreſſit. Sed numquid de Græciæ fortunis agebatur? Par unicum ſolearum credebatur furto ſublatum quod denique repertum eſt, ubi diu ſatis detonuerat & fulguraverat.

Hæc nobis applicemus tum maximè, cum in rixas & jurgia, in lamenta & querelas prorumpere pronum eſt. Quamdiu nemo te lædit, dum omnes tibi aſſentiuntur, aſſentantur, quamdiu non percuteris, omnia ex ſenſu in voto fluunt, Deo grates refers, *ſuavem ſonum* edis. Sed tange montem, tange, tange, mox fumigabit, mox Æthnæ inſtar dirum mugiet, flammas evomet. Job ſimul perdidit mille boves, aſinas quingentas, perdidit tria millia camelorum, decem hominum cariſſimorũ funera ſimul nuntiantur, & id ſolum proloquitur, quod in conditoris laudem eſt, & de acceptis plagis gratias agit: a quam *ſuavem ſonum dedit* ISTA TUBA DUCTILIS?

Nos vero propter rem leviſſimam, ob lanam caprinam, ob vitrum fractum, ob verbum injurioſum, totam domum & viciniam clamoribus complemus, incondita vociferatione & femineo ululatu omnia late perſonant. Alias voces, alios ſonos, aliam muſicam poſtulat à nobis Deus, ad quam morali & ſalutari doctrina nos animando & in tubas ductiles conformando, hiſce verbis hortatur Auguſtinus: b *Eritis* (& vos) TUBÆ DUCTILES *ad laudem Dei productæ, ſi cum tribulamini, proficiatis, & cum Iobo dicatis: ſit nomen Domini benedictum. Quomodo ſonuit, quam ſuavem ſo-*

a Aug. cit. b Aug. in Pſ.97.

xum dedit illa TUBA DUCTILIS?

Eritis tubæ ductiles, si per noctes & dies, si per menses complures calidissimæ febris ardoribus exusti, illud B. Laurentii læta voce insonueritis: *a assatus gratias ago.*

Eritis tubæ ductiles, si in acutissimis corporis doloribus, & laboribus, cum Seraphico Francisco, in has voces eruperitis: *a* GRATIAS TIBI AGO *Domine Iesu, de omnibus laboribus meis.* Tunc enimvero tuba ductilis eris, cum etiam in doloribus, audebis dicere *Deogratias*: fastidia vexent, mœrores angant, cruciatus tormenta crescant, *Deo gratias*. Discerpar, dilanier, urar & lente consumar: *Deogratias.* Hæc tuba cœlum penetrat, Deum lætificat, diabolum fugat, ipsum quoque omnem dolorem resecat. Hæc vox Ecclesiæ pugilem, Christi Athletam, hominem vere Christianum sonat. Influit hic torrente suo Chrysostomus: b *In adversis infideles maledicunt, Christiani gratias agunt. Vide quanta sit hæc Philosophia: cum Deum lætificas, diabolum pudefacis, quod male factum est, nihil esse facis: nam & tu simul gratias agis, & Deus dolorem amputat, & diabolus abscedit.* Ac tandem Epiphonematis loco subjungit: *Nihil hac lingua sanctius est, quæ in adversis* DEO GRTIAS AGIT.

Rursus *eritis tubæ ductiles* si viginti octo annis & amplius gravi morbo dejecti cum præclarissima illa Virgine Clara, assiduo ingeminetis: *Deogratias*; supremi illius medici etiam secantis & urentis, manum exosculando. Hoc Præsulis Antiocheni monitum est: c *Quemadmodum medicum non solum nutrientem, sed etiam fame excruciantem, non solum in forum educentem, sed etiam domi includentem; non solum ungentem, sed etiam urentem & secantem observamus* (& laudatum Diatron cum fœnore gratiarum rependimus) *ita etiam oportet Deum laudare pro omnibus, in omnibus gratias agentes.*

Vultis Sanctorum exercitum, qui in acerbissimis tormentis, in gravissima [illegible] hanc vocem laudis, & [illegible], in illud *Deogratias* elata voce inclamarunt.

d Divus Cyprianus cum à Proconsule Galerio interrogatus, brevissime respondisset, recitata tandem è tabella sententia: *in Cyprianum gladio animadverti placet*; dixit Cyprianus, *Deo gratias*; spiculatori vero aureos viginti quinque numerari jussit à suis Diaconis. Euplius etiam Martyr *e*, [illegible] suspenso ad collum Evangelio, plexus est capite, [illegible] *Deo gratias*. [illegible] idem Martyr, in [illegible] cruciatibus: *gratias* [illegible], *tibi ago Domine Iesu.* Verissime dixit *f* Augustinus: *Quid melius & animo gerimus & ore promimus, & calamo exprimamus, quam Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.*

Ioannes Avila *g* peritissimus interioris

a S. Bonav. in vita. c. 14 b Chrysost. tom. 4. hom. 8. in. c. 3. epist. ad Coloss.

c Chrys. in ps. 143. d Baro tom. 2. anno 261. n. 30 eidem to. 2 a 303 n. 146 f Aug. epist. 77. ad Aurel. g Avila tom. 2 epist. p. 20.

terioris hominis Magister dicere solebat: plus valet in morbis, & rebus adversis unum *Deogratias*, quam sex millia in firma valetudine, & rerum omnium prosperitate. *a* Quod ex illa, ut reor, divi Hieronymi hausit doctrina: ***Pro beneficiis gratias agere vel Idololatræ & Iudæi noverunt; pro calamitatibus & suppliciis soli Christiani.***

Ingeniosa isthæc nec minus Religiosa observatio est S. Theodoreti in Cant. cap. 7. ubi cœlestis sponsus, afflictam animam, sponsam suam, singulari laudis encomio compellat, dicens: *quid videtis in Sulamitide nisi choros castrorum?* quibus in verbis, divinus hic interpres attonitus hæret, & percunctatur, quid mirum castris affine sit cum choro musicorum? aut si hoc, quid clangor tubarum & tympanorum, quid armorum fremitus, cadentium gemitus, cum cantu Religiosorum psallentium in choro? & ferè ad rem nostram respondet: innuere vult Spiritus Sanctus, quod si quandoque nobis immittat integros exercitus adversariorum, & tribulationum: nos in castris Domini militantes, debere pæana suavissimum, tubis jubilationis & gratiarum actionis, Deo modulari: ut quemadmodum viri Religiosi millies, & millies illud Deo gratias, & gloria patri, contenta voce ceu tuba in choris insonant, ita & nos commilitones Christi; duris exercitii, idipsum unanimi voce & Paterfamilias & uxor & filii & filiæ, & servi & ancillæ, in modum chori assiduo concinant: *Benedictus sit Deus*, Deo gratias.

Fecerunt hoc illustres illi Christi pugiles, Ecclesiæ Duces, qui *ibant gaudentes* non modo à conspectu consilii, sed & ibant gaudentes, psallentes & velut choros ducentes ad catastas, ad ungulas, ad rotas, ad cruces, ad mortem crudelissimam.

b Inclyti Heroes nostri SS. Simon & Iudas *incredibili quadam lætitia*, ut Nicephorus loquitur, ad mortem properabant.

Hos Duces sequamur, eorum suffragia imploremus, exempla æmulemur, & omne gaudium existimemus dum in varias tentationes, morbos, cruciatus inciderimus. Ad hoc olim pro ea qua pollebat auctoritate & dicendi copia suos inflammavit Patriarcha Venetus, sermone de SS. Simone & Iuda: *c* ***Ipsos nobis Christus tanquam duo perlucida luminaria*** (& Pharos) ***exposuit pro suffragio, exemplo, & gaudio: suis quippe orationibus suffragantur nobis ne exilii hujus periclitemur in vita.*** EXEMPLI ***nos provocant ut virtutis ac veritatis per semitas gradiamur. Hinc replemur exultatione*** ET GAUDIO, ut in omnibus tribulationibus Deo laudes canamus, & in omni pressura, gratias agamus. Ita cor nostrum aptissime in tubam extenditur: nam ***ut tuba ductilis***, Doctore *d* Augustino, ***malleo producitur, ita Christiani cor in Deum pressurarum plagis extenditur.***

a Hier. in epist. ad Eph. c. 5. v. 20. gratias agentes semper.

b Niceph. l. 2 c. 40. c Laurent. Iustinian. de SS. Simone & Iuda. d August. in Psalm. 32. Conc. 1.

Tandem ut concludam, perfectam de eversis Jerichuntinis muris, id est de mundi vitiis & perversis moribus victoriam reportarunt, dum collisi & morte confracti, lucem fidei & miraculorum fulgorem. Per omnem Persidem atque orbem universum diffuderunt. Huc mentis aciem intendit Hipponensis Doctor quæst. 49. in Judices, ubi enarrata Gedeonis pugna subtexit: *Præfiguravit Deus Sanctos suos, thesaurum Euangelici luminis vasis fictilibus, habituros, sicut Apostolus dicit: habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Quibus in Passione Martyrii, tanquam vasculis fractis, major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ in impios Euangelicæ prædicationis inimicos, inopinata illis Christi claritate superavit.* Addit summum Ecclesiæ caput, Magnus Gregorius ad hunc tam repentinum fulgorem, infidelitatis cultores in fugam conversos, ac prodigiorum claritate demum perstrictos victas manus dedisse: a *Sonuerunt*, inquit, *tubis dum prædicant, confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua, corpora hostilibus gladiis* (ferris, & clavis) *supponunt: resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum, miraculis corruscarunt. Moxque hostes in fugam conversi sunt: quia dum mortuorum Martyrum corpora miraculis corruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt.* Atque hinc est quod hodierna die per universam Ecclesiam omnium ora resonant Sacerdotum, & præillustria hic, & Apostolorum encomia concelebrent: b *Cum innumerabiles filios Iesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminassent*, DOCTRINA, MIRACULIS *ac denique* GLORIOSO MARTYRIO *simul sanctissimum Iesu Christi nomen illustrarunt.* Quare si jure meritissimo hi Sancti Dei apud omnes in veneratione sunt, & cultu sane singulari mellifluus Doctor Bernardus eos prosecutus est qui, ut auctor vitæ commemorat, missas ad se c Hierosolymis quibusdam S. Lucæ Apostoli, tanta animi Religione ac corporis veneratione hunc thesaurum excepit, & tanta diligentia asservavit, ut moriturus præceperit, pectori suo sacra hæc Lypsana superponi, secumque sepeliri; *eo utique fidei & devotionis intuitu*, ait Historicus, *ut eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreret.* Nobis cum ejusmodi sacras de corpore aut sanctis membris reliquias decerpere non detur, quod possumus aliquas animi utriusque scintillas & pios igniculos colligamus, vel ipso si lubet D. Justiniani ducti monito: d *concipiamus ex his operandi constantiam, spei robur, amoris igniculum*, qui tandem in apertum divini amoris erumpat incendium.

a S. Gregor. lib 30. mor. c 18.

b Eccl. in horis noct. 2. c In vita S. Bern. l. 5. c. 2. Cornel. in prolog. ad Epist Iudæ. d B. Laurent. Iustin. ser. de SS. Simone & Iuda.

F E-

SOLENNITAS OMNIUM SANCTORUM.

Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Joan. 3.



Solemque ſuum ſua ſidera n runt. Virg. 6. Æneid.

ARGUMENTUM.

INcreatum illum divinitatis ſolem, Patrem luminis, aliquando puræ ac oculatæ ſanctorum mentes, etjamnum in mortali corpore per rimam, in ſpeculo, & ænigmate contemplatæ, tantâ cæleſtium deliciarum exu-

exuberanti dulcedine delibutæ sunt, ut eam sui pectoris angustiis continere non valentes, non raro animus se sibi furaretur, & sensibus abreptus, propius ac penitius infinito omnium bonorum frueretur. Quæ ubi irrefragabili historicorum authoritate, comperta habueritis, illud vobis considerandum relinquam, quo torrente voluptatis, beatæ mentes in cœlesti patriâ, non jam in ænigmate, sed facie ad faciem eum intuentes, perfundendæ sint? quid verò sit, Deum clarè incorporeis oculis intueri, atque in quo illa visio beatifica essentialiter consistat, ex Bonaventura, Bernardo, Augustino, ac potissimum ex omnium Doctorum Magistro, Thoma Aquinate, Bellarmino, Lessio aliisque gravissimis Theologis disceptabo. Hoc interim hic nobis agendum est, si hac visione aliquando frui, si Deum videre, ad quod nati sumus, velimus, cordis oculos, quod Christus suos monuit, omnino mundos habeamus. Unde Augustinus: a *Tanta est pulchritudo, & jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret in ea manere amplius, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoque contemnerentur*; ac tandem subjungit, & exclamat: *O beati* MUNDO CORDE, *ut per hoc efficiamini consortes divinæ naturæ*!

a Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 25.

§. I. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum, Deum verum* Ioann. 17.
§. II. *Deum semel vidisse, omnia didicisse est.*
§. III. *Deum videre, omne bonum possidere est.*

SOLENNE FESTUM OMNIUM SANCTORUM.

Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.
1 Ioann. 3.

LUcidiſſimum mundi oculum ſolem, primi quique in omni ſcientiâ viri contemplantes, ſupra ſolem, ſupra ſe rapti ſunt: ſpeculum è cryſtallo ſi in centum, aut mille ſtadiorum ſpatia extenderetur, omnes hoc attoniti ſpectaremus. Hunc rariſſima quæque hominum ingenia commercio quodam ſocietatis amant. Hunc Orpheus, hunc Homerus hymnis proſequuntur, hunc Plinius laudans, ſe quaſi extra ſe quodam impetu profundit, & exclamat, inter ceteros planetas a *medius ſol fertur ampliſſima magnitudine, ac poteſtate.* Per hunc ardent in cælo tot vigiles faces:

b *Solemque ſuum ſua ſidera norunt.*

c Oculatiſſimus ille cæli ſpeculator Tychobrahe, ducenta aureorum millia in conficiendis inſtrumentis, alendiſque operis inſumpſit, ut quæ tanto ab humanis oculis intervallo diſſita cælorum phænomena, atque inter hæc potiſſimum omnium Siderum Rectorem, ac lucis genitorem propius, penitiuſque indagare poſſet. Libuit certe maximi ſideris antiquis menſuram ſcrutari, audax opus, ſed homine dignum, cui ſoli datum eſt diſcutere: quia d *dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre* SOLEM, quem tantum animantes ſentimus. Parce ò rerum ſator iis, qui te dum quærerent, in eam imaginem tui impegere: ſuſpicari potuerunt quid majus, formoſius his oculis. Videre potuerunt. Nec jam miror, ſi ſe ſoli natum dictitabat Anaxagoras; ſi huic ſemel propius viſo, immori Eudoxius cupiebat. O ſi quæ eſſent, quod ſibi finxerunt Antiqui, in ſole Heroum animæ, quæ æthereos (ut ajunt) annos illic viverent, quam viles, quam deſpectos etiam, qui majore gloriantur faſtu, omnes æſtimarent ſemper in carne & ſanguine, ſemper in cæno volutatos. Quid cenſemus fore, cum ad hunc puriſſimum luminis fontem devenerimus, in quo contemplari licebit, ſemper vibrantes, & nunquam defectos primæ pulchritudinis radios? ad hoc nos magno, teſte Auguſtino, ſpectabilis ille ſol facem prælucere videtur, cum hic nobis velut perpetuum Auguſtiſſimæ Trinitatis ſimulachrum ſit propoſitus, quem quoties intuemur calentem, fulgentem, currentem, toties nobis fœcundam vim patris, fulgorem filii, & Spiritus ſancti indeficientem in Eccleſia motum repræſentamus. Unde in hoc fulgentiſſimo

a Plinius l. 2. c. 6. b Virg. lib. 6 Æneid. c Cauſſin, de domo Dei l. 2. c 8.

d Eccleſiaſtes 11. v. 6.

tissimo speculo artificem veneramur, quem summum in sole agnoscimus; sed supra solem, & quidquid est rerum cælestium positum, solum & verum numen, non jam sub nube, sed in mera & innocenter flagranti luce, facie ad faciem perpetuo intueri, omnium nostrum beata felicitas, & æterna beatitas est.

§. I.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum. Joan. 17.

NOvi orbis incolæ (Americam vocant) longe à vera fidei luce semoti, solem pro numine adorantes, varia ejus ingenti mole simulachra, ex auro solido effinxerant: ubi vero devicta Peruvia, hæc aurifera regio ab Hispanis occupata est, & meliore luce affusa, milites omnes victores ita ditati sunt, ut quod de tempore *a* Salomonis ait scriptura, tanta esset auri argentique vilitas, quanta lapidum ac luti. Id vel ex eo colligas, quod solis statua humanæ magnitudinis, tota ex auro solido in prædam cessit gregario militi *b*, qui jam in omnem vitam felix, ac beatus vivere poterat, sed una nocte non tota, eam lusitando amisit, deditque locum Proverbio, in miseros gravem jacturam passos, jactari solito:

Hic solem ludit, & amittit, antequam oriatur.

Ecquis hujus hominis miserrimi, ex felicissimo: pauperrimi ex opulentissimo jacturam, non maxime dolendam duxerit? cum interim nos æternæ lucis candidati, longe gravissimam sponte incurramus, qui non mutum simulachrum; sed solem illum increatum, patrem luminum, LVMen non DefICIens, candorem lucis æternæ, in quem desiderant Angeli prospicere, omne denique bonum, unico lascivo oculorum jactu, avari exiguo lucro, temulenti vini haustu, alii aliis vanis ac insanis ludis in omnem æternitatem deperdere non vereantur, non alia de causa, quam quod infiniti hujus ac increati *solis* nullam, aut exiguam prorsus notitiam habeant, eamque assequi minime connitantur. Quare dum *c* alias cælestis illius urbis amplitudinem, externum siderum ac planetarum ornatum, supernorum civium frequentiam, oculis objeci, propolam egi, qui officinæ exterius, rudi quodam peniculo depictum exhibet, quidquid intus pretiosarum mercium asservatur, quo emptores ad se pelliciant: ita cælum quid intus cælet splendoris, pretii, pulchritudinis, voluptatis, foris ignobilioribus stellarum ac planetarum figuris proposui; nunc in quo tota beatitudinis nostræ essen-

a 2 Parallp 9. b Doutermant Amen increatus p. 819.

c Lux Euangelic. p. 2. Dom. XI. post Pent.

tialis ratio continetur, ipsi Deo contemplando intenti erimus.

Felicitatem animæ separatæ aureo stylo optime expressisse videtur B. Petrus Chrysologus, dum quid videre Deum sit, paucis describit: a *est perfectissima operatio optimæ potentiæ, respectu optimi objecti.* Quid divinius illa primæ lucis usura? illa maximæ & beneficentissimæ causæ intelligentia? Hic si quid nobis per densam caliginem affluit, toties extra nos rapimur; integerrimis gaudiis delibuti, quid censemus fore, cum noster hic intellectus, veluti compage solutus, in Angelorum ingredietur sortem? o quale spectaculum erit primam veritatem intueri, sine nebulis, sine corruptelis, altissima luce, & sua fulgentem? *Hæc est*, ut ait Guilielmus Parisiensis, *vera, & intaminata intellectus sponsa.* Hanc Philosophi rerum pene omnium exules, per vepres & saxa, per arenas urentes quæsiere, cœlo & sideribus affixi, & sæpe à cœli, siderumque Domino destituti. Hanc Martyres ardentissime dilectam inter rotas, & ignes amplexi, omnem doloris sensum, vel sola contemplatione tantæ pulchritudinis obtudere. Per hanc omnia vera sunt, nihil tamen præter illam, sua veritas est. Ad hanc omnes adspirant, omnes si credimus, intendunt. *Amatur veritas*, inquit Augustinus, b *& quicunque aliud amant, hoc ipsum quod amant, volunt esse veritatem.* Vinum amas; sed verum non fucatum, aurum, gemmas amas; sed veras, non adulterinas. Amicum amas; sed verum, non fictum, non falsum, ejusmodi figmentis & pigmentis humana omnia plerumque adspersa sunt.

At illic veritas in sua sede, in suo fonte, in suo nitore, sine ullo errore videbitur. Juxta triplicem perspectivæ rationem, triplex visio esse perhibetur, prima est per lineas rectas, secunda per refractas, tertia per reflexas.

Per reflexas in fide videmus nunc per speculum. Per refractas in spe amati, cujus appetitus hic frangitur, satiandus cum apparuerit gloria. Per charitatem lineis rectis, *videbimus eum sicuti est.* Atque *hæc est vita æterna* cognoscere eum, & *videre sicuti est.* Sed quæ sit ista vita, quæ sit ista visio, animæ separatæ, quomodo sine oculis videat, & videndo omne verum capiat, omne bonum possideat, non capiunt, non sapiunt mortales, tenebroso corporis hujus ergastulo conclusi. His forte lucis aliquid affundere poterit, quæ ratione anima corpore sopito, aut omnibus sensibus destituto, ut fit in exstaticis, miranda subinde videat, & intelligat. Quæ ratio Gennadium Medicum Carthaginensem, de statu animæ separatæ, ejusque immortalitate dubitantem impulit, ut crederet. c Apparuit illi quippe, ut narrat Augustinus, conspicuus juvenis, quem sequi jussus, in pulcherrimam civitatem venit, audivitque cantus, ultra solitam, notamque suavitatem: tunc ille inten-

a Chrysolog. serm. 45. b Aug. l. 10. Conf. ca. 23.

c August. Epist. 1[illegible]0 ad Evodium Causin. de domo Dei l. 4. c. 1[illegible].

intento quidnam esset? ait hymnos esse beatorum. Evigilavit Gennadius, somnium fugit, tantumque de illo, quantum de somnio cogitavit. Alia vero nocte, ecce idem ipse juvenis eidem rursus apparuit, atque ab illo utrum cognosceretur interrogavit? respondit ille, quod illum bene, planéque cognosceret. At inquit, ubi me nosti? alter memor quæ nocte proxime elapsa viderat, & audierat, quo ipso duce venerat, prompte enarrat. Tum ille percunctatus est: utrumnam quod narraverat in somnis vidisset, an vigilans? Respondit in somnis. At ille bene, inquit, recolis, verum est, in somnis illa vidisti; sed etiam nunc in somnis scias te videre. Tunc qui hominem docebat, adjecit & ait: ubi est modo corpus tuum? respondit, in cubiculo meo. Scisne, inquit ille, in eodem corpusculo, & otiosos oculos tuos, nihilque illis oculis te videre? Respondit, scio. Mox alter: qui sunt ergo illi oculi quibus non vides? ad hæc ille non inveniens quid responderet, obticuit: cui hæsitanti ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit: & continuo; sicut inquit, illi oculi carnis tuæ in dormiente nunc, & in lectulo jacente, vacant; & tamen sunt oculi, quibus me intueris, ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, qua vivas, & mentis oculi quibus substantias spirituales, & Deum conditorem tuum clare videas. Atque ita dubitatione omni discussa, aperuit Gennadius oculos mentis.

Utinam & vos! quibus utinam vel gentilis Philosophus oculos aperiat, qui sic Lucilium suum instruit: a *Iam hinc altius aliquid, sublimiusque meditare; aliquando naturæ tibi arcana retegentur, discutietur ista caligo, & lux undique clara percutiet, nulla serenum umbra turbabit: æqualiter splendebit omne cœli latus: dies, & nox, aeris infimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse dices, cum totus lucem aspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur divina lux* (ait sol) *cum illam suo loco videris?* Non aliam hic lucem, quam increatam illam proponit, quam dum suo loco viderit, tunc mortalis immortalitate donabitur, jamque contemplando, novam veramque nunquam finiendam vitam auspicabitur: hæc quippe *est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum* Ioann. 17. Nihil dulcius vita, pro hac omnium animantium impetus, & occupatio est. Prima omnium in Deo est, cui, per quem, & in quo vivunt omnia. b *Quod factum est*, ait divinissimus Ioannes, *in ipso vita erat*, infinities perfectius, pulchrius, quod ipse porro quam immane rerum omnium vita discrepet, ab ea quam in origine, in fonte suo habituris videbimus, attendite. Minimum hic vitæ habent arbores, herbæ, & flores, qui in diem vivunt. Sed aliter inveniebo, qui stabiliter, & multo delectabiliter refulgent, ipse enim est *fons vitæ*, è quo si pretiis cœnosis hisce rivulis aliquando purius haurire

a Seneca Ep. 102. b Ioann. 1.

li-

[illegible]rebit. In eminentiori gradu sunt animantes, & pellibus, & squammis, & pennis variegatæ, simulque maxime variæ, & umbratili splendore perstrictæ: formosum nihilominus spectaculum, vel hanc evanidam pulchritudinem sub unum aspectum habere.

Quid erit in ipso ectypo, ubi immutabiles sunt, ea in se penitus continere? Supra omnes, nobiliori homo vita donatur; at in orbe hoc sublunari, vita omnis & misera, & fragilis est. Plantas aspice sub dio, quibus omnes cæli minæ incumbunt, in tantilla vitæ particula, non sunt à malis immunes, toties jactantur, toties tanguntur, quotannis moriuntur, & cum emarcuerint, apparent fœda pristinæ pulchritudinis simulachra, quæ omnia in ipso, beati vident inconcussa, illæsa, semper viventia, semper virentia.

Aspice animalia tot duris rebus exercita, miseriora deprehendes, quæ ad miserrimos mortales magis accedunt, vel contrita laboribus, vel alendæ saginæ destinata. At vita, quam in ipso habent, nunquam interit.

Nunc vero si mortalium vitam attenderis, quæ hic tanto in pretio est, quid nisi *mortem vitalem*, cum Augustino dixeris? In unum corpus sæviunt tot agmina morborum: jacent plerique tota ferme vita concussi, & lacerati, crederes nullos esse interiores, præter hæc corpora, tot tela doloribus, nisi aliud doceret fides. Vivunt in pœnas, in mille rerum exempla moriuntur. At quod mireris etiam inter hæc, vivere dulce est, quis ergo cogitatione assequi, mente complecti valeat, qualis illa vita futura sit?

§. 2.

Deum semel vidisse, omnia didicisse est.

DVos ex innumerabili mortalium omnium congerie præ cæteris longe sapientiâ ac rerum omnium scientiâ excelluisse, Adamum humani generis principem, & Salomonem, Regni Israëlitici Regem, sacræ paginæ diserte testantur. Ac primum quidem, ubi increata numinis sapientia, ipse Dei filius, speciem humanæ ac corporeæ naturæ, eamque pulcherrimæ, quali se Moysi in Syna, aut discipulis in rupe *a* Thaboræa exhibuit, indutus, ad eam similitudinem corpus Adami perfectissimum, pulcherrimum, temperamento, organis, membrisque omnibus absolutissimum, divinus artifex ad unguem efformasset, eique similimus esset, b *qui fuit speciosus forma præ filiis hominum*, ac suo halitu suavissimo, lucis fulgorem, atque amabilem suavitatem dedisset, tali ac tanto, tam digno habitaculo, ut cum Augustino loquar, condignum *habitatorem animum*, ad divinitatis suæ imaginem procreavit; tantâ primo quo conditus momento scientiâ divinitus imbutum, ut Hugo Victorinus asseveret:

a Salian. annal. Eccl. dies mundi VI. de homini creat. n. 18. & 36 b Psal 44. Salian. cit. n. 25.

a *Rerum omnium quæ cum homine, & propter hominem factæ sunt, perfectam cognitionem accepisse, nulli dubium esse debet.* Quod ipsum Doctor Angelicus confirmat 1. p. quæst. 94. a. 3. *primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui, seu quæcunque naturaliter homines cognoscere possunt.*

Quia vero conditus ad finem supernaturalem, b *requiritur etiam cognitio eorum, quæ naturalem cognitionem excedunt, sicut nobis necessarium cognoscere, quæ fidei sunt.* Fidem ergo habuit de Deo, conditore omnium. 2. Sanctissimæ Trinitatis. 3. Incarnationis volunt & viri eruditi, cognitam fuisse historiam ruinæ Angelorum, ut ipse casum formidaret, & creatorem à quo conditus, ut eum posteris ruinas illas restauraret, diligeret. Unde c Pererius, eum omnium qui exstiterunt, Philosophum, Astronomum, Theologum maxime eximium exstitisse tradit.

Huic tamen primo, & maximo omnium mortalium Doctori, Tostatus Salomonem præferre non dubitavit, qui non modo omnium rerum cognitionem, virtutes animalium, plantarum, arborum, herbarum, d *usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete*, habuerit; sed insuper & scientiam musicam, medicam, Poëticam, historicam geometricam, arithmeticam, aliasque omnes artes, & scientias, variasque linguas perfecte calluit, Ænigmata quantumvis abstrusa enodavit.

Sap. 7. *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa, & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia*; Vultque Josephus, cum ad 5000. librorum scripsisse: Quid mirum si de te sapientissime Rex, dictum fuerit: e *nullus ante te similis tui fuit, nec post te surrecturus est.* Quis non tempore derivus hæreat, dum tantam, tamque reconditam Salomonis sapientiam considerat? quis eam omnibus divitiis, & regnis, cum sapientissimo Rege non præferendam putat? quis eam si comparare posset, non libens omnes corporis, & animi vires, omnes fortunas, facultates, omnia sua insumat? sed supra nos positam, in sublimi abditam, inaccessam mortalibus arbitramur.

At hodie, vobis Auditores ostendam, neminem esse hic vestrûm, adeo rudem, ac Idiotam, nullam omnis literaturæ adeo ignaram, simplicemqve ancillulam, aut imperitam anum; nullum adeo bardum ac stupidum in orbe rusticum, qui momento non possit utrorumque horum inexhaustam sapientiam, non dico adæquare, sed in tantum exsuperare, quantum Salomon

a Hugo Vict. l. 1. de sacram. part. 6. c. 13. b S. Thom. 1. p. q. 9[4]. a. 3. c Pererius in Gen. l. 5. v. 19. c. 2. q. 2. n. 23. d 3. Reg. 4. 33.

e Salian cit. 3. Reg. 3.

stoli-

stolidissimum mortalium antecellnit. Rem historica narratione probare aggredior. *a* Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis vir æterna memoria dignus, refert Ducæ Getrudi, è monialibus Virginem sacram, à morte visam, quæ mira pandebat de cælesti gloria, cui Getrudis fidentius: Et unde, inquit, hæc tibi omnia, utpote quæ inter simplicissimas habebaris? cui iterum illa hoc addidit, stylo notandum meliore: *Deum semel conspexisse, est omnia didicisse.*

Infanti unius diei, *Deum semel conspexisse, est omnia didicisse.* Deum semel vidisse, est omnes mortales sapientia vicisse, est omnia didicisse, est omnia scivisse: Etenim *quid est*, inquit M. Gregorius, b *quod non vident, qui videntem omnia vident?* Illic beatorum minimus, sanctorum infimus, plura sciet, & longe exactius intelliget, quam Prophetæ Sanctissimi, quam Salomon sapientissimus, vel primus incola Paradisi Adamus sciverunt, aut intellexerunt: hi enim inter plura, quæ ignorarunt, substantias spirituales ut *c* S. Thomas docet, intelligere non valebant: *d* Futura contingentia, quæ beati, ut dicemus, in verbo speculantur, non capiebant.

Quod divinus Platō, quod Platonis discipulus Aristoteles, nunquam cogitatione percepit, quod nullus eruditissimorum invenit, quod Cicero, quod Demosthenes eloquio exponere nequiit, id simplicissima animula; hoc homo agrestis, hoc infans unius horæ, baptismo tinctus, & cælo receptus, intellectu penetrabit, id oculis spectabit.

Artes hic suspicimus, artifices extollimus, qui vel fingendo, pingendo, naturæ velut miracula prodidere: quales Titiani, Raphaelis Urbinalis, Michaelis Angeli tabulas, Archytæ columbas, Alberti M. loquacem statuam, sphericam Archimedis Machinam exstitisse legimus; *At Deum semel vidisse, hæc omnia didicisse est*, omnes artes scivisse est.

Hæc cuique vestrum imitari, & mille alia, momento effingere, perfacile est. Incredibile, quantæ sint scientiæ musicæ illecebræ, quam vox, aut fides, ad numeros fidicinibus arguta rapiat, vel maxime imperitum, & in artis peritiam accendat? Verum omnis hujus orbis concentus, grunnitus porcorum, si cum uno cæli Choraula comparetur. Qui primo divinitatis conspectu, omnes hos modulos, & mensuras (uti & omnes beati) perfectissime callet.

e Testis Franciscus Seraphicus, qui ad unius chordæ contactum, in ectasim abreptus. Testis ille eremi incola, qui unum cælitem, *f* vocalis aviculæ speciem indutum, ad tria sæcula prosecutus est, diem unum se abreptum arbitratus: *ita Deum semel vidisse, omnia didicisse est.*

Oracula, nec immerito censentur, & habentur, in Theologica

a Blosius in monili. spirit. cap. 14. b Greg. l. 4. dialog c. 33. c S. Thom. 1. p. q. 94. a. 2. ad 3. d V. Pererium. Salian. cit.

e Bonavent. in vita. f Bidermanni deliciæ.

gica facultate lumina, venerabiles Bedæ, subtiles Scoti, irrefragabiles Hallenses, Seraphici Bonaventuræ, Angelici Thomæ, incomparabiles, imo divini Augustini; sed frater laicus, abjectus locus (quis credat) omnem omnium horum, sublimissimam Theologiam, quam illi per tot annorum studia, & lucubrationes, sibi pepererunt, momento unico, longe sublimissimam, unico intuitu, citra ullum laborem adipiscitur: *Quia Deum semel vidisse, omnia didicisse est.*

Ubi piis mentibus in considerationem, & attentam meditationem venire velim, quanto studio, quanto labore, quantis impensis, hic omnes artes, & scientiæ, & linguæ variæ acquirantur, quibus singuli, in singulis, quam leviter tincti. Quas omnes simul, & semel, *Deum vidisse, didicisse est.*

a P. Sebast. Barradius in studia literarum ita abditus, ut 9. integros annos, cum nemine externorum locutus sit, P. Petrus Ruiz, 20. annos, pedem nunquam domo extulit. Antonius Possevinus, pedem spondæ lecti alligabat, ut minimo motu experrectus, ad lucubrationes rediret, & quoniam teste Tullio de orat. *habet in ætatibus auctoritatem senectus, sic & in exemplis antiquitas.* Euclides, cum lege cautum, ne quis è Megarensibus Athenas veniret, sub vesperam, muliebri habitu, ad Socratem audiendum excurrebat, & antelucano tempore redibat 24000. passuum emensus. Didymus Grammaticus, qui ab assiduit ate laboris βιβλιολάθας ὑπερος, id ferreis visceribus dictus est, quatuor millia librorum, scripsisse dicitur. Mitto Carneadem laboriosum, & diuturnum sapientiæ militem, Socratem, Themistoclem, aliosque cibi, suique oblitos, se studiis exenterasse. Denique ut cum Hieronymo sentiam, cum *c* *ejusdem eloquentiæ sit, pauca multis, & multa paucis dicere,* stupet quisque vestrum, dum vastas Bibliothecas, Vaticanas, Patavinianas, Parisianas ingreditur, voluminum in omni lingua, & scientia, seriem immensam; & velut Oceanum conspicit, atque inter hos 18. tomos Tostati, de quo: *d* *Hic stupor est Mundi, qui scibile discutit omne*; lucubrationes Frederici Borronei, Cardinalis, qui præter Chaldaicam, Hebraicam, & Latinam, quam perfectissime novit, tot libros scripsit, quod dies in anno; hæc, inquam, dum contemplatur, diffidit se eo pertingere posse, ut omnes non dico pervolvat, sed vel delibet.

Horum omnium scriptorum, ut scientia in illis divisa est, unus tu, velut in rerum omnium perfectissimo compendio, his omnibus perspicacius, in Deo leges, & intelliges: *quia Deum vidisse, omnia didicisse est.*

Quantum vero ex hac intuitiva cognitione, liquidissimi gaudii, quantum inenarrabilis

a P. Rho. variæ, virtut. hist. l. 7. c. 6. nostra 2.

b Seneca epist 88 Valer Max. lib. 8. cap. 7. c Hieronym Epist. 61. contra errorem Ioan. Hierosolym. d P. Rho. variæ virt. l. 7. c. 12.

voluptatis, mens humana capere gestiet, uberius prosequamur.

a *Regina Saba, audita fama Salomonis*, iter suscepit, secum pretiosissima disportans munera, præter gemmas, b *aurum infinitum nimis. Videns autem omnem sapientiam Salomonis, &c. Non habebat ultra spiritum.* Hic vos paucis percunctari volo, quantulam sapientiæ particulam, ex brevi cum Salomone discursu Regina videre potuerit: cum certum sit millesimam, quam sapientissimus Rex animo reconditam habebat sapientiam, Reginam hanc latuisse. Ecquis vestrûm, si summum Philosophum, Mathematicum eximium, Historicum locupletissimum, mundi oraculum, Principem Theologum conveniat, sapientiam viri videre poterit? quam si alter alteri conspicuam exhibere valeret, quale, quam jucundum, quam stupendum panderetur Theatrum? Sublato Zenone Philosophorum Coryphæo, Antigonus Rex cum stupore exclamasse fertur: c *quale theatrum amisimus!* nec minus magnificum illud Toxaris, de Solone, ad Anacharsim elogium: *Omnia jam viso Solone conspexisti; hoc sunt Athenæ, hoc est ipsa Græcia.* Ecquid quæso viso Zenone, viso Solone conspexerant? quid sapientiæ hauserant, quid retulerant? verum enimvero hoc verissimum pronuntiatum est: *omnia viso Deo, conspexisti*: in hoc sunt divites Venetiæ, Neapolis nobilis, pulchra Florentia, Roma sancta. In hoc sunt omnia Regum, Principumpumque palatia: in hoc sunt omnes Erythræi maris uniones, omne Indiarum aurum, & argentum, in hoc omnes orbis divitiæ, deliciæ omnes.

Sapienter Regina Saba sensisse, & dixisse traditur, dum felices, imo beatos nuncupavit, qui Salomonis præsentia frui merentur: d *Beati*, inquit, *viri tui, & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.*

At quanto verius hæc de beatis illis mentibus usurpare possem, quæ semper vigiles assistunt ei, qui e *plusquam Salomon est.* Nos aliquando hac beata sorte perfruemur, & *videbimus eum, sicuti est.* Quale aperietur hic Theatrum sciendi desiderium hic quidem insaturabile, illic plenissime saturabitur: Beati omnes videbunt in Deo perfectissimum sine omni principio principium divinam naturam, & omnes Dei perfectiones absolutissimas, sapientiam increatam, abyssum inexhaustam bonitatis, potentiam infinitam, immensitatem sine termino diffusam, misericordiam, justitiam, sanctitatem, pulchritudinem, æternitatem, denique omne bonum, quo nihil melius, aut perfectius cogitari potest. 2. videbunt omnia fidei, & divinorum librorum arcana, mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ; vaticinia Prophetarum, aliaq; fidei nostræ objecta. Cui ut Augustinus docet, hæc clara visio merces respondebit: f *ibi videbimus*, *& gau-*

a 3 Reg. 10. b 3. Reg. 10. c Lucian. in Schyta. Pellegrini Paradoxa c. 3. Matth. parad 4.

d 2 Paral. 9. e Matth. 12. v. 42. f Aug. l. 20. de civit. c. 21.

& gaudebit cor nostrum, nec expressit quid videbimus. Sed quid, nisi Deum? & omnia quæ nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longe minus quam sunt, atque incomparabiliter cogitamus. Hic creditis, ibi videbitis.

3. Videbunt in Deo omnes res creatas, prout olim fuerunt, sunt, & erunt; nec opus oculos ad creata in se reflectere: quia beatus a *videt verbum, & in verbo facta per verbum. Nec opus habes ex his quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare.* Etenim in illo, *longe melius sunt, quam in seipsis.* Ad Christophorum Columbum ex altero orbe reducem, undique concurrebant, ab ore pendebant, nec satiari poterant; at cæli civis videbit omnia ab orbe condito gesta, omnes omnium tam gentium quam sæculorum historias mens beatorum complectetur. Summa rerum varietas, & copia hic nihil turbabit, aut impediet, nec memoria obruetur. Inter eos qui stupendæ memoriæ fuere, censetur *b* Paulus IV. Pont. qui libellum scholæ Salernitanæ, tota Biblia, & totum D. Thomam memoria callebat. *c* Themistocles omnium civium suorum nomina, Mithridates etiam militum quemque suo nomine compellabat, præterquam quod linguas 22. perfecte teneret.

His longe capacior beata mens, longe tenacior: quæ omnia simul momento callet, & in omnem omnem æternitatem retinet.

a Bern. l. 5. de consid. c. 1. b Pontan. Attica Bell. p. 1. c. 72. c Cicer. de sen.

4. Videbunt obstupescendum divinæ providentiæ ordinem. Nunc illa nobis nimium lenta, subinde, nimis præcipitans videtur, quandoque nimis mitem, alias severum nimis censemus Deum. Tunc omnium oculis patebit *altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Omnem vitam suam sub uno aspectu positam, unica velut pagella comprehensam aspiciet, quæ pericula corporis & animæ, capiti impenderint, quæ singulari Dei beneficio devitarit, quoties æternis suppliciis ereptus sit. Quæ recordatio sanctos coget misericordias Domini in æternum cantare: d *Quo cantico in gloriam gratiæ, Christi, cujus sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi jucundius civitati.* Videbunt cur innocentes oppressi, pessimi quique exaltati sint, qua in re David plurimum laboravit: e *existimabam* inquit, *ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.* Denique omnia paucis complexus Magnus Gregorius: f *Animæ sanctæ quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quod foris sit aliquid, quod ignorent.*

Nec est quod quis existimet repugnare creaturæ, ut clare immensam illam divini numinis essentiam non per speciem, sed immediate ipsam clare valeat intueri: Deus quippe maxime intelligibilis, per lumen gloriæ potentiam nostram ita firmare, ac præparare potest, ut ad summi boni intelligentiam devenia-

d Augustin. lib. ultim de civit. c. 30. e Psalm. 72. f S. Gregor. l. 12. mor. c. 14.

mus,

mus. Nihil obest magnitudo visioni. Ecce quantula oculi pupilla, tam vastum cælum includit. Non omnia quidem quæ Dei sunt, comprehendere possumus, ejus tamen conspectu perfrui, ejus præsentia impleri nemo nos vetat, atq; ut doctissime *a* Lessius: inter omnes potentias vitales, præstantissima intellectiva, non solum omnium rerum vivas formas, & imagines in se concipit, sed est etiam capax Divinitatis: nam lumine gloriæ illustrata, & adjuta, format in se vivam imaginem Divinitatis, *fitque Deo similis, eminentissimo modo possibili, & se ipsi Deus cum omnibus bonis suis communicat, ut omnium dulcedine & pulchritudine perfruatur. Hoc totum fit vi visionis beatificæ.* Sed quoniam, ut S. Thomas, & cum eo Theologorum scholæ docent, ad perfectam beatitudinem tria requirantur: *cognitio, apprehensio, fruitio,* qua ratione hæc tria, illa visione contineantur, videamus. Pictura meis oculis objicitur, summi artificis manu elegantissime ducta, primo intuitu penicilli artificium, & venustatem imaginis commendo, quam video esse pulcherrimam, hæc *visio* est Theologis seu *cognitio*, porro hæc ipsa imago, manibus meis committitur, imo donatur mihi, & cum ea domum me capesso; hoc eruditis *apprehensio* est. Denique domi pictæ huic tabulæ assideo, avidus & quietus eam specto, nec spectando satiari queo; hoc *fruitio* est. Quæ eo excellentior, eo gratior, felicior, fortunatiorque est, quo majoris, ac excellentioris boni adæquata possessio exstiterit.

a Less. de perfect. divin. l. 14. c. 5. n. 78.

§. 3.

Deum videre, omne bonum poßidere est.

Doctor Angelicus *b* ad delectationem, quæ ex visione percipitur, potentiam intelligentem seu sentientem requirit. 2. objectum conveniens *c* illi potentiæ, & unionem objecti cum potentia; & quanto potentia est aptior ad cognoscendum, & objectum nobilius, & unio magis intima, tanto percipi delectationem majorem. Quod autem intelligentia, sive mens sit purior, & aptior, & nobilior, &, ut sic loquar, vivacior ad cognoscendum, quam sensus externus, in dubium revocari non potest. Quod vero Deus sit objectum nobilissimum, quippe infinitum bonum, & omne bonum, nemo ambigere potest. Iam vero quod intelligentiæ unio cum Deo, per apertam visionem, sit unio sic intima, ut essentia Dei totam mentem videntis penetret, & mens ipsa in ipsum Deum, quasi in mare magnum tota mergatur, & transformetur, æque certum, atque indubitatum est. Quis igitur capere, vel suspicari poterit, quantum illud sit gaudium? qualis ille animæ, & istius sponsi infinitæ pulchritudinis complexus? Nihil certe dulcius quam pulchra nosse, amare quæ noveris, & quæ amaveris possidere, plerique vel futilis scientiæ pulchritudine con-

b S. Thom. p. 2. q. 31. a. 5. c Bellarm. de æterna felic. l. 4. c. 2.

comperta, vel unius problematis nuda veritate detectâ, toti extra se rapti fuere, quos inter Pythagoras, Hecatumbas diis sacrificare non dubitavit, alij velut divino quodam œstro perciti, per plateas urbium discurrebant. Archimedes, Vitruvio teste, in labro aquæ pleno sedebat, id unum dies noctesque agitando, qua ratione dimensionem coronæ reperiret, ne scilicet deciperetur ab aurifice. Hinc ille seu lavaret, seu legeret, seu cænaret, sive aliud quid faceret, cogitationibus profundis mersus, hoc unum nosse nitebatur, quantum vel corona, vel crater inauratus, præter argentum haberet auri? ubi hoc in labri aquis reperit, gaudio subsiliens, & nudus in publicum procurrens, *εὕρηκα* clamabat *εὕρηκα*, *inveni, inveni* sed heu! quantilla hæc scientiæ pars est? quantula hæc verissimæ pulchritudinis, & pulcherrimæ veritatis scintillula est? quam ubi contemplando, semoto omni velo intime complexi fuerimus, suavissimis gaudiis colliquescentes, vociferari poterimus: *invenimus, invenimus, ibi igitur, vacabimus*, exclamat S.*a* Augustinus, *vacabimus, & videbimus: videbimus & amabimus: ipse enim ibi est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione æternum laudabitur. O illa visio, & spectaculum pulchrum! Ecce nunc in Babylonia, pulchra sunt quæ cives Babyloniæ tenent; sed nos non tenent: aliud solatium captivorum, aliud gaudium liberorum.*

a Aug. in Psal. 26.

Ad illa nati, quid spurcas vitæ formas, merissimas fœditates stulte deperimus? quid his cænosis rivulis, relicto primæ pulchritudinis fonte, immergimur, & ipsi deformes evadimus?

Hoc de se testatur, ac detestatur idem Augustinus: b *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, serò te amavi: ecce intus eras, & ego foris, & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam.*

Quod ne & nos sero, & serio deploremus, tam antiquam, tam novam pulchritudinem, penitius juvat contemplari, & admirari, eique hic in terris assimilari debemus per gratiam. Nam ut recte c Augustinus in illud Psalmi 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus*, sic ait: *Pulchritudinem amas? vis esse pulcher, confitere.* Sic ô anima hic pulchra eris gratia, postea pulchrior gloria. Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra!* D. Greg. l. 9. mor. c. 6. *pulchram narrat sponsus, & pulchram replicat, quia alia est pulchritudo morum, in qua nunc cernitur, atque alia pulchritudo præmiorum, in qua per conditoris sui speciem sublevabitur*; juxta illud 1. Ioann. cap. 3. *similes illi erimus, quia videbimus eum.* D. Catharinam Senensem aliquando invasit ardor, clare intuendi animas in se, adhuc corpori huic, velut luto mersas, quod ut à benignissimo Sponso illi concessũ, Catharina jam non amplius hærere in veste, ornatuq; corporis, & eximia formæ superficie, vul-

b Aug. l. 10. conf. c. 27. c Aug. in Psal. 95.

tusque

tusque venustate, sed ilico ad animam penetravit, quam ut conspexit, se continere non valuit, quin sæpius præsente confessario, exclamaret: *O anima quam pulchra! quam pulchra es!* vere opus excelsi, & compendium operum Dei. O si eam videres, mi Pater, non dubito quin illius causa, si centum tibi forent vitæ, prodigeres.

Alterum est, quod creata pulchritudo facere non potest, hoc valet divina: amantem se pulchrum facit, sibique assimilat. Unde idem Hipponensis *a* Antistes: *Diligendo pulchri* efficimur. Quid facit homo deformis, & distorta facie, si amat pulchram, aut quid facit fœmina deformis, nigra, distorta, si amet pulchrum? numquid amando potest esse formosa? quando in speculo se videt, erubescit faciem suam levare ad illam formosam, quam amat. Quid facit ut pulchra sit? exspectat, & exspectando senectus additur, quæ ipsi turpiorem facit. Non est ergo quod des illi consilium, nisi ut compescat se, & non audeat amare impar imparem.

Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur, qualis amor qui reddit pulchram amantem? Deus semper pulcher est: amavit fœdos, ut ex fœdis efficeret pulchros. Erimus pulchri, amando eum, qui pulcher est: quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas, animæ pulchritudo est.

Quare ut divino illo omnis pulchritudinis theatro frui possimus, in hoc ardentissimum votum, cum mellifluo *b* Bernardo erumpamus; *Utinam nihil vidisset unquam oculus meus, si illa (quod avertat Deus) frustrandus est visione*. Hoc motivo Doctor aureus *c* præterire docuit, quidquid hic fucatæ venustatis oculos, affectumque allicit, sic enim is olim, è pulpito ad populum: *Tu vero cum mulierem videris formosam, splendentem oculis, ornatam stola, libidine titillantem; respice desuper* (speciosum præ filiis, & filiabus hominum) *quo tale spectaculum prætereas.* Compello vos filias, *d pulchritudinis studium habentes*, quæ tot horas ad crystallum, formam vestram contemplamini, fœdam brevi Calvariam, & vermium escam recordamini: atq; illum vobis ob oculos ponite, *cujus pulchritudinem sol & luna mirantur*, quo tale spectaculum prætereat. Compello vos adolescentes, qui lascivos oculos in speciem puellarum defigitis, attendite, quia hæc *e vana est pulchritudo*, & altius oculos attollentes, in illam pulchritudinem intendite, quæ nec tempore deflorescit, nec unquam marcescit.

Quicumq; Christum hic in terris, vel momento unico intuebatur, amore ejus totus incendebatur; tanta porro S. Ioannes Chrysostomus pulchritudine fuisse ait, ut paratum se assereret omnes cruciatus, & inferorũ pœnas experiri, dummodo venustissimum Iesu vultum, plenum

a Aug. in epist. Ioan. tract. 9.

b Bernard. serm 2. de verbis Isa. c Chrysost. hom 8. de pœnitent. d Eccl 43. e Prov. 31.

gratiarum, uno dumtaxat oculi ictu per transennam contueri liceret. Sordes sunt omnes, quicunque exstitere virorum, fœminarumque formæ, quæ tot hominum corda rapuere: omnes illi, & illæ, tenui tantum venustatis radio leviter perstrictę fuere. At Iesus omnes gratias oris, incredibili spectantium blandimento complectitur. Hic S. Basilii sensus est, qui judicat, sicut omnes pulchritudines sparsim per omnia, quæ Deus condidit dispensatæ, ad efformandam solis venustatem, in commune contribuerint, ut gloria & splendor ceterorum luminum esset; ita prorsus omnes elegantias in quorumlibet vultu sitas, omnes venustiores fœminarum lineas, ad componendum in Iesu, oris majestatem decerpsisse; qui propterea a Propheta *a* Euangelico: *Angelus faciei dictus est.* Ac si diceret: facies ejus humana augustior, & Angelicæ proprior est idonea quæ omnium Angelorum amores in se capiat. In cujus pulchritudiuem; ut Hieronymus Principiam nobilissimam fœminam succenderet, sic ad illam *b* scribit: *Vniversis pulchrior est Virgo de Virgine, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo natus est. An non spiritus Sancti opera corpus Christi fabricatum? an non opera quæ Deus facit per seipsum immediatione suppositi, sunt pulcherrima, atque perfecta?* annon *corpus Christi exemplar pulchritudinis omnium corporum beatorum? quis inficiabitur illud non esse perfectissimum?* Æstuabat incredibili desiderio illius divinæ faciei aspiciendæ M. Theresa; tandem illo eam favore dignatus est Christus, ut in transitu, in ictu oculi faciem suam, non dico contemplandam, sed obiter præberet oculis tantum delibandam. Illa repente, partim præ exuberanti gaudio, partim præ immenso amore, sui impos, fatebatur deinde fieri non posse, ut pulchrius quid à quopiam possit mente concipi, imo cogitatione fingi: si in cælis, ait, nihil aliud spectandum nobis, quam pulchritudo illa offerretur, crederem hanc unam sufficere, laboresque omnés nostros optime collocatos, & compensatos esse.

At hæc longe illustriori majestate, visenda vultus sui miracula nobis reservat, cum illa in toto illo gloriæ suæ apparatu deteget. Post hoc spectaculum, desijt nullo momento Theresa illam formam suspirare, ad illam omnibus medullis aspirare: ac plurimis deinde annis ejus imaginem tam alte animo impressit, ut sola illius vultus, & quæ in eo olim contemplata erat, recordatio, ejus mentem componeret, creata omnia desiperent, quidquid intueretur sordesceret, ejusque animam sauciaret potius, quam satiaret, omnes denique quantumvis acerrimos cruciatus, hujus formæ recordatio, temperabat. Quid erit in patria sub hisce lineamentis, divinitatis fulgorem cernere irradiantem: indubitatum est, si infinita & immensa hac omnium pulchritudinum pulcherrima pulchritudine, non nisi unica diecula, vel horula frui liceret, rectissime

a Isa. 63. b Hierony. epist. 140. ad Principiam.

ctissime saperemus, si nihilominus complures annos rigidissimæ virtutis disciplinam amplexi, asperrimum vitæ genus duceremus, ad unicam illam horulam obtinendam, illud quod Augustinus *a* in eam rem affirmatissime dixit, vel millies inculcandum: *Tanta est*, inquit, *pulchritudo & jucunditas lucis æternæ, ut etiam si non liceret in ea manere amplius quam unius diei mora propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni delicijs, & circumfluentia temporalium bonorum, recte meritoq; contemnerentur. non enim falso, aut parvo affectu dictum est: quoniam melior est dies una in atrijs tuis, super millia. O beati mundo corde, ut per hoc efficiamini consortes divinæ naturæ!*
Quod sic etiamnum obscuro corporis hujus ergastulo conclusis pijs mentibus, quandoque ea, licet abstracta divinarum rerum cognitio obtigit, atque ex ea tantum etiam voluptatis redundarit, ut ea frustrari omni tormento acerbius duxerint, quid erit clara luce perfundi, & intuitiva visione potiri? Bernardus, ut solet melle dulcior: b *quæ anima semel a Domino didicit, & accepit intrare in seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem ejus semper, tales inquam anima, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliusve ducat, quam post spiritualis studij hujus semel gustatam suavitatem*, c *exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem?* quod *c* magnus ille Carolus, in secessu suo Hieronymiano testatus est, se plus dulcedinis, ac solidi gaudii, ex una rerum cælestium contemplatione hausisse, quam ex omnibus mundi deliciis, ac triumphis.

Quid non liquidissimæ dulcedinis, immensus ille divinæ bonitatis Oceanus continebit? cujus vel stillicidium, ipsas inferorum pœnas non temperare modo, sed & dulcorare valeret. Testis ille Epulo, qui vel guttam unicam ardentissime efflagitavit, quam tantæ efficaciæ divinissimus doctor Augustinus asseverat, ut libere pronuntiarit: *Tanta est dulcedo futura gloriæ quod si una gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.* Vel unica porro infiniti boni guttula, omnes pœnas, quæ secundum intensionem suam finitæ sunt prorsus restingueret, sensum omnem adimeret. Ex quo, Seraphicum doctorem verissime pronuntiasse concluditur sermo de SS. Apostolis in communi serm. 7. *ejus visio tam jucunda est, quod si quis in inferno existeret, & Deum videret, nullum omnino dolorem sentiret: quia dolorem magnum, major delectatio absorberet. multi etiam in hac vita sancti, qui propter delectationem illius incommutabilis boni, ita sensibus omnibus fuere abstracti, ut nihil exterius sentirent actu etiam puniti, & gravissimis suppliciis expositi.* Unde & alia beatis illis mentibus accedit felicitas, peccandi impossibilitas: quia nul-

a Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 25. b Ber. ser. 35. in Cant.

c Thuanus a. 1558.
d Aug. ser. . 8. de transfig.

nullum bonum creatum, à bono illo infinito, & omni bono potest avocare, longe primo parenti nostro fortunatiores futuri, ut Augustinus loquitur: a *Prima libertas voluntatis erat posse non peccare, novissima erit multo major, non posse peccare.* Libertas posse non peccare Adami fuit; posse peccare, infelicium ejus fuit filiorum; non posse autem peccare, est beatorum.

Quales denique miseri hic mortales, in patria futuri sint, declarat Joannes epist. 1 c. 3. *Cum apparuerit, similes illi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quod Gregorius exponens: b *anima in semetipsam ait, Auctoris sui inconvertibilem speciem dum respicit, assumit.* Hoc etenim infinitæ bonitatis thesauro proprium est, se communicate; c sicut quia sol in se lucidissimus, & pulcherrimus
„ est, (ut præclare Lessius spe-
„ culatur) etiam dignissimus est,
„ ut in plurimis speculis toto
„ orbe resplendeat, ut hoc mo-
„ do ejus pulchritudo quodam-
„ modo multiplicetur; ita licet
„ Deus plenissime essentiam
„ suam videat, amet, & infinito
„ gaudio ejus dulcedinem gu-
„ stet; hoc tamen non facit,
„ quin adhuc infinite digna ma-
„ neat, ut ab infinitis creaturis
„ cognoscatur, ametur, guste-
„ tur, & ut in ipsis resplendeat,
„ & specimen sui exhibeat. Ita
„ ut quamvis in se unica sit, mi-
„ ro tamen modo multiplicetur:
„ d ut tot videantur esse divini-
„ tates, quot sunt beatæ mentes.

Fit nonnunquam, ut oculi judicent tres soles a se videri, quod advertens Seneca: e *Historici, ait, soles vocant, & binos, ternosque apparuisse memoriæ tradunt, Græci parelia vocant, quia accedunt ad aliquam similitudinem solis; sunt autem imagines solis in nube spissa & vicina, in modum speculi.* Sic revera Deus, velut sol medius inter sidera, æterno lumine suo beatos omnes illuminat, qui & ipsi radios emittunt, tanquam solis imagines, & specula divinitatis purissima. Hoc Doctor gentium, oculatus testis pronuntiare non dubitavit: f *Nos autem omnes revelata facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* Quæ verba acumine ingenii solerter illustrans Africanum sidus: g *à speculo non à specula dixit speculantes, id est, per speculum speculantes, non de specula prospicientes*; Sed sicut quasi specula, jubar divinum emittentes, & quasi soles quidam, alios illuminantes. Tertull. pro h *transformamur*, legit *transfiguramur.* Ut quemadmodum Christi facies in monte Thabor, lucida facta est, instar solis ita & beatorum, imo quasi Dii, *divinæ consortes naturæ*, ut ait S. Petrus, omnes refulgebunt, lumine, à sole æterno sibi communicato.

i *Solemque suum, sua sidera noscent.*

Hoc fidei nostræ infallibile

a August. lib. de corr. et & grati. b Greg. l. 24 mor. c 7. c Lessius de perfect. divin. l. 14 c. 1. n. 12. d Less. cit. c. 5. n. 93.

e Seneca lib. 1. nat. quæstion. c. 11. f 2 Cor. 3. g August. l. 15. de Trinit. c. 8. h Tertull. l. 5 contra Marcion. i Virg. 6. Æneid.

testimonium est : a *fulgebunt justi sicut sol in regno patris mei*; non sicut sol hodie lucet, sed sicut à Resurrectione, ut Isaias vaticinatur : b *Et erit lux lunæ, sicut lux solis ; lux solis erit septemplicster:* quibus verbis innuere videtur Propheta, solem septies septem accessiones ad lucem accepturum, sive fore splendidiorem quinquagesies, quam hodie.

Quod quo altius in animum dimittatis, libet uno, alterove divini hujus solis argumento comprobare. c Religiosus quidam sacerdos scire cupiebat, quid sibi vellent ea verba Gen. 49. *Pulchriores sunt oculi ejus vino.* Vidit ergo in sacro calice, divina mysteria celebrans, Christi faciem, ejusque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum universum etiam in mediis tenebris, longe uberius quam *vel mille soles* possent illustrare. Nec facile credi potest, quantum arserit Lutgardis, Christum videndi desiderio, cui se exhibuit, non quasi unus sol, sed quasi mille soles, d audi Thomam Cantipratanum in vita ejus : interroganti cuidam amico spirituali, cujusmodi Christi faciem in contemplatione videret? respondit : in momento apparet mihi splendor inæstimabilis, & instar fulguris, video ineffabilem ejus glorificationis pulchritudinem, quæ nisi raptim subduceretur aspectui contemplationis meæ, mortalis vitæ hujus imbecillitas, eam ferre nullo modo posset : post eum autem fulgorem, manet splendor intellectualis, & cum illo quæro eum, quem raptim videram ; sed non invenio. Itaque dicebat oculos Christi tam ineffabili coruscare splendore, ut si splendor ille solis, infunderetur, in infinitum amplius ille solem obscuraret, quam solis radii stellarum lucem obtegant. Nunc si lubet D. Anselmum audiamus : e *In illa vita*, inquit, *pulchritudo justorum, solis pulchritudini, qui septuplo quam modo splendidior erit, æquabitur.*

Beati igitur quinquagies, solis lucem claritate sua superabunt : quid erit videre tot millenos soles, qui omnes soli illi increato, unde suum lumen accendunt, totum refundent?

f *Solemque suum, sua sidera noscent.*

a Matt. 13 v. 43 b Isai. 30 c Cornelius à Lapide in c. 43 Eccl. pag. 283. d Cantipratan. in vita 16. Junii Surius.

e Anselm. lib. similitud. c. 53. f 6. Aneid.

COMMEMORATIO FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Festina, suscita amicum tuum. Prov. 6.



Festina, extinctos reddere luci.

ARGUMENTUM.

TRahitur in partes, mortalium pietas, cui prius, aut potius opitulandum: homini flagitioso, peccatorum cæno immerso, ut inde extrahatur; an animæ justæ ad piaculares ignes damnatæ, ut inde eripiatur? cui argumento, ubi factum fuerit satis, manifestis rationibus convincam, pios manes hisce tam atrocibus flammis

flammis excarnificatos, tamque immani, ac terrifico ergaſtulo detentos, omni ope, ac opera, quantocyus, cito, cito liberandos eſſe. Porro ſi domo incenſa, pro fortunis, pro propinquis, pro liberis, pro dilecta conjuge, incendio involutis, omnium tota urbe clamores exaudiantur, omnium ſine mora manus auxiliatrices adferantur, undique paſſim Religioſorum manibus undæ affundantur; quis non eum omnis humanitatis oblitum, barbaræ crudelitatis inſimulandum putet, qui non in fluxis, fictis, ac pictis hiſce, ut Auguſtinus loquitur; ſed veris, ac vehementiſſimis purgatorii flammis, viſcera ſua, dilectiſſimam ſobolem, prolem, conjugem, cæleſtis ſponſi dilectiſſimas ſponſas deſtituat? ubi cumprimis arguendi, nec levis criminis arceſſendi hæredes, Tutores, ac teſtamenti executores, qui ſua incuria ac inertia eleemoſynas, in egenos erogandas, pia legata, ſacrificia pro defunctis peragenda, in dies, in hebdomadas, in menſes, in annos plurimos, differre conſueverunt, atque aliis pietatis ac miſericordiæ operibus patrocinari contemnunt, aut omnino negligunt.

§. I. *Vtrum præſtet, & quo potius adnitendum, ut peccator è cœno vitiorum: an ut animæ fidelium defunctæ, è piaculari carcere eripiantur?*

§. II. *Feſtina extinctos reddere luci.*

COMMEMORATIO
FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Festina, suscita amicum tuum, Proverb. 7

Controversia duos *a* inter sublimioris scientiæ Doctores, eximios inter Theologiæ Magistros agitata est, utrumne precibus, eleemosynis, jejuniis, aliisque corporis afflictationibus, atque omni demum ope, & operâ adnitendum sit, *ut homini flagitioso, de salute æterna periclitanti; an potius, ut piis manibus, ignis ergastulo detentis, occuratur?* & porro calide utrimque disceptatum, utri succurrendum sit. Nec enim aliud hic negotium instituitur, quàm illi legimus Patri fuisse, quem in hujusmodi bivio fluctuantem, æstuantemque, Callistius pene lachrymans depingit: Hunc dum duobus tenerioris ætatis liberis, Thessalonicam negotiorum causa petentem, e silva latrones improviso adorti, & violenti parvulos ab eodem depellerent; Hic miserum in re subita, cum omne consilium defecisset, lachrymæ solæ precesque non reliquerunt. Delabitur in genua, aurum argentumque offert, caput, vitamque ferro subjicit, omnia conatur, dum parvulis Innocentibus avi, & laniena caveretur; & ecce ingeniosa crudelitas hoc tandem indulsit, ut sortiri senex de suorum cæde cogeretur, eumque quem videretur morti subduceret, alterum relinqueret, in oculis suis ilico jugulandum. Quid hic agat misericors, in alterutrum crudelis pater? nec consilium novitas causæ, nec moram barbari patiebantur: consulit oculos ærumnosus senex; sed quo nutu, nictu favere se alteri ostenderet, alterum duorum crudelissime trucidandum, natura ipso deterret: dumque hostis stricto mucrone instat, oculis clausis cæca sortitio tentatur; sed in tenebris sortientem, mixtus duorum clamor perturbat: *Ecquem oculis clausis abdicas Pater? quem temerè cæcus adoptas? si digni non sumus, quos vivere videns, sciensque tu jubeas, certe indigni videmur, quo cæcus trucidandos tradas. Quin illud agis hic saltem, & uter duorum pereat observes, ut morienti vel hoc sit solatio, in patris oculos occubuisse.* Excitatus probe domestico senex, undantes oculos attollit, & mente ad officium reducta, iterum ambos, iterum singulos explorat, dumque alterum alteri præferre misericors cessat (quem rei vos hujus exitum exspectatis?) utrumque miles in parentis complexu, barbarâ, immanique crudelitate obtruncat.

Sic ex hac prolusione, quam diffi-

a Petrus Sanchez Royaume de Dieu Sanctei purgat. conc. 5.

difficilis sit inter res charissimas optio, didicistis, nunc animum ad propositam quæstionem advertite, si duos amicos, quos æquis amoribus prosequimur, adspiciamus; alterum adhuc viventem, & firmis corporis viribus valentem; sed graviori noxâ in animo lethaliter saucium, & opis nostræ, ne æternum pereat indigentem: alterum hac mortali vitâ functum, sed lustrantibus flammis acerrime discruciatum, & deplorato gemitu, horribili flammarum spectaculo, precum nostrarum suppetias implorantem. Enimvero mihi credite luctabimur, diuque fluctuabimur, dum oculis utroque versum retortis, aliquando statuamus, & quæ partium momenta, ac argumenta præponderent, decernamus.

§. I.

Utrum præstet, quo potius adnitendum, ut peccator è cœno vitiorum, an ut animæ fidelium defunctæ, à piaculari carcere eripiamur.

PRimus quippe Doctorum sic rationes suas instituit: homini scelerato, potiori jure subveniendum, quod is quamdiu lethali crimine obstrictus est; in præsentissimo æternæ damnationis discrimine versetur, gravissimum in se benignissimi Redemptoris odium extendere pergat, omnisque pro eo suscepti laboris, doloris, ac sanguinis pretium quodammodo conculcet. Animæ vero quæ subterraneis illis specubus detinentur, de salute sua, vel post mille annos certæ, & securæ sunt, gratia pollentes, charitate Dei insuper ferventes, atque in ipsis flammis justissimum Patrem collaudantes, in omnem æternitatem felices exstant.

Atque adeo rectè confici, quod *majus gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*, a *quam supra nonaginta novem justis*.

Ad hæc alter, qui piis manibus patrocinabatur, hunc fere in modum reponebat: qui peccati vinculis constrictus tenetur, iis se, ubi libuerit, valet expedire, pervicaciæ ipsius est, si vincula colli sui non abjiciat. Quis eum carceri eripere satagat, qui captivitatem suam amat, quis in puteum, aliudve præcipitium delapso, funem illi porrigit, qui vel manum ut se juvet extendere detrectat? quid alienam opem efflagitat, qui propriam, sibi nequam, non præstat? qui adminicula, commotiones, comminationes, gratiam quæ semper in promptu est, & sufficienter suppetit, aspernatur? tu pro illo solicitus sis, qui ignavus sui curâ negligit? de illo magnopere labores, qui quidquid egeris vel sategeris, non resipiscet, nisi ipse velit, quod Dei adjuvante gratia, nunquā non potest; minime autem velle, dum in peccato persistit, aperte testatur. Quod illud Luc. 15. spectat, in cœlis *majus gaudiū super uno peccatore* &c. respondeo cum Doctore Angelico

a Lucæ 15.

majus illud gaudium intelligi sensibiliter, non appretiative, subdit enim: a *sciendum est, quia sunt plerique justi in quorum vita tantum est gaudium, ut eis quælibet peccatorum pœnitentia, præponi nullatenus possit.*

His ita discussis, video non vos dumtaxat Auditores, sed & personas sanctitate vitæ insignes, divinæ lucis radio illustratas, in partes secessisse. Catharina, quam Senensem à patria nominant, tota exarsit, ut animam peccatricem, monstrum teterrimum in cælestem quandam imaginem, divina aspirante gratia, commutaret. Hinc diu, graviterque Deum efflagitavit, ut notæ pervicaciæ, malitiæque vipera (mulier quæ in civitate ista peccatrix, & publica habebatur) prius resipisceret, quam naturæ concessisset. Deus exoratus, postremo annuit, nec multo post illius fœminæ jam nuper defunctæ Manes conspiciendos objecit, nondum cælo receptos, jam tamen destinatos: certe autem tanto splendore circumfusos, ut verbis explicare, aut satis admirari venustatem animæ illius Catharina desperarit. Stabat Virgo, diuque velut à sensibus alienata inhiabat, & formæ præstantis miraculum venerata, tantum non adorabat, cumque explere animum tuendo, & laudando non valeret, Christum audiit in hæc verba colloquentem: *Quæ (malum) hæc vestra mortales ignavia est, non agere ferreque omnia ut hi animi tam scite, venustéque conformati, ab excidio perenni per vos asserantur? & cujus immanitatis sit sinere, has tales formas, sempiternis incendiis ardere, quas vestris suppetiis, ad æternam felicitatem evehere possitis? nil ego injuriarum*, dolorum, vulnerum subterfugi, *dum ab interitu his animos vindicarem; vos eadem causa, vel digitum levare piget.*

a Com. hic S. Thom. in Lucæ 15.

Movit hæc Virginem, sive Christi audita oratio, sive animi conspecta pulchritudo, ut ex eo die, quoad provixit, in unam hanc curam ardentius, quam unquam ante incubuerit, ut sceleratas vivorum mentes, ad frugem traduceret, & à prava vivendi licentia mortales absterreret.

Hactenus quo ardore Catharina, pro improbis adhuc viventibus, inflammata fuerit, vidistis; nunc ad restinguendas functorum flammas, quas pii Manes patiuntur, alteram mihi Virginem, incredibilia quædam facientem, æque ac patientem considerate.

Ea Christina est, cognomento mirabilis. Hæc cum à cælesti ephebo, ad illud Tullianum in quo animæ lustrantur, deducta, horribiles cruciatus oculis suis hausisset, optionem accepit, vel recta cælum adeundi, si dissimulare, contemnereque horum ærumnas posset: Vel si opitulari miseris quos viderat mallet. Suis ipsa doloribus voluntariis, omnes eorum pænas compensaret, flammasque restingueret. Quid agat Christina? hinc auditi gemitus ac preces, inde visi cruciatus; ac flammarum vortices occursabant. Juvaret il-

illos? sexcentas sibi mortes quotidie subeundas videbat. Caveret sibi? longa illorum tormenta, dictuque & visu horrenda confirmabat.

Vicit in ambiguâ lite, calamitas aliena: nam miserata misericors Virgo, conditionem accepit, in vitam postliminio redit, & in vita, Deus bone? quid expiandis illis assidue fecit? quin imo, ut rectius loquamur, non fecit? vidissetis illam nunc in cadaverum conditoriis pernoctare, flentemque & ejulantem supra bustuarios cineres, ac putentia ossa recumbere: nunc inter nives, glaciemque totis noctibus hibernare, & rigentem gelu, cum ipsa glacie coalescere: mox ebulliente aheno, & ferventibus undis ultro immergi: rursus in flammarum rogos, & candentes furnos insilire; eaque ibi, quæ cogitare mens reformidat, sustinere, infinita denique his atrociora, per annos complures, inter perpetua vitæ mortisque miracula, constantissime perferre. Non alia profecto de causa, quam ut illos piorum cruciatus, quos semel conspexerat, hisce suis cruciatibus celerrime sublevaret, iterumque è vita abiens, non unam animam cælo inferret.

Verum enim vero hæc diversa Virginum studia, dum in partes duas nos distrahunt, ambiguos nos, & quasi in medio suspensos relinquunt, minime tamen expedit, nos hic dubios morari, ut dum deliberamus, utros istorum adjuvemus, utrosque (æque ac pater ille, de quo supra) crudeli misericordia deseramus. Instar itaque Theologorum alter, & hisce primis argumentis: finge si placet duos facto naufragio, in medio Oceani fluctuare, alterum natandi non omnino ignarum, & salutis suæ securum, si modo manum ad tabulam vicinam extendere, eamque arripere non pigeat: alterum natandi minime gnarum, opis alienæ indigum: omni subsidio destitutum, nec præsentissimo discrimine subducendum nisi Lembo adnaviges, fluctibus eripias, & in portum perducas, Hoc illum & lachrimis, & clamore valido se per superos, per carum tibi caput, per quidquid ubique venerabile, rogare & obtestari, fide data, se tota æternitate beneficii memorem, ac gratum fore. Fierine potest, ut hic alicui aqua hæreat, cui subveniendum sit? Luctantur inter flammarum vortices, inter igneos fluctus fideles animæ, quia a *fluctus feri maris* obruunt illas, nec quisquam *in diluvio aquarum multarum ad Deum* natando valet *approximare*, nisi quis viventium adnaviget, & in onerariam suam, b *quæ de longè portet panem* (Eucharisticum) recipiat. Jam vero peccator, fluctuat ille quidem in undis mortalitatis, decumanis criminum pene obrutus; sed si *secundam post naufragium tabulam* arripere velit, certo certius evadet. Audit inclamantem, pœnitentiam amplectere, c *sicut naufragus alicujus tabulæ fidem*, ut loquitur Tertullian. de-

a Epist. Judæ v. 13. b Psal. 31
d Tertull. lib. de pœnit. Amb. ad Virg. lapsam. c. 18.

spicit

ſpicit; videt porrigentem, obteſtantem: in ſte miſer, fortiter adhære *tanquam naufragus tabulæ*, ut hortatur S. Ambroſius, negligit. Piget vel extremum manus, aut pedis digitum porrigere, cui funis ad extrahendum innectatur. Perditiſſimi illius hæreſiarchæ *a* Lutheri, re ipſa uſurpat vocem: *ego ſi cælum apertum viderem, idque culmo ſtramineo de terrâ ſublato mereri poſſem, nollem tamen illum attollere*, & dubitamus adhuc, cui auxilium ferendum ſit. Et dubitamus adhuc cæleſtes divinorum meritorum ac Sacramentorum canales, quos peccatores nauſeant, ac aſpernantur, in ſolatium ac refrigerium animarum uſurpare? Audi quid inſolens, & inauditum. *b* Monialis ſubintrans cellam B. Ioannæ de Lacrois, conſpexit in ea S. Hoſtiam eleganti capſulæ impoſitam, atque ſub idem tempus, Ioanna è mentis ecſtaſi, ad ſe reverſa, ſororem monuit, ne Thecam contingeret, in eâ SS. Chriſti Corpus requieſcere, ab Angelis ad ſe delatum Cumque monialis urgeret, qua de cauſa Sacra Hoſtia in ejus cellam detuliſſent? ſtupendum expoſuit, divinæ erga ſe miſericordiæ Sacramentum, Vir inquit ſceleratiſſimus, qui jam æternis inferorum flammis excruciatur, è vivis deceſſit, cum ſacra etiamnum hoſtia in ore, quam cæleſtes genii, ſummâ cum veneratione eximentes, hic detulerunt, ut ejuſdem SS. Hoſtiæ ſumptione, ego ipſa animam ex purgatorio liberarem; quo dicto in genua cum lachrimis, & ſumma animi demiſſione procedens, ex Angeli manibus S. Hoſtiam ſumpſit; atque ea quæ peccatori ex ſua malitia fuerat in damnatione, hæc pia Virginis miſericordiâ animæ fuit in refrigerium vim ac momentum hæc accipiunt ab ipſo jure naturæ, & poſitivis legis peritorum placitis: invadit te prædo, ut vitam, chlamydem, vel totam eripiat, quam ut retineas, hominem ut lethifero obnoxium ſcelere non ignores, & æternis ignibus damnandum, ferro aut ſclopo tranſverberas. Exclamet hic imperitus, quantum à te uno ictu commiſſum piaculum; quoniam vita illius ſpiritualis, tuæ temporali antcponenda, & viliſſima veſtis pretio animæ longe poſtponenda eſt, cum tamen *c* Theologorum Schola, hunc jure mactatum pronuntiet, hac ſolum de cauſa, quod invaſor non cenſeatur fuiſſe in neceſſitate, cum libere ſe conjecerit in illud periculum, nec ipſius voluntaria malitia, debeat præjudicare (ut loquuntur) tuæ libertati, ac integritati quare fas tibi fuit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, invaſorem ut obſtaculum removere. Haud aliter omnis peccator, nulla neceſſitate tenetur, quæ ſciens volens in peccato perſeverat. Aſt anima; quæ purgatorio conſtringitur, maximâ in neceſſitate verſatur, nec ſe ab acerbiſſimâ ignis violentiâ valet expe-

a Luth. colloq. fol. 356. & fol. 56 b In vita per Carolum Thielmans in vitis SS. & Sociorum S. Franciſci Flandriæ. c. 14.

c Antonin. Silveſt Bellarm. Caiet. 22. q. 64. a. 7. Sotus de Iuſt. q. 5. a. 3. Navarr. c. 15. n. 2. Valent tom 3. diſp. 5. q. 8. p. 4 v. Leſſ. Lugo &c.

dire

dire. His, aliisque rationibus, quantumvis solidis, cum eorum alter peccatoribus favens, minime flecteretur, placuit cælesti numini, horrendo prodigio doctorem dedocere; nam eccum tibi nocte intempestâ, feralis umbra ex igneo ergastulo dormienti, quietem interturbat, seque cum gemitibus, & ejulatibus inenarrabilibus, & totam undique flammis convestitam, spectandam præbet; tum ne hoc tam triste, ac, funestum spectaculum forte per somnium objectum crederet, manum suam in pertinacem extendit, tamque immani cruciatu excarnificavit, ut totus in sententiam socii abierit, omnemque vitam ut pios Manes atrocissimis, quæ expertus fuerat suppliciis, quantocius vindicaret, insumpsit. Hic vos compello Auditores, si nocte insequenti per quietem, ejusmodi gemitus auribus allabarentur, eo in schemate, uxoris, parentis, aut propinqui anima oculis obversaretur, nonne hæc una, omni oratorum lingua longe potentius peroraret, animosque vestros ad misericordiam, nunquam non erga se exercendam commoveret? testantur id eventu non absimili, sacri patrum prædicatorum annales: *a* Bertrandus è
„ primis SS.mi Patriarchæ Do-
„ minici sociis, frequentius pro
„ vivis, rarius pro defunctis sa-
„ crificium offerebat, quibus,
„ ut præ illis, ardentius opitula-
„ retur, vir ejusdem ordinis
Religiosus Benedictus, ab eo amice sciscitatus est: si duo mendici, pari laborantes inopia; sed alter firmis sit viribus, & robustâ corporis valetudine; alter ita confectus, ut se movere non possit: cui magis subveniendum putes? ei inquit Bertrandus, qui se movere nequit. Tunc Benedictus: sed animæ, quæ piaculari carcere conclusæ sunt, huic omnino persimiles sunt, nox illos occupavit, in qua non valeant operari, nec ratio, aut industria, aut vires suppetunt, quibus sibi opem adferre queant, non manus, non pedes, non oculos habent, quibus se expediant, tantummodo relicta sunt labia circa dentes eorum, ut opem nostram inclamare possint: *b miseremini mei, miseremini mei:* Alterum est, ut parem utrorumque necessitatem statuamus, magis tamen communi Theologorum consensu juvandos esse, qui pluribus titulis amandi, quique Deo, Angelis, ac hominibus chariores existunt: *in peccatoribus quippe duo possunt considerari* (ait *c* S. Thomas) *scilicet natura, & culpa. Secundum naturam quidem, quam à Deo habent, & capaces sunt beatitudinis, ex charitate diligendi sunt, at secundum culpam, qua Deo adversantur, sunt odiendi, quicunque peccatores, etiam pater, & Mater, & propinqui, ut habetur* Luc. 14. *debemus enim in peccatoribus odire quod peccatores sunt, & odire quod inimici Dei*; in anima vero fideli, natura est, & gratia, objectum sane amabilissimum, Deo, amoris vinculo conjunctissimũ, unde consequitur (ut idem *d* docet) *quod magis diligendi sunt*, qui

a Bzovius tom. II. 13. a. 1220.

b Job. 19. c S. Thom. 22. q. 25. a. 6. d S. Thom. 22. q. 27. a. 7. Amicus præ inimicis diligendus. S. Thom. 22. q. 26. a. 6.

qui nobis, ac Deo propinquiores sunt quo fit ut tenerrimo eos affectu complectatur, nec modo miseretur eorum, ac condolet, sed in iisdem Redemptor noster dolet ac patitur: ipsi enim sunt potissimo jure a *Corpus Christi, & membra de membro.* Deus immortalis, si loco Materni gremii, Jesus Infantulus jaceret in flammis, aut vice crucis, in medio penderet incendio, b *& clamore valido, ac Lachrimis* eximi peteret: ô amator Jesu, quid faceres? non exaudiretur ille pro sua reverentia? non tu amplexibus pansis advolares, & eriperes etiam ipsis consumendus à flammis? *Amen dico vobis*, pro tribunali olim ille dicturus, quamdiu c *fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quidquid igitur in animas confers, Deo præstas, cum amantes quid unum sint, quin & tuo amore, Deo novos paris amores, scis quales & quantos? peccatorem si ad frugem, si ad justitiam, ad gratiam reduxeris, Dei amantem reddideris; sed amabo expende, cum gravissimis doctoribus: Unum è beatis cælitibus, vel hora unica plures actus amoris Dei, elicere in cælis, quam justus annorum forte aliquot, unquam eliciet spatio; & quod caput est, attende infinitos actus amoris viæ, tametsi infinite augescentes, non posse nancisci nobilitatem infimi amoris patriæ, quos mille, mille actus, anima lustris aliquot, vel annis, vel mensibus, vel diebus; per te citius gloriâ cælesti fruitura eliciet hoc autem totum decus, tu adjicis animæ liberatæ, & causa existis ardentissimi illius amoris, ad mirificum divinæ gloriæ incrementum. sic enim juvat ratiocinari. Si quis sacer orator, universis per quadragesimam diebus, numerasset decem millia Auditorum, in quorum singulis, divino suo fervore excitasset quotidie decem millia actuum flagrantissimæ in Deum charitatis, numquid non operæ, & sudoris pretium is fecisset, & gaudio triumpharet in paschate, ob ingentem accessionem tam sancti amoris? certissimum id est, perge porro: & finge dispersos illos amores in unum pectus effundi, addique omnes Xaveriani, atque Paulini cordis ardores, illosque decuplum, centuplum, millecuplum, iterum, iterumque crescente flamma accendi, numquid non eximius numinis amator, ac propagator gloriæ, imo velut miraculum orbis audiret, qui causa divini illius ignis existeret: Verum omnis ille dictus amor, cum suo incremento, nunquam assurget ad generosam indolem infimi amoris in patria, quem tu suscitas, dum cælo asseris animam. Quod si hæc vera sint, de unico actu, qui momento elici potest, quid de frequentatis per dies, & noctes, hebdomadas, & annos? quod si hæc vera de unica anima, per te in cælos immissa, quid de innumeris sentiendum? ceterum tu Deo tuo, tibi longe dilectissimo, omne bonum illud mirabile creas; ac ingens, quo tota æternitate caruisset.

Hæc satis ad pectus B. Bertrandi

a 2. Cor. 12, b Heb. 5. c Matt. 25.

in misericordiam animarum inflammandum videri possent, nisi eum etiam honesto pietatis titulo, pro peccatoribus obfirmasset; donec attestante a Bzovio, expurganti igne anima una omnium legatione functa, terrore suo, sub noctem patrocinium suum, & sociorum, ita persuasisset, ut jam nemo alius pro his frequentius ad aram Bertrando oraret. & profectò si sapimus, vicina incendia, & nobis jam jam impendentia, communi opera sopimus, hoc est cilicio opprimimus, precibus avertimus, flagris fugamus, gemitibus difflamus, oculorum imbre extinguimus vindices ignes. Quin quisquis fila manu tenes, & globos Virgini sacros, tenere te funem puta, quo ex inferno carcere propinquos tibi, & sanguine junctos æternæ restituas libertati. Quis enim ad miserandas illas voces: b *Manus Domini tetigit me*, non præpropere, quam citissime, quanto citius auxiliarem iis manum porrigat, & opituletur?

§. 2.

Festina extinctos reddere luci.

FAcem recens extinctam, etiamnum fumigantem, & quasi Spiritum trahentem, facile luci restitues; quo velut spiranti symbolo monemur, ac docemur, fideles morte extinctos, quamprimum luci æternæ restituere, dum adhuc velut extremus Spiritus hæret in labris. Idem de vita humana sensisse visus est Archisynagogus, dum in argumentum resuscitationis adducit: quia MODO *defuncta est*. c Chrysologus illud *modo*, sic exponit: *hoc est dicere adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ vestigia videntur, adhuc est in viâ Spiritus.* Et alibi ut majorem nobis indat pietatis in mortuos celeritatem subdit: d *Suscitaverat Dominus & filiam Jairi Principis Synagogæ, sed* ADHUC FUNERE CALENTE. Non exspectavit donec frigidum cadaver, à libitinariis elatum, in sepulchro conderetur; ita & nos, quamprimum animam exhalavit, ilico ad aram facere, preces fundere, elemosynas erogare, pia legata persolvere festinemus; non differamus in dies, hebdomadas, menses, dum amici è longinquis partibus evocentur, sepulchralis pompa adornetur, oratio funebris excogitetur, exequiæ celebrentur.

In omnibus operibus nostris, commendat nobis Sapiens velocitatem Eccl. 31. *In omnibus operibus tuis esto* VELOX. At quibus amabo te, in operibus velociores esse nos convenit, quam ut liberis, parentibus, propinquis nostris, summis in adversitatibus, præsenti in discrimine, in flagranti incendio succurramus? Proles tua unica, parens dilectissimus, charissima conjunx, gravi morbo conflictatur, subito paroxysmo corripitur, statim, ac tutum, cito, cito ad medicum concurritur, quam

a Bzovius cit. b Iob. 19.

c Chrysolog. serm. 34. d Serm. 63.

mox

mox, cito cito pharmacopola visitur, cito (vena aperienda) chirurgus aut hic, aut alius conquiritur; interim qui febrim longe ardentissimam, cruciatus hic inferne intolerabiles perpetiuntur, & cito, quam citissime adjuvandi essent; deseruntur.

Vnum plebei hominis domicilium per horam ardet, & civitas tota percellitur, undique concurritur, auxiliares lymphæ quam celerrime undique affunduntur. Quod si his in flammis, summo ædium vertice medium videas unicum tibi, & maxime charum filium, quas voces, quæ auxilia, quæ non quam ocissime subsidia,& adminicula subministrabis? plurimæ cœli filiæ hocce piaculari rogo involvuntur, quas fidei oculo, medios inter flammarum vertices conspicimus, & nemo se movet. Incendium est,& sunt aliqui velut paralytici, omnium membrorum usu destituti, contracti sunt nervi, nullus in eis est vigor, nullus motus; tametsi certissime sciant, & firmissime credant, jam flammis illis piacularibus propinquos, parentes involvi, & se brevi involvendos; tamen nec movent manus, ut eleemosynis velut aqua restinguant,nec pedes ut aliis succurrant, aut ipsi effugiant. Sunt ipsis paralyticis magis languidi, ut parebit ex historia quam refert a P. Richeome contigisse in Galliæ civitate Arelatum dicta Ioannes Barle paralyticus; diu jacuerat affixus lecto, & quod illi morbo est familiare, non poterat vel manum, vel pedem movere, privatus omni usura membrorum. Contigit ipsas quas incolebat ædes,subito corripi incendio, domestici occupati, vel auferenda vel e fenestris ejicienda supellectile, oblivis cebantur hujus paralytici: interim tota jam fumabat, grassante per intima quæque incendio, domus: & jam ipsum cubile in quo jacebat, flamma lambebat.

Quid ageret hic miser? durum ei videbatur hoc tam diro mortis genere occumbere, nec erat qui auderet succurrere; ipse ergo denso undique ignium fumo involutus, ingenti mortis tam vivæ horrore perfusus, ita Spiritus animales perculit, ita vires omnes impeditas collegit, ut contractas paralysi nervorum abruperit nodos, & generoso saltu se præcipitem dederit; atque ita mortem effugit; sed & paralysi se exemit,qua deinceps nunquam laboravit.

Tantum potuit vehemens illa impendentis jam ignis apprehensio. O Paralytici, in proximi charitate languidi, in propriæ salutis negotio torpidi siccine formidatis,fugitis, horretis quæ corpus urunt, pictas flammas, ignis umbras, simulachrum incendii? & contemnitis flammas à rigidissimo judice, qui vocatur ignis consumens,accensas? flammas quæ animas parentum, propinquorum, liberorum tuorum cruciant? Nos hic in superficie terræ, velut superiore domus alicujus tabulato, securi epulamur, & pergræ-

a Richeome Valedicti animæ devotæ colloq. 5.

græcamur, dum in infimo terræ spelæo, velut ejusdem domus inferiori caveâ, ejulantes animæ comburuntur: & securi somnum ducimus, cum maxime vigilandum, currendum, properandum.

In ore, & corde omnium utinam versaretur sacrum *a* illud Proverbium: *discurre*, FESTINA, *suscita amicum tuum: ne dormitent palpebræ tuæ.* Quos alios hic amicos suscitandos, & summa festinatione adjuvandos credam, quam qui gravissimis in miseriis, & tuæ opis ac operæ maxime indigi sunt? ad rem Hugo Florentinus serm. 2. de animabus: *Discurre per collegia Sanctorum, ab eis petens liberationem fidelium defunctorum;* FESTINA, *ne morte præoccupatus gemas, & defleas, te fuisse negligentem, non solvisse promissum. Unde & sequitur: suscita amicum tuum, hoc est fidelem in hoc pondere pœnarum, quasi sepultum, ut resuscitatus ascendat ad gloriam Sanctorum.* Impigre, ac celeriter amicis nostris, qui purgatorii pœnis torquentur, suffragia nostræ pietatis debemus, ut eos pœnis, quas patiuntur acerbissimas, eripiamus, & ad gloriam Sanctorum transferamus.

Ad quod plurimum scite juvat, & maturâ mente expendere: ut anniversaria pie, ac salubriter instituantur. *b* Quantocius tamen animæ tuæ succurrendum; quod fiet, si statim ab extremo Spiritu, omnes Mystas ubique loci curet sacris operari, aliaque pietatis opera, ac pia legata, re omni alia infectâ, testamento jubeat executioni mandari. Hæc cura *c* solicitum habuit Philippum III. Regem Catholicum, in obitu conjugis Margaretæ Austriacæ, qui ipso exequiarum die, in sola urbe Madrisensi, fieri mandavit sacra mille septingenta: ex quibus ducenta octoginta ad aras expiatrices, sive *privilegiatas*, & quinquaginta quatuor fuere solemnia. Deinde præter mille piacularia sacrificia, de quibus agebatur in testamento, curavit Rex alia fieri viginti millia.

Ita *d* Serenissima Hispaniarum Infans, Isabella Clara Eugenia, ut quam celerrime aquam, si forte opus, incendio affunderet, pro functo conjuge suo *Alberto Pio*, imperavit celebrari sacrorum quadraginta millia, ac per triginta continenter dies, adstitit ipsa quotidie sacris decem, suis quasi Regiis manibus frigidam adfusura. Consimilem dum vivitis, vobis ipsis gratiam per heredes fieri, testamento jubeatis: ab ipsis enim, ut à morte tua titulo gratuito, non stricto jure, debitum obsequium, & officium præstolemini, vanum & insanum est. Fertur de viro nobili, qui ubi de se conclamatum audiit, ternos suos filios acciri jussit, quorum in animos, extremo hoc in articulo pertentare

a Prov. 6. b Diana part. 9. t. 2. Resol. 27.

c Gusman. in vita Margaretæ Aust. p. 5. c. 3. d P. F. Iacobus Courvois. in Mausolæo. P. Jud. Andries. de purg. t. 2. stim. 3. §. 2.

vole-

volebat, ut ei lautiorem hereditatem decerneret, quem erga se propensiorem perspexisset. Primogenitus itaque rogatus, quid in solatium animæ, ubi parens è vivis excessisset, facere statueret? respondit se ædiculam exstructurum, inque ea quotannis anniversarium piis manibus peracturum. Placet parenti propositum. Inde secundo genitum percunctatur, quo ipse affectum suum in patrem vitâ functum, comprobaret? respondit is, se templum augustum satis meditari, inque eo per dies singulos, piaculare sacrum inducturum; cujus propensam in se voluntatem parens collaudavit, & filium complexus est. Tandem natu minimus, ultro mentem suam exposuit, dicens: & ego mi Pater, præstabo tantum, quantum uterque fratrum sigillatim, quem cum Pater verba dare, & multa in vanum promittere dictitaret, denuo sancte affirmavit, se solum tantum præstiturum, quantum duo fratres simul adpromiserant, causam hanc subjungens: quia ubi è vivis sublatus fueris, ut jam multum spondeant, nil efficient, atque ita & ego tantum, ac illi præstiturus sum. Haud aliter, hoc corruptissimo sæculo vivitur, & morimur; affines, propinqui, hæredes, montes aureos promittunt; at ubi tu Spiritum tuum efflaris, omnia difflantur. Illustre hac in parte exemplum, in Lusitania vulgatissimum, recenset P. Benedictus Pererius in cap. 50. „ Gen. in hæc verba: Mortuus „ quispiam est, qui summis in „ vita laboribus, ac sudoribus „ copiosam admodum filio sub- „ stantiam reliquit: lætus quidem, „ sibique blandiens, quod „ filium relinquebat divitem; „ qui & patris conscientiæ onera „ levaret, & animæ in purgatorio „ agenti, per eleemosynas, „ divinaque sacrificia opem ferret, „ atque adeo patris testamentum „ exequeretur integre. „ At miserum sua fefellit opinio. „ Filius quippe prorsus immemor „ patris, nec illius testamentum „ curavit, nec animæ „ vel unum sacrum, aut obolum „ stipis erogavit. O plane saxum! „ O stipitem! O feram! „ vicinos ergo, qui patri mortuo „ amicus fuerat, adolescentem „ objurgat, quod nullam „ defuncti Patris, à quo amplum „ acceperat patrimonium, haberet „ curam, nullam omnino „ memoriam. Quid vero iste? „ non patris, inquit, memini, Patris „ curam non habeo, nec ubi, „ nec quid modo agit, mea interest: „ nam si jam cœlo Pater „ receptus, fruitur Deo, nullius „ à me indiget subsidii, si vero „ damnatus apud inferos cruciatur, „ nulla jam est redemptio, „ frustra fient quæcunque pro „ ipsius anima filius efficiam. „ Denique si lustralibus flammis „ in purgatorio torquetur, cum „ sit jam sempiternæ salutis omnino „ securus, patienter ergo „ sustineat, quoad usque solutus, „ in cœlum evolet. O dedecus! „ O barbariem! O insaniam! *sed* „ *tamen ô dignam tam stulto homine* „ *pœnam, qui seipsum vivum* „ *negligens, sui demortui curam* „ *aliis commendat*. Tu teipsum „

psum, & animam cura. Neminem profecto hæredum, qui pro te faceret is habuit de quo maximi Magistri Thomæ Aquinatis, magnus discipulus commemorat quendam vita functum, *a* cujusdam sancti Viri meritis ad præsentem vitam revocatum: inter alia quæ sibi in altero orbe prodigia, in piaculari igne se conspexisse animam notissimi sibi amici enarravit, quæ post gravissima isto in carcere perpessa supplicia, inter ipsa tormenta inopinatè ridere, & miro gaudio exultare & cantare incepit, dicens: *eja misericordissime Deus, non in finem oblitus es mei.* A quo dum causam hujus insolentis lætitiæ, & exultationis percunctarer, respondit: *Exultabunda tripudio: quia mihi scire à Domino datum est, in hoc instanti natum puerum, qui longe post futurus presbyter, in ejus Missa quam celebrabit primam, ab his pœnis ad requiem evolabo.* O luculentum, sed lentum solatium! quod in manu vestra est auditores, ilico conferre valetis, nec vultis. Ubi non possum quin ad errorem omnium inducam quam graviter puniti hæredes, & testamenti executores, nonnunquam in vita, aliquando post mortem, qui defuncti voluntatem quamprimum exsequi, & obligationi satisfacere distulerunt: Nescitis sæpe unde quasi turbine immisso, adversitatis tempestas in vos desæviat, & paupertas quasi vir armatus in ædes erumpat.

b Contigit Mediolani, Matrem familias ægro filio, pharmacum noctu apparare. Improvisus comparet *Genius*, & cubile ægri trepidantis accedens, noli inquit metuere: domicilii hujus nuper possessor fui, nunc adsum infestus, non tibi, sed filiis meis, ah nimis ingratis! illorum bonis damnum illaturus; qui porro immemores mei esse si pergant, sinet eos Deus funditus destrui. Sed audi quid & avunculo tuo factum: ille mecum una reus est, ad pœnas subit.

Iam decennium est ait ægrotus, cum hic desiit vivere, & quas non preces pro illo fudimus, & etiamnum affligitur? jam dudum beandus erat, subjecit umbra, si filii ea curassent, quæ parens in sui incolumitatem fieri jusserat. Hic fœda tempestas illorum vastavit agros, non autem tuos tametsi proximos, ut probe nosti. sic evanuit.

Terribilius illud est, quorundam ædes infestari, concuti, conquassari, omnesque domesticos adeò à Spiritu exagitari, dum *omnibus umbra locis* sese ingerit, ut nusquam conquiescere, quandoque metu exanimari, ac vultu spirantia cadavera referre, & immatura morte abripi quotidianâ experientiâ compertum sit: dicam quare Cisterciensis ordinis probatus *c* Author Cæsarius refert, è civibus fuisse non neminem, qui seriò addixerat fore ut certos nummos in pauperes dispertiret, amici nomine te-

a Thomas Cantiprat. l. 3. apum. cap. 54.

b Salo in summa prædicam. c Soto p. 1. c. 14. ex Cæsario.

sta-

stamento sic statuentis; at ille differendo, neglexit. Adfuit igitur post triduum defunctus: *A leone, inquit, perfide, meo sanguine pasceris, Christiq; membra eleemosyna privas, quæ me ignibus exemisset? pro Dei tribunali de injuria questus sum.* Verum hæc injuria, quam gravis noxa, quamque graviter punita, eventus comprobavit. Postero die ille præcipiti correptus malo, post formidolosam mortis imminentis luctam, & pavidum certamen, vitam abrupit. Salvus fuerit, nec ne, quis affirmare audeat? Iustiores fuere hujus animæ, ex igneo ergastulo querelæ, quam *a* Iobi ex suo fimeto gementis, & ingeminantis: *Miseremini mei, saltem vos amici mei; quare persequimini me sicùt Deus, & carnibus meis saturamini?* Vos qui defuncti bona, in causas pias eroganda, aut debitis expungendis assignata abliguritis, aut in propriam utilitatem convertitis, attendite ne simili, & magis formidando exitu luatis. Denique vel sola incuria, ac socordia in exequendis Testamenti tabulis, quam horrende puniatur, testis irrefragabilis Doctor sit. Neapoli *b* agebat D. Thomas Aquinas, cum illi se videndum inopinato præbuit S. Romanus, eximiis virtutibus vir illustris: dixitque se, priusquam cœlo potiretur, in purganti carcere quindenis diebus arsisse. Sed cur ita? quia non nullius testamentum exsequi cunctatus erat, quod ei Parisiorum Antistes unice commendarat, atque ipse susceperat.

Vt autem testamenti Executores intelligant, quantum delinquant, dum differunt pia opera ad quæ eos obligavit defunctus, operæ pretium erit adducere, & simul exponere verba *c* Concil. 4 Carthaginiensis: *illi qui negant Ecclesiis obligationes defunctorum, aut illas cum difficultate præbent, sint excommunicati, tanquam occisores egentium.* Cujus sententiam æque gravi censura secutum est Concilium Valentiense, dicens: omnes qui mortuorum dilationem retinent, & eas Ecclesiis elargiri retardant debent tanquam infideles ab Ecclesia, & communione fidelium excesse: certissimum enim est hanc exacerbatorem divinæ pietatis, usque ad diminutionem fidei pertinere. Atque hæc quibus nihil efficacius adferri potest, dicta sufficiant.

Laudanda *d* illa in Italiâ, & maxime commendanda consuetudo, apud Bononienses invaluit, ut quo die corpus terræ mandatur, eodem trecenta, sexcenta, mille sacra curentur etiam plura, sicuti opes suppetunt, ut quam maturrimam opem defunctis ferant. Vtque alia pietatis, ac misericordiæ opera non negligant; studiosissime tamen curant ut sacrificia numero maximo offerantur, spretis superfluis sumptibus, atque conviviis, quæ quidem plu

a Iob 19. b Hist. S. Dominic. p. 1. l. 3. cap. 25.

c Diez Summa l. 2. 497. d Binet de statu animæ purgant. c. 4. n. 10.

vivis

vivis nocent, quam mortuis prosint, profecto cunctandum non est, ubi quis igne torretur. Vnde præter istam Bononiensium diligentiam, duo quædam vehementer commendo: primum quoniam 24, ac plures sæpenumero labuntur horæ priusquam humetur corpus, ut interim *privatæ*, ut ajunt *Missæ*, curentur quam plurimæ, ne anima vel ad momentum, si fieri possit, incendium toleret.

Alterum est ut testamento sanciat, & domesticos obstringat, ut statim ubi extremum Spiritum exhalarit, 30. 50. 100. sacra continuo dicenda curent. Recte factum; sed rectius fecerit, si dimidiato saltem eorum numero, sibi prospiciat inter vitæ mortisque intervalla, supremo illo in agone luctanti, & jam jam momentum illud præstolanti, unde tota pendet æternitas. Nec unquam alias magis, quam in hoc articulo divini numinis, ac benignissimæ Matris præsidio opus est, multoque satius succensam fornacem non ingredi, quam sensim extrahi, & ab ardente pyrâ titionem, fascemque subduci.

Præluxit *a* hic nobis invictissimus ille orbis Domitor, & sui gloriosissimus victor Carolus V. quem occasione exequiarũ, quas Matri persolverat anniversarias, nova incessit cupido, si liceret, & suas se vivo celebrandi, & maturandi. Quas ipse funeri suo superstes: *Ioanne Regula*, è Hieronymiana familia Sacerdote, qui conscientiam ejus moderabatur approbante, lugubri pompâ inter effusas suorum lachrimas instituit. Nõ fraudabo *b* te hic merito honore, & pietatis titulo veneranda Anus, Martha Mazochata *c* Torvisina, D. Benedicti humilis alumna: quæ quidquid salva, quam profitebatur paupertate, annuente Antistite tota vita congesserat, id omne Sacerdotibus, qui sibi viventi, ac videnti justa persolverent, funebribusque sacrificiis parentarent, raro pietatis monumento erogasti; anticipata satisfactione, atrocibus illis purgatorii pœnis, scite prudenterque prævertens.

Quod si *d* Magister celeberrimus, Guilielmus Durantus, diserte docuerit: Anniversarium *si contigerit in die Dominica aut aliqua celebrari solemnitate, non debet mutari in sequentem diem, pro ut fit in festis Sanctorum; sed fiat in die præcedenti*, UT CITIUS OCCURRATUR POENIS DEFUNCTORUM. Quanto majori cura adnitendum est, ut non uno dumtaxat die citius; sed mensibus, & annis, sacrificia, & pia opera prævertantur? Inter gentiles, ut cito, & expedite Miseno defuncto exequiæ peragerentur, operam suam Æneas ipse contulit, & quæ funeri necessaria, solerti cura comparavit. Quam Regis solertiam, & milites æmulati sunt, unde additur:

Haud mora, FESTINANT *flentes, aramque sepulchro*
Congerere arboribus, cœlóque educere certant.

a Barthol Bonifac. Rhodigin. hist. Ludicra. pag. 306.

b Strada. dec 1. l. 1. a 1558. Rhodigin. cit. V. Lucas Pinellus de Missa l. 2. c. 7. utilius homini, Missam pro anima legi ante mortem quam post mortem. In vita Xaverii l. 5. c. 3. c Durant. l. 7. c. 35.

Festi-

Festinemus & nos, non aram, sed animam flammis eripere, cœloque inducere; quo fiet, ut vicissim auxiliares suppetias, in omni corporis, & animi necessitate, à piis manibus submitti nobis sentiamus. Atque ubi nos omni solatio, ac subsidio humano destitutos comperiemus, ipsos ilico, quantocius quam citissime, nobis præsto advolaturos experiemur. Testis erit Christophorus Sandovalius Cardinalis, & Archiepiscopi Hispalensis *a*, qui adhuc juvenis, & Lovanii operam navans, hoc in more habuit; ut quotidie, certam stipẽ in gratiam animarum in purgatorio, elargiretur. Tum cœpit illi, die quadam argentum deesse, ut ne prandium quidem ære posset comparare. Dumque meditatur, à quo postulare summam aliquam interea mutuo posset, vehementer ea inopia cruciabatur, idque eo magis ipsum affligebat, quod sui generis memor, secum reputaret, in eo fastidio, fame se premi, ut etsi adulto jam die, nihil dum cibi gustarit. Hæc cogitanti, quidam supervenit, qui ab ipso, animarum purgantium nomine, stipem petebat. quam cum dare non posset gravius inde, quam ante dolebat. Ut vero æris defectum suppleret, proximum quod occurrebat templum ingressus, preces pro animabus illic promptè persolvit. Vix preces absolvit, cum ecce tibi cito, cito, velocior alitẽ, quidam honesto vultu, nuntii more vestitus, illum accedit, dictaque salute refert, Marchionem Parentem ejus vivere, ac valere: eum deinde secum ad hospitium, & prandium adducit: quo durante varios cum illo sermones miscuit, ex altero orbe hospes; quos inter, & ea recensebat quæ domi fierent, velut ea ipsa hora accidissent. Soluto autem prandio, manum ejus nummis aureis implet, asserens illos se à Marchione Parente ipsius, in Hispania accepisse ut ipsi coram traderet. Hanc rem Cardinalis jam natu grandior, centies narravit, adjunxitque se Lovanio datis in patriam literis, jussisse in hominem inquiri, nihilque se unquam de illo potisse intelligere.

Quin & nummorum illorum numerum, ajebat prorsus in id tempus succescisse, quoad pensio illi ex Hispania fuerat submissa.

Hic in tempore opportuno, non citatis equis, non præpeti pennâ, sed momento ex altero orbe cursor, ei qui sibi tam prompte opitulatus fuerat, advolabat, & temporali necessitati occurrebat. Norunt hi pii manes, quid sibi beneficii à vobis collatum sit, cui cumulatissimo gratiarum fœnore, non possunt non respondere. Illud enimvero pluris æstimant, ut scriptor Religiosissimus, quo hic usus sum, *b* non minus piè quam peritè exaravit, quam si easdem centies, & pluries, ab acerba morte vendicasses; cum exploratum sit, pœnam sensus, pœnamque damni, qua liberæ sunt, multo atrociores esse, repetita qualibet morte. Majoris

a Barril de Angelo Custod. c. 4. ex Hieron. Gratian. tract. de Jubil.

b P. ludo. Andries purg. pag. 176.

ſanè, quàm ſi frontem illarum diademate gemmeo cinxiſſes: quàm ſi utriuſque Indiæ opes in ſinum effudiſſes: quàm ſi ejuſmodi vitæ ſtatum obtuliſſes, noviſſimam ad uſque lucem, omni voluptatum genere affluentem. Si quidem ipſam beatitudinem illis attuliſti, cujus acceleratio, vel ad unicum diem, mundi bonis præſtat innumeris, Unde non volent illæ glorioſiſſimæ, non poterunt illæ fortunatiſſimæ mentes ab egentibus miſeriſque hominibus liberalitate ſuperari. Parum fortaſſe cuipiam veſtrûm videbitur, nummos aliquot extemplò animas ſuppeditaſſe, extemporali inopiæ ſubveniſſe; addo alterum, quo nihil homini charius eſſe ſolet, ipſo ſummo in vitæ diſcrimine, è ſubterraneis clauſtris pios manes ſubmiſſos, qui clienti ſuo vitam ſervarent, & quod miremini, non corporis dumtaxat, ſed animæ. Ut ex pathetica, qua concludo, omnibus manifeſtum fiet hiſtoria. a Pater Joannes Franciſcus Carettonius è Societate Jeſu, cum Romæ ad parthenios ſodales, in domo profeſſa anno circiter 1620, verba faceret, de cura pro mortuis gerenda, narravit etjam tum vivere (& etiamnum fortaſſis jam vivit) qui ab ineunte ætate, multis ſe criminibus inquinaverat; nihilominus incredibili quodam ſtudio animas functorum juvandi incenſus, ſæpiſſime piaculare ſacrum pro eis offerendum curarat. Contigit autem huic inimicitias adeo graves cum contubernalibus quibuſdam ſuis eſſe, ut capiti ipſius inſidiæ, ab his perpetuo ſtruerentur.

Porro Machinationis perverſæ maximam opportunitatem, hi tum nacti ſunt, cum ille æſtus vitandi cauſa, ad locum quendam ſuburbanum, ſub veſpertinum crepuſculum ſe conferret. Igitur equo vectus, fortuito illuc iter intendit, ubi ad ingentem quercum celebris cujuſdam latronis ſciſſi divulſa membra pendebant; quæ repente tunc viſa inter ſe conjungi, inque unum cadaver coaleſcere, quod ex arbore in terram ſe demittens: cede, inquit, tuum equum, & hic tantiſper ſubſiſte, uſque dum rediero. Inhorruit eques:

> b *Nec minus obſtupuit, quam qui Iovis ignibus ictus,*
> *Vivit: & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.*

Interim dicto audiens fuit; ſed mortuus ille latro, equo inſidens, vix ſexaginta ab eo loco prætervectus eſt paſſibus, cum ab inſidiatoribus quatuor invaditur, & ſclopis exploſis, humi dejicitur. Hoſtibus vero fuga dilapſis, denuo in equum ſubrepens, ad ſuam quercum, & ad eum qui hanc tragicam ſcenam trepidus ſpectaverat, rediit: atque hæc, ait, mi bone, te mala ſors manebat, niſi tui miſertus, in illam me conjeciſſem. Datum iſtud tuæ in defunctos pietati, in qua conſtans permane, ac priſtinos mores emenda. Hoc dicto, cadaver illud, quatuor rurſus in

a Iani Erythræi. Exemp.

b Ovidius.

par-

partes dilaniatum, ac suspensum, in eodem arbore vitam ut ante pendere.

Quod reliquum est, qui tam manifesto corporis, animæque discrimine divinitus ereptus fuerat, non modo veterem religiosæ beneficentiæ, adversus animas affectum alte retinuit; verum etiam abdicatis rebus omnibus, quantocius arctiorem Religiosorum hominum amplexus est vitam.

Ratiocinari hinc quilibet facile potest. quod si [illegible] neris, ad [illegible] usque [illegible] tem sceleratus, qui non tam suis propriis operibus, quam etiam sacrificiis opitulatus defunctis ab eisdem cum [illegible] corporis, animæ [illegible] ereptus sit, quid non sperandum est iis, qui pie, integreque vivunt ac per semetipsos pl[illegible], ac celerem opem, operamque mortuorum animabus impendunt? indubie: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

FESTUM
SANCTI MARTINI PONT. ET CONFESSORIS.

Si oculus tuus SIMPLEX *fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Luc. XI.



Est aliquid quò TENDIS, *& in quod dirigis arcum?* Persius. Sat. 3.

ARGUMENTUM.

NEmo quiſquam demirabitur, ſi vos omnes hodie ſagittarios eſſe voluero, ſi ſagittandi artem propoſuero: quam ut mortales doceret divinus Amor,

 habitu

habitu Cupidineo, arcu & ſagittis inſtructus, cælis delapſus eſt. Hujus amœniſſimi exercitii, omne artificium, induſtria omnis in eo conſiſtit, ut quis rectà in ſcopum collimet. Quod hac ratione, quiſque veſtrûm, quàm certiſſimè conſequetur, ſi oculo ſiniſtro occluſo, dextro dumtaxat in ſcopum intento, telum evibrârit. Atque hic ille ſimplex Oculus eſt, quem ad mores traducendo, Doctor Angelicus *rectam intentionem* vocitavit: qua omnes actiones, cogitationes, ſtudia omnia, in Deum, unicum ſcopum noſtrum, exemplo Turonenſis Antiſtitis, qui huc ſemper collimavit, dirigenda ſunt. Tandem eos explorabimus, & deplorabimus, qui dum fluxa & terrena, quæ puncti inſtar, ſibi ſcopum præfigunt, toto cælo aberrârunt.

§. I. Oculus Simplex, Intentio *eſt, quæ totum corpus, id eſt, opus, lucidum facit.* S. Thom. in Matth. c. 6. v. 22.

§. II. *Omnia in Deum, ſimplici* Intentionis *oculo, quaſi* In Scopum *collimanda.*

§. III. *Quàm multi à ſcopo, rectæ intentionis defectu aberrârint?*

FESTUM

FESTUM SANCTI MARTINI.

Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Luc. XI.

OPulentis in Emporijs, amplis in urbibus, Sodalitia seu Confraternitates sancti Sebastiani reperire est, quibus cives, Nobiles, Comites, Duces, Principes adscripti, arte jaculandi, aut ad psittacum, aut in scopum collimandi, sese exercitare consueverunt. Hoc ludicro in certamine excelluêre etiam nostro sæculo, Serenissimi Principes Albertus & Isabella, Carolus Dux Lotharingiæ, Leopoldus Archidux Austriæ, qui palmam retulerunt, & nominis immortalitatem, magnificis donis, nec non amplissimis privilegiis suos cumulando, posteris reliquerunt. Iactavit & olim antiquitas, ut alios prætercam, in Domitiano *a* Imperatore jaculandi peritiam: qui in pueri expansam manus palmam, pro scopo objectam, sagittas tanta dexteritate direxit, ut omnes per intervalla digitorum innoxiæ evaderent. Sed parum hoc, viros Nobiles, Duces, Principes, ac Imperatores, jaculandi artem exercuisse, atque in ea eximios planè extitisse, cum Deus ipse è cælesti aula, in hanc palæstram descenderit, & sagittarium indutus, non solum ipse tela evibrare, verum & nos instruere non erubuerit, ut aptè collimare, atque ea in scopum rectà destinare valeamus. Ab Origene ordiamur: *b Deus*, inquit, SAGITTARIUS EST; atque eo habitu, arcu, & sagittis *c* instructus, P. Antonio Martinez sese manifestavit: quem altero oculo rebus creatis occluso, altero in se velut scopum intento, dexterrimè docuit collimare.

In hunc scopum quisque vestrûm, omnes cogitationes, actiones, studia, desideria, vota, seipsam anima totam, veluti sagittam ejaculari contendat, dicens: *Anima mea telum sit in manu potentis, ad* SCOPUM *supernum directum.* Ad hoc monet nos verbo, & movet exemplo doctissimus juxta, ac sanctissimus *d* Antistes Nyssenus, *Scio*, inquit, *esse eundem, & sponsum nostrum, &* SAGITTARIUM: *fac eandem item animam esse sponsam, & telum, qua ille tanquam telo utatur, dum eam bonum* AD SCOPUM *dirigat.*

Talis extitit anima divinissimi Præsulis Martini, qui dum

a Suetonius.

b Origen. hom. 2. ex duab in Cant. c Nirenb. de vita divina c. 21. d S Greg. Nyss. orat. 4. in Cant.

media chlamyde totum Christum contexit, non hominem spectavit, dum corpus mediis, dirisque flagris subegit, non tuba cecinit: dum in cinere mori voluit, nullum vanitatis fumum contraxit; verum omnem stipem quam erogabat, omnes austeritates quas tolerabat, omnem sudorem ac laborem quem exantlabat, vitam denique & mortem, simplici intentionis oculo, in unum Deum, ejusque laudem & gloriam referebat *S. Martinus, oculis ac manibus in cœlum semper intentus.* Nos improvidi mortales, ab hoc scopo, quam longissime aberramus, dum hic divitias, alter honores, voluptates alius, sua quisque sectatur, & præ veris falsa, præ æternis caduca, præ cælestibus terrena, scopum sibi ac finem præfigit. Sunt qui in auri fulgorem, nonnulli in pingue beneficium, alii in togam aut purpuram, complures in opulentam dotem, omnes in commodum, æstimationem, emolumentum proprium, oculum semper vigilem, semper intentum habent. Quem verè sinistrum, hodierna luce salubriter occludendum, ut a *oculus dexter, id est* INTENTIO RECTA *pateat*, ipsius Christi, sanctorumque Patrum testimonio comprobabo.

§. I.

Oculus simplex, intentio est, quæ totum corpus, id est, opus lucidum facit. S. Thomas cit.

P. Benedictus Fernandius, de quo exstat illud Sapientis elogium: b *conscripsisse sermones rectissimos, ac veritate plenos*, narrat in Lusitania esse imaginem Crucifixi, qui unum oculum apertum, alterum clausum habet: fertur a Nicodemo sculpta, quam spectatum tota excurrit venerabunda Lusitania. Quid aliud hoc portendit, nisi ut divinus Amor, qui in Cruce (ut Augustinus in illud: c *posuisti ut arcum æreum brachia mea*) sagittarium egit nos doceat, ut oculum sinistrum respectus humani, lucri, affectus proprii claudamus: ne in uno nostrum, altero divinum honorem, uno carnem, altero spiritum; uno homines, altero Deum; uno terram, altero cælum spectare velimus, tam distorto horrendum visu, toto cælo, & scopo aberremus.

Hoc veritus, & piè anxius, sanctéque solicitus quidam de priscis illis Eremi cultoribus, ad singula quæ auspicabatur opera paulisper tacitus subsistebat. Rogatus quid ageret? respondit, sagittarium æmulor, qui ut scopum feriat, parumper antè subsistens, directo in illum oculo collimat, sic ego ne in vanum operer, prius opus quàm aggrediar, rectæ intentionis oculum ad Deum, qui omnium bonorum operum finis, & scopus esse debet, dirigo. Atque hoc est quod eo tempore ago, dum me non otiosè, sed religiosè cernitis interquiescere. Norat hic maxime oculatus, se in tenebris excurrere, inutiliter operari, procul à portu jactari, si simplex intentionis oculus, qui, test-

a S. Thom. in c. 6. Matth. v. 22. Si oculus tuus simplex fuerit.

b L. c. 12. Hom. 3. in Genes. c. 4.
c Psalm. 17. v. 35.

Au-

Augustino, a *lucerna vocatur*, ob-
iiciat tamen oculus, perexiguus
objectus, ita toti corpori necef-
sarium lumen præbet, ut omnia
membra, ad perficiendas actio-
nes, præsidio gaudeat instar lucernæ
illuminet, atque collustret. Ut
præclarè B. Paschasius in illud
Matth. 6. v. 22. *Lucerna corporis
tui, est oculus tuus*, sic disserit:
*sicut oculis ipsis carnalibus, omnia
corporis membra, ordinatè ad o-
perationem diriguntur; ita* IN-
TENTIONE *mentis, & luce judici,
cuncta virtutum genera, ut luci-
dum corpus perficiant, illustran-
tur.* Hunc oculum veluti lucer-
nam, operibus nostris præac-
cendi, ac prælucere debere, con-
firmat Gregorius, doctrinâ &
sanctitate Pontifex Maximus: *b
Quid per* OCULUM *exprimitur,
nisi opus suum præveniens* COR-
DIS INTENTIO? *quæ priusquam
se in actione exerceat, hoc jam
quod appetit, contemplatus: &
quid appellatione* CORPORIS
*designatur, nisi unaquæque actio,
quæ* INTENTIONEM *suam, quasi
intuentem oculum sequitur?* ac
tandem concludit: *Lucerna ita-
que corporis oculus; quia per*
BONÆ INTENTIONIS RADIUM,
MERITA ILLUSTRANTUR
actionis. Sint opera Polycleti
aut Lysippi, sint tabulæ Apellis
aut Protogenis, c *nox auferet
atra colorem*; nulli usui sunt, ni-
si luci, unde omnem splendorem
mutuantur, exponantur. Haud
aliter, quantumvis præstantes,
aut vividæ mentis imagines, o-
perationes animi aut corporis,
quantumvis excellentes, si re-
ctæ *intentionis radius* abfuerit,
veluti nocte quadam obductæ,
omni suo splendore frustrantur,
omnium virtutum colores, o-
mnisque gratiæ, ac meritorum
fulgor evanescit: d *quia dum*
PERVERSA INTENTIONE *quid
vel rectum agitur, etsi splendere
coram hominibus cernitur, apud
examen tamen interni Judicis
obscuratur.* Aliam similitudi-
nem non absimilem Ecclesiæ
columen, & Africæ lumen in-
ducit Augustinus, dum docet
hoc lumine destitutos, non è
scopo duntaxat aberrare, sed ut
Navarchos, in alta nocte fluc-
tuantes, a portu cum præsen-
tissimo salutis periculo evagari.
Ipsum audite: e *Bonum opus* IN-
TENTIO *facit*; & ideo monet:
non valdè INTENDAS, *quid ho-
mo faciat, sed quid dum facit a-
spiciat, quo lacertos optimæ guber-
nationis dirigat: fac enim, ho-
minem optimè gubernare navim,
& perdidisse quò* TENDIT, *quid
valet, quia antennam optimè te-
net, &c. nonne iste quanto sibi
videtur, in navi gubernanda a-
gilior: & efficacior, tanto periculo-
sius eam sic gubernat, ut ad nau-
fragium properantem perducat?
talis est qui optimè currit præter
viam.* Exsuperet quos differen-
do Chrysostomum, docendo A-
quinatem, regendo Magnum Gre-
gorium, si pietatem populi, si sui
affectatio nem, si emolumentum
spectet, à portu evagatur, extra
viam ambulat, à scopo aberrat.
Has considerationes defixus piis-
simus f Præsul Franciscus de
Sales, hanc sibi, & nobis praxim
excogitavit: navis quocunque na-
viget, sive ad Orientem, sive ad
Occidentem, sive ad Septentrio-
nem, aut Meridiem [illegible]

a Aug. de ser. Dom. in monte l. 2. c. 1.
b S. Gregor. Moral. l. 28. c. 6. c Virg. [illegible]
d Greg. [illegible] e [illegible] in Psal. [illegible]
f Sales in Praxi spirit. p. 4. c. 13.

que vento impellatur, acus tamen Nautica semper Cynosuram spectat, & polum respicit. Sic, inquit, non modo circa nos, sed & in nobis, omnia susque deque vertantur, animus inter omnes fluctus, tutissimus est, in consolatione & desolatione, in prosperis, & adversis, in pace & bello, si cor nostrum, si voluntas, si intentio semper in Dei gloriam intendat, semper polum respiciat. Quemadmodum Antistes noster Turonensis; *oculis, ac manibus*, (& mente quàm maximè) *semper in cœlum intentus.* Quo factum, ut omnes actus, omnes cogitationes, omnes motus corporis & animi, cælestis gratiæ, & gloriæ, meritorios semper exercuerit.

Aliqua opera sunt, quæ habent valorem ex materia: quia ex argento, vel auro, vel lapide pretioso, etsi rudi arte fabrefacta. Alia quæ ex materiâ vili, omnem valorem habent à formâ, & artificio, de quo Poëta: a

Materiam superabat opus.

Istiusmodi indies videmus, è vitro, è gypso, è ligno, stupendæ artis miracula, pretiosa toreumata conspexi è conchis marinis munera, viris Principibus oblata: è vili papyro sportulas, argento; è stramine, è visco flores, auro & gemmis appensis; forma verò sublata, totum opus nullius pretii est. Sic ait b Augustinus, *bonum opus* INTENTIO *facit*, quod ex se nullius meriti, aut valoris: qualia cumprimis, sunt omnia opera indifferentia, laborare, studere, ambulare, &c. nec quæ cum brutis nobis communia: ut comedere, bibere, dormire, videre, audire, sentire.

Hos tamen actus omnes, in se nullius valoris, intentio nobilissimos, maximè heroicos, pretiosissimos, meritorios vitæ æternæ tamen potest. Nam, ut rectè Theologi, intentio specificatur à mediis, & bonitate finis, sicut conclusio à præmissis, & sicut volitio ab objectis, in quæ tendit. Sic manibus operari, ut satisfaciam pro peccatis, & offensa Dei, est actus pœnitentiæ: ut vincam tentationem carnis, est actus Castitatis: pro animabus in purgatorio igne detentis, est actus Charitatis proximi: ex amore Dei, est actus Charitatis Dei &c. Ita opus in se indifferens futile, & inutile, maximè meritorium, & supra omne aurum, & argentum, longè pretiosissimum efficitur: est siquidem intentio Mydæ virgula, inaurans omnia. Felicem se, ut c Ambrosius loquitur, jactet avarus ille, *quod possit frumentum in aurum convertere, vinum in aurum mutare, quòd lana ei aurum efficitur, omnes fructus ejus, omne negotium, in aurum vertitur* At longè felicior ille, qui per Intentionem rectam, frumentum suum in pauperes dispergit, suum iis vinum propinat, lana tegit, omne negotium quod in se vile, & exile, ac virgulâ inaurat. Quid vilius quàm abjectius, quàm brutorum in morem cibo corpus farcire? si id tamen eo fine, hac intentione fa-

a Ovid. l. 2. Metam. b Aug. cit.

c Ambros. in Dom. 8 post Pentec. serm. 5.

ciæ, ut aptior reddaris ad officium peragendum, & ad Dei obsequiam promptius exsequendum, *opus bonum*, pretiosum, & meritorium *intentio facit*, atq; in eo sibi Deus complacet, ut prædilectæ Sponsæ suæ, Divæ Gertrudi, aliquando significavit: nam cum feria sexta ante Bacchanalia, post matutinas decantatas, in coquina pulsari audisset, ad prælibandum servis operaturis; illaque ingemiscens dixisset: a *Heu me! mi Domine, quàm manè surgunt homines, ad infestandum te cibo! Ad quod Dominus blandè, quasi subridens dixit: Noli ingemiscere charissima, quia hi quibus modò pulsatur, non sunt de numero eorum, qui contra me crapula sæviunt: quia per hanc prælibationem, ipsi vocantur & incitantur ad laborem. Unde & ego delector in eorum cibo, quemadmodum quis delectatur in refectione sui jumenti, quod pabulo pascit ad ministrandum sibi.* Alias vero b, *cum spiritualium intellectuum exercitatione nimis esset debilitata, accipiens uvas nocte quadam, recreavit se tali* INTENTIONE, *quâ ipsum Dominum in se ipsâ reficeret. Quod Dominus magnificè acceptans; quantò, inquit, tu purius ad laudem meam corpus recreaveris, eo suavius ego me profiteor in anima tua refectum.*

Hoc quoq; benignissimus Iesus apertè confirmavit c S. Brigittæ, dicens: *Etiam illud tempus, quod impenditur subveniendo corporis necessitati si id rationabiliter fiat, inter spiritualia reputari.* Plus dico, non modò opera de se indifferentia, seu adiaphora; sed etiam moraliter bona, v. g. orare, jejunare, dare eleemosynas, administrare Sacramenta, bonitatem habent ex intentione, secundum illud d Aristotelis. *Justa agentes, non esse justos, quia illa vel ex ignorantia faciunt, vel ob aliquid aliud, & non ob ipsa*; & e D. Thomas: *Ut voluntas sit bona, requiritur quod velit bonum, & propter bonum.* V. G. dare haustum aquæ in nomine Christi, meretur regnum cælorum: si verò intentione perversa, fine malo, ut placeat hominibus, ut videatur ab ijs, porrigatur; jam in se actus malus, & vitiosus est.

Qui peregrinum pauperem, ex Christiana Charitate hospitio exceperit, opus tantæ virtutis exercet, ac si ipsum Christum tecto suscepisset, ut palam aliquando fatebitur: *hospes eram, & collegistis me.* Posse autem consimile opus sinistrâ intentione vitiari, eventu perquam tragico, Auctor quo major non est in terris, edocebit.

Fortunatus, Tudertinæ Civitatis Episcopus, ex obsesso immundum spiritum ejecerat, *qui malignus cum advesperascente jam die, secretum ab hominibus horam cerneret, peregrinum se simulans, circuire cœpit Civitatis plateas, & clamare. O virum sanctum Fortunatum Episcopum! Ecce quid facit? peregrinum hominem de hospitio suo expulit. Quæro ubi requiescere debeā; & in Civitate ejus non invenio. Quidam audiens querelas, in domum illum suam invitavit. Sedebat autem ad prunas, cum uxore & filio Cumq; fabularētur simul, parvulum filium mali-*

a L. 4. Insinuat divin c. 14. b L. 3. c. 57. c L. 2. Revelat c. 14.

d Aristot. l. 6 Ethic. c. 12 D. Thom 1 2. q. 19. a. 7. e Matt. 25. v. 35. S. Greg. l. 1. dial c. 10.

gnus spiritus invasit, ingressusque, in flammas projectum extinguit. Qui oratus insaniæ, agnovit quem susceperat, & quem Episcopus expulerat.

Inducit deinde S. Papa interlocutorem Petrum, ut in Dialogis fieri assolet, sciscitantem: *quidnam hoc esse dicimus, ut occidendi causam antiquus hostis acciperet, qui hunc peregrinum æstimans, ad se hospitalitatis gratia vocarat?* respondet Gregorius: *Multa, Petre, videntur bona, quæ non sunt:* QUIA BONO ANIMO NON FIUNT. *Unde & in Evangelio veritas dicit:* SI OCULUS TUUS NEQUAM FUERIT, TOTUM CORPUS TENEBROSUM ERIT. QUIA CUM PERVERSA EST INTENTIO QUÆ PRÆCEDIT, *pravum* EST OMNE OPUS QUOD SEQUITUR, QUAMVIS RECTUM VIDEATUR. *Ego namque hunc virum, qui dum quasi hospitalitatem exhiberet, occisus est, non pietatis opere delectatum existimo, sed Episcopi derogatione: nam pœna subsequens innotuit, quia præcedens illa susceptio, sine culpa non fuit.* [illegible], ac [illegible], etiam circa vos [illegible]: *Sunt namque nonnulli, qui idcirco bona facere student, ut gratiam alienæ operationis obnubilent, nec pascuntur bono, quod faciunt; sed laude boni, qua ceteros premunt. Quare existimo hunc virum, qui malignum spiritum in hospitalitatem suscepit, ostentationi boni potius* INTENDISSE, *quam operi, ut melius quam Episcopus fecisse videretur: quatenus ipse susciperet eum, quem vir Domini Fortunatus expulisset.*

Addit Epiphonematis loco Petrus: *ita est ut dicis; nam finis operis probat, quod munda* INTENTIO *operationis non fuerit.* Hæc prolixius, prout gesta sunt enarravi, quia divini verbi præconi amplius hic campus patet excurrendi: quoties enim fit, ut opus alias Deo gratum, affectu invidiæ, odii, malignitatis; ut alteri noceas, ut vicini famam diminuas, ut ad te pellicias, et bonum Antagonistæ tui nomen obfuscet, charitatis viscera, sed veneno plena ostendas? quoties fit, potissimum, si de Ecclesiasticis, aut viris religiosis, calumniæ deferantur, patronum accipiant, benevolos autem habeant, tecto & hospitio excipiantur: qua intentione? quo fine? *ut gratiam alienæ operationis obnubilent.* Detestantur [illegible], & execrantur gentiles, [illegible] commendationem, & inde nomen [illegible] duxeri, qui noctes ac dies, ægro assident, & verbis solatio [illegible] hæc tamen non recto fine operis, audi gravissimam Stoici Philosophi censuram: a *amico ægro* ALIQUIS ASSIDET, *probamus, at si hoc hæreditatis causa facit, vultur est, cadaver exspectat.* Cognato ægro assidet, Avunculo viro celebri, avo [illegible] assidet, [illegible] electuaria submittit, omne obsequium condicit, totos dies & noctes lateri adhæret, *probamus: at si hoc* (ut [illegible] fieri consuevit) *hæreditatis causa facit, vultur est, cadaver exspectat.* Mittis alicui munus, si ut majus exspectes, ut cum tibi divincias, plus extorqueas, non amicitia, ait idem, sed mercatura est.

a Seneca epist. 95.

ra est. *a* Cum SS. D. Clemens VI. Avenione degeret, quidam Ecclesiasticus beneficio inhians, hos versus in laudem, eo artificio composuit, ut si serie sua trutinaretur, retrograde in injuriam caderent.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam stat janua clausa:
Fundere res quaeris, nec tua multiplicas,
Conditio tua sit stabilis non tempore parvo,
Vivere te faciat hic Deus omnipotens.

Haec captandae benevolentiae gratia illi obtulit; at quo animo, intentione quam perversa conceperit, quod ubi malignus hic intellexit, spe sua excidit, retrogradus hos vertit, retorquendo, pravi cavillo, quem demereri sibi putarat pessumiverit, hoc modo:

Omnipotens Deus hic faciat te vivere parvo
Tempore, non stabilis sit tua conditio,
Multiplicas tua, nec quaeris res fundere, clausa
Janua stat: nunquam das tua pauperibus.
Eximium decus hoc, fecit te scandere, rerum
Copia, non virtus, fraus tua, non tua laus.

Quare parum est, si alium collaudes, depraedices, extollas, recta modo intentio abfuerit; qua sola omnis nostra actio quantumvis in se pia, ac sancta pensitanda est; super his Ecclesiae Doctorem audiamus: *Magni interest,* inquit *b* Augustinus, *cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione facimus: officium quippe nostrum non actio, sed fine pensandum est. Ut scilicet non tantum si bonum est, sed praeterea si bonum est, propter quod facimus, cogitemus.* Quid sanctius, quid religiosius, quid plus animabus frequentius, quam orationi, quam meditationi diu noctuque vacare? quot tamen hic horae, quantum temporis deperditur? quam profanae preces in cassum, sine fructu, sine merito persolvuntur? quibus incommodis pulcherrima praxi succurrit Doctor Angelicus, quem ab omnibus hic auscultari velim. Quaerit hic, an sit de necessitate orationis, *c ut sit* ATTENTA? respondet: *ad meritum orationis non ex necessitate requiritur, quod* ATTENTIO ADSIT *per totum; sed vis primaeva* INTENTIONIS, *qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit.* En stupendam intentionis vim, et efficaciam, quae etiam evagationes mentis, ac distractiones nostras meritorias reddit. Quin imo et impetratorias: sic enim ibidem subjungit: *Ad hoc ut oratio impetret, sufficit prima* INTENTIO, *quam Deus principaliter intendit; si autem prima* INTENTIO DESIT, *oratio nec meritoria est, nec impetratoria.* Quot indies accedunt ad orandum, assiduo ingeminant *Pater noster*, & nihil impetrant, quia nihil intendunt. Tot

a Dinet Theatre de la noblesse Franc, l. 3. c. 4.

b Aug. in Psal. 118. Conc. 12.

c S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13.

meditationes, tot Rosaria, tot Litaniæ, tot Psalmodiæ, *nec meritoriæ, nec impetratoriæ*, SI PRIMA INTENTIO *desit*. His omnibus, quid sublimius, quid divinius, quam sæculo, ac omnibus spretis, religiosum institutum amplecti, viam arctam ingredi, & Christum nudum consectari? hæc tamen via quantumvis arcta, si recta intentio defuerit, non ad salutem, sed ad perditionem est. *a* In hanc rem refert Cæsarius, ad Claravallem, Clericum se recepisse, non religionis amore, sed intentione rapiendi datâ opportunitate, quidquid posset è pretiosa templi supellectile, receptus in tyrocinium, anno integro insidiatus fuit ornamentis basilicæ, cujus custodiæ, quia novitius, cum non præficeretur, nullaque daretur furandi occasio, statuit professionem emittere. Sed misericordia Domini, quia non fuit consumptus: Etenim ut se formula votorum prolata, & habitu monastico indutus, Deo adstrinxit, descendente insiluit in eum Spiritus Domini, & in virum alterum commutatus est; verum hæc mutatio dexteræ excelsi, non omni tempore, nec cuivis obtingit: nam qui præclaras operationes, depravata intentione, vitiare non verentur, plerumque gratiæ præsidiis destitutos, in abyssum malorum Deus præcipitari permittit; ut perverso illi homini accidit, de quo *b* Orlandinus: Jactis Collegii Romani fundamentis, in quibus societatis scholares, ex omnibus nationibus collecti, ad Ecclesiæ Catholicæ subsidium, & hæreticæ imprimis pravitatis extirpationem, bonis omnibus artibus, ac Theologiæ potissimum studiis instruuntur: cum eam arcem, tantopere suis rationibus contrariam, capitibusque suorum imminere, non male ominarentur in Septemtrione Heresiarchæ, submissus fuit à Philippo Melanchthone, alioque hæreticorum Antesignano, novæ sectæ quidam, eo consilio, ut res societatis, ac mores curiosius exploraret, ex eaque quos posset, ad execranda sua dogmata perduceret. Hac intentione hic novator, annos tres & triginta natus, Romam venit, & ut erat versutus, belle se simulabat Catholicum admirabilique peculiare sermonis, atque congressu, in societatem se intrusit. Ad Tyrocinium admissus, obeundis suis ritè partibus nemini cedere, sæpe exomologesim inter hebdomadam: sæpe sacram iterare synaxim: voluntariis suum corpus plagis excipere, omnia quæ alii candidissimi tyronis (sed solius intentionis defectu, quam dispari affectu) obire; cœnaculo instruendo præpositus, socium sui muneris, ac laboris, adjunctum Oliverium Manaræum pium ac gravem habuit: quem ille remotis arbitris, ut peregrinis doctrinis abduceret, tentare non semel est aggressus: crebro cum eo de sacrarum imaginum usu, de potestate Romani Pontificis, de fide, & operibus, de rebus controversis sermonem miscebat. Sensit Oliverius post multa ac

a Cæsarius l. 1. c. 3. b Orlandin. in hist. Societ., l. xi.

ac varia colloquia, perversis ac perniciosis opinionibus imbutum socium, hominemque suspectatus hæreticum, observare ejus omnia dicta, ac facta dissimulanter instituit: paucisque diebus, quinque & viginti exitialia dogmata, à Catholicis abhorrenda, ex ejus ore collegit. Admonitus ea de re S. P. Ignatius, eum sine ulla cunctatione ad summum hæreticæ pravitatis inquisitorem, Joannem Petrum Caraffam, qui summum postea Pontificatum gessit, deferendum curavit. Is comprehensum hominem, cum sius se rem in confessionibus indicasset, sententiamque mutasset, ne peccandi licentiam augeret impunitas, perpetuas ad triremes, & probrosa transtra damnavit.

Hanc in homine scelerato, & heterodoxo sacrilegam intentionem damnamus. Et interim non attendimus, non paucos ex nobis hic reos agi, qui filios aut filias, etiamnum impuberes monasticis septis intrudunt, includunt, ut familiam suam exonerent, ut de victu, & amictu prospectum sit, &c. quod divinissimus Ecclesiastes prosequitur, dicens: a *Ingressus religionis pervertitur, quia speratis quod filius vester erit Abbas, vel Magister in Theologia, aut Episcopus, & ideo inducitis eum in religionem.* Denique ut hujus argumenti, Achillem inducam, quid operetur, nusquam luculentius, quam in conficiendis sacramentis cernitur. Sunt binæ hostiæ in altari, super utramque idem sacerdos, eadem verba pronuntiat: *Hoc est* &c. intentionem autem habeat, unam dumtaxat consecrandi, quid fit? sub una erit SS. Christi Corpus, divinitas, tota Trinitas: illa operabitur in anima gratiam, cacodæmoni erit terrori, Angelis ac omnibus cælitibus venerationi.

Altera erit merus panis, serviet ad epistolas consignandas, contemni, abjici poterit, nullum gratiæ effectum producet, &c. Unde immane hoc discrimen? prorsus sunt similes, idem candor, idem sapor, eadem verba, ab eodem Mysta, super hanc & illam prolata? totum hoc ab intentione oritur. Nam ut cum tota Theologorum schola Doctor Angelicus: b *si Minister Ecclesiæ non intendit sacramentum conficere, non perficitur sacramentum.*

Idem in Baptismo accidit: intendit quis infantem baptizare, alterum non; quid fit? eadem verba profert, aquam utrique affundit; ceremoniæ requisitæ ambobus adhibentur; nihilominus unus redditur filius Dei, alter manet filius Diaboli: hic in gratia est, alter in peccato: hic heres regni, alter exul patria: hic sub tutela Dei, & Angelorum, alter sub potestate cacodæmonis: omnia opera quæ provectior facit nullius meriti, etiam sacerdotio initiatus, consecrationes, absolutiones invalidæ &c. atque hæc omnia adeo disparata, ut cetera paria sint, intentio adhibita, vel omissa operatur. Sic idem opus quod intentione recta exerci-

a S. Vincent. serm. de S. Petro.

b S. Thom. opusc. 8. de Eccl. sacram.

tum, est fructuosum, meritorium gloriæ æternæ, si perversa intentione peragatur, peccaminosum est, & supplicio æterno dignum.

Dicit David *peccavi*, dicit & Iudas *peccavi*; hic desperans, ille confidens de Dei misericordia: finem diversum sortiti sunt, quia affectiones, & intentiones habuere diversas. Zachæus *a* dicit: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Publicanus dicit: *decimas do omnium quæ possideo.* Sed animo quam dispari? rectissime ferebatur qui dicebat: *Ardens est cor meum videre Dominum*; nequissime de quo Luc. 23. *erat enim cupiens ex multo tempore videre Iesum.*

Sic in se materialiter idem opus, bonum, vel malum, sicut eadem aqua, salutifera vel venenata, prout per varias venas subterraneas derivatur. Concludo hic, ne longior sim, cum Hipponensi Præsule, qui *b* docet omnia opera, ex eo pensari, quo animo, id est, qua intentione fiunt: *facta est traditio a Patre, facta est traditio a filio, facta est traditio a Juda: una res facta est; sed quæ res discernit Patrem tradentem filium, seipsum filium tradentem, & Iudam discipulum tradentem Magistrum suum? videtis quia non quid faciat homo considerandum est, sed quo animo, & voluntate faciat.*

§. 2.

Omnia in Deum simplici INTENTIONIS *oculo, quasi in* SCOPUM *collimanda.*

CAssianus collat. 1. cap. 5. tradit olim Imperatores in scutula, seu scopo albo, curasse depingi omnia præmia, quæ victoribus proponebantur, & quod quisque telo attingebat, id ei porrigebatur: *securi* inquit, præmium non defore, *si modo propositum* SCOPUM *valuerint obtinere.*

Scopum nobis omnibus, summus ille cæli Imperator proposuit, quem quo propius attingimus, hoc excellentiori præmio donamur. *c Habet siquidem nostra professio* SCOPUM PROPRIUM, *ac finem suum, pro quo labores cunctos, non solum indefatigabiliter: verum etiam gratanter impendimus: ob quem nos jejuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat, lectio ac meditatio scripturarum, non satiat, labor etiam incessabilis, nuditasque, & omnium rerum privatio, horror quoque vastissimæ solitudinis non deterret.*

Nostis quis ille scopus sit, quem nobis omnes propositum habere debeamus, in quem omnes cogitationes, & actiones dirigendæ sunt, ad quem omnes [illegible]? Is est, quem [illegible] ubi [illegible] a Pompeio, [illegible] sacrilegus [illegible] cælum immisso [illegible] totus [illegible], in symbolum ubi longe nobilissimum assumpsit, quo [illegible] Principum Regumque [illegible] obscuravit: Scopus vitæ meæ Christus: ejus [illegible] gloriæ, honori, amori totus inhiabat: ad hunc omnis belli apparatus, vigiliæ, curæ, molestiæ, machinationes,

a Luc. 18. b Augustin. tractat. 7. in Joann.

c Cassian. collat. 1. c. 1. d Pontan. Attica bell. part. 2. hist. 27.

stra-

fle tragœ narra, pericula, & vulnera spectabant: hæc omnium mi-litum sagittas & spicula, novo certo Sacramento collimeanda destinabat, huc hostium stragem, opima spolia, partas victoriæ palmas, purissimo intentionis oculo referebat. Si hac cruenta bellorum tempestate; hoc fine, hac intentione exercitus conscriberentur, arma susciperentur, quam illa non evertissent, sacris omnibus concelitatis, a Christianis in Christianos, sed in barbaros, in Turcas, in Numinis hostes, pro Domo Dei, pro Religione longe gloriosius stringerentur! quanto sanctius Milites occumberent, quanto illustrius triumpharent! hoc esset bellare bella Domini.

Quod Jovinianus in profana, hoc Imperator Castrorum Dei SS. Patriarcha noster Ignatius, in sacra Religionis suæ militia præstitit, nec abundem nisi, ad unque tesseram, AD MAJOREM DEI GLORIAM, omnibus, & in omnibus, laboribus, studiis, concionibus, functionibus, Missionibus, non ipsis solum Moderatoribus, sed et mediastinis, & infimis operis domestici Adjutoribus allegit. Hinc regula 1. Magistrorum: *feratur præceptoris peculiaris* INTENTIO, *tum in lectionibus, tum extra eas, ad Auditores suos*, AD OBSEQUIUM, ET AMOREM DEI *juvando*. & Regula 1. Scholasticorum: *ad hunc enim* SCOPUM *studia Societatis diriguntur*. Regula Concionatorum 2. ***Summo studio, media adhibeant, quæ instrumentum cum Deo conjungunt***: *ejusmodi sunt: Caritas*, VERA INTENTIO *divini servitii.*

Regula 1. Coadjutorum: *intelligant omnes* PRIMARIAM *ipsorum* INTENTIONEM, AD SERVIENDUM *divinæ majestati, in societate esse debere.*

Tum ne quis excipiatur. Reg. 17. summarii OMNES *rectam habere* INTENTIONEM *studeant*. In infimis, & summis, Dei gloriam, majus Dei obsequium, cum in omnibus intueatur, &c. in constitutionibus suis, centum & septuaginta septem locis diserte præscribit, ut Suarez tom. 4. de relig. l. 8. c. 6. n. 1. adnotavit: sibi enim nos similes esse volebat; siquidem ut in relatione S. Rotæ Romanæ auditorum, & Cardinalium S. Congregationis rituum de eo summis Pontificibus, pro obtinenda ejus Canonizatione relatum fuit: ***Omnes suas Cogitationes, verba & opera, in Deum, tanquam in finem referebat.*** Eodem jam dudum ante, illustrissimæ illius familiæ *a* PP. Prædicatorum Auctor, & fautor, S. Dominicus collimavit, de quo illud precor vos, memori mente reponite: cum sacræ quædam Moniales, a malo genio obsessæ, exorcismis compellerentur, S. Dominici imaginem fixis oculis intuerent, una, quam spiritus ceteris pertinacior possidebat, aliorsi coacta vi respondit: quod in hunc sanctum aciem nullatenus intendere valerent, in causa esse, quod hic dum viveret, in Deum semper oculos, animumq; intenderit, atq; ad eum omnia sua direxerit. Nec est, quod vestrum quis,

a P. Paul. Barry solitud. fol. 318.

hoc

hoc rectæ intentionis exercitium, Religiosorum, Monialium, aut eorum dumtaxat, qui peculiarem status sui perfectionem professi sunt, esse arbitretur: Vos omnes quotquot estis, opifices, Mercatores, Causidici, senatores, Nobiles, fæminas, puellas, Iuvenes, Senes necessario concernit: qui ut omnes ad unum *finem*, quem Apostolus vocat *vitam æternam* conditi sumus, ita eo tendere, hunc, eumque solum intendere, atque humana omnia in illum dirigere debemus, nisi à scopo nostro aberrare, id est summo bono in æternum frustrari velimus.

Potentissimus ille Israelitici populi Rex David, in tantis amplissimi regni curis, & assiduis bellorum turbis, ne longius evagari contingeret, sese sæpius ad se revocabat, & velut ad scopum sese exercebat Psalm. 76. v. 7. *exercitabar* inquit, & SCOPEBAM *spiritum meum.* Ubi Agellius perapposite *Scopebam* deducit à SCOPO, id est ad scopum, metam, finem dirigere, & conferre omnes animi cogitationes; *atque se David affirmat fecisse.* Nolim hic fusius enarrare, quoties de die, quoties de nocte intenderet? nostra forte, ut propinquiora, ita gratiora, accident.

Ex illustrissimo Farnesiorum stemmate Alexander Cardinalis, qui postea Papa Paulus III. pro Gentilitia tessera sagittam ad scopum directam præferebat, hoc lemmate subjecto: *sic mitte sagittam*, summam votorum dictitare solitus, si in finem præstitutum semper collimaret: suo nos exemplo sapienter ac salubriter commonendo, sic omnes actiones nostras, velut sagittam in scopum defigendas, ne quo alio dilabatur. Nemo vestrùm ea negotiorum mole, implexis adeo curis, ut Reges, summique Pontifices distinetur, quo ipsis, eodem & vobis collimandum est.

Studet quis, quo, simplici oculo connitendum?

1. Vt consequar veram sapientiam, non plausum, aut lucrum. 2. ut vitem otium, prava declinem consortia. 3. Vt juvem patriam, Remp. animas. 4. Vt me aptum reddam instrumentum, ad quodvis munus, quo Deus vocarit &c. Iejunandum est: sed quo fine? 1. Vt me affligam, & patiar aliquid pro Christo.

2. Vt tuear castitatem, meo statui congruentem.

3. Vt servem sanitatem, quo melius Deo serviam.

4. Vt animam disponam orationi, inspirationibus divinis, SS. Eucharistiæ postridie suscipiendæ.

5. Vt subtraham fomitem vitiorum.

6. Vt satisfaciam pro excessu in cibo, & potu, aliisque delictis &c.

Observandum porro est, ut docent Theologi, hoc opere eamque virtutem formaliter attingere, cujus motivo incitatus, in eam tendis; si Eleemosynam quis elargitur pauperi, ex commiserationis affectu, actus est misericordiæ: si ut pro peccatis satisfaciat, actus erit pœnitentiæ.

a V. Lorin hic. b Typotius symb. d. Cardin. pag. 23.

tiæ : si ex motivo amoris Dei, eum in paupere intuendo, actus erit flagrantissimæ Charitatis. Hic S. Martinum incitavit, qui jam ad infulas ex insidijs protractus, mendiculum seminudum, frigore rigentem, cum Archidiaconus in mora esset, sua se subucula exuens, contexit : Norat quippe fide divina, *quod uni è minimis*, id Deo omnium maximo collatum esse.

Consimili motivo ad ruborem nostrum, insignis quædam Domina, de qua *a* Aresius, egeno subvenit : cui, quo se tegeret, indusium postulanti, mandat Ancillæ, ilico conferri : quod cum omnino lacerum Domina conspexisset, aliud honestius quam mox conquiri jubet, dicens : pudori sibi, ac dedecori fore, si coram Angelis, Christus eo indutus à tam potenti Domina, se vili hoc centone donatum dictitaret. Hæc amabò vos, quoties vel tritam lacernulam nudo, vel buccellam famelico, vel nummum egeno porrigitis, spectate. Quod si in cæteris quoque operibus, etiam adiaphoris, servaremus, de sanctitate nulli concedere deberemus : Etenim, magno teste Augustino, perfectissimum est, omnes actiones dirigere, in eum, qui dilexit nos, ob solam ipsius bonitatem, & amorem infinitum, non spe præmii, aut metu gehennæ : *proficiendo*, inquit, *b perveniat ad talem animum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam : ut etiamsi dicat illi Deus, utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes, pecca : nec morieris, nec in gehennam mitteris ; sed mecum tantummodo non eris, & omnino non peccet*, eo solum motivo, ut Deo amato suo fruatur, scio hoc esse mentis oculatissimæ, ita recte in dilectum ferri, ut nullo motivo creato, à scopo deflectat. Talis exstitit *c* Beata Magdalena de Pazzis, cujus hæ ex corde ardentissimo, in Sponsum missæ sagittæ : c *Si crederem me uno verbo solo dicto ob alium finem, quam ob amorem Dei, etiamsi non esset ejus offensa, posse evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem.* Talis exstitit *d* Franciscus de Sales, cujus hæc sanctissima rectæ intentionis suspiria : d *O quam bonum est non vivere, nisi Deo : non operari nisi propter Deum : non delectari, nisi in Deo! Si vel pilum affectus in me deprehenderem, qui vel à Deo non oriretur, vel ad Deum non referretur, eum quantocius evellerem :* non enim consolationem sed consolatorem, non dulcedinem, sed dulcissimum Salvatorem, eumque solum requiro. Quis non in his simplicem oculum, uni Deo purissime intentum collaudet? Quis miretur, si ejusmodi animæ, quæ non in creaturis dispersæ, Sponsum suum uno tali oculo saucient, & in amplexus compellent? Gilbertus sermon. 30. in Cant. *Simplex est oculus qui unus est; unus autem, qui ad plura non est, qui directus in unum : non fissus, non diffusus, non spar-*

a Aresius fest. S. Martini. n. 34.
b Augustin. lib. de Catech. rudib. c. 17.

c In vita Lancitius opuscul. Spirit. tom. 2. pag 145 d Sales in Reliq. & praxi spirit. part. 4. c. 13.

sus

sis in multa. Is fuit oculus sponsæ, de qua Sponsus Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum,* bene ait, *in uno oculorum*, quia Sponsæ unus est oculus in unum intentus *nempe in Sponsum*, ut notat Anselmus. Et is debet esse bonæ mentis oculus, spectet ille Deum unum, neque se per creaturas vaga licentia spargi patiatur, neque Mundi curis, sæculive voluptatibus distrahi: sed in unius animæ salutem, in Dei gloriam, ejusque purissimum amorem, ceu in scopum collimet. In hac sanctissima exercitatione (quod omnes studiose æmulari debemus) excelluit sanctimonia vitæ insignis, quidam frater noster, vestiario præfectus, cujus nomen Ioannes de Soto; is gravi & mortifero, a quem prædixerat morbo decumbens, jam morti proximus, acum poposcit, quam in parietis alicujus rimam inseruerat: hic præsentes, hominem delirare opinabantur; quibus ille: non deliro inquit, mentisque, & animi sanus sum; quare amore Dei, dari mihi velim hoc quod peto. allatam itaque acum, in manus sumpsit, dixitque astantibus sociis: *Hæc mihi cæli clavis erit, hac paradisi portas reserabo, cumque hac mori cupio, & Christum invisere*: causam audite, quam, & qualem subjunxit: *nihil enim hac acu paravi, nisi solius amore Numinis, neque filum eadem trajeci unquam, præterquam ut illi placerem, non aliter quam si insum-ret Christum vestire debuissem.*

a Nierenb. in vita divina c. 21

O si quis è Mechanicis, in extremis constitutus, hoc de se confidenter asseverare posset: hac acu, subula, trulla, malleo nunquam, nisi amore Numinis, & ad ejus gloriam usus sum. Si vos Mercatores, Causidici, Consiliarii, qui calamos non parum interes, tot apochas, lites, codicillos, conscribere consuevistis, si jam exterrentem spiritum trahentes, calamum vobis objecto, Deo teste, vere affirmare possitis, hunc calamum nunquam in manus sumpsi, nisi, ut ex Dei amore, justas causas propugnarem, ut viduas, & pupillos defenderem, ut Dei gloriam, in omnibus sectarer.

Quanto hic animi solatio, è terris ad superos commigraret, & cælitibus jure meritissimo adscriberetur?

Quæ cum ita sint, in vanum queruntur plerique sæcularium, ii potissimum, quibus vix respirandi facultas: quas inter, servi & ancillæ, per omnem hebdomadam, ne semihorulam suppetere, qua sacrificio Missæ interesse, per diem ne horæ quadrantem, qua Deo, sibique vacare queant: solatio illis sit, omnia opera servilia, & maxime abjecta, aurea intentione informata, sublimia prorsus reddi, ac divina.

Edoctus cælesti oraculo, unus aliquis è veterum Anachoretarum cœtu, in taberna quadam Ancillam commorari, quæ se multis parasangis, vitæ sanctimonia antecelleret, pia æmulatione Monachus stimulatus, tabernam adit, Ancillam convenit, ac familiarius percunctatur, qu-

quibus per omnem diem, plerumque occupetur? Respondit candide, ministeria se domestica obire, illud cum primis in more habere, quoties ligni fascem igni apponendum, in humeros sustollit, ejus se id amore facere, qui lignum crucis pro se laceris humeris, in Golgothæum montem evexisset. Quo rectæ intentionis jaculo, velut percussus, fassus est se in suis etiam purissimis occupationibus, alio longe ab hoc scopo evagari.

§. 3.

Quam multi à scopo, rectæ intentionis defectu, aberrarint?

INter Emblemata Vischerii refertur, in Galliis scopum esse, in quo varia fercula depicta, in quorum medio, dæmunculus torque ex ducatis aureis eminere cernitur. Quod quisque sagitta ferit ferculum, hoc illi adfertur: hic pernam, alter armum, iste vini amphoram, alius gallinam, aut artocream, subinde quis aureum dæmunculum attingit. Ejusmodi scopum, scopo Christi oppositum, de quo Cassianus supra, Diabolus omnibus proponit: unum hic vos rogo, quisque secum expendat, quo collimet? Hic in pernam, aut pinguem armum oculum; quo enim omnes illæ cogitationes de crapula, & mensarum expediis? vix oculi aperti, intendit primum, quod in prandio obsonium palato gratum parandum sit. Quorsum multi per omnem hebdomadam desudant? in amphoram collimant, ut die Dominica genio indulgeant, & se ingurgitent. Quid totis diebus, & noctibus, leves Adolescentuli? quò oculos, verba, munera, missilia, ut sagittas dirigunt, nisi ad gallinas? Maxima vero pars, ut quid noctes insomnes, dies curis, laboribus, ærumnis traducit, nisi ut aureum dæmonem attingere valeat? Hic scopus Mundi est: Nosti qui ejus sectatores? vide quò colliment, qualis finis, talis intentio: qualis intentio, talis actio. Receptum illud axioma: ***Cujus finis bonus, ipsum bonum: cujus malus, ipsum malum.***

Est puella quæ indies, & id maxime festis solemnioribus, binas, tresve horas ante Crystallum se contemplatur, vestit, pectit, crispat, ornat. Libet percunctari, quorsum hæc omnia tendant! quin illud Psaltis *a* in illam cadere videtur: ***speciè tua, & pulchritudine tua,*** INTENDE ***prospere, procede, & regna; sagittæ tuæ acutæ.*** At quænam hæ sagittæ? ***species, & pulchritudo,*** ut S.Thomas, Hieronym. Chrysost. hic. Addit Cardinalis Bellarminus, verbum ***intende,*** sensu Chrysostomi, ad sagittas referendum esse: ac si diceret: ***intende sagittas,*** Sed quo? quorsum omnis ille Mundus Muliebris? quem scopum hæc tela petunt? nonne ut oculos Iuvenum confodiant? nonne ut cor lasciviientium, etiam conjugatorum transfigant? nonne ad flagitium perpetrandum, gratiosæ,

a Psal.44.

spe-

speciosæ, formosæ haberi volunt? Quam paucæ Judithæ similes: a *hæc quidem lavit corpus suum, & unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitq; sandalia pedibus suis, sumpsitque dextraliola, & lilia & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ornavit se.* Atque in hoc omni Mundo muliebri, Iudith nihil dum vanitatis spectavit, non hominum, sed Dei solius oculis placere studuit: *cui etiam Dominus contulit splendorem*, in promptu causa est: QUONIAM OMNIS ISTA COMPOSITIO, *non ex* LIBIDINE, SED EX VIRTUTE *pendebat.*

Quam raræ hodierna die Esteri comparandæ, quæ in aurea sua cyclade, & regio diademate, non evanuit: *Tu*, inquit, b *Domine scis, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum, in die ostentationis meæ, & detestor illud & nunquam lætata sit* ancilla tua, *ex quo hic translata sum, nisi in te Domine Deus Abraham.* Hic qui volet, in vanitates, & insanias falsas puellarum excurrat. Ad vos parentes me converto, quorsum omnes curæ, solicitudines, labores, cogitationes? quorsum tam graves expensæ, ut filii educentur, instruantur scientiis, linguis, moribus imbuantur? ut tandem in officium parentis succedant; ut ad tale munus, talem dignitatem perveniant, ut familiam amplificent. Ideo hic in Gallias, in Hispanias mittendus, ideo in praxi juridicundo exercendus. Hunc Mercatorem, illum jurisperitum, alium senatorem, alterum Ecclesiasticum efformare *intendunt.* Filios quasi sagittas, potenter in scopum sibi præfixum destinant, juxta illud Psaltis: c *sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum* Ubi apposite d Sandæus: *Si filius sagitta, parens sagittarius, & quo æquum est, & Respub & Religio exigit, dirigat.* Sic filii excussorum in Deum directi, Samuel, Machabæi, Ædmundus, Thomas Aquinas, Andreas Corsinus, aliique innumeri. Monica Augustinum adhuc utero gerens, sæpe sæpius divino servitio consecrabat, ut ipse fatetur, dicens: quod salem Dei in utero Matris degustasset. Mater S. Bernardini e natos infantes, ulnis exceptos, Christo Iesu offerebat, atque in hunc scopum ita feliciter direxit, ut è septem, nemo à Religione aberrarit, atque omnes sanctitate eximii exstiterint. Hos æmulari vos docet Franciscus de Sales Genevensis Antistes in praxi spirituali p. 3. cap. 38.

Bion unus è Græciæ sapientibus, hoc pro monumento posteris reliquit: f *Magistratum sagittario perito conferendum esse*, in quo non genus, aut opes spectandæ essent; sed qua solertia præfixum sibi ex munere scopum attingat. Finis ne hi præficiendi Magistratui, curiæ, senatui, qui bonum publicum, qui

a Iudith. c. 10. b Esther. c. 14.

c Psa. 126. d Sandæi artifex Euang. pag. 621. e Sales praxi spirit. part. 3. c. 31. f Stobæus serm. 44

justi

justitiam, qui fidem; Religionem, cultum Dei, tueri intendunt: qui cum Ioviniano dicere possunt: SCOPUS *vita mea Christus*, non crumenam replere pecuniis, caveas vini doliis, arcas muneribus, non quadrigis vehi, non amplo famulitio stipari, nom digito monstrari, &c. Miseri profectò mortales, qui hæc sibi tam fluxa, tam vana, & insana, pro scopo præfigunt!

Miseri profectò togati illi, qui indies, hyeme, æstate, tot horas in curia lites discutiunt, domi in seram vesperam chartis impallescunt, si præter regium stipendium, existimationem nominis, nil sublimius habent, quo collimant idque de omni genere hominum judicandum est.

Verum enimvero, omnium longe miserrimi, viri Religiosi, qui alio, quam in finem sibi præstitutum collimant; ut rectè Apostolus: a *miserabiliores sumus omnibus hominibus*, si tot vigilias, tot jejunia, orationes, corporis afflictiones, dæmonis molestationes, constanter toleremus, ut vel in ordine Magni, vel ad officium, aut dignitatem assumi, aut alio specioso apud homines titulo eminere possimus. Miseri profectò sacri illi oratores, si per catenatos suos labores, nocturnas lucubrationes, per tot molestias & fastidia, in concionibus inveniendis, disponendis, conscribendis, ediscendis, proferendis, per plures adventus, & quadragesimas, non sine sudore, etiam & sanguine, hoc solum intendant, placere populo, splendidum cogere Auditorium, primam Cathedram obtinere, vocari ab hominibus Rabbi &c. Talis *b* olim Florentiæ, sua vaniloquentiâ celebris Ecclesiastes Savanorola: quid hic in omnibus spectavit, nisi ut Propheta qui indies cum Deo sermones misceret, haberetur? idque jam facile decem millibus persuaserat. Consimili vanitatis vento velificantem inducit Lancicius Monachum *c* Cisterciensem, qui tantum diebus festis, quando frequens, & honestus populi concursus, pulchre & elata voce cantabat; silebat verò aliis diebus. Hinc Dæmon, Deo volente, *pravam ejus intentionem* castigaturus, horrido & fœdè contorto vultu, in specie pueri, in omnium conspectu apparuit, plaudens manibus, & vanissimum cantorem irridens, dixit; O bene cantavit vere, statimque disparuit. Quos profectò Organistæ non absimiles esse dixero, cum nil agant, nisi ventus vanæ gloriæ afflarit. Hugo Cardinalis in Psalm. 44. Concionatores *sagittarios* vult, sed peritos; verba *eorum, jacula & sagittas* nuncupat; sed quò, quorsum defigenda? In vitia, in corda Auditorum, ut non sui plausum, sed compuncti populi planctum; non se sed Christum prædicent. Hinc P. Claudius Aquaviva, in epistola de formandis concionat. *Primum impedimentum* inquit, *in concionatore, est* OBLIQUITAS INTENTIONIS.

a 1. Cor. 15. v. 16.

b Florimon. Remond. de ortu hæres. l. 2. c. 2. c Lancic. opusc. Spirit. 3. cap. 3.

Quod

Quod & in omnibus Religiosi functionibus, locum habet, quæ si extra Deum ferantur, sunt velut membra, extra locum, aut commissuram violente distorta: *a* *Si*, inquit, *infelicia prorsus putarentur corpora, quæ suis ponderibus, gravitate scilicet, vel levitate sua, loca non peterent; longe procul dubio, major miseria nostra fuerit, nisi assiduo tendamus in Deum. Quod tunc vere fit, cum actus omnes nostri ab ipsius amore, & moventur, & in ipsum diriguntur. Quare S. Dionysius, malum asserit esse præter finem, extra terminum*, Scopo *carens.* Ac tandem concludit: *Itaque si ex centum molibus, qui v.g. unius diei spatio fiunt, plures fortasse quam nonaginta in vanum recidant, non in centrum: consideremus obsecro, quam nobis ingratum, quamque invitum genus hoc vitæ esse debeat?* Quare si quis hactenus tam miserum, tam ingratum, & invitum genus vitæ duxerit, omnem operam, studium, laborem, opera omnia, velut tela per inane volantia perdiderit: si quis hactenus à scopo, aberrans, proprium commodum, honorem à creaturis emendicarit, si hominibus placere studuerit, nunc Dei gloriam sectari, ejusque oculis placere studeat; stimulo hic esse poterit Comœdus, quem gravissimus Doctor S. Augustinus nobis proponit. *b* Hic dudum coram populo, ingenti plausu suas histrionis partes lepidè peregerat; At jam decrepitâ ætate, ut vidit se ingrato populo jam fastidio, & despectui esse, solus templum subibat, & veteres Comœdias, ipsis Deorum statuis, magno animi fervore, mentisque ac vocis contentione, declamabat, dicens: se jam facere in solam Deorum gratiam quæ antea exiguo cum emolumento, per tot annos imprudens, populo placere studens, exhibuisset, sic inquit August. *doctus Archimimus, senex jam decrepitus, quotidie in Capitolio Mimum agebat, quasi Dii libenter spectarent, quem homines desierant*: quippe ingratis mortalibus, suam tanto vitæ impendio operam navarat, solis tandem Divorum oculis placere studuit. Haud aliter quisque nostram, omnes reliquæ vitæ nostræ actiones, mentis & corporis, eo dirigamus, ut divinis oculis placeamus. Id suis Monialibus suadebat, & inculcabat *c* B. Magdalena de Pazzis: ut omnes actiones etiam parvas, internas, & externas facerent purè ad placendum Deo, & ad gloriam ejus, si fieri posset etiam ictus oculorum, minimos motus membrorum, dicens: eum qui sic faceret, iturum sine purgatorio ad cœlum. *d* Quæ merces longe opulentior, quam reportavit ille in civitate Lucensi, in Italia, circumforaneus, seu Agyrta, qui ad quasvis ædes subsistens, ac lyram pulsans, stipem aliquam emendicabat; sed extrusus, & illusus undique, mœrore animi non parum oppressus, in ædem sacram se recepit, ubi dum ante argenteam, Salvatoris imaginem

a Claud. Aquav. epist. de renovat. Spiritus. §. 13. b August. l. 6. de civit. c. 10.

c In vita: cap. 44. Lancicius opusc. 6. pag. 463. d Poirters Larva mundi ad Lect.

com-

constitit. Domine inquit, totum diem pro ingrato Mundo, laborando insumpsi, & nil mercedis retuli: quin potius in tui gratiam, & lyræ nervos, & animi omnesque corporis articulos, & artem omnem expendo: dixit, lusit, & ecce, imago argenteam qua pes indutus crepidam, in sinum ejus excussit. Quotus quisque vestrum Auditores, cum hoc homine deliravit; dum omnia sua opera, ut lucrum temporale, ut plausum populi, ut mercedem temporariam consequeretur, omnia studia ad vanitatem, aut emolumentum proprium retulit? nunc tandem omnes vires, omnes labores ac studia, in Dei laudes, cum magno *a* Thoma intendite, qui à morte stella pectus insignis, dixit: *eam pura animi intentione se meruisse.* Itaque astra in quæ collimavit, facile obtinuit: damque præter ipsum, de quo scripsit, perit nullum stipendium, majus non potuit petere nec obtinere.

a Surius. Fasti Mariani.

FESTUM SANCTÆ CATHARINÆ VIRG. ET MART.

Lac vobis potum dedi. 1. Cor. 3.



LACTEA nomen habet. Ovid. Met. l. 1.

ARGUMENTUM.

ORatores quamtumvis diserti, Sophi quamtumvis versuti, omnes accurrite, elingues vos & infantes una Virguncula Alexandrina faciet, quæ cælitus tantum sapientiæ hausit, ut sola è Stoa omnes Stoicos, & Peri-

Peripateticos, divina dicendi sua facundia exsuperarit. Atque ut Virginem etiam fœcundam, quæ tot Deo filios peperit, sciatis, lac suis propinavit. Ad hujus fœcundæ Virginis ubera, vos omnes, cælestis Philosophiæ candidatos invito, hanc si Magistram audieritis, hodierna luce sancte adpromitto, omnes non modo, qui in Lovaniensi, Duacensi, Parisiensi, Coloniensi Vniversitate versantur, sed & Nobiles, & Mercatores, & fœminas & puellas, Doctoratus laurea insigniri posse comprobabo. Tum ne vos a *lactent peccatores*, potenter commonebo, ut eos devitetis, quæ velut lupæ, vos lacte suo viperino vestrosque liberos enutriunt: quarum ubera si suxerint, quid mirum si feri ac rabidi evaserint, ac tandem in altum soporem, ut Sisara à Iahele inducti, clavo trabali confodiantur? atque ita fit, ut Albertus doctrinâ & sanctimoniâ maximus exponit, b *dent eis bibere lac & sic ipsos dormientes, clavo perpetuæ mortis perforent, & occidant.*

a Prov. 5. b Albertus M. in serm. de S. Nicol.

§. I. *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri.* Luc. 21.

§. II. *Auditores salubri doctrinæ lacte pascendi.*

§. III. *Fili mi, si te* LACTAVERINT *peccatores, ne acquiescas eis.* Prov. 5.

FESTUM SANCTÆ CATHARINÆ VIRG. ET MART.

Lac vobis potum dedi. 1. Cor. 3. v. 2

QVid valeat disertæ linguæ gratia, quid possit absoluti Oratoris eloquentia, quid non evincat etiam puellarum in dicendo, aspersa modesti oris venustate, facundia, vel ipsi gentiles satis superque olim contestati sunt. Valerius, *a* ut plurimum illam valere comprobet, sub propriis exemplis, inquit, quo vires ejus testatiores fiant, recognosci convenit. Regibus Româ exactis, plebs dissidens à patribus, armata valitabat, nec leves animorum motus, Reipublicæ turbines, ac tempestates concitabat: jamque sanguineos fluctus, & extremam perniciem minitabatur; cum ecce unius Valerii diserta oratio, motus subsidere, intentos jugulis mucrones recondere, manus dare coëgit, populumque linguæ suæ facundiâ: *ad saniora consilia revocatum, senatui subjecit, id est, urbem urbi junxit.* Habet enim hoc aureum dicendi flumen, ut velut pleno aquarum impetu exundans, obvia quæque secum rapiat, annosas arbores radicitus exstirpet, immensæ altitudinis aggeres perfringat, infinitæ molis cautes convellat, & suo secum omnia tramite faciat placidissime devolvi; hoc est, inveterata partium odia componat. Elatos pertinaci arrogantiâ animos domet: intractabiles hominum mores mitiget, suoque omnia nutu flectat atque gubernet; quid, quod etiam sanguinis cupiditate furentes compescat. Missi enim à sævissimis ducibus, Mario & Cinna milites, ad M. Antonium obtruncandum, oratione ejus extemporali obstupefacti, districtos jam, & vibratos gladios, cruore vacuos, vaginis reddiderunt. Sed parum hoc, unum alterumve magis meticulosum eloquentiæ vi, velut flumine præstrictum fuisse, integros exercitus, munitissimas Civitatis, huic concessisse, succubuisse novimus. Quod Pyrrhus Epirotharum Rex ingenuè fatetur, plures urbes Cyneæ disertissimâ oratione expugnatas, quam ipse unquam armatâ manu subegisset. Quid Philippus Macedonum Imperator? ad Athenas, inquit, conservandas, multum valet fa-

a Valer. Max. l. 8. cap. 9.

teor Themistoclis pugnacitas; plus valebit tamen efficacitas dicendi, quæ uno in Demosthene reperitur. An eidem sententiæ non suffragatur Agamemnon? certe: nam ad Trojam capiendam non decem Ajaces, militiæ studiosos, sed decem Nestores eloquentiæ peritos requirebat. Age vero, illa vis quæ in Mercurio dicitur fuisse, ad cicurandas feras, ad exstirpandas sylvas, ad sistendos fluvios, ad sopiendos manes, quo alio ex fonte, quam ab eloquentia promanavit, ut ille olim cecinit:

a *Tu potes tigres, comitesque sylvas*
Ducere, & rivos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aula.

Cerberus: quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.

Illa vis quæ in Orpheo fuit ad serenandas iras, ad expugnandos metus, ad leniendos corporis, animique cruciatus, unde nisi ab Eloquentia profluxit? *b*

——— *Manesque adiit, Regemque tremendum*
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

a Horat. l. 3. Carm. ode 11. b Virg. 4. Georg.

Verissime itaque Romanæ facundiæ Princeps Cicero, qui in quamcumque libuisset partem, lingua sua curiam flectebat, pronuntiavit: c *Tantum vim habet omnium Regina rerum eloquentia, ut non solum inclinantem erigat, stantem inclinet; sed & adversantem, & repugnantem quo velit inducat, deducat unde velit.* Nunc vero, si profana hæc, verborum fuco cerussata, argutiarum cincinnis calamistrata, at nescio quibus elegantiarum formulis lemniscata aut phalerata eloquentia tantum valeat, quis non divinam illam ab increato *verbo* cælitus haustam dicendi facultatem, omni gladio ancipiti, omnibus Massagetarum sarissis, Maurorum jaculis acriorem, longeque acutiorem, ut animos feriat, mentes sauciet, molliat, temperet, à qualibet opinione abducat, in quamlibet sententiam impellat, arbitrabitur? quod in Alexandrinâ Virgine Catharina omnium oratorum disertissima Principe, omnium Philosophorum dignissima præside, hodierna luce comprobabo.

§. 1.

d EGO DABO VOBIS OS ET SAPIENTIAM CUI NON POTERUNT CONTRADICERE OMNES ADVERSARII VESTRI.

Doctorum Antistes Aquinas hisce verbis comprobat, ho-

c Cic. lib. 2. de orat. d Lucas. 21. v 14.

minem quantumvis rudem, diviniori ſapientiæ radio præſtrictum, omnes mundi ſapientes in unum collectos, facilè arguere, confutare, ac debellare poſſe: hic etenim prima veritas *a* quaſi dicit: ***Statim à me ſortiemini facundiam & ſapientiam, ut nec omnes adverſarii, ſi in unum conveniant, reſiſtere valeant vobis, nec in ſapientia, nec in eloquentia.*** *b* Divus Cyrillus Alexandrinus exponit: ***Accipietis à me ſapientiam, & linguam inexpugnabilem.*** Porro Spiritus ille intellectus, & ſcientiæ, ubi in animum illapſus fuerit, ſtolones, Doctores ilico, & c ***linguas infantium, facit eſſe diſertas.***

Vaſtiſſima illa, & celeberrima urbium Babylonia, ingenti olim ſtupore hæſit attonita, dum integerrima Suſanna, adulterii nequiſſimè inſimulata, teſtibus convicta, omnium ſententiis condemnata, ſaxis obruenda videretur: d ***Cumq; duceretur ad mortem, ſuſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel***; qui novum ea ſapientia judicium coegit, ea dicendi vi, & eloquentia peroravit, ut inveteratos dierum malorum ſenes, turpiſſimi flagitii reos, perjurii convicerit, omnem multitudinem in ſuas partes traxerit, honeſtiſſimam Matronam omni etiam ſceleris ſuſpicione abſolverit. Hujus rei crebriora, & luculentiora, in lege nova ſuppetunt argumenta. Stephanus nullis Philoſophicis argutiis imbutus, in ipſo juventutis flore, cum antiquis dierum contendit, e ***& non poterant viſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui loquebatur.*** Idipſum hominibus agreſtibus, piſcatoribus Apoſtolicis evenit, qui è diſcipulis Chriſti, per ſaltum, ſine medio, Magiſtri artium, Doctores gentium, ſimul & ſemel evaſerunt: *f* ***Nam ubi Spiritus Sanctus Magiſter eſt, facilè diſcitur quod docetur.***

Tunica Chriſti inconſutilis, deſuper contexta per totum, teſte Sancto Ambroſio, divinæ ſapientiæ ſymbolum fuit; noſtra ſapientia, veſtis eſt conſuta partibus ad partem, frequenti ſtilo annexis: primo namque docet Ludimagiſter formare characteres, exinde ſyllabas connectere, tum verba componere, poſt hæc, aliam attexit partem Grammatices, cui aſſuit dialecticam, aliaſque ex aliis ſcientias; adeo ut ſcientia noſtra, ſit veſtis conſuta per totum: *g* ***Noſtra ſapientia***, hoc eſt, ***humana conſuitur: aſſuitur enim, cum liberos damus ad ſtudia Grammatices, tradimus Philoſophis, erudimus eos ut ſapientia in iſtis, quæ non erat acquiratur.*** At ubi Spiritus Sanctus Magiſter eſt, nulla mora, nullo molimine, momento quis Philoſophus & Orator fit. Fidem ſuam obſtrinxit Matth. 10. v. 9. ***Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*** *h* Ubi S. Remigius obſervat, Chriſtum non ſolum verba, & materiam, ſed & mo-

a S. Thom. in Luc. c. 21. v. 14. b V. Corderium Canten. in Lucam hic. c Sapient. 10. d Daniel. cap. 3. v. 45.

e Act. 6. 10. f Ambr. g Ambroſ. ſerm. 3. ſub finem tom. 3. h S. Remig. in Catena D. Thom. Matt. 10. v. 19.

dum

dum aptè disserendi suppeditare: *Duo dicit : quomodo , & quid ; quorum unum refertur ad sapientiam , alterum ad oris officium : quia omnia verba quæ loquerentur , & sapientiam qua ea provenerit , suggerit* ; ut innumeris , tum veterum tum recentiorum historiarum testimoniis manifestatum est. Nobis sat est , in cœlesti Pallade nostra , in una Virgine Alexandrina id demonstrasse : quæ spretis mundi divitiis , & carnis deliciis , regiisque thalamis , a *divinitus inspiratâ sibi sapientia* , eam talem in se experta est , cui non possent omnes mundi , nedum Alexandriæ sapientes contradicere ; quod priusquam pluribus demonstrare aggredior , libet brevi velitatione, ad Heterodoxos, & cumprimis Anabaptistas appellere, ac compellare , quo Spiritu ministellis , sutoribus , textoribus , quantumvis stolidis ac stupidis, mulierculis etiam ipsorum , ex sapientia infusa fit , ut ex tempore super maximè recondita fidei nostræ mysteria, ac sensus Bibliorum omnino arcanos, disserere præsumant ? Ruremundensis Episcopus Lindanus , rem plane admirabilem narrat *b* , cui tamen tanti viri auctoritas facile fidem addit ; dicit vero , novisse se quosdam Idiotas , & simplices homines, qui cum ante ne vel litteram legere , ac scribere possent , factos Anabaptistas , non solum sacram scripturam expeditè legerint , verum etiam explicare præsumpserint ; eosdem dein, cum ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rediissent , (O inauditam Diaboli astutiam !) non minus quam ante , omnium litterarum imperitos , rursus fuisse. Ego inquit , diu existimavi fabulas esse , quæ hac de re dicerentur, donec à Catholico quodam mihi noto monitus, uxorem ipsius ad Anabaptistarum concionem abiisse , eodem me contuli. Eo cum venissem , inveni ipsam in Bibliis legentem, jamque accinctam ut baptismum reciperet ; cum vero eam inde abduxissem, ac librum ut illum legeret , ei exhibuissem , illa ne litteram quidem in ea se noscere confessa est.

Petrus Tyræus in libris suis dæmoniacis testatur ann. 1560. se quoque Coloniæ sutorem veteramentarium , & alterum rusticanum , utrumque Anabaptistam vidisse , atque audisse Biblia expedite legentes , quamvis eam artem nunquam didicissent. Atque hac maligni Spiritus suggestione , velut divina quadam inspiratione, incredibile quantum , quotque imperitorum animos seduxerint ! ut de iis jure queri possim , quod olim Hieronym. in illud Isaiæ : c *Interfecti tui , non interfecti gladio* , ait : *Maxima pars absque ullo certamine , & disceptatione , hæreticorum deceptionibus supplantatur, & hæc est turba quamplurima.* Videas Prædicantes ipsorum è popinis in suggestum provolantes , Biblia in sensum quem volunt detorquentes , garrulitate mira ,

a Baron. an. 307. n. 32 b Florimund. Remond. de ortu Hæres. l.2. c.1. n.5.

c Hieronym. in Isa. c. 22.

omnes attentos & attonitos detinere ; nostis unde hæc eis facundia ? *uti sunt elingues & muti dæmones*, *a* inquit Bernardus, *sic etiam sunt facundi & loquaces Diaboli*, qui in iis loquuntur. Hos Christus silere, & obmutescere fecit, quod & Porphyrium Gazæ Episcopum factitasse, Baronius, *b* gravis scriptor commemorat. Excurrerat Gazam mulier Antiochena, Iulia nomine, sectam Manichæorum professa, quæ fallaci sua doctrina, recens illuminatos, & in sancta fide nondum stabilitos pervertebat : ausa insuper cum Episcopo super gravissimis fidei controversiis, in arenam descendere ; cumque prodigiosa loquens venefica Iulia, jam multa pluribus horis esset tabulata, & consuetas dixisset blasphemias in Deum : motus divino zelo S. Porphyrius, dominum universorum maledictis incessi à muliere, in qua operabatur Diabolus, in eam tulit sententiam, dicens : Deus qui fecit omnia, qui est solus æternus, qui glorificatur in Trinitate, *tuam percutiat linguam, & obstruat os tuum, ne loquatur blasphemias.* Atque illico tremere Iulia, & mutari vultu, manere muta & immobilis, ac paulo post exspiravit, *profecta ad tenebras quas in honore habuerat*, & ad socios quos hic magis hos adsciverat. Idem sentiendum est de Anabaptistis, Calvinistis, Lutheranis, aliisque Diaboli administris ; porrò ut cum Hieronymo *c* loquar : *quidquid Hæretici loquuntur in Synagogis Satanæ, non est doctrina Domini, sed ululatus Dæmonum.* & *d* alibi: *doctrina Hæreticorum, non in sensu sed in multiloquio, & clamore versatur*, garrulo ad hoc Spiritu incessi, ut eventus ad fidem nostram stabiliendam perquam prodigiosus edocuit, et ex Florimundo Ræmundo, fidelissimo auctore *e* referam, qui sic ait : Memorabilis est Palatini Miczis [illegible] conversio quam uti à testibus oculatis accepi, enarrabo.

Palatinus hic, cum die quodam Podoliæ, Sacerdoti Catholico plus pietatis, quam doctrinæ habenti vellet illudere, hominem ad prandium invitarat, mensæ assidentem Palatino innuente, prædicans quidem variis quæstionibus urgere cœpit, jam caput aliquod doctrinæ, jam Papæ tyrannidem, jam dissolutam Ecclesiasticorum vitam, in medium proponens. Tacet ad omnia bonus ille Sacerdos, ac interim appositis vescitur. Tandem ad Palatinum conversus, quid hic hominis est quæso ? O inquit, equidem ad prandium, non ad disputationem invitatus sum : ubi risu soluti omnes ; & boni Sacerdotis simplicitatem, vel potius inscitiam (ita enim videbatur) ludibrio habere. Tum ille, equidem inquit, jam hoc agam & prandebo, ubi pransus fuero, tum forte homini illi respondebo. Sublatis mensis Sacerdos ita infit : hodie sacrum in altari peragens, hac usus f[illegible]m

a S. Bern. de septem Spiritibus. b Bar. an. Christ. 403. n. 34. c Hier. in Esa 14. requiescent ibi bestiæ &c.

d Hier. in I cap. 22 e Flori Ræmond e ortu hæres. l. 4 c. 11. n. 4.

pre-

precatione : *discerne causam meam, de gente non sancta.* Spero sanè hunc ipsum Deum pro suâ omnipotentiâ, & misericordiâ preces has meas exauditurum. Facto deinde Crucis signo, prædicantem ita alloquitur : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, per Dei cujus ego indignus servus, & Sacerdos sum, auctoritatem, & potestatem : *mando tibi maligne Spiritus, ut obmutescas, nec per os illius hominis loquaris.*

Quid fit ? vix ille hæc verba pronuntiaverat, cum ecce prædicans, pisce magis mutus sedet. Tum Sacerdos iterum, jam inquit, homo loquere, & tibi respondebo : hactenus enim cum maligno illo Spiritu, qui per os tuum locutus est, verba commutare, religioni mihi duxi. At prædicans frustra loqui conatus, cum ne gry quidem proferre posset, dimisso capite, totus pudore perfusus, inde se proripuit, omnibus hoc miraculo obstupefactis. Et ipse Palatinus in se rediens, errore in quo educatus fuerat abjurato, una cum familiâ suâ, ad Catholicam Ecclesiam accessit, & in ea constanter perseveravit. Ex quibus hactenus dictis, illud unum concludo, quia solus est Spiritus veritatis, *a qui obmutescere facit imprudentium hominum ignorantiam*, & linguas *infantium*, ac puellarum, *facit esse disertas.* Ut in præsentii certamine spectabitis.

Ingens hic, non armorum, sed animorum contentio, non ferri, sed linguæ ac mentis acie dimicatur. In bellico quidem congressu efferantur animi, exeruntur vires, flammescunt intimis in præcordiis studia decertandi ; verum si Martis exitus diutius nutat, si in longum trahitur victoria, si plures per horas pertinaci labore confligatur, quis languor virium ? quis defectus sensuum ? quæ debilitas omnium membrorum ? fluunt artus, labant pedes, languent brachia, frigent animi, hebescunt Spiritus, totum corpus sudore & sanguine exhaustum, suopte pondere ad terram alliditur. Non ita Philosophico hoc in conflictu, ubi quo pertinacior pugna, eo vires ingenii utrimque emicant acriores : politur lingua, acuitur acies, tota ratio clarior splendescit, quæ errorum tenebræ animis offusæ, eædem disputationis æstu, divino velut radio derepente exorto dissipantur. Felix pugna quæ vires non adimit, sed addit animos, non pungit, sed ungit : non vulnerat, sed sanat. Alterum in hoc Martis, & sacræ Minervæ certamine discrimen est ; nunquam evenisse, aut aliquando eventurum, ut in bellico pulvere, ab utraque parte victoria & triumphus reportetur ; sed unius gloria, alterius contumelia : unius plausus, alterius planctus : unius victoria, alterius ruina : unius triumphus, alterius interitus esse consuevit. At longè aliter se habent partes, spectante potentissimo Imperatore Maximino, in arena commissæ : ubi qui cadunt, animosius assurgunt : ubi qui victas dant manus, palmas referunt. Ubi victi vere victores : pars utra-

a Sap. 10. 1. Pet. 2.

utraque triumphat, & laurea condecoratur. Mirum hoc alicui videbitur, mirari desinat, rem exemplo dum illustro. Prodiere quondam in disceptationis duellum Helladius Luciferianus, hæreseos latice fœde offusus, & Hier. fidei lumine illustratus. Conferitur bellum, ardescit pugna, librantur rationum pondera, argumentorum momenta expenduntur: sonant voces, & tonitrua. Clamant, sudant, anhelant, mutuis se telis validi pugnatores petunt, a *iste odiosa loquacitate (animi m facundiam exerit: hic Philosophorum argutatione deposita Christianorum simplicitate armatus progreditur.* Quid fit? Hieronymi ante pedes, quis dubitet victum corruisse Luciferianum? corruit quidem; sed invictus; Palmam dedit, sed non perdidit: amisit pugnam, sed non victoriam. Novus plane belli exitus, & inauditus; sed ita contigit. Postquam Luciferianus, Hieronymi verbis circumventus, elabendi viam nullam agnovit, manus dedit, colla subdidit, saniorem se restituit in mentem, neque se victum erubuit profiteri; sed neque se victorem potuit denegare: vicisti inquit Hieronyme, fateor, vicisti: *Sed non solum te vicisse existimes: vicimus uterque nostrûm: palmam refer, tu mei, & ego erroris. Utinam mihi sic semper disputare contingat, ut ad meliora proficiens, deseram quod male tenebam.* Longe acrior, multoque alacrior instituta hodierno die dimicatio, quæ non inter verba, sed verbera: non intra sudorem, sed & sanguinem, & vitam partium stetit; utrimque tamen vincentium, utrimque triumphantium. Certamen hoc magis anceps, & dubia mortis alea videri possit, quod in bellis Virguncula, cum 50. certissimis Sophis, inermis cum Porphyrio centurione, & ducentis catafractis in arenam descendere non reformidarit: atque ita non tam manum quam mentem & linguam conseruerit, ut illud Hieronymi jure usurpare possim: b *Vides eloquentissimos adduci ad fidem, & stultam fieri sapientiam sapientum.*

Catharinam etenim, ut c Baronius testatur, quam Maximinus disertissimam sciebat, per gentiles Philosophos, quibus Urbs Alexandrina abundare solebat, (d & alii addunt, etiam undique conquisitos) à Christiana Relligione e divellere conabatur; ipsa omnes tum scientia, qua egregie imbuta erat, tum etiam divinitus inspirata sibi sapientia superavit, & magni illi Sophi, repudiatis suæ gentis erroribus, viderunt quid interesset inter umbram & solem, inter fumum & flammam, inter vanitatem & veritatem, omnesque Deo manus, & Virgini palmam dedere. e Vicisti Catharina, quæ plus linguæ eloquio, quam *Abigail* aut *Thecuitis* consilio: quam *Iahel* clavo, quam *Debora* aut *Iudith* gladio valuisti; tu es una & unica è numero prudentum, cui omnis, quam antiquitas in mulieribus suspexit, facundia, infinito concedit intervallo. *Cor-*

a Hieron. adversus Luciferianos.

b Hieron. in Isa. c 6. c Baron. an. Christ 307. in xxxii. d Ant. part. tit. 8. c 1. § 38 e Ribadin. in vita. f V. Carthusian. serm. 4 de S. Cathar.

neli-

nelia *a* Gracchorum mater, ut loquitur ipſe Hieron. Eloquentiſſima celebratur, à cujus uberibus filii, illam Suadæ medullam ſuxerunt. *Ameſia* capitis condemnata, cauſam ſuam L. Titio *b* Prætore judicium cogente, populi maximo concurſu egit, motusque omnes ad perfectos eloquentiæ numeros fortiter executa eſt, & omnium prope calculis abſoluta: quam, quia ſub ſpecie feminæ virilem animum gerebat, *Androgynem* viraginem appellabant. Veriſſime Auguſtinus: *c* *Nec fœmineus ſexus ſuis fraudatur exemplis.*

d Hortenſia Q. Hortenſii filia, cum ordo Matronarum gravi tributo eſſet oneratus, nec quiſquam virorum eis Patrocinium accommodare auderet, Hortenſia repræſentata patris facundia peroravit, & apud triumviros cauſam evicit. *Cujus ſi viri, dicendi facundiam ſequi voluiſſent, Hortenſianæ eloquentiæ tanta hereditas una fœminæ actione, abſciſſa non eſſet.* Cleopatram præ his extollit Dio. l. 42. *Quod in ejus verbis ſummus exiſteret Lepos, ita ut quiſquis illam loquentem audiret, amore concideret.* Quintam denique, ut omnium portentum, ſacri & profani commendarunt hiſtorici *Hypatiam*, fœminam Alexandrinam: *e* hæc teſte Baronio, tantos in litteris fecit progreſſus, ut omnes Philoſophos ſui temporis, longe ſuperaret; *f* ac non modo in ſcholam Platonicam ac Plotino deductam ſuccederet, verum omnes Philoſophorum omnium præceptiones, & diſciplinas, omnibus qui eam audire volebant, explicaret, quapropter quotquot Philoſophiæ ſtudio incendebantur, undique ad illam confluebant. Verum enimvero, ſi has omnes vera ſapientia expertes, inani loquacitate inſtructas, cum una Virgine noſtra Alexandrina conferre volueritis, quinque fatuas, jure meritisſimo & habendas, & nuncupandas fateamini omnes, neceſſe eſt. Atque utinam hoc noſtro ſæculo, hac in urbe non plures Virgines fatuæ, puellæ ac mulieres fatuæ reperirentur, quæ imprudenter garrulæ, loquacitatem, eloquentiam arbitrantur: quibus illud Stobæi jure objeceris: *Incipit verborum flumen, mentis vero gutta*: Omnes fœmellæ volucres, à natura taciturnæ, & mutæ, ſunt; mares vero vocales argutisſimè modulantur, haud aliter puellas ac mulierculas taciturnas, ac mutas eſſe convenit. *f* Unde prudenter illud Tympius omnes monitas voluit, in convivio viros poſſe eſſe *vocales*, juvenes *ſemivocales*, ſed mulieres ut ſummum *conſonantes*, puellas omnino *mutas*; neque enim myſterio carere volunt, quod Redemptor noſter mutos quidem, ſed nullam mutam curarit: atque ipſe qui innumeros quavis infirmitate affectos liberavit *g* S. Vincentius, adductam ad ſe mutam, ob garrulitatis periculum curare, recuſavit. Quid porro exiſtimandum eſt locuturam in plures horas, in ſeram veſperam, in multam noctem, vanam, inanem & gar-

a Hieron. ad Lætam. Plut in Gracch. b Val. Max l. 8. c. 3. c August. ſer 242. de temp. d Valer. Max. cit. e Baron. ann. Chriſt. 303. n. XXXII. f Socrates l. 7. c. 15.

g Tympii Dor. c. 31. h In vita.

rulam, puellulam, cum lascivo & petulco adolescentulo? hoc itaque cum maximè deceat, ut Hieronymus monet *sermo silens, & silentium loquax, quinque prudentes Virgines* in exemplum proponam, à quibus sanam facundiam, & divinam eloquentiam haurire queant: omnes inanes fabulas execrari, pias cum Deo confabulationes, aut cum hominibus, de divinis, sermones *miscere consuescant.* Ac primum quidem spectabilem se præbet Catharina illa Virgo Senensis, cui cum cælestis sponsus corde sublato, suum reposuisset, Christum merito cor suum, suam Christus Catharinam vocare posset: huic & quod amantum est, per horas, per dies, & noctes, cum speciofo illo præ filiis hominum sermones miscere, deambulare, officium divinum alternis concinere, ab hoc denique magistro a *de arcanis secretis, altissimisque Mysteriis edoceri.* cæterum quam apud homines in verbis prudens, quam parca videretur, argumento est, quod *triennio integro silentium adeo stricte observarit, ut præter divinum officium, penitum & sacram confessionem, nihil fere loqueretur.* qui volet his evolet, & invehet in eas, quæ multum cum hominibus, parum cum Deo loquuntur: Cum illis eloquentes, cum hoc elingues & infantes sunt. Altera b B. Catharina Bononiensis, jam duobus fere tot sæculis, corpore integro illibatoque vivum omnibus superest miraculum, fuit illi à teneris prudentia senilis, modestia singularis, ac morum elegantia admirabilis: *nullum ex ore ejus verbum excidit inane*, cum interim ab ipso Christo edocta, plurimum indies super cruciatus amabilissimos mente sermocinaretur; quid mirum si alta, si profunda loqui *consuerit*; c Catharina Ferrariensis, sancti Dominici alumna, quæ verbum patris in pectore, in ore habebat, nec semel *reipsa expertam se dicebat cum virginibus suis de rebus divinis colloquentibus, ipsum Dominum explicatissima fronte medium adesse*, ex condicto: *ubi duo vel tres congregati sunt; at illis contentiosius sermocinantibus, irato similem, ab illo cætu abeuntem vidisse olim se commemorabat.* Ubi nunc ea nostrarum puellarum sermocinatio, cui sponsus Virginum ambiat interesse? Huic quoque prudentium virginum numero accenseri potest puella d Judaica, quæ à suis ad Christi castra transfuga, & sacro baptismatis fonte expiata, Catharinæ nomine insignita fuit: jam monialibus Parcensibus prope Lovanium adscripta, suo omnes tum exemplo, tum verbis movendebat; verum parentibus & amicis, ut fieri assolet, moniales has frequentius invisentibus, Catharina hæc à suis omnibus deserta, nulli nota. Colloquium cum cælitibus ac virginum matre prolixius instituebat: unde hæc aliquando ante ejus iconem prostrata, contestari audita est; *aliæ sorores nostræ moniales à matribus, & amicis solatium habent, & gaudium. Ego autem pauper-cula, pupilla & indigna ad te*

a Bzovius an. 1370. n. 8. b Bzovius an. 1463. n. 65.

c Rhe[illegible] hist. l. 1. c. 2. § vi. d Cantipratan. l. 2. c. 29.

'Domi-

Dominam ut cognatam, meam fidenter accedo, tu sola pro omnibus esto mihi solatium. Quos hic sermones, quam pios, quam castos, quam ardentes habuerit, non humanæ sed Angelicæ linguæ facundiæ est enarrare. Ita & verbis, nunquam nisi cum cælitibus, aut cum hominibus de divinis agendum est. Hac in parte, ne longius abeam, adeò Catharina nostra Alexandrina excelluit, ut vel cum sponso suo & in carcere familiarissime sermocinaretur: aut si cum hominibus cælestis doctrinæ hoc instillando, à flagitiis & erroribus avocaret, aut sacris fidei elementis imbueret. Hoc enim vero cum primis manifestum est, ex ea Cathalinariâ, qua Imperatorem idolis immolantem, & sacris operantem, adeò potenter invasit, ut a *stupefactus Cæsar ad verba ejus respondere non valeret, ejusque eloquentiam & sapientiam miratus sit.* Tum ut omnibus compertum sit, quod in exordio proposuimus, divinæ facundiæ ac spiritui, quo repleta erat, quinquageni illi Catones respondere non valentes, palam confessi sunt, quia b *hæc puella, in qua Dei spiritus loquitur, ita nos in admirationem convertit, ut contra Christum aliquid dicere, aut omnino nesciamus, aut penitus formidemus*; ipsam vero Imperatricem non solum ad Christi fidem adduxit, sed & ita confirmavit, ut dum ad supplicium raperetur, Catharinæ *verbis ita constans effecta sit, ut ministros hortaretur, ne quod jussi fuerant exequi morarentur.*

a S. Anton. part. 1. tit. 8 c. 1 § 3 S.
b S. Anton. cit.

Hæc vis melleo & divino Virginis fuit eloquio, longe potentior, quam Livio, quem Hieronymus *lacteo eloquentiæ flumine manare* affirmavit, Illa porro quam suis doctrinæ lacte mater, & nutrix extiterit, etiam morte sua contestata est, dum pro sanguine lactis fontes è virgineo collo propinavit; unde Poëta recens ingeniose lusit:

> *Credibile est natis lac voluisse dare.*

Factumque felici nominis omine S. CATHARINA anagrammatismo NATIS CHARA nuncupetur.

§. 2.

Auditores salubri, doctrinæ lacte pascendi.

PElignus vates viam Lacteam c innumeris stellis in cælo coruscantem per quam heroës ascenderunt, sic depingit:

> d *Est via sublimis, cælo manifesta sereno,*
> LACTEA *nomen habet: candore notabilis ipso.*
> *Hac iter est superis, ad magni tecta Tonantis.*

Commenti quippe sunt e Poëtæ, Junonem lac Herculi præbuisse, quo immortalitatem consequeretur: nec parum ex ubere pleno in cælum defluxisse, atque exinde viam vocatam lacteam; quasdam vero guttas, in terram decidentes, lilia prius

c Damasc. de via lactea in phys. cap. 14.
d Ovid. l. 1. metam. e Natalis Comes l. 1. c. 4.

crocea, iis tincta, candida reddidisse. Fusius hac viâ lacteâ expatiatur Manilius:

Nec mihi celanda est, fama vulgata vetustas
Mollior, è niveo lactis fluxisse liquore
Pectore reginæ Divum, cœlumque colore
Infecisse suo: qua propter lacteus orbis
Dicitur, & nomen causa descendit ab ista.
Ac fortes animæ, dignataque nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, terraque remissa
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cœlum,
Æthereos vivunt animos, mundoque fruuntur.
Atque hinc Æacides, hinc & veneramur Atridas.

Sed ne videamur Poetarum commenta, aut doctas fabulas secuti, non infamis, & adultera Juno, sed candidissima Virgo, lacteo suo sermone, non unum, at plures Hercules lactavit: nec solum guttis Virginei lactis in terram decidentibus, sed fontibus, qui è collo scaturiere, plures mentes croceas, candidissimas reddidit, atque ita viam lacteam quinquagenis hisce Philosophis, & viginti Prætorianis militibus velut totidem stellis, una cum imperatrice & Porphyrio, splendidissimis astris, lucidissimam effecit, quæ fulgebunt in firmamento cœli, in perpetuas æternitates: nam, ut verè Sanctus Ioannes a Damascenus observavit, *lacteus circulus magnarum & splendidarum stellarum copia abundat, atque idcirco tum ob situm, tum ob stellarum earum, quæ in ipso sunt multitudinem, & magnitudinem, lac in ipso effici dictitarunt.* Ubi Doctores, quosque ipsi erudiunt stellis (quod alibi tractandum) eorum vero Doctrinam, sapidissimo ac saluberrimo lacti, aptè video comparari. Quæ dum probare aggredior, nemo mirabitur, si Virginem viro, si Catharinam Paulo contulero; quam virum credidisses, nisi cum caput ensis abstulit, Virgineum lac quod pro sanguine fluxit, prodidisset. Hugo Card. in illud ad Heb. 5. *facti estis quibus lacte opus est*, sic ait: *Apostolus enim fuit bona nutrix, fœcundus lacte cœlestis doctrinæ.* Quod & ipse suo confirmat testimonio: b *Tanquam parvulis in Christo lac vobis totum dedi.* Hinc minime mirandum dicit Ambrosius, si instar nutricis, dum capite plexus est, lac dederit pro sanguine: c *de Pauli cervice, cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda, quam sanguinis: quæ quidem res in Paulo stupenda non est: quid enim mirum si abundat lacte, nutritor Ecclesiæ?* Guerricus Abbas: *quam plenus lacte redundaverit Spirituali, pulchrè significatum est, unda illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse, loco sanguinis, cum decollaretur: quibus dedit mamillam, dedit & animam*; id est vitam Spiritualem: hoc etenim lactis flumine, pluresetiam filios, atque ipsos lictores parturiisse dicitur. Catharina quoque *quibus dedit mamillam, dedit & animam*, è cujus eburneo collo, pro sanguine, lactis fontes ema-

a S. Damaf. in Physic. 15. c.4.

b 1.Cor.3. c S. Ambrof. fer 69.

emanarunt; quæ quidem *res in Catharina stupenda non est: quid mirum si abundat lacte, nutrix Ecclesiæ?* S. Greg. ita Felicitatem sese matrem exhibuisse docet, dum salubri doctrinæ lacte, suos pascit potius, quam dum ubera sugenda dedit: exponens quippe illud Matt. 12. a *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ille meus frater, soror, & MATER est,* sic ait: *quærendum est, quomodo etiam & MATER esse possit? sciendum nobis est, quod qui Christi soror, & frater est credendo, MATER EFFICITUR PRÆDICANDO: si per ejus vocem amor Domini, in proximi mente generatur. Ad quam rem nobis idonee confirmandam, adest B. Felicitas, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est Mater,* NUTRIX; de qua verissime pronuntiaro:

b *Magna dati* NUTRIX *præmia* LACTIS *habet.*

Plutarchus in libro aureo de officio Auditoris, orationem comparat convivio, in quo ornatus est, & cibus: ornatus ille symposiacus ex phialis aureis, ex pateris argenteis, ex splendidâ suppellectile: cibus ex avibus, ex tragematis, ex bellariis spectatur. Quoties vero quisque ut ex fulgore delectetur, majorem tamen ex epulis non sumat voluptatem, & utilitatem? ut ipse Varus apud Martialem, tenuiter exceptus testatur:

c *Ornatus dives, parvula cæna fuit.*

Sic in oratione, res sunt, & verba; res sunt cibi, qui pascunt animos, verba tamquam ornamenta, quæ titillant aures. Bene Plutarchus: *Ad Oratorem audiendum, studiosus auditor non aliter accedere debet, quàm ad sacrum epulum*; unde esurientem animam reficere, viresque colligere, spiritus vitales, ac vigorem concipere queat. Hæc ad mores referendo, satis quotidianâ compertum habemus experientia, si quando ad istos concionatores, vel declamatores potius itamus, qui cultè & putidè, & circumspectè loquuntur ad numerum, quæ ex scripto didicerunt, redimus frigidi & exsucci, quasi à marmoreæ statuæ uberibus. d D. Hieronymus acerbè queritur, & succenset ejusmodi Concionatoribus, qui fucatam eloquentiam inducunt in Ecclesias: omissaque Apostolorum simplicitate, ac puritate verborum, quasi ad Athenæum, & ad Auditoria convenitur, ut plausus circumstantium suscitentur: ut oratio artis Rhetoricæ, fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam favorem populi quæsitura, & in modum Psalterii & tibiæ dulce canentis, sensus demulceat audientum; ut vere illud nostris temporibus possit aptari: *Facta est eis quasi vox citharæ suave canentis, & bene compositæ, ut audiant verba tua, & non faciant ea.*

Prodit in suggestum, levissimum vanitatis cymbalum, nescio quid tinnulum *e persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* increpans. Auditores ipsi qui multi

a Gregor. hom. 3 in Euang. b Ovid. l. 2. Fast. c Martialis.

d Hieron. in proœm. l. 3. in epist. ad Galat. V. etiam S Prosperum l. 1. de vita contempta. c. 24. simil. 186. e 1. Cor. 24.

sæpe

sæpe hebetes sunt, nec tractus illos sublimioris eloquentiæ capiunt, ad istum tinnitum dormiunt: qui pii sunt indignantur: qui improbi & leves, modicè titillati, sine fructu animarum discedunt. Norint hi suos Auditores esse, a *quibus lacte opus est, non solido cibo*, id est interprete eminentissimo *b* Hugone: *Doctrina subtiliori & altiori.* subdit porro: LAC *est facilis doctrina, quæ ædificat parvulos, quorum mentes teneras & angustas, panis suffocat. Quod autem dicitur Thren. 4. Parvuli petierunt panem, id est rustici idiotæ* (muliereulæ) *volunt doctrinam difficilem, & ideo sunt hæretici, quia* LACTE *simplicis doctrinæ non sunt contenti. Hoc est contra scholares, qui dimissa historia, & moralitate scripturæ, quæ ut* LAC NUTRIT, *statim insiliunt ad quæstiones difficiles.* In hominum flagitia detonandum est, in gravissimo salutis negotio totus exsudare debet animus, ut per virtutis, omnisque pietatis semitas, in beatum portum deducat, ab immani inferorum præcipitio, ab Orci faucibus evocet. Refert *c* Antipater Thessalonicensis, puerum è clivo excelsior præsentis periculi omnino ignarum, jam jam in præcipitium ruentem, ac forte respectantem, matrem à tergo ostensis uberibus stetisse, revocasse, vitamque servasse. Complures puerili levitate indies misere laberentur in altas scelerum foveas, & inferni barathrum deciderent, quos sacri Ecclesiastæ objectis sacrarum litterarum uberibus, & salubri, doctrinæ suæ lacte servarunt. *d* Eleganter Philo Carpathius ad illa verba divini Epithalamii: *Meliora sunt ubera tua vino*, sic ait: *Duo ubera, duæque mammæ, duo testamenta sunt, quæ Spiritualem nobis potionem*, DIVINI LACTIS *instar effundunt, nosque super delectationes omnes humanas, sanctissimè lætificant atque* TUENTUR.

Hæc ubera divino Oratori premenda, his inhærendum, his exsugendum, quod in suos derivet, si eos in virtute & gratiâ crescere voluerit; quod Doctor ille mellifluus, sub cujus lingua *e* LAC *& mel, potissimum* spectavit: nam Ecclesiæ *alumnus*, inquit, „*ex uberibus sapientiæ*, LACTIS MELIORIS *expertus dulcedinem, jam in eo cœpit crescere in salutem: jam & eo satiatus eructat, dicens: Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Meliora profecto ubera vino, quod rationis lumen exstinguit, mentem excœcat; ipsa vero fluunt lacte, quod intellectui lumen affundit, mentis cæcitatem ac tenebras aufert. Attendite lactis vim plane prodigiosam: *f* eo lacte quo ex Matris uberibus S. Remigius nutriebatur, Patri ejus cæcitas sublata atque usus oculorum restitutus est; non secus, inquit auctor, cœlestis „ Doctrinæ lac, menti amissum „ lumen sæpe restituit, spirituali- „ que luce animum perfundit. „ Quare idem mihi votum, quod „ Philosopho *g* fuit: *non delectent verba, sed prosint, non quærit æger*

a Heb. 5. *b* Hugo Card. in c. 5. ad Heb. *c* Antipater lib. 1. Antologiæ Novarin. Electa sacra p. 74.

d Philo Carpath. in Cant. 6. *e* Bernard. Epi. 78. ad Suggerium Abbatem. *f* In vita Novarin. Electa sacra. p. 74. *g* Sen. ep. 75.

a (auc

a (aut cœcus) *medicum eloquentem, sed sanantem*: quid enim aliud quam ineptire, & insanire est, bracteatam sectari eloquentiam, aut sublimem suam de Idæis, notionibus divinis jactare Doctrinam? ubi rudes imbuendi sunt animi, ubi pravi comprimendi sunt affectus. Hinc illa gravissimi Doctoris querela, in illud Pauli: *a* LAC *vobis potum Dei*: *quidam*, inquit, *in conventu fratrum, student magis alta quam apta docere: erubescunt humilia & plana docere.* Tum alii Apostrophe se obvertens: *Ascendisti Cathedram ut alios ædifices, non ut teipsum infles. ut impleas, non ut exinanias teipsum. Propterea debet Prædicator non quid ipsum, sed quid subditos audire deceat, attendere: non quadrare, sed (instar suavissimi lactis) liquare sermones adhuc teneris faucibus.*

Istud enimvero aliquando erubuit, & in se gravissime reprehendit, divinissimus ille Ecclesiastes *b* S. Vincentius Ferrariensis, cui non erat propositum blandis verborum lenociniis aures mulcere, sed adamantina corda liquare, divinique amoris facibus inflammare; cumq; ad cœlestem viri facundiam sese urbes effunderent, eumque potentissimus quidam Princeps sancto quodam stupore, defixus auscultasset, Vincentium ad se suosque Aulicos verba facere, perhumaniter in aulam invitavit: cujus auribus, dum vir sanctus operosè se comparasset, ut dignum quid afferret, sublimes ac exquisitos conceptus excogitasset, multumque studii in reconditis Doctorum voluminibus volvendis collocasset, parum in dicendo, Serenissimo placuit, *minuitque præsentia famam*; familiariter autem rogatus, ut quid tam frigidè dixisset, cujus oratio pridem instar faculæ exarserat? ingenuo rubore suffusus, respondit: *Hodie prædicavit frater Vincentius, heri concionatus est crucifixus, sed Spiritus Sanctus.*

Simile quid nobis agendum est, ut monet *c* Rupertus, tamquam si hic idem optimus informator dicat nobis: cum autem acceditis ad tractandum verbum Dei, tunc nolite præcogitare, qualiter verbor[um] phaleris, sacræ scripturæ sensum exornetis; sed ut pius ac prudens Auditor, verè sentire & affirmare queat: *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri*: Spiritus veritatis & charitatis; Spiritus simplicitatis & humilitatis; cum interim in multis loquatur, & agnoscatur Spiritus vanitatis, Spiritus falsitatis. *d* S. Hier. in c. 3. Ionæ: adducit illud Apost. 1. Cor. 1. *Perdam sapientiam sapientum. ex quo* inquit, *perspicuum est, prædicationem Christi, Reges mundi audire novissimas, & deposito fulgore eloquentiæ, & ornamentis ac decore verborum, totas se simplicitati & rusticitati tradere.*

Tum in exemplum adducit virum, omnium scientiarum politura eximium: *Proponamus nobis beatum Cyprianum, qui prius Idololatriæ assertor fuit, & in tantam gloriam venit Eloquentiæ, ut Oratoriam quoque doceret Carthagine, audisse tandem sermonem Ionæ, & ad pœnitentiam conversum, ut Chri-*

a Hugo Car in 1. Cor. 3. 7.
b Rabadin, in vita 5. Aprilis.
c Rupert. in Matt. c. 10. v. 19. d Hier. in c. 3 Ionæ.

Christum publicè prædicaret, & pro illo cervicem gladio flecteret.

Atque *a* hæc hactenus de vero & sincero rectæ doctrinæ, & inaffectatæ eloquentiæ lacte, quo indies filii Ecclesiæ lactantur, & nutriuntur. Nunc pauca in cautelam subnecto, ut à lacte viperino; ab uberibus, & mammis quas nudaverunt laniæ caveamus.

§. 3.

b *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.*

IMpius ac infaustus ille Dux Chananæus Sisara, haustu lactis sibi à *c* Iahele propinato, lethali somno consopitus, & clavo trabali per tempora adacto, *soporem mortis consocians defecit, & mortuus est.* Hoc lethargici, ac lethalis lactis poculum indies ab Heterodoxis Doctoribus propinatur, qui nihil aliud suis, quam suave & candidum scripturæ lac instillat, & suaviter in somnum, eumque ferreum inducunt, atque ut cum Alberto, Sanctimoniâ & Doctrinâ Magno loquar: d *Dant eis bibere lac, & sic ipsos dormientes clavo, perpetuæ mortis perforant, & occidunt.* Facit huc quod iis accidit, qui alio palabundi digressi, cymbiam lactis in antro reliquerant, ad quam vipera adrepens, largiter ex ea bibens, venenum refudit; hi reversi liberalius hoc mortis poculo potitantes, sitim & vitam exstinxerunt. Ejusmodi suis lac viperinum illæ Laniæ propinant, de quibus *e* summus ille Ecclesiæ Pastor & Doctor: *Illo namque tempore cum Sancta Ecclesia adversitate premitur, pravis quibusque Prædicatoribus licentia locutionis datur; quod longe ante Ieremias f intuens ait: Sed & lania nudaverunt mammam,* LACTAVERUNT *catulos suos; quid namque lanias nisi hæreticos appellat? humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestantes: qui tum mammam nudant, cum errorem liberè prædicant; catulos* LACTANT, *quia male sequaces parvulorum animos, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.*

Sed de his, apud vos satis, uberius iis qui inter Heterodoxos versantur inculcanda, illudque Doctoris mellei cum felle & aculeo ingerendum: g *quærant sibi jam in parvulis Babylonis dulces & truces matres, quibus* LAC MORTIS *emulgeant, quos blandis mulceant favoribus, ac flammis nutriant sempiternis;* hæc, inquam, satis, ut à venenatis istis uberibus ablactari queant. Nos prudens illud Salomonis monitum: h *Fili mi, si te* LACTAVERINT *peccatores, ne acquiescas eis*, ad mores nostros propius, nec minus propriè accommodemus. V. Beda sic exponit: LACTANT *peccatores eos, quos decipiunt, quia ad facienda scelera, blandientes alliciant:* at-

a V. de hac incepta concionatoris dicendi consuetudide Velasquez in Philipp. cap. 3. v. 11. ad not. 4. 5. b Prov. 1. v. 10. c Iudicum 4. v. 19. d Albert. M. serm. de S. Nicolao. Metaphr. 28. Sept. in vita Chariton.

e Greg. l. 19. moral. cap. 11. in fine. f Ierem. Thren. 4. c. v. 3. g Bernard. epist. 78. ad Fulgerium Abbat. h Prov. 1.

que

que intimis venis ac visceribus venena diffundunt. *a* Super eadem verba Hugo Cardinalis : *fili mi, si te* LACTAVERINT *peccatores* : sic in rem nostram aptissimè disserit : *patet quod hoc dehortatatura consortio malorum, quia sunt* NUTRICES DIABOLI, *laniæ infernales.* Nolim hic in medium adferre, qui à lupa non Physicè, sed moraliter lactati sunt. Nolim exaggerare quam omni lupa, perversi socii nequiores sint, & jure *nutrices Diaboli* nuncupentur : *b* qui ut Bernardi verbis utar, *Lac* quidem *suave, sed venenosum, & mortiferum* propinant, dum innocentes parvulos, in omne flagitium, & in mortem illis, ac suis omnibus luctuosissimum inducunt. Quod historiâ *c* maxime tragicâ, atque antehac inauditâ edisseram. Civitatem, familiam, nomina, Auctor consulto premit, ut famæ consulatur.

In urbe Belgii celeberrimâ, vir Religiosus sub quartam matutinam evocatur ad carcerem, ut adolescenti 24. annorum, capitis condemnato adsit, atque ad extremam luctam disponat; cum derepentè ad primum sacerdotis conspectum, reus vehementissimè commoveri, ita animo perturbari cœpit, ut multo tempore ne verbum proloqui valeret, exinde in miserandos questus, & furibundos planctus prorupit. Sacerdos interim quidquid ad solandum, ad animandum, ad mortis metum discutiendum facere posset, potenter quidem ingerebat, sed mentem jam sua velut sede motam, componere nequibat; dum tandem validissimum arietem hisce verbis admovit : Amice mi, alea jacta est, moriendum tibi est : ut quid omnes lachrymæ, & lamenta? hæc nec remoram injicere, nec mortis sententiam sufflaminare queunt; quare cum de vita corporis actum sit, serio cogitandum, ut illam animæ serves. His velut fulmine ictus, oculis semper irretortis sacerdotem intuitus, suspiria abrumpens profatur : „Ah mi Pater, non „est mortis pavor qui spiritum „inquietet, acquiesco libens „sententiæ, ob enormia mea „scelera prolatæ, libens vitam „Deo meo consecro, & citra „animi sensum in infami trun„co corruptibile hoc corpus „exuam, corvis pabulum, omni juventæ spectaculum futurus; nil eorum quæ hac fatali luce obventura, perturbant; sed! sed! nec plura locutus, exanimis concidit. Quid hic expectatis Auditores? sustollitur, fovetur, ac sibi redditur : at ille ad amarissimos questus & altiora suspiria redit, turbamque affusam circumspectans, petiit locum ab arbitris secretum, ubi solus soli arcanum illud, quod corde premebat, eloqui posset. Quamprimum sese ambo, alio receperant, adolescens in collum Patris involat, arctissime stringit, humillime manus exosculatur, inque genua provolutus, exclamat : heu mi Pater! nonne me nosti? non in-

a Hugo Card. in Prov. cap. 1. v. 10.
b Bernard. cit. c P. Suestius l'escole dela Ieunesse. c. 4. sect 3. pag 178.

inquit alter, nonne tu illa in urbe, talem à tot annis claſſem docuiſti? illos & illos (quemque ſuo nomine compellando) è diſcipulis primos numeraſti: hæret ad hæc attonitus ſacerdos; in notitiam tamen devenire non poterat, donec nomine illius exaudito, ſe capere nequivit: jamque alter alterum complecti, in uberrimas lachrymas prorumpere, ac voce interclusâ, bene diu ſtatuarum inſtar, conſiſtere. Præceptor in animum inducere non valebat, juvenem capillitio ferum in morem promiſſo, vultu lurido, habitu inculto & horrido, barbaris latrociniis notato, crudeliſſimo mortis genere condemnato, filium eſſe unicum florentiſſimæ ac locupletiſſimæ familiæ, atque adeo quindecim millium florenorum quotannis hæredem exiſtere illum eſſe, cui parentes integerrimi, cum lacte nutricis omnem pietatem inſtillarant, quemq; in ſcholis ob ingenii præſtantiam, candidiſſimos mores, & vitæ probitatem, omnes ſuſpexerant (a *puer ſiquidem erat ingenioſus & nactus animam bonam*) eo tandem deveniſſe, ut magiſter diſcipulo, tam triſte miniſterium exhibere cogeretur! ad quod omnium flagitiorum præcipitium, ſenſim devolutus, dum perverſis ſociis conſueſcere cœpit, qui NUTRICES DIABOLI, licentiam omnem, luxum & libidinem ſuadebant: b *Lac quidem juventuti ſuave, ſed venenoſum propinabunt*, atque hiſce ducibus; domo, & patria profugus, vitam omnibus flagitiis, ac latrociniis infamem ducens, ad hanc tragicam Cataſtrophen devenit; ſalubri juvenibus exemplo relicto, ſi & illos *lactaverint peccatores*, id eſt Bernardo teſte, c *pravi ſocii*, & hic acerbiſſimis ſuppliciis, ac *flammis* plerumque tales *nutriunt ſempiternis*.

Ergo ne in negotio æternitatis, momentum diffluerent, reum hortatus eſt, ut omnem cogitationem familiæ, parentum, ac fortunarum deponeret, totumque ſe diſcutiendis ante actæ vitæ noxis daret; quas quo liberius, & minori cum rubore panderet, ſe ſubducere ſtatuit, aliumque cui ſacra exhomologeſi, intimas animi latebras exponat, ſubmittere decrevit. Ad hæc ille quaſi è veterno excitus, diſertiſſime perorare, ne ſe in hoc extremo vitæ, mortiſque confinio diſtitueret: quæque ſine fronte, ſine verecundia in benigniſſimum Redemptorem flagitia admiſerat, ſe nemini niſi ipſi, ſuo quondam reverendo magiſtro, quovis etiam cum rubore aperire velle: cujus pedibus affuſus, cum per omnia ſacra obteſtabatur, ne miſerum peccatorem, ad æternitatem properantem deſereret. Quod ut ei fideliter condixit, conſedere juſſit, & paucis, confeſſionis generalis methodum expoſuit, eique tempus vitæ acta recogitandi indulgens, ſe domum recepit, omnium Religioſorum precibus impensè eum commendans, aliaſque ab aliis pietati deditis, pro reo preces efflagitavit. Interea

a Sap. 8. v. 19. b Hugo cit. Bern. ep. 1. ad Sugger. Abbat.

c Bern. cit.

terem ipse sacris operatur; inde flagello in se dirè sævit, ac rudi cilicio præcinctus, ad custodiam revisit: jamque hominem comperit spiritu pacato, vultu sereno, & libertate Christiana animatum ad omnes animi noxas Sacramentali confessione expiandum, quod adeò tenero in Deum amore factitabat, ut mille mortes obire percuperet, quibus Deum, optimum Redemptorem suum propitiaretur; hinc maximè cautum volebat, neque, cujusque conditionis esset, sacerdos magistratui patefaceret, aut de se liberando, aut mitiori mortis genere impetrando cogitaret. Nihil jam nisi de Deo, de divinis, loquebatur: totus ad tormenta, quantumvis atrociora subeunda exardescebat. Monitus ab urbis Syndico, horam adesse: eamus inquit, Domine eamus, moriamur pro Deo, satisfaciamus pro delictis: totum me justitiæ debeo, eique volo in omnibus obtemperare. Rogatus num quid ad refocillandum expeteret? reposuit: tempus vitæ meæ breve est, æternitas finem non habet: O si æternitate pœnarum, tempus vitæ pessime actæ redimere liceret! vix dum hæc absolverat, dum fores pulsantur, carnifex subingreditur; de more, à reo veniam deposcit, se solem, officii sui partes exsequi dictitans. Jesu mi Jesu! quid est hoc? inconditè vociferatur reus, & confestim voce ac sensibus destitutus, inter sacerdotis brachia corruit. Continuo advolant, qui variis adminiculis ac fomentis vires restaurent.

Demum voce languida, corde pavido, oculo commiseratione pleno, carnificem hunc justitiæ administrum, fixe intuitus, eum singulturiens percunctatur: non nosti tu me? & tu mi pater, non nosti illum? negat uterque alterutrum se nosse. O confusionem! horribilius quam unquam alias exclamat ille, ô confusionem! ô Deus! quam mirabilia judicia tua Domine! ô eventus, a qui ab orbe condito, maximè tragicosè! animosè fili mi, inquit confessarius, jam pridem lætus ac libens ad mortem properabas, unde ea repentina formido, & perturbatio? Ah ait juvenis, sortem utriusque vestrum lugendam! ecce inquit mi pater, hic alter tuus quondam discipulus: hic meus in eodem gymnasio consodalis: tu utrorumque nostrum Præceptor exstitisti. Quem hic è tribus, auditores, magis attonitum stetisse existimatis? carnifex ex eo, quem de prima sua ætate, texebat discursu, ut plenè in notitiam ejus devenit, eò se adductum videt, ut condiscipulum per durissima supplicia, in fatalem rotam agat. Erat is quidem inferioris altero conditionis, sic tamen, ut annuos census, duodecim millium florenorum numerare potuisset, ingenio æque ac alter prompto, corporis ac animi dotibus, Magistro pariter in deliciis, fuerat; verum & ille fassus est, à teneris se, virginis matris uberibus, filiali affectu adhæsisse, pietatis lac inde duxisse; at ubi moderatorum disciplinæ, parentum tutelæ, proborum contubernio se subduxisset, atque noctes

noctes & dies potando, pergræcando, grassando transegisset, militiæ tandem adscriptum, in omnem malitiam præcipitem expertum esse, perversa societate, *lac quidem suave, sed venenosum propinari*, ut exitus funestus, satis superque docuit; comprehensus etenim, in vincula conjectus est; sed cum lictor desideraretur, pudet, inquit, proloqui, ut vitam servarem, me ad id tam fœdum ac ferale munus obtuli, in quo ut hactenus vitam, omni morte acerbiorem duxerim, nunc tamen vel hoc solo maxime exsecrandam, quod ad hunc actum ultimum reservatus sim confertâ infinitæ prope per omne forum multitudine ij de magistratu ignari quid ageretur, moram indignati, jam quippe duæ supra consuetum tempus horæ effluxerant) accelerare jubent.

Quare reus in carnificis amplexus irruens: agedum inquit, tu me momento unico, beatæ æternitati asserere potes, nulli unquam mortalium, amoris pignus gratius contuleris: vince teipsum, & extremam hanc operam mihi, ac justitiæ impende. Cumque urbis Syndicus urgeret, ducitur.

At quis, non dico enarrare, sed mente complecti valet, qui motus animorum exorti sint, ubi hi tres, in scalis constitere, atque ultimum illud vale, alter alteri impertiretur, & in conspectu utriusque, nobilis hic adolescens, ex infami patibulo triste funus pependit: tum sacerdos ad senatores, omni populo audiente, mysterium omne, & fontem & carnificem conjunctissimos olim sodales, ambos suos discipulos exstitisse, palam exposuit; multis stupore defixis, aliis in commiserationis lachrymas profusis, omnibus salubre juvenibus spectaculum suis inculcantibus, ut prava consortia devitent, eorumque consuetudinem, qui lacte viperino socios lactant, cane pejus & angue aversentur: a *quia sunt nutrices Diaboli, Laniæ infernales.*

Quanto suavius, quanto tutius, castissimis Virginis Catharinæ uberibus inhærere, atque inde saluberrimum omnis pietatis, honestatis, virtutis, salutis denique lac haurire! eam etenim cælesti suo Sponso gratiam consecuta est, ut quisquis filiali amore in omni tum corporis tum animi discrimine, ejus implorarit patrocinium, maternum experiatur affectum, consequatur auxilium, ut D. Antoninus divino comprobatum scribit oraculo, qui sic Catharinam sacræ eloquentiæ Præsidem apud Iesum, dilectum suum perorantem inducit: b *O spes, & decus credentium! ô gloria, & decus Virginum, Iesu Rex bone! obsecro te, ut quicumque Passionis meæ memoriam fecerit, & sive in exitu animæ, sive in quacumque tribulatione me invocaverit, propitiationis tuæ consequatur effectum.*

Exauditam fuisse, & vocem gratam cælestis Sponsi, insonuisse auribus Virginis, ex eo liquet, quod subjungit: *& vox de cælo facta est: Veni dilecta mea;*

a Hugo Card. in Prov. cap. 1 vers. 10. b S. Antonin part. 1, tit. 8 c. 1 § 38. Granatens. tom. 3. de perfectione amoris Dei: c. 29.

ecce

ecce janua cæli tibi aperta est. Insuper & iis qui Passionis tuæ memoriam fecerint, auxilium de cælo promitto.

Quod in re maxime desperatâ, tragica & prope inaudita, manifestum omnibus reddam historia.

a Qui Britanniæ majoris, ejusque gentis res memorabiles commentati sunt, ii cum alia præclarè, tum istud non in postremis exstare ad posteros documentum voluerunt, quo memorant juvenem extitisse, gente Britannum, ac genere quidem veterisque familiæ opibus insignem, (quippe terræ non modicæ Toparcham) virtute tamen, atque animi decore insigniorem. Sed fulgebat in eo, longéque superabat, præcipuus quidam adversus cælites amor, quos universos cultu assiduo piè sanctèque, sed in iis Catharinam sensu quodam teneriori sic reverebatur, ut ei non modo studia sua, sed curas æque omnes, & secunda adversaque cum primis commendaret; quam in rem haud intermisit, ad ejus Virginis ædiculam palatio propè contiguam, sæpenumero, atque adeò quotidie provisere; ubi pias illi preces castus adolescens clam cæteris conciperet, & in ejus tutelam acceptus, à vitiis, Orcique insidiis procul ætatem agitaret: neque nullum hujus operæ pretium fecisse se, aliquanto post comperit.

Nam forte evenerat, ut sub diei nascentis crepusculum, recepto mane ad patronæ sacrarium solus inviseret, facturus inibi quod quotidie consuerat. Tum ei cælum, quas etiam non consuerat, insperato spectaculo delicias offerebat. Nondum is ad templi limen pervenerat, cum è vestibulo, tres videt virgines procedere, gressuque modesto sibi recta obviam venire. Tertius occursu non exspectato, quid ageretur, ambigebat; & vigilare tamen se certe, nec à somnio deceptum, ejusmodi nymphas intueri, cogitabat. Sumit animum proinde, fixisque oculis omnem earum vestem considerat: videt gemmeum & inenarrabile textum esse: manus aspicit, videt Parium marmor, & Lybicum ebur esse: os oculosque spectat, credit tres è cælo lunas esse, aut æmulas astri majoris Heroinas. Quare nihil jam mortale suspicatus, oculos, quos audentius modo sustulerat, humi rursus dejicere, & plenus formidinis, ostentum incipit, ne præstigiis luderetur, animo versare: dum Virgo demum, quæ trium proxima aberat, exigere sese juvenem, sibique consultare jubet; quippe ludibrii, quod vane metueret, immunem. Neque enim ut oculis tuis imponeremus, huc, inquit, venimus; sed precum tuarum, votorumque officia è cælo nos devocant; ut quem absentes, sæpe audivimus, ab eo conspici quoque, & audiri nos aliquando velle demonstremus. Vocem elicere vel à muto potuisset tam liberalis invitatio: atqui adolescentem, è diserto nuper & eloquente, hebetem prope reddidit & elinguem. Quid igitur (malum!) insciens hic expavescis? non tu morta-

a Bidermanni, delicia sacra, lib. 3.

mortales oculos hoc cælesti spectaculo pascere? non aures his adeo suadelis aperire? nec mutua festinas huic Virginum choro verba reddere? alibi in mirum Sirenas, & illices Veneris ministras extimesce. nam ubi suas cælum Nymphas ostentat lenocinari forma, & insidiari non potest.

Adde, quod inter has tua illa est Catharina, quam absentem toties tu vocare in vota solitaras: quid præsentem ergo nunc formidas? cur appellantem & invitantem, ingrate, non resalutas? jubet hæc, ecce Gratiarum Trias, unam te sibi, quam velis deposcere: jubet unam, non expugnando pudori, sed conservandæ integritati, Sponsam optare: at in optione tam liberali tu dubius adhuc, & intricatus hæres? Attolle sis vultum, & immortalia non animo solum contemplare, sed oculis etiam sensibusque usurpa. Paruit, etsi timidè, modestus adolescens, & in certamen difficillimum ingressus, cum huc oculos, huc animum diu intendisset, atque iterum illuc atque illuc reflexus, visum per omnia solerti examine duxisset, sensit in ambiguâ lite, nihil se demum proficere: nam, etsi jam audierat, Charitum illarum unam esse Catharinam, quam præ aliis unam utique ciens eligeret, ea tamen ipsa quænam potissimum in tribus esset secum disputabat. Ideo dum anxiè & nequicquam consultat; duæ sorores, errantem denique & hæsitantem feliciter absolvunt, digitoque indice, quem in tertiam mediamque intenderant, quid sui judicii sit, ostendunt. Et erat ea sanè Catharina, ut loco media, sic dignitate formaque inter cæteras prima.

Quare continuo & adolescens, jam bonus arbiter, in ejusce fidem concessurum sese dicere: & quamquam duas non repudiaret, tertiam tamen cæteris sic anteferre, ut alumnum ejus victurum se, moriturumque palam profiteretur. Catharina nihilo erga clientem suum parcior, sertum ei quam primum in caput imponit: sed quale sertum, Deus bone! qua illud florum gratiâ contextum? qua colorum odorumque illecebrâ temperatum? quibus unionibus gemmisque distinctum? sertum vere non ab Alcinoi cantatis rosariis, aut fabuloso Hesperidum nemore, neque ex Hyblæis violariis petitum, sed inde feliciter lectum, ubi vere perpetuo cælestia prata pubescere, violæque rosæque immortales à nullo sibi senio, nullaque hyemis pruina possunt timere.

Igitur hoc cælesti pignore obligatum adolescentem, jubet generose pergere Catharina; fidemque datam æterna constantia colere, quæque pactus esset, meminisse. Simul ex oculis illa Charitum Trias discedit; at juveni, tam talibus Hymenæis initiato, mortalia confestim omnia vilescere, sordere terra, cælum, præquam alias placere, illuc oculi, illuc gemitus & desideria unice omnia spectare: ut ipse sibi ne posse quidem jam aliud, quam odio æterno humana fastidire, dataque in fide

ſe perſeverare, videretur.

Videretur inquam: ne enim re etiam ipſa perſeveraret, id heu! paulo poſt, ſive parentum imperia, ſive propinquorum blanditiæ, ſive rerum fallacium inſidiæ perpulere. quippe non diu eſt factum, ut adoleſcens & Feiti accepti, & fidei pactæ oblitus, inciperet degener, & nefcio quo Sirenum cantu deceptus, à Catharina ſua per infame repudium divertere, atque ad alios amores infelix transfuga abire.

Virginem enim & genere ſibi & opibus non imparem, (erubeſco dicere) deperiit, ſponſam expetiit, nuptias fecit, domum deduxit: itane vero? tu nuptias has innuptas adoleſcens temerarie, non cogitare ſolum, ſed etiam contrahere? tu inauſpicatos tibi thalamos parare? tu funeſtum potes jubere Thalaſſionem cantari? hæc ſcilicet prima fidei tuæ, conſtantiæque documenta ſtatuis? hæc fœderis jurati ſymbola relinquis? & quo hinc ore Catharinam tu conanus appellare? quibus illam, ſi quondam occurrat, oculis intueri? qua manu ferrum illud tu audebis impudens contrectare? nimirum quoties horum tibi quidquam in mentem veniet, toties ipſe te ingratum clientem, perfidum alumnum, pudendum & abdicandum hæredem, cum ebulliente gemitu, clamitabis. Sed finge jam illam tibi Virginem, duabus iterum ſororibus comitatam,occurrere, non tu illam, ſi colloqui tamen vellet, hoc tibi dicturam arbitraris: Ego te, deſertor ingrate, jam inde à puero in tutelam meam, dignata accepi, ego favore meo præſidioque, dum licuit, ſemper adjuvi, ego te pignore demum cæleſti, mihi devinxi; ac porro ne quid violentum metueres, opem tibi omnem liberaliter promiſi; audes tu tamen (ô rerum & fortunarum oblite tuarum!) audes à me divortium inconſulto facere? audes tuam cliens tutelam repudiare? teque mortalibus nuptiis (ô dedecus!) immemor jungere?hæc,inquam, ſi pauca tecum, ſed offenſa irataque loqueretur, quid ageres deprehenſus? quo te abderes fugitivus, & occultares? Verum interea loci, vos cætera, quæ ad rem faciunt, cognoſcite; nuptiis inter duos, jure quo placuit, celebratis. aliquamdiu feſta quædam, etiam in eo ſtatu, felicitas tenuit; ſed enim quæ fortuna ſperabatur perpetua, ea repente ad ingenium rediit, novoſque conjuges malis erroribus miſere confudit. Siquidem adoleſcens in ipſo etiam Catharinæ repudio, ſalutandæ ejus conſuetudinem ita retinebat, ut quotidie ſimul ac primo diluculo ſurrexerat, è palatio ad ejus ædiculam incomitatus decurreret, & officio, quod ſolebat, peracto, identidem in palatium regrederetur. Quæ hominis conſuetudo, paullatim conjugem impulit, ut maritum alienis amoribus operari, male credula, cogitaret; ex quo principio ſenſim omnis illorum fortuna in pejus ruere, retroque relapſa referri: nam uxor malis uſa conſiliis,ſibi peſſimi facinoris fit auctor, dum pediſſequam clanculo ſubornat,inque

que inſcium virum ſic armat, ut dato negotio ex inſidiis obſervet, quaſnam ille res quo die agat, quo loci matutinus erumpat aſſidue; & ecqua cum altera, (nam huc ſuſpicio ferebat) occulte conſueſcat.

Ancilla, in cladem familiæ, præ ut debuerat, officioſa, negotio accepto, Dominum oculis excubantibus ſervat, ac velut è ſpecula, cum eum, pro more, ad Catharinæ ſacellum itare, preceſque ibi prolixas concipere deprehendiſſet, idque iterum iterumque facere conſtanter vidiſſet, læta quid ageretur, heræ ſuæ renuntiat: Maritum ad Catharinam, quæ in vicinia viſeretur, excurrere, ibique diu & perfamiliariter hærere; plura neſciri. Vxor vel nominis errore decepta, vel, quod mentem offuſa nebula infuſcabat, cœpit, cum neſcio qua Catharina rem ipſi eſſe credere, quam ſibi utique ſuæque formæ anteferret, & quoniam

> *Nulla vis flammæ tumidique venti*
> *Tanta, nec teli metuenda torti,*
> *Quanta cum conjux viduata tædis*
> *ardet, & odit,*

ideo furoris amentiæque plena ad facinoris, quod putabat, ultionem temerè ſtolidéque decurrit; atque ut conjugis probrum atrociſſimè plectat, in ſeipſam vindicare fœmina præceps conſtituit.

Verum hoc ſecum illa moliente, adoleſcens jam perſolutis precibus, redit; turbarum, quas uxor parturiret, planè ignarus. Illi alia omnia cogitanti, ocurrit in limine mulier ferox, & Catharinam illi ſuam, amarum renidens, exprobrat; iret is proinde ſeque ejus aſpectu colloquioque clam ſatiaret.

Adoleſcens ne dum quidem, quid uxor excanduiſſet, ſuſpicatus, ſed cultum ſibi Catharinæ adhuc in ludo objectari ratus, ultro & ſubridens omnia confirmat: Catharinam multis illi partibus & dignitate & forma præſtare. Quod hominis dictum mulier ad ſuam pertinere contumeliam interpretans, proximum habuit ab irâ vindictam petere. Ita in ore oculiſque viri telum, quod ſinu educit, ſibique funeſta manu pectus haurit: & præcordiis (quis in imbelli ſexu credat?) tranſverberatis, in mortuam ante pedes procumbit. Hic verò non attinet ſupervacua narratione, quæ circumſtantium facies, quæ familiæ trepidatio, quis omnium luctus, in ſpectaculo funeſto extiterit, memorare.

> *——— it undique clamor ad aſtra*
> *lamentis, gemituque, & femineo ululatu*
> *tecta ſonant.*

Quodque aliud fieri in re tragica ſolet, nihil prætermittitur. Et juvenis præſertim infelix, tum demum ſui memor malis auſpicibus egiſſe ſe, quod egerat, vociferatur: merito ſuo ſic plecti ſeſe, qui Catharina res ſibi ſuas habere juſſa, cum peregrinis amo-

amoribus perfide consuesset. Nimirum hæ meæ sunt, quas novis mihi nuptiis quæsieram voluptates? hic amorum mortalium præmia? hic ex injuria mea proventus? ite nunc æquales, atque ut humani vobis solatii heminam unciamve comparetis; cæci exemplo meo divina abdicate, cælestia projicite, immortalia repudiate, habent cælites repudiati, habent quo sui contemptum quondam ulciscantur. Hæc turbide satis confuséque lamentatus, proponit ad suum asylum trepide recurrere, & tutelæ suæ sacrarum denuo lachrymis, denuo precibus questibque implere: Certus sufficere Catharinam & dubitanti consilium, & indigenti auxilium posse: dummodo immemor injuriæ prioris, veterem clientem agnoscere postliminio velit. Hæc, inquam, & quæ alia tempus monuerat, cum calido fletu, perorat.

Jam lamentando fessus adolescens, & adhuc, quid in re conclamata consilii caperet, anceps; videt nova luce circum omnia collustrari: & Catharinam (ah quanto jam tempore oculis subductam!) insperatò propter consistere: nec videt solum; sed eandem & alloquentem audit, & audit consolantem; quodque gratius acciderat, audit ignoscentem. O faciles cælitum mentes, & ad veniam dandam afferendamque pronas! deseruntur ipsi, nec deserunt: repudiantur à nobis, nec discedunt: contemnuntur imo etiam, & adhuc diligunt, itáq; diligũt, ut injurias novis identidẽ beneficiis ulciscuntur. O modum ulciscendi admirabilem: terrisque nostris & moribus infrequentem! hujus tu documentum ac specimen adolescens, si usquam aliud; in hac certe Virgine jam habes: adest enim patrona, quod vides, vix etiamnum implorata; adest, quam inconsulto reliqueras, & adest, non ut nuptam sibi tuam rivalis exstinguat, sed ut exstinctam peremptamque propitia reducat, & sane vivam illa incolumemque tibi reduxit.

Nam, ut è conspectu adolescentis Catharina discessit, ipseque animi plenus ædes paternas repetiit, in ipso domus vestibulo conjugem, quam ibi jugulatam paulo ante reliquerat, ingenti miraculo redivivam, ultroque obviam videt. Quis illic duorum, ex improvisa re, gaudium explicet? clamor utrimque, & festus gratulantium plausus occupant: alter alteri, quæ tulerint, viderint, audierint, enarrare: ille se Virginem cælestem suis iterum oculis conspexisse; iterum Catharinam se suam, iterum patronam exorasse: illa itidem se eam & sospitatricem habuisse, & in eadem, ne præceps ad supplicia raperetur, patrocinium, utq; in vitam reverteretur, viam methodumque invenisse. Rursus ille alia, atque illa rursus alia, aliaque in Catharinæ laudes: quæ quisque potuit, dicere: & in eo se uterque exercere, uter utri palmam in prædicando communi beneficio extorqueret; sed mulier præsertim, quæ prius ad Catharinæ nomen

impotentius exarserat, jam effusior ultro cupere, suaque sponte maritum adhortari, iret omnino suam tutelam noctes diesque venerari: & Catharinam sibi suisque amoribus præterre libere pergeret: nulla se alia laude magis, quam hoc sui contemptu, posthac gavisuram. Atque ô plane dignam his amoribus obsequiisque Catharinam! Non committemus hodie, Auditores, ut vel nos cum hoc adolescente arguamur, hanc morum studiorumque præsidem turpiter deseruisse, vel eam ille dicatur sine nobis, tam piè religiosèque coluisse: habemus enim in Catharina, sive vindicem, si mali, pravique, si virtutis deserto-res, si propositi honesti imme-mores vixerimus: sive Præsi-dem, si boni, si cælestium rerum studiosi, sedulique ejus cultore[s] fuerimus: id nobis persuasum habentes, opem eam non un[i] huic adolescentulo tulisse, se[d] nobis etiam universis, promisis-se, atque etiamnum miseriis nostris misereri, ac vulneribu[s] mederi velle, argumento est quod è tumulo hodie quoqu[e] Catharina oleum terris dividit ut quod de sua Pallade finxi[t] Antiquitas, de nostra sine men-dacio possimus affirmare.

F E

FESTUM S. XAVERII INDIARUM APOSTOLI.

Quod celebratur 3ª Decemb.

Nunquam dicit : Sufficit. Proverb. 30.



Orbis non sufficit unus. Iuvenal. Sat. 10.

ARGUMENTUM.

HUmanus animus, capacitatis quam inexplebilis sit, divitiarum avari, honorum cupidi, voluptatum sitibundi, satis testantur. E quorum classe Magnus

ille Macedonum, Rex Alexandri, orbis domitor, alterum sibi orbem non superesse, amaris simis lachrimis querebatur.

Altera longe ardentior animarum sitis, divini honoris Zelus, virtutum ardor, Xaverium exagitavit: cui *unus non sufficit orbis*. Amplius, & Amplius difficultatis, laboris, sudoris, doloris, persecutionis sitis illum urgebat: atque illud *plus ultra* semper spectabat.

Perrexit in Goam, irruit in Malacam, in Coccicinum, in Ternatem, in Armusiam illapsus est. Nec hic stetit, *plus ultra* contendit. Adiit Comoricenses, oræ Biscatiæ, ac Travancoridis Incolas visit: Manarios, Iaphanapatanios, Macazarios, Ceilanos, Amboinos, Molucenses, Malabaros, Basainos, Paravas, Ternatinos, Melindeos, alisoque populos prope infinitos, eorumque Sacerdotes, ac Reges lustravit.

Sed & *plus ultra* ejus ardor se extendit, *plus ultra* ejus charitas se dilatavit; nihil se egisse ratus, nisi Iaponiam, ultimam Orientis Regionem, atque ipsos Borgios, hominum genus callidum, & fraudulentum, palam convictos Christo peperisset.

Post hæc a denique, *quasi in primordio operum consistens*, & nihil egisset, insatiabili exæstuans cupiditate, vastissimo Sinarum Regno inhiabat: cujus finibus dum arcetur flammis amoris, in ipso regni portu extinctus est.

In quo viro amabilis Dei providentia hoc spectasse videtur, ut quo ille amplius laboris, sudoris, molestiarum, periculorum expeteret, hoc amplioribus cœli deliciis, & animi voluptatibus eum perfunderet, adeò ut in has voces prorumperet: *Satis est Domine, satis est.*

a Nicol. Zambecc.

§. I. *Vnus non sufficit orbis.* Iuvenal. Sat. 10.

§. II. *Satis est Domine, satis est.*

FESTUM

FESTUM
S. FRANCISCI XAVERII
INDIARUM APOSTOLI.

Ignis numquam dicit: Sufficit. Prov. 30.

Fortissimum, eumq; fortunatissimum Imperatorem *a* Timotheum ferunt ingenioso olim virtutis encomio pingi solitum, non toto corpore cataphractum in acie dimicantem, non ferro ac face fulgurantem, non de prostratis hostium cadaveribus, ac devictis regnis, sublimi curru triumphantem; sed inermem, stertentem, altum dormientem, dextra è strato propendente retia tenentem, quibus ferocissimos hostes illaqueare; arces, urbes, regiones, regna capere, & in sui potestatem redigere, alto etiam sopore pressus videbatur. Arguto & acuto hoc lemmate subjecto: *Si tanta vel dormiens conficio, quid excitatum me facturum putatis?*

Fuerit hæc non minus ficta, quam picta putidi parasyti assentatio; at quam vobis hodierna die, vivam dormientis effigiem proponam, erit vera, incomparabilis viri, ac invictissimi Herois commendatio, atque ad omnem virtutem efficax cohortatio.

Magnus ille Indiarum Apostolus Xaverius, & novi orbis domitor, jam Stygi bellum indixerat, jam Tartareos phalanges in se toto impetu concitarat, jam Idolorum monstra evertere, gentes feritate barbaras, cultu horridas, moribus belluinas summo Imperatori Christo, cui militabat, subjicere aggrediebatur: dum tironem nostrum hæc magna & excelsa spirantem, jamque Deo auspice, spe devorantem, Tartarei hostes collatis signis aggredi armatum, & in acie stantem reformidant; verum de viâ fessum, & laboribus fractum, integrę Cacodæmonum legiones, inermem, jacentem, dormientẽ, lacessere, & quietem hominis interturbare insolentius ausæ sunt; Franciscus ad hos inopinatos insultus, etiam corpore, cæterisque sensibus consopitis, animo excubat, corde vigilat, mente dimicat, atque omnes facultates suas, velut auxiliares copias advocat gloriosamque devictis hostibus licet non sine sanguine, victoriam reportat. In quo conflictu quiddam, quod ego dignum observatu, tam utile vos memoratu, imitatuque comperietis.

Aio itaque ex hoc somnio confirmatam divini viri, roboratam-

a Plutarch, in apophtheg.

ratamque consuetudinem, nos divinare posse, qui se per omnem prorsus vitam adversus immanes hos Orci tenebriones, vigilans sollicitè, cautèque semper muniverat. Hic illis usus exemplis assiduis, quasi velitationibus auctus, in naturam denique vertit: ut quod interdiu semper fecerat, simulatque obscœnæ hæ furiæ, velut agmine facto insultarent, idipsum deinde etiam noctu, cum maximè dormiebat, velut utri quodam bellico constanter retineret. *Si tanta vel dormiens conficiat, quid excitatum, hunc facturum putatis?* Quod facturum hunc pugilem existimatis, si vigilanti tam infamis ex Erebo se se exercitus objecisset? Illasne belluas oberrare impune, & vel ad horæ momentum consistere pateretur? superi boni! quale generosissimi hujus Athletæ spectaculum in illo non vidissetis? utique cum Francisco in nivibus se volutantem: seu cum Benedicto cum vepribus luctantem: seu cum Bernardo inter undas hibernantem, aut alterum Aquinatem titione velitantem: Aut Nicetam in linguæ suæ dispendio Xaverium triumphantem cerneretis, quos non ille cruciatus vigil pertulisset, quem somnus, fere dixerim, Martyrem fecit? Ex quibus non obscurè conjiciendum est, quantopere Tartareus hostis formidarit Xaverium vigilantem, quem non nisi somniantem, inermemque ausus est lacessere.

Video vos hic tacitos novam illam, & inauditam in somno victoriam demirari; Ecquid minimum vos molli strato decumbentes, somno vinoque sepulti, ab hisce obscœnis lavernionibus tæde opprimi turpiter ludimini, qui vigiles ultro illis manus datis, & succumbitis. Quasi vero non ea malitia, interno consensu pravis cacodæmonum suggestionibus immorari, ac oblectari: quam per fornicationes, adulteria, incestus in Tartarei hostis castra palam concedere, cum actus externus omnem suam formalem malitiam, ab interno participet, a *& qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus sit eam in corde suo* ut alibi docuimus.

Quare qui per somnum deludi non vult, cum Xaverio per diem vigil, & armatus generosè decertet, primos impetus hostiles, prius quam vallum occupet, retundere consuescat, ignea divini amoris jacula ex cordis fornace, contra tela nequitiæ à gehenna incensa, ejaculetur. Quod Beatam Mechtildim factitasse legimus, è cujus corde cœlestis genius schedam extraxit, cui proprio sanguine inscriptum: *Malo mori, quam culpa mea à te separari.* b Quod tum exaratum divinus Sponsus indicavit, dum fœdis cogitationibus illa viriliter restitit, & in primo veluti congressu trucidavit. Ad quod conducet mane, ubi experrectus, oculis in Christum, ducem suum defixis primam, & vesperi ultimam cogitationem, velut balistam fortissimam in nocturnos illos lemures evibrare, quod Bernar-

a Matth. 5. V. Lux Euang. part. 1. Dom 3. post Epiph. § 3.
b Lib. 3 gratiæ c. 7.

dus

dus fratres in monte, ac candidas mentes, hæc nocturna ludibria gravissime aversantes, monitos voluit: a *Iturus ad somnum, aliquid tecum defer, in memoria, in cogitatione, in quo placidè obdormias, quod etiam somniare juvet. Sic tibi nox ut dies illuminabitur, & nox illuminatio in deliciis tuis. Placidè obdormies, in pace quiesces, & facile evigilabis*, hostemque superabis, atque ut alter Xaverius in somnis cacodæmonem triumphabis.

Spectastis virum consopitum, cum hoste nocturno dimicantem, vincentem, triumphantem, vultis etiam videre somniantem, urbes & orbem suo sudore, & sanguine subdendas, quod pervigil perfecit.

Novo Atlanti nostro Xaverio Indus cum omni mole laborum, molestiarum, persecutionum, periculorum, terra, marique, somnianti incubuit, atque ingens illud onus, Æthna gravius, totis licet artubus sudore perfusus adeò non excussit, eique succubuit, ut onus illud leve b (*quia non est pondus onerati, sed ala volaturi*) duceret, & amplius laboris, amplius sudoris, amplius persecutionis inclamaret: pedes quibus eundum esset, mente præcurreret: ventos quibus navigandum, cogitatione præverteret: c *Quippe animo cupienti nihil satis festinatur.* Quid tot spiritus, Francisce, in somnis fores, quid vaticinii hoc somnium experrecto portendet? Tibi Mauri, Paravæ, Malacenses, Moluccenses, Iapones, aliæque quamplurimæ ignotæ, ac barbaræ gentes, vectandæ humeris. Si sudas in umbra, in sole quid facies? si te non deficiant jacentem in strato, quomodo non integræ stabunt vires in campo? si dormiens ardua quæque, & aspera exantlare non reformidas, quam Martios spiritus vigil comprobabis? *Si tanta vel dormiens conficias, quid excitatum, te facturum existimabimus?* Quam valentes humeri, quam torosi lacerti, quam firma latera, quam solidæ bases tibi cudendæ? & quidem ad majores Herculeis terrâ marique labores. Compara te tibi, noli metiri animi fortitudine, corporis vires, angusta est orbis terræ amplitudo tuæ mentis magnitudini. Tibi

a Bern. serm. ad fratres in monte.
b Aug. serm. 24. de verb. Apost.
c Salust. in Catil.

§. I.

Unus non sufficit orbis.
Juvenal. Sat. 10.

MUlta sunt quæ Alexandri in re militari virtutem illustrarunt: nam annum vicesimum natus, patri in regnum successit; *d* inde usque ad trigesimum tertium terrarum subegit. Quare Julius Cæsar, ut refert Suetonius, cum in templo Herculis simulachrum Alexandri Gadibus conspexisset, quasi ignaviam suam pertæsus ingemuit, quod quâ ætate Alexander orbem subegerat, nihil ipse memorabile gessisset.

Ecquis nostrum hic non era-

d Sueton. c 7.

erubescat, non ingemiscat, non statuam, sed vivum ac spirans Indiarum domitoris simulachrum considerans, nihil se memorabile, nihil arduum, nihil heroicum, nihil cœlo, ac Deo dignum perpetrasse?

Deinde Alexander quam minimo exercitu, quam maximas Darii copias superavit: hic enim decies centena millia militum habebat adeò ut jactaret se singulis Alexandri militibus posse denos objicere; Alexander vero minus quadraginta millia militum in aciem eduxit, merito, ut dicat *a* Iustinus, tanta apparatus exiguitate incertum esse: *utrum sit admirabilius, Alexandrum vicisse orbem, an vincere aggressum esse?*

Non mirum, sed miraculum, copiosissimos exercitus unum Xaverium stitisse, fugasse, prostrasse: cum enim innumera multitudo barbarorum, quos *Badegas* vocant, effera, sanguinaria, truculenta, belluis quam hominibus propior, in Christianos sacro fonte recens ablutos insiliret, omnes sine dubio perdituros, Xaverius prius Numine multis cum precibus, & lachrimis invocato, solus & inermis occurrit, & cædes ac minas anhelantem, unico aspectu, & affatu ita terruit, ut effusior in fugam se converteret, quam ad pugnam convolaret. Ausim hic, quod olim Antiochenus Præsul aureo ore pronuntiavit, adferre oraculum: b *Educite centum myriades, & unum sanctum scimus quia hic plura operetur.* Quod utinam quisque vestrûm in animum induceret, fixumque ac ratum haberet, plus momenti in viri Religiosi precibus, plus fiduciæ in viri justi meritis, & orationibus apud Deum, quam in divitiis, & præsidiis humanis collocaret, cum vel unicus iustus non semel, velut murus, pro domo Dei steterit, instar clypei hostilia tela exceperit, salus omnium exstiterit, & Atlantis instar orbem ruentem fulserit.

Quod ut certis testimoniis convincam, occurrit malitia Sodomorum, nullis satis suppliciis dignè coërcenda, & nihilominus si Deus vindex decem repererit justos, omnem evaderent ultionem, juxta illud Numinis effatum: c *Non delebo propter decem.* In quem locum sanctus Ambrosius, ipsius Dei erga justum benignitatem, & ipsius Iusti apud Deum potentiam admiratus: d *Propter paucorum*, inquit, *justitiam, impunitatem toti populo promittit. Vnde discimus, quantus* MURUS *patriæ, sit vir Iustus: quemadmodum non debeamus invidere Sanctis; nec temere derogare: illorũ etenim nos fides servat, illorum justitia ab excidio defendit.* Sed quid mirum est, propter decem Iustos promitti veniam, quam videmus unius tantum merito, etiam immerentibus fuisse concessam. Nam Segor cum ceteris urbibus infamibus ruitura, uno dumtaxat Loth pro illa deprecante, inter aliarum excidium, stetit incolumis. Gen. 19. v. 21. Quod idem Mediolanensis Antistes *e* expendens; *Nolo*, inquit, *de decem Iustorum numero te pertur-*

a Iustin. b Chrysost. hom. 8. in acta.

c Gen 18. v. 33. d Amb. lib. 1. de Abraham c. 6. e Amb. serm. 83.

bes.

bes. Legimus etiam quod de Sodomitarum excidio, meritis suis LOTH SOLUS *liberaverit civitatem: quod magis valuerit ad salvandum* UNIUS *gratia, quam ad evertendum, peccatum multorum.* Sic in Regnis, in Provinciis, in urbibus, in Religiosis cœtibus, unus quandoque pro muro, & tutissimo præsidio est. Sic in familiis vestris unus pater familias, vir justus, unus filius, Dei castris adscriptus, una filia Christo Sponso dicata, una ancilla, vel famulus divino cultui impensius deditus, à cervicibus vestris mucrones, ab ædibus incendia, à thesauris vestris nocturnos grassatores, à liberis mille pericula valet propulsare.

Extremam humano generi perniciem, totum cœlum in pluvias effundendum minabatur, cum Deus ad Noe: *Ingredere*, inquit, *tu, & omnis domus tua in arcam; te enim vidi justum coram me in generatione hac.* Ubi quæres, si unus tantum Noe Iustus dicitur fuisse, non autem domus ejus, cur & ipsa in arcam ingredi jubebatur. Apposite Chrysostomus: b *In honorem*, inquit, *Iusti: consuetudo enim misericordis Dei est, honorem hunc dare servis suis, ut propter eos salventur & alii.* Abrahamum miserat olim Deus peregrinatum in totum orbem. Gen. 12. v. 1. Ratio credo, fuit, ut totum orbem non solum pedibus adiret, sed etiam precibus fulciret. Nam ut bene Philo Hebræus: *Revera*, inquit, *Fulcrum generis humani, justus est.* Ac si operosa mundi moles, quanta est, non quidem giganteis Atlantis, aut Herculis humeris ut in fabulis est, incumbat; sed verius Sanctissimis unius Iusti, ut olim Dominici, & Francisci, meritis fulciatur. Unde paulo post idem Philo: *Oremus igitur, ut ceu columna in domo, sic in humano genere homo justus permaneat, ad calamitatum remedium: nam hoc incolumi de publica salute desperandum non est.* sic universum regnum Neapolitanum de Xaverio nostro sensit, dum adversus igneas Vesuvii tempestates, pestilentiæ virus, omnesque terra marique, atque ab ipsis inferis excitatas calamitates & procellas, unum hunc sibi in Tutelarem adlegit. Iactet d Antiquitas, quod unus olim Horatius Cocles, bello contra Porsenam, in ponte sublicio, toti exercitui se opposuerit, magnâ sui gloria, & suorum bono. Extollat Mutium Scævolam quod unus, solusque, & primus è trecentis conjuratis Hetruscum Regem à Romano Capitolio averteret: unus ac pæne solus Camillus fuit, qui Romam jam prope bustum factam, de manu Brenni, & Gallorum, ferro liberavit. At præ his omnibus unus potentior Xaverius, qui innumeris Barbarorum copiis, triginta Iaponum regum viribus, vaferrimis Bungiorum insidiis, solus & inermis occurrerit, omnium hostium tela in se unus exceperit, à suorum cervicibus, oratione, meritisque averterit.

At vero, ut neque Abrahami, neque Nohemi, neque Xaverii

a Gen. 17. b Chrysost. hom. 24. in Gen. c Philo lib. de Migrat. Abraham circa. med.

d Livius decad 1, l. 5.

nos simus, certe ii esse possumus qui fuerint ævo nostro vel pueri, & mulierculæ: unica Ancillula, uti narrat Eminentissimus *a* Baronius, suis precibus & cilicio, quo multos sanaret, totam gentem Iberum ad Christi fidem perduxit. Una Ioanna Tulliensis virgo, pudica & Sancta (quod & gloriosissime præstitit Ioanna Aurelianensis) ab obsidione plurimos liberavit. *b* *Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii. Ab uno sensato inhabitatur patria.* Unus itidem & solus *c* Laurentius Iustinianus, Venetorum urbem ab excidio, suis precibus servavit. Atque unus satis est Xaverius, qui non modo quas Christo peperit Chinas, Iaponas, sed & Europam universam, totumque orbem, ac potissimum sibi dicatam Neapolim defendat, protegat, tueatur, ac mille cumulet benedictionibus.

Nunc unde longius provecti sumus; revertamur. Alexander novem hominum millia ad convivium invitavit, singulis auream pateram ad libandum largitus. Hujus qui volet convivii apparatum, convivarum numerum, Imperatoris munificentiam obstupescat; At penitus stupore defixus, & attonito similis conticescet, qui expenderit à magno Indiarum Apostolo undecies centena millia ad cœleste convivium adhibitos, patera fontis baptismalis, ac gratiæ preciosissima, omnes donasse.

Liceat deniq; hic mihi proferre verba illa *d* quibus, olim Scytharum legati Alexandrum compellavere: *Si Dii habitum corporis tui, aviditati animi tui parem esse voluissent, orbis te non caperet; Altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres.* Ne illud accommomodatius longe, de magno illo utriusq; orbis Apostolo Xaverio, quam de magno Alexandro dici potest. Si quanta fuit animi ejus amplitudo, tanta & corporis fuisset magnitudo, nec orbis illum capere, quia nimis augustus, nec ab orbe capi, quia hic nimis augustus est, potuisset. Produnt fictitia Poëtarum commenta, portentum illud gigantis, Typhoeum tam prodigiosa fuisse corporis mole, ac membrorum vastitate, ut celsissimorum montium omniũ jugis altior, capite affines sibi nubes contingeret: humeris totam Siciliam incumbentem fulciret: utraq; deniq; manu longissimè explicatâ, alterâ Orientem, alterâ Occidentem complecteretur, Non hæc commentitia fabula, sed verissima censebitur historia, si quæ retuli finxisse Poetas, à giganteâ illâ corporis magnitudine, ad Xaverianı animi amplitudinem referamus. Enim vero Indus ille gigas Xaverius (satis pene dixi cum hominem nominavi) qui unus omnibus omnium gentium Heroibus sua magnitudine parvitatem induxit; illa fuit non corporis, sed mentis celsitate: eâ non humerorum, sed animi amplitudine, ut non Insulam unam aliquam Typhoeus, sed innumeras propemodum Insulas, urbes, oppida, Provincias Indiarum, atque adeo

a Baron. tom. 3. ann. 327 in 11. b Eccl. 16 v. 3 & 5. c Laur Iustinian. apud Lipeloo tom. 1. 8 Ioan,

d Curtius lib. 7.

adeo sexaginta sex amplissima Japoniæ regna, velut Atlas cælum inconcussis humeris sustinuerit. Tam vastos autem habuit pedes, ut non velut Colossus ille, verum ut Angelus *a* Apocalypticus: quem perspicacissima quondam Aquila, in Pathmo Insula vidit divaricatum, altero pede terram, simulque altero mare presserit: manus tam longe extendit ut extremas orbis terrarum oras, sub utroque sole calentes, tot locorum spatiis inter se dissitas, fuerit complexus. *Magna b* porro, *& generosa res est humanus animus, nullos sibi poni; nisi communes cum Deo terminos patitur*: utpote quem nihil nisi Deus, ita ejus desiderium, nil nisi quod immensum explere potest.

Testes hic appello mortales, quos insatiabilis honorum cupido, inexplebilis carnis libido, divitiarum dira fames exagitat; qui semper illud AFFER, AFFER, *amplius & amplius* inclamant. Quod ut ad mores derivemus, juvat de ambitiosis audire Carthagniensem Præsulem: *c Ambitionis salsugo*, inquit, *bibulam animam facit.* Salsis his mundi aquis largiter potum Nabuchodonosorem nec saturatum Propheta testatur, qui ubi omnem potentiam, ac magnificentiã ejus enarrasset, quod etiam de aliis *Regibus triumpharet*, subjungit: d *Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus: qui dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur.*

Percuntare illos, *quorum terrena officia*, ut *e* Tertullianus loquitur, *in gradu æstuant*; hoc est, non possunt ullo in gradu conquiescere: Quis non in universitatibus, novis titulis excrescere, novis gradibus semper conscendere gestit, ut doctissimi, eruditissimi, eximii gradum assequatur? omnes sibi symbolum Caroli V. Imp. usurpasse videntur, PLUS ULTRA. In curia, in foro, consultissimus satagit ut Amplissimus Consiliarius: inde ut Præses evadat: à Concilio Flandriæ, in Parlamentum Mechliniense, in Concilium Secretum, aut Status, sese penetret, nec usquam conquiescit. Inter aulicos, quis nobilitate, aut avito stemmate contentus! Præmatem illum Regis gis Assueri *f* loquentem, & avida fauce inanis gloriæ auram captantem attendito: *Convocavit ad se amicos, & Zares uxorem suam, & exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria, super omnes Principes, & servos suos Rex elevasset; & post hac ait: Regina quoque Esther, nullum alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me.* An non torrente prosperæ fortunæ saturum, imò ebrium diceres? cum interim ambitionis salsugine, & ardentissima siti se æstuantem fateatur, dicens: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mordochæum Iudæum pendentem ante fores regias.*

a Apocal. c. 10. b Senec. epist. 102. c Cyprian. præfat de Christi operib. d Habac. 3.

e Tertul. in Scorpiat. c. 6. e Ester. c. 5.

Notum

Notum illud : a
Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Dicam ego ardentiorem sitim fuisse Xaverio, cui sublimior animus, sanctiorque cupido Dei gloriam, amplius & amplius amplificandi, ac diviniora lucra semper sectandi. Sensit id Oriens, sensit & Occidens, senserunt Indi, quam divites opum, tam inopes virtutum sese peti, non sua: nemo quisquam, tanto ardore, per tot pericula, & naufragia, gemmas, & adamantes, speciosiores lapidum crustulas, aut splendidius lutum, aurum: quam Xaverius animas cælo inferendas conquisierit. Dixerit olim & vere b Salustius: *Avaritia quidem semper infinita, & insaturabilis est, neque copia, neque inopia minuitur.* Verum si quid infinito majus est, vastis illis mentibus plusquam infinita lucrandorum hominum cupiditas est, quam nec minuit copia, & inopia accendit.

Zelus *ignis* in morem c *nunquam dicit, Sufficit.* Vbicumque materiam nactus fuerit, se diffundit, d ut recte Basilius: *Ignis,* inquit, *postquam incendium attigit, omnem properat absumere materiam.* Consimilis Xaverii ardor fuit, ubicumque animarum, ac divinæ gloriæ pabulum sese offerebat.

Quas non in oras tua te rapuit ac circumtulit charitas, Xaveri? quas non tibi alas amor subdidit? Quid cum te in Iaponia servilem peditem equiti Iaponensi, nulla præter laborem pacta mercede, locavisti, ut præco Evangelii viarum ignarus, illo præeunte rectum iter teneres? suas ille res agebat; tu divinas Amorem viæ ducem habuisti, non hominem. Ille sibi tantum, amor tibi vacabat; Barbari tamen vestigia furabaris, ut hoc offerres amori donum, quod te identidem deficientem sustineret, cujus vires herus illic tuus festinatione, ah nimium violent, enecabat. At etiam tua virtus usque eo ambitiosa fuit, ut vellet cum belluis de cursu contendere. Tu equum Domini æmulabaris; sed cum ille sessoris calcaribus foderetur, tu amori obsequentior, ejus tantum stimuli monitu consequereris. Injuriam amori fecerunt, qui finxere pennatum; quasi vero egeat alis Deus immortalis? quid amore pernicius? ament saxa, & volabunt. Impingatur quidlibet onus amantis humero, sese levior efferet. Aspice suo Franciscum onustum thesauro, sacra nimirum supellectile ad sacrificium necessaria; & tamen non dico properantem, sed post præcipitem illum Pegasum adeo effuse tuentem, ut non solum à signato vestigio ne latam quidem ungulam deflecteret, sed pede pedem premere videretur.

Quod si alicubi aut temporis, aut loci natura impetum jumenti frangeret, cursumque moderaretur; tum vero tarditate in augumentum cruciatus conversa, vidisses strenuum peditem modo hic inter salebras & rupea saxa, spinasque corpus exanime lacerantem: modo illic summâ hyeme atque insanis frigori-

a Juvenal. Sat. 10. b Saluft. in Catil. c Prov. 30. d Basil. hom. 10. in Prov. 30.

frigoribus, in gelu novaculis armato, nudos pedes lanienam trahentes. O quale famelico pabulum! vidisses in nivium tumulis cruore conspersis, nisi amor extulisset, prope sepultum. O lanæ cælestes, quibus ostro tam pretioso rubescere contigit.

Dormiant ebriæ oves in Tyrio succo, ad superba Regum paludamenta texenda: tamquam surgent per eorum humeros magnificentius aurâ circumflua ventilandæ.

Itaque per sanguineos nivium tramites in maximas, Iaponiæ urbes alite volocior penetravit, nec ullum in tanto tot millium milliarium, nisi ad Dei gloriam. & lucrum animarum vestigium fixit. Occurrat hic illud Doctoris a Ascetici: *Pro modicæ prabenda, magna via curritur, & pro regno cælorū vix pes à terra levatur.* Xaverius decennio uno, sexaginta sex Iaponiæ regna lustravit, centena milliarium millia confecit.

Quis unquam mercator, quamtumvis auri cupidus, tot tam brevi tempore, pedes itinera, tot incommoda, & pericula exantlavit? Ferunt olim ductu, auspiciisque Cæsaris cæsa esse ac profligata undecies centena millia hostium; at ex illis quantulam partem Cæsar suam vocat? & quænam illa laus est, mortem intulisse miseris, quam mancipium quodlibet etiam Regibus inferre potest? b Xaverius quod ne uni quidem mancipio Rex præstare ullus potuit unquam, amplius decies centenis millibus vitam dedit; & animæ quidem, hoc est non fugacem. & mox perituram, sed immortalem, ac sempiternam. Insolens hoc & prope inauditum, celeberrimi Ecclesiæ scriptoris Thomæ c Bozii, Congregationis oratorii, encomium, quæ solus gessit Xaverius, non unius viri sed Ordinis totius, non decennii, sed sæculi laborem putes.

Contendit enim hic, ab omnibus hæreticis qui jam inde à Simone Mago primipilo, innumera millia conficiunt, non tot Ethnicos ad legem Christi qualemcumque ipsi fingunt, quot ab uno Xaverio ad Christum esse perductos. Ipsum audite: *Age vero maxima de Xaverio dicamus: universi hæretici ab Ecclesiæ Christianæ constitutione per tot sæcula, per annos mille quingentos & amplius, haud traduxerunt ad hæreses suas, tot gentes, aut Idololatras, aut alioquin à Christi cultu alienas, quot unus Xaverius ad cultum Christi annis decem vel undecim. Quis itaque numeret, quot hæreticorum millia fuere à Magi Simonis defectione, usque ad hunc annum? & his tanta in re præstat unus Xaverius. Vnus Xaverius, plures gentes, plures homines, Christiani cultus prius inimicas, annis undecim Christo adjunxit, quam innumera inimicorum millia ex omni gente, & natione, è toto orbe terrarum per annos mille quingentos. Quis hic non obstupescet?*

Ceterum fama tam utilium Xaverii laborum in Europam perlata, Catholicis ab hæresi afflictis, ingenti fuit solatio, ac voluptati. Julius III. summus Pontifex, S. Ignatio nonnulla illis

a Thomas à Kempis Sabo. fest. S. Xaverii. Remondi. orat. 18. in fine. b Imago 1. Sæculi.

c Bozius de signis Ecclesiæ l. 6. signo 20. c. 3.

lis auribus digna de rebus Indicis referente, lachrimas præ gaudii voluptate tenere non potuit.

Immensus sim, si itinerum molestias, temporum injurias, laborum immensitatem, periculorum gravitatem, dæmonum furentium tempestatem, Barbarorum opprobria, persecutionem, tyrannidem recensere voluero, unum hoc dixisse sufficiat, tantam Xaverianis humeris molem incubuisse, ut Deus ipse adjutor, sub onere utrique communi, sudasse perhibeatur. Erat Navarræ in avitis Xaverii ædibus, pervetus Christi in cruce defixi effigies, erga quam eximia familiæ, religio; hæc quoties Xaverio gravius aliquod adversitatis, aut calamitatis, pondus imminebat, conspecta est largo sudore manare. Metire servi laborem, labore Domini. *a* Francisco Assisiati, sanctissimo clarissimi Ordinis Patriarchæ, Christus suarum plagarum impressit notas; in se vero Francisci Xaverii vexationes excepit. Divinus amor sibi exercuit in utroque delicias, alterum vulnerans, vulneratus ab altero: certaminis impatiens, nisi pateretur & ageret.

Tandem ut concludam, juvat consistorialis aulæ advocatum, & Sacræ Congregationis Secretarium, *b* coram SS. Domino nostro Gregorio XV. iu publico consistorio audire perorantem: Xaverius *tam insatiabili animarum siti flagrabat, ut tot populis, Regnis, Regibusq; ad Deum traductis, totoq; pœne Oriente Euangelii luce lustrato, adhuc in primordio operum, atque* angustas *orbis terrarum ingenti ejus animo*, qui amplius, & amplius sitiebat, *videretur*, adeo ut hoc inextinguibili desiderio, quodam veluti amoris Martyrio extinctus esse censeatur. Unicus supererat Asiæ terminus, Sinarum Regio, non solum externorum hominũ commerciis non frequentata, sed occlusa etiam perpetuæ servitutis, aut capitalis terrore supplicii.

Hæc etiam repagula insaturabili exæstuans cupiditate, semper amplius & amplius Iesu nomen, ejusque vexillum explicandi; perrumpenda suscepit Xaverius, nequa esset mundi regio, solis hujus quem oculis aspicimus, radiis collustrata, quam ipse zeli sui splendore non pervaderet. At ecce tibi, in ipso portu, & jam pene ingressu Sinarum, dum à Gubernatore iis finibus arcetur, fortis ut mors dilectio hominem dejecit, placuitque Deo ad novos labores anhelanti, laborum præmium præparare & hisce ad se vocibus invitare: *Satis est Francisce, satis est*; omitte tuam illam vocem insatiabilem laborum, ac molestiarum: *Amplius, amplius.* Iam te *satis* diu mare, venti, procellæ, syrtes, naufragia exercuerunt; Iam *satis* diu te fames, sitis, pestilentes pauperum rabidorum morbi, æstus, frigora, nuditas, angores; ægritudines aliæque id genus cohortes incursarunt. *Satis est Francisce, satis est.*

Alterum est, ut qui hactenus Xaverium in summis difficultatibus, perpetuis molestiis, gravissimis

a Remundi orat. b Nicolaus Zambeccarus Secret. S. Congreg. Imago 1. seculi sect. pag 601.

vissimis corporis cruciatibus semper *Amplius*, & *Amplius* ingeminantem audistis, eundem in liquidissimis animi deliciis, & uberrimis benigni numinis beneficiis, clamantem admirentium.

§. II.

Satis est Domine, Satis est.

Satis ad laudem Xaverii diserte, *satis* pro vestra expectatione copiose, *satis* pro omnium instructione apposite videri posset hodierna die perorasse, quisquis dicendo persuaderet, eo Xaverium virtute provectum fuisse, ut quasi enavigato Oceano subisset portum, domitis hostibus obtinuisset coronam, confecto cursu pressisset metam, exclamaret non tam intentione vocis, quam contentione mentis: *Satis est Domine, satis est.* Vox illa *satis* est, vel à nullo, vel ab illo erat exspectanda, qui ad ultimam mundi appendicem suum produxerat imperium, qui illuc duxit militum copias, ubi non erat pugnandi copia, cui sola fecit finem vincendi, inopia vincendorum, à magno, inquam, & nomine & indole Alexandro: hic tamen tam intemperanter fuit ambitiosus, ut terrarum jam Dominus, quasi mundi exul, fortunam suam lachrimis prosequeretur, nec superesse alios mundos, quos quæreret, conquereretur. Inventio scilicet avaritiæ est, post omnia posse optare aliquid.

Sunt enimvero cupiditates, ut numeri, quorum numquam tantus est, cui non possit aliquid superaddi. Sic nulla est cupiditas, post quam non sit alia. Hinc vox illa inaudita in hoc exilio, *Satis est*, vox illa peregrina in terris, dumtaxat a cælitibus exauditur.

Quis porro unquam inter Pontificum cœnas, & conviviorum luxum Heliogabalus? Quis inter plumeos thoros, & roseos thalamos Sardanapalus? Quis inter barbaricas gazas, & Atttalicas opes Crœsus? Quis inter plaudentium pæana & triumphantium acclamativos, & epicedia, Cæsar? Quis inter sellas curules, & consulares fasces, atque honoris insignia Augustus, unquam auditus est, quasi expleta vel deliciarum, vel divitiarum, vel honorum, vel gloriæ cupiditate exclamasse, *Satis est*? Hanc vocem sibi solus Xaverius vindicavit.

Quam memorabile illud, quam celebri præconio posteritati mandandum, quod Goæ in hortis domesticis, Xaverii pectus divinarum deliciarum incredibilem copiam, cum capere non posset, disruptum foret, nisi vis atque impetus interior, facta sibi sursum libera respirandi via, in hæc suspiria promisset: *Satis est, Domine, satis est*; *satis* est deliciarum, inquis, dolorum non *satis*. Horum videlicet fames, & sitis, urgebat te; illarum vero desiderii tenebaris. At mea me fallit sententia: cum enim sua quemque trahat voluptas, consequens est ut dolores sint, tuæ deliciæ. Dum igitur hos à Deo postulas, delicias poscis. Quorum non dolorum tantum, sed voluptatum incremen-

ta desideras. Da veniam Xaveri, tuus erga Deum amor, perplexum me tenet: quid enim tuum illud *satis est*, & *non satis est*? Respuis quod sorbere aves. Si te nimia dulcedine perfundi quereris, quid acerbitatis augmentum expetis quam scis summam tuam esse dulcedinem: perpluit in te Deus deliciis? suspiras, & ais, claude cælum, *Satis est Domine, satis est*.

Referantur Summarum flumina? exclamas: aperientur fontes, abiisti magnæ, amplius & amplius exundent adversitatis tempestates, & procellæ. Dolores tua sunt gaudia, hi fluctus, alcedonia. Ubi illud notandum occurrit, quo Xaverius uberius cælestibus deliciis satur, altius exclamat, *satis est*: & quo potentius, adversitatis fluctibus obrutus, ingeminat ***amplius Domine, amplius***, hoc divina providentia reciproco amantum ludo, cumulatius torrente voluptatis omnique gratiarum, ac beneficiorum Oceano, illum quamtumvis invitum, & reclamantem *satis est*, obruebat; adeo ut cum insatiabili divini honoris zelo, & ejus inexhausto, patiendi desiderio divina potentia, amplius & amplius præveniendo, contendisse videatur. Terra, aqua, aër, ignis, cælum; sidera omnia, cælestes influentias in eum depluebant, suumq; famulitium miris portentis, incredibili. Xaverii commendatione & honore, licet ejusdem summo rubore præstabant. Fecit Deus ad nutus illius terram tremere, nt horrendis concussa motibus, obfirmatæ impietatis homines quos flectere virtutis amor non poterat, frangeret timor supplicii. Si qua toto patet oriente Oceanum spectem, usurpare illud mihi posse videor: *Quis est hic quia venti, & mare obediunt ei?*

Quis est hoc, qui modo hærentes Syrtibus naves, ilicò abiectas in altum retrusit; modo ad scopulos nullo vulnere allisas in rectum iter reduxit: modo cum salutis compagibus aperta latera fluctus haurirent, manifestissimo exitio comites omnes exemit? Quis est hic, qui ut olim gentium Doctor, ter naufragium passus fundo maris emersit? Atq; ut tecum Xaveri, cœpto per Oceanum cursu provehatur oratio, habent omnes quod obstupescant, te naufragantum defensore, nautarumque patrono non minus tuta est turbulento mari navigia, quam pacato: te auspice illis est pro securitate periculum. Vos testes appello non modo Christianorum, sed gentilium globos, posthabitis aliis, quamquam firmissimis navibus, in eam quam sors Francisco primam objecisset tumultuario impetu, convolãtes species objectæ arcis repræsentari videbatur.

Te præter ceteros producam, Maure Mercator, qui duplicato naulo navarchum exorasti, ut in eodem quo Franciscus, admitti navigio posses. Nulli unquam navarchorũ animi, Xaverii, quamquam adhuc mortalis, propitio sidere, in summa undarum agitatione fluctuarunt. Quanto certius ac securius hic, quam olim ille navarcha in tempestate trepidans: quæ tua ista formido? ***Cæsarem, & fortunam ejus vehis.*** Si ulterius provehor non tam

a Remondi orat.

mihi

mihi pertimescendum in undis, quam in laude tua naufragium. Tu facto cum salo divortio, sociis prope siti, extinctis, dulcissimos liquores propinasti. Te Xaveri Regem, te Dominum agnovere piscium greges, cum ad tua jussa, quam ad natandum proniores, desperatis piscatorum laboribus, caritatis tuæ venatico signo, retia saginarunt. Occurrit hic Antonius quem præstigiatur ÆgyptiaCleopatra, amoris esca rapuerat. Hic piscatu gloriam aucupatus, urinatores clam undis submiserat, quorum ministerio, ad stuporem Reginæ, hamum nunquam vacuum educeret. Non multo post, versuta mulier, iisdem subornatis, qui salsamentum illius hamo pro pisce innecterent, omnium risu, delusi hominis argutiam excipiente, piscare inquit, urbes ô Imperator, hanc nobis alteram pauperibus Ægyptiis piscandi artem permitte. Facessant ista, tuum erat Xaveri, & homines, & oppida & provincias & règna piscari non tibi, sed Christo.

Sed quid hoc, quod meis jam sol oculis objicit? Quis ille novus undarum legatus? lapsa forte in undàs Christi & cruce pendentis effigies, qua tum prætensa, Xaverius turbulentissimum mare pacaverat, nubes doloris ob eam deperditam, in animum illius transtulerat. Ergo postridie Baranulam insulam quadraginta passuum milibus inde distantem, quo ex Amboino navigabat, appulso, atque in littore, non sine fletu, ac piis precibus inambulanti ecce cancer incessu magnifico, summo mari prodine in conspectum, illudque signum augustissimum, utroque lunato brachio gestare, viroque sancto, non tanquam amissum, sed creditum pignus reddere. O generose Christi vexillifer, nobilioribusdigne pœnis, quam qui nescio; quam olim cancruum, Herculei calcanei morsus præmio, inter signa retulere. Videor hic mihi audire iterum Xaverium inclamantem: ô Domine prodigiosum *satis est*.

Sileamne te divinitus humo sursum evectum, medioque suspensum aëre sublimem, ab omnibus frequentissima concione plerumque conspectum; idemque tibi tum Sacris operanti, tum preces Deo fundenti sæpissime contigisse? Talem aër hospitem terris invidebat, cœlum repetebat civem: nec immerito, cum esset ab omni terrestri contagione semper avulsus. Verum & hoc non solum admirationem auget, sed etiam creditu perdifficile videtur, nisi tot ille testes habuisset, quot Auditores nimirum quod cum ad infinitum populorum cœtum de divinis rebus verba faceret, una eademque illius vox per aërem diffusa, ita in omnium aures incidebat, ut ea suum cuilibet esset idioma: quot ita concionantis verba, tot fuere miracula.

Nec adhuc a *satis est*, amplius & amplius arcano illapsu divinam in te potentiam Deus exercuit. Dum fortissimum geris ignem, vocisne dicam, an orationis imperio moderaris: sive cum in perfidos Tolenses ignem & cinerem

a Imago I. Sæculi p. 625.

pluis

pluis; sive cum afflatam tuo spiritu ardere cogis etiam aquam in appensis tuæ imagini lampadibus deficiente oleo consecratam, lychnosq; quos experimenti causa adhibuerant barbari, videntibus, mirantibusque Saracenis aliisq; gentilibus, subito inflammas. Sive cum vivæ calcis ardores, ignitamque vim, tuo licet decimum sextum mensem exanimato corpore sic excipis, ut illud *a* vividū vegetumque & succi, recentisq; plenum sanguinis tanto etiam post tempore, sit repertum. Seu deniq; cum flagrantissimam illam orbis facem, te implorantibus famulari facis: in Indico quippe Oceano invocatus à naufragis Xaverius sole jam infra horizontem deposito destitutis, solem ipsum restituit, atque ut instabile ejusdē beneficium foret, plurium horarum spatio, in rapidissimo licet cælo, ac pronissimo in occasum lapsu, immobilem *b* stitit, *obediente Deo voci hominis.* Ah Domine *satis est*, miraculorū *satis est.* Verum cum innumera sint, nec & unquam *satis* enumerari queant, ne in immensum crescat oratio, concludo brevi illo ad Gregorium XV. Nicolai Zambeccari elogio: *Miracula*, inquit, *per illum tum viventem, tum vita functum, patrata divinitus tam multa, tam varia, tamque inusitata sunt, ut profecto Xaverius nihil fecisse minus à magnis Apostolis affirmari possit. Certe mortui ad vitam restituti, quamvis in relatione habita coram Sanctitate vestra quatuor tantummodo numerentur, non tamen pauciores quam viginti in actis proferuntur. c* Nā aliorum, quos communis in Oriente fama vulgavit, & ab eo temporis intervallo, multo major est. Quid quod nuperis literis Macao scribitur: *d Indis pro miraculo esse, vel tantillum cessare Xaverium à miraculis*, qui omnium miraculorum maximū fuit ipse miraculum, adeo ut etiamdum in terris, cum non solum inter Divos venerarentur, sed pro numine adorarent. Vide quantam suggerat Deus barbaris, pessimisque opinionem virtutis, pene usq; ad suī detrectationem. *e* Vita cælestis, Angelici mores, divina prodigia, in errorem Divinitatis induxerunt. Invenio mandatum scriptis extranei Auctoris, qui ab oculatis testibus fatetur se accepisse, Iaponios, Bongios, coëgisse comitia, ut Xaverium consecrassent Deum, ara, sacrificiisq; colendum; misisseque ad illum nuntios (ut olim Baptistæ) per quos divinos referrent honores. Gloria est Christianæ Religionis tales educasse viros, per quos ipsa religio posset ita periclitari. Respondit humillimus pater: Indignus sum, quod creatura sim, & vultis esse creatorem. Nec Barbaris visa fuit humilitas indigna Deo. Non potuit obstare Xaverius, quin procumbentes in genua, pedes suos adorarent osculis. Sic prodigiosum hunc virum consecrat virtus, usque ad simulationem sinceram Deitatis. Quæ omnia cum dixi, parum dixi, nedum *satis* dixi.


a Bonartius in Eccl, b Iosue c. 10.

c Remondi orat. 3?, d Imago I. sæcul. pag 937. e Nirenbergius de arte voluntatis lib. 6, c, 15.

FE-

FESTUM SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Nescit homo pretium eius. Job. 28.



In pretio, pretium eſt. Ovid. lib. 1. Faſt.

ARGUMENTUM.

CRuces quas hic nummis argenteis, aureis excuſas cernitis, apud omnes in pretio eſſe, ab omnibus amari, deſiderari, æſtimari, indubitatum eſt; iis tamen unam vobis hodie Crucem, longe pretioſiorem ac præſtantiorem proponam, de qua illud

Husſæi vatis merito pronuntiâro : a *Neſcit homo pretium ejus*, quam magnum, quam ingens, quam immenſum ſit. Unus Andreas, ſi quis, nobis expoſuit, quanto Crux Chriſti in pretio habenda ſit, dum in has voces prorupit : b *Salve Crux* PRETIOSA, *quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti : diu deſiderata, ſolicito amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata.* Quas voces igneas, ex corde Andreæ, tanquam fornace æſtuantes, D. Bernardus conſiderans, ait: *Putas non fuit in nobis* (& ex vobis, *qui non novit pretium ejus*) *qui ſecum cogitaret, ac diceret, quid ſibi vult hæc, aut unde tam nova lætitia? certè & Crux* PRETIOSA *eſt, & amari* (& æſtimari) poteſt. Crux adverſitatis, tentationis, ignominiæ, paupertatis, infirmitatis, *pretioſa eſt*, & amari & æſtimari poteſt, ac debet, per hanc ſibi quiſque, vitam & mortem reddere valet pretioſam.

a Job. 28. b Brev. Rom. in laud.

§. I. *Neſcit homo pretium ejus.* Iob. 28.

§. II. *Salve Crux* PRETIOSA : Breviar. Rom. ad laud.

§. III. PRETIOSA *in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus.* Pſal. 145.

FESTUM
SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Neſcit homo pretium ejus. Job. 28.

PAradoxum nemini videri debet, quod hodierna luce, dicturus & veriſſimum docturus ſum : multo plures mortalium reperiri, qui Cruces ament, Cruces optent, Cruces quærant, Cruces æſtiment & ſummo in pretio habeant, quam qui eas oderint, averſentur, fugiant, contemnant, & aſpernentur : quo-

quotus enim quisque vestrûm est, qui Cruces non amet in Pataconibus, Cruces optet in coronatis aureis, Cruces quærat in ducatis, Cruces æstimet in pistolis, summo in pretio Cruces habeat in aliis nummis, qui Cruciferi, & cruciatus vocantur, easque Cruces pluris faciat, quæ gravioris ponderis sunt? estque Crux maxima, omniumque gravissima nullam Crucem in crumena habere. Compello uxores, ac filias vestras, nonne Cruces aureas, Cruces gemmeas in pretio, in amoribus habent, & è collo suspensas circumferre consueverunt? At si vobis ostendero, Crucem quam Andreas conscendit, has omnes argenteas, aureas, gemmeas Cruces, infinito pretio antecellere, nonne eam Crucem præ cæteris amandam, optandam, quærendam, & æstimandam, & summo in pretio habendam esse convicero?

§. I.

Nescit homo pretium ejus. Job. 28.

CRucis pretium, & quidem immensum, ac infinitum B. Andreas ex membris Christi agnoscit, dum ait: *a* SALVE CRUX PRETIOSA, *quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus, tanquam* MARGARITIS *ornata*: quia membra ejus sudore, & sanguine, velut pretiosissimis unionibus, & rubinis condecorata sunt, ut jure longe meritissimo, vel minimæ Crucis particulæ ac ramenta, auro & gemmis inserantur, ipsius quoque Christi Crucifixi, vel nuda effigies, ac statuæ, puro auro, pretiosissimisque metallis effingantur.

Sic Moguntiæ in Ecclesia Metropolitana, b *in precio pretium est.* Crux auro optimo vestita, è qua pendet imago Christi Crucifixi, mole humanam staturam excedens, tota aurea; cui pro oculis duæ ingentes gemmæ, quas carbunculos vocant, insertæ, vitelli, ovorum magnitudine, sub noctem gratiose corruscantes. Huic Cruci subscriptus versus:

c *Auri sexcentas habet hæc Crux aurea libras*;

Cumque una libra habeat duas marcas auri, pendebat hæc Crux mille, ducentas marcas auri probatissimi.

d Belizarius victo Gilimero Wandalorum rege, Romam veniens, obtulit in æde S. Petri Crucem auream centum librarum, pretiosissimis gemmis vermiculatam. Et ne longius excurramus, indies, & ubique oculis incurrunt Cruces pretiosissimæ, argento, auro, gemmis, unionibus, lapillis pretiosis exornatæ: quas tamen omnes (ut ad propositum veniamus) excedit vel minima crux animi, vel levissimus cruciatus exceptus ejus amore, qui pro nobis in cruce suffixus est. Hoc Paulus indicat, dum dicit: e *Momentaneum ac leve tribulationis nostræ, supra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.*

a Bernard. serm. de S. Andr.

b Ovid. l. 1. fast. Sandri Palæstra amantium crucifix. decus 1 §. 2. c Serrarius l. 1 Moguntiar. c 32. d Beyerl. theat lit. R. pag. 52. e 2 Cor. 4

Non potuit Apoſtolus, quantum exiſtimo, elegantius explicare cruciatus parvitatem, & magnitudinem pretii. Poteſtne opus eſſe magis parvum, quam quod fuerit momentaneum, illudque leve, quod nec in ſe grave, nec niſi per momentum durat? poteſtne autem majus eſſe pretium, quam quod operatur in nobis, quod eſt ſupra modum, id eſt, ut D. Thomas exponit: *Supra omnem menſuram*, aut ut Anſelmus: *Supra omnem comprehenſionem* humanæ mentis. Deinde, quid melius eſſe poteſt, quam *æternum gloriæ pondus*, id eſt immenſum, & infinitum gloriæ pretium? pondus, inquit *a* S. Thomas, dicitur *propter pretioſitatem: nam pretioſa ſolum ponderari conſueverunt*. Et id totum, pro momentanea, ac levi tribulatione, pro modica Cruce quam in corpore, vel animo gratanter toleraſti: quæ tanti pretii eſſe comprobatur, ut ſi omnia orbis regna, omnes divitias Deus in compenſationem dederit, non condignum illi pretium perſolverit, cum Deus ſolus, per ſuam infinitam potentiam, & infinitas divitias, hujuſmodi minimæ, ac momentaneæ tribulationis pretium valeat adæquare.

Audiendus in hac claſſe Magiſter virtutum Ludovicus Bloſius, qui duos inducit in pratum, aut viridarium, quorum alter florem carpit, alter amore Chriſti manũ continet: *Hic*, inquit *b*, *propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta eſt diſtantia cœli à terra*; indies, centies, & millies hoc ingens tibi meritum, hoc pretium comparáre potes: tranſis arborem, & generoſum pomum arridet, vultque gratis à te emi, & guſtari, ne guſta in menſa ferculum exquiſitum, ſalivam movet, tu manum contine, aut leviter delibatum dimitte. Ad hoc Beatus Vincentius ſuos & nos invitat: *c Quæcunque ſalſamenta, quæ ad nihilum valent, niſi ad gulæ excitamentum, dimittere occultè potes: quandocumque aliquem bolum gratum tibi apponi contigerit, illum dimitte propter Deum. Si eſt tibi cibus inſipidus, ex defectu ſalis, noli apponere ſal: propter Chriſtum felle & aceto potatum, ſenſualitati reſiſte.* Hoc qui fecerit, *obtinet meritum, quanta eſt diſtantia cœli à terra*. Id norat, & accurate expenderat Anna Maria à S. Joſeph, ordinis Franciſcanarum Diſcalceatarum, quæ, ut *d* in actis ad beatificationem legitur, inter alios, quibus corpus affligebat cruciatus, potiſſimum extenuabat potus non ſolum parvitate, ſed & amariſſimis illum herbis, ac cinere attemperatum, reluctanti ſtomacho ingerebat, à quo dum ſorores eam dehortarentur, reſpondit: *Nunquam limpidum ac purum bibam, donec Deus me fluvio illo, ac impetu aquarum, laborum, dolorum, improperiorumque exſatiet*: cui ut nudo in Cruce exſpiranti, conſimilis eſſet: nec Reliquiarium, nec Roſarium, nec cellam, nec habitum ſe poſſidere dictitabat, niſi *unam Crucem, in qua Chriſto configeretur*. Atque

a S. Thom. in 2. Cor. 4. b Bloſius inſtit. ſpirit. c. 2.

c S. Vincent. tract. de vita ſpirit. c. 8. d Dezgonte in Matt. pag. 392.

hæc

hæc omnia, non alio intuitu, quam quod sciret, quia momentaneum, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus, & pretium immensum operetur in nobis. Sic quidam è prioris Ascetis amicè commonitus, ne se per assiduas Cruces continenter affligeret, sensum animi sui exposuit: si Sancti in cælo, dolore tangi possent, ex eo fore, quod jacturam tanti pretii ac ponderis, quam levi tribulatione consequi poterant, neglexerint. Pretiosum id omne dicitur, quod exiguum, alterius multum exæquat, seu quod exigua sui mole, summi momenti, & magno in pretio est: sic unus aureus, multos argenteos, & nummos æreos quam plurimos exæquat. Haud aliter Cruces, exiguæ afflictiones, amore Jesu susceptæ, prolixis precibus, magnis eleemosynis antecellere perhibentur. Quid mirum si sancti eas tam studiose sectati, tam avide amplexi sint. *a* Magnus ille Carolus Borromæus minimas etiam Cruces, maximo in pretio habebat: nunquam extra tempus, ut summi etiam in illis Italiæ partibus calores essent, potum admittebat. Gelidissima hyeme, quæ partes illas Septentrionales acutissimo frigore maxime adurit, B. Stanislaus nobilis Polonus, chirothecas, aliudve manuum integumentum, nunquam induit.

Quod & B. Maria de Jesu, a lævque in tenera ætate, illustres ac delicatæ filiæ practicarunt.

B. Laurentius Justinianus, non solum Monachus existens, sed etiam Patriarcha, sævissima anni tempestate, cum omnia gelu rigerent, nunquam ignem accessit, atque ejusmodi parvas corporis afflictationes sæpius usurpando, pretiosi veluti auri ramentis collectis, ingentem sibi gratiarum, meritorum, ac gloriæ thesaurum acervabant, omnesque cruciatus cum Andrea amicè excipiebant, & salutabant: *O Crux pretiosa.* I nunc, & parvi ducas cum *b* B. Borgia oculos claudere, ne falconem prædæ jam inhiantem videas: lapillos qui in altero orbe cum gemmeis permutandi sunt calceis imponere: quem in hoc, ingeniose æmulata est *c* Cornelia Lampugnana: hæc cum jussu mariti, choreas duceret, ut saltandi voluptas in cruciatum abiret, cicerum durissima, crepidis indidit, quæ saltu teneros in pedes adacta, acerrimum doloris sensum excitabant, ut linqui animo ceperit, & inter manus ancillarum elata fuerit.

I nunc, & rideas doctorem *d gravissimum, eruditissimum, illustrissimum* Thomam Sanchez, altero semper pede suspenso, mensæ accubuisse.

Quis Cruces è creta aliquo in pretio habendas existimet: diversorium ingredere, & disces: Caupo qui lauto convivio hospites excepit, novit quot florenos, quot aureos hæ Cruces è creta sibi pendere debeant: quidquid enim ferculorum, quidquid vini, quidquid ignis, aut luminis

a In vita B. Caroli [illegible] parte 1. Cap. præd. 1.

b In vita B. Borgiæ. c P. Rho varie virtut. tom. 1. pag. 781. d Bibliot. script. Soc. Rutil. g. de mortif. tra. 1. [illegible]

absumptum est, omne pretium Cruces e creta continent, quæ in maximam quandoque summam excrescunt. Quemadmodum illæ in tessera, seu talea rationaria (vulgo Kerf) incisæ, multis valent aureis, & quo plures hic Cruces signatæ, hoc Domino plus lucri, plus pretii accedit, ut dies illa omni lucro vacua sit, qua nullam Crucem notare contigerit.

Haud absimilis, in lucro spirituali ratio, & negotiatio est.

B. Maria de Victoria audita est non semel alta ex imo corde ducere suspiria, quorum causam rogata, ingenuè respondit: a *Quia hodie pro Iesu meo; amore utique meo, nihil datum est pati, ne verbulum quidem*: eumque diem, quo nihil adversi acciderat, perditum querebatur. Is nimirum apud probos rerum cælestium æstimatores sensus, qui putant multum sibi decessisse, ubi nulla Crux obvenerit, ubi nulla quidquam patiendi occasio sese obtulerit, nec pro amato suo quidquam perpessi fuissent; idque non immerito, quia ut recte Hugo Cardinalis: *Patientia Sanctorum auro comparatur*, & Apostolus Crucem contemplatus jure exclamavit.

§. 2.

Salve Crux PRETIOSA.

SEd unde quæso ligni truncum, infame patibulum, supra aurum, & omnem lapidem pretiosum extollit, ac deprædicat? b *Putas non fuit in nobis qui secum cogitaret, & diceret: quid sibi vult hæc, aut unde tam nova lætitia? certe & Crux* PRETIOSA *est, & amari potest.* Sunt picturæ ita striis, & asserculis conformatæ, ut ex una parte continenti aliæ, atque aliæ ex altera respectanti appareant: si à dextris aspiciar, Regem referent, si à sinistris, bubulcum, à dextris juvenem formosum, à sinistris fœdum cacodæmonem ostentant. Talis imago Crux, quæ variis varia apparet: paupertas, morbus, tentatio sinistro oculo aspectantibus, apparet Crux horrenda, dura, & intolerabilis, horrifica hæc monstra quibusdam videntur: à dextris intuentibus, Crux decora, speciosa, pretiosa, & amabilis apparet.

Hinc nemo quisquam tanto animi ardore, tanto cordis affectu, tanto impetu in aurifodinas Mexicanas involaret, in gemmas per vanas manus injiceret, quanto hic gloriosissimus Athleta in crucem exarserit. Fervida ejus desideria attendite. Adductus Andreas ad locum Martyrii, cum Crucem vidisset, exclamare cœpit. c *O bona Crux! quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Bernardus voces illas igneas ex corde Andreæ, tanquam è forna-

a P. Ferdinand. Mettic in vita l. 2. cap. 9

b S. Bern. serm. 1. festo S. Andreæ.

c Breviar. Rom.

ce exæstuantes considerans, ait: a *Fratres mei, ignis vibrans est, non lingua loquens, & si lingua est, ignea plane est; carbones sunt verba ejus, & ignis quem de excelso misit Christus in ossibus ejus.* Tantus ardor in pectore Apostoli æstuabat, ut Crucem illam, quam pretiosissimis margaritis distinctam depraedicat, complectatur. Ab hoc credo Magistro hausit Agnes, agno nupta, suo sexu, & ætate major virguncula, ut laqueos, catenas ferreas, verbera, vulnera, torques aureos, Margaritas ac monilia, omnibus mundi gazis pretiosiora duceret: b *Dexteram meam*, inquit, *& collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles Margaritas. Circumdedit me vernantibus, atque corruscantibus gemmis.* Flammis velut cyclade aureâ contecta gloriatur, dicens: *Induit me Dominus cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me.* c Illustris sane visio B. Henrico Susoni, nocte intempesta ostensa est: è matutinis forte precibus ad cellam reversus, in ecstasim raptus, vidit à corde dimanare cæleste quoddam augustumque lumen cujus beneficio cor ipsum suum penitius introspiciens, aspexit in eo Crucem auream multis, iisque pretiosis gemmis vermiculatam, in quibus miro decore amabile *Iesu* nomen luculenter apparebat. Si patenti pectore liceret intueri cor hujus Virgunculæ, aut magni illius Apostoli Andreæ divina luce conspicuum, cælestisque charitatis igne succensum, in illo videres; si non corporis, at mentis oculis, Crucem alte impressam, & hanc quidem ab amore auream: videres & expressum Jesu nomen, tot ornatum gemmis, quot virtutibus: si enim verum illud: *Ex abundantia cordis os loquitur*, quantum in Crucem, & Jesum suum exarserit, mellifluus Doctor testatur; d *Ubi paratum sibi lignum intuitus est, ex hoc jam plane totus ignescens, applaudebat, & blandiebatur illi* AMATÆ *suæ*, (ut nullus Sponsus Sponsæ, aut procus Amasiæ) *officiosissimè salutabat, clamans magis affectione quam voce: Salve* CRUX PRETIOSA, *quæ decorem & pulchritudinem de membris Dominicis accepisti.*

Cruces argenteæ, Cruces aureæ, gemmeæ, apud mortales hoc majori in pretio sunt, quo majores, quo graviores, ac ponderosiores, ita & Cruces pro Christo toleratæ, quo graviores, hoc pretiosiores sunt. e Refert Stengelius noster non ita pridem in theatro, per Angelum varias Cruces venales expositas fuisse, quæ in adversa parte nomen uncialibus literis inscriptum habebant, ac populo obversæ, cujus conditionis Cruces essent, exhibebat. Uni inscriptum erat *morbus*, alteri *filius rebellis*, tertiæ *paupertas*. Crux adeo

a S. Bern. serm. in vigilia S. Andreæ. b S. Ambr. l. 1. de Virg. c Bollandus in vita 25. Ian.

d S Bernard serm in vigil. S. Andreæ, e Stengelius judiciorum divinorum tom. 2. c.30. n.4 pag.364.

pretiosa, ut Augustinus asserat: *Nihil potest ea ditius reperiri*, sed omnium expectatio erat, quid maxima omnium; ac gravissima Crux referret, quæ ut populo obversa, omnibus risum movit: hinc quippe inscriptum, *mala uxor*; quam quisquis sentit, se maxime aggravare, hanc rogo ut majori in pretio habeat, & ardentiori affectu complectatur.

Paulus ad Hebræos 11. enumerat cruciatus, quos generosissimi athletæ pro Christo subiere: *Alii, inquit, distenti sunt, alii vero ludibria, & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.*

Scire vultis, quo in pretio hæc tormenta, acerbissimi hi cruciatus habendi sint? subdit Apostolus, *quibus dignus non erat mundus*. Quod Theophylactus appositè ad rem nostram exponens, ait: *Si universum mundi structuram huic opponas, non invenies tamen quod illis dignitate respondeat.* Pretium illis a plagis, & verberibus, mihi inesse videtur: quemadmodum nummis, qui tundendi, contundi, secari, plagis & verberibus durissimè excipi consueverunt, ut valorem, ut monetam, ut aptum pretium conquirant: a *Est autem homo nummus Dei*, qui utinam signaculum Crucis, & non pecudis, aut cacodæmonis impressum haberet, quod Ambrosius execratur, dicens: b *Ejice de numismate animæ tuæ imaginem diaboli, & attolle imaginem Christi:* ejice imaginem pecudis, & signaculum Crucis, animo & corpore, ac omnibus membris impressum gere. Vult, inquit Theodoretus, Salvator noster, c *ut cum pro signaculo in contemplationibus, & actionibus nostris habeamus notam ipsius Crucis scilicet, in omnibus tum dictis, tum factis imprimimus. Sic enim erunt ut numismata regia, non adulterina; sed imaginem regiam præferentia.* In dictis notam Crucis imprimimus, quoties maledicto, vel asperiori verbo, lene & amicum reponimus: quoties injurias, calumnias, detractiones illatas, silentio premimus, & apud Deum pro iis preces refundimus. Factis Crucis notam imprimimus, si mortificationem Christi, cum Apostolo ubique circumferamus.

Quisquis caret signo Crucis debito, quisquis hic nihil adversitatis, nihil calumniarum passus, paupertatis, infirmitatis perpessus est, nummus est diaboli; ut enim B. Ignatius epist. ad Magnesianos: *Homo pius numisma est à Deo cusum; impius, numisma ementitum, incertum, adulterinum, carens signo debito*, nempe Crucis.

Quare si hactenus fueris numisma, imaginem expressam habens leonis per iracundiam, lupi per voracitatem, canis per invidiam, serpentis per calliditatem, porci per immunditiam,

August. tract. 40. in Ioann.

b S. Amb. l. 1. offic. c. 49.

c Theodoret. in Cant. c. 8.

came-

cameli per gibbositatem, id est divitiarum, & adversæ fortunam, omnes denique qui à pecunia, diabolicæ pecuniæ, sibi nomen servant, hodie Crucis Christi imagine insigniti, se Domino suo reddant. Ad hoc omnes D. Augustinus hortatur: a *Reddite Cæsari nummos, Deo vos ipsos; nummos Regibus reddimus, Deo etiam nummos reddimus, cum nos ipsos reddimus: est enim homo nummus Dei: Nummus Cæsaris, est argentum habens imaginem Cæsaris, nummus Dei homo est, imaginem habens Dei, & quidem Crucifixi.*

Quam pauci aureis pistolis, coronatis, Ducatis, patacones his similes, Cruce Christi notati reperiuntur: in promptu causa est, quod non absque plagis, & adversæ fortunæ malleo, per frequentes ictus, & verbera hæc moneta imprimi queat. Invenies inter ea quæ Imagini primi sæculi Societatis patientis, inserui Emblemata, illud, ubi nummi excuduntur, cum hac epigraphe: *Dant pretium plagæ*; quas quisquis reformidat pretiumque Crucis imaginem in se recipere detrectat, nullius apud Deum pretii, ac valoris erit. Econtra vero, *dant pretium plagæ*, ut Poëta Belga lusit:

Gy siet de Platen van d'oude
Spaensche Platen/
Als die niet door den slagh het
Cruys in hebben staen:
Dan syn sy waerdeloos hinnen
sietse liggen gaen/
En al dan niemand prijs/
komt hen alleen van't slaen.

En als goed hier den mensch
gaet ist goed wil plaeghen/
Al dat de mensch slecht ten
meesten niet verdraeghen:
't Is in een een gelukkers
hant van blindensche wijs/
En slaet niet van de slagh
bringt met hem den prijs.

b Hoc probe norat S. Adelbertus Episcopus Pragensis, qui tanto ardebat Martyrii desiderio, & patiendi pro Christo, ut die quodam a Barbaris acriter fuste percussus, plenus gaudio exclamarit: *Benedictus Deus, benedicta misericordia Dei: si non plus accipiam pro Crucifixo meo, saltem unum ictum PRETIO mihi habeo.* Additque historicus hæc digna relatu: *Non sic margarita in sergento, non purpura Regis in sepulo, non facies rosæ terræ gremio: adhuc vero, nec aureus sol, sic relucet in cælo, ut in corde pio, ictus unus PRO CHRISTO hilariter exceptus.*

Quoties paterna Dei manus tibi ictum infligit, quasi a Mydæ contactu, pretiosus redditur, ictus gravis aliquot millium jactura, ictus gravis plurium mensium, imo annorum infirmitas, ictus gravis dilectæ conjugis, unici filii præmatura mors; sed hi ictus, hæc verbera, pretiosam monetam imprimunt: *Dant pretium plagæ.* *c* S. Vincentius divinus ille Ecclesiastes, dicit Egeam jussisse S. Andream *fustibus verberari.* At B. Andreas in quolibet ictu dicebat, *Jesus*, & confortabatur. Cum tortores lassati essent, alii validi adhibiti, qui novos ictus,

a August. tract. 40. in Ioan.

b Sur. in 23. April.

c S. Vincent. serm. de S. Andrea.

ac plagas infligerent, adeo ut viginti homines fuerint lassati; nos nullius pretii, ac valoris, apud Deum sumus, quia ne ictum tolerare possumus.

a Sic olim, vel ridendo, Philosophus verum dixit: quamvis, inquit, uxor mea aurea foret, nulla tamen moneta unquam signari posset, quia ne ictum ferre potest. Quod potiori jure in illos cadit, qui sine scalpro statuam effingere, sine pressurâ iconem excudi, sine ictu nummum signari, sine ullo denique doloris, morbi, calamitatis malleo, verum Christi Crucifixi numisma esse, & æstimari volunt.

b Refert Lauredanus Venetus, Principem fuisse, qui aureos nummos excudi jussit, quos *verbera* appellavit, alteros *furcas* vocitabat: cumque aliquando in cœtu nobilium, mercedem viro bellicoso, ob heroicum facinus conferre statuisset, palam edixit, ut illi *mille verbera darentur*; Alteri vero, qui obsequium plane insigne illi præstiterat, jussit *quatuor furcas* dari. Attonitis, qui forte aderant quibusdam ex terris dixerant Domestici, vos nescitis *cujus pretii sint hæc verbera ac furcæ*. Haud aliter Rex noster, suos quos diligit, non raro mille verberibus ditat, furcas & cruces donat: carnalis homo qui non capit quæ sunt Spiritus, harum pretium ignorat. Ita omnes Martyres, purpuratos illos Regni cœlestis Principes locupletavit. Satagite, *ut & probatio vestræ fidei, multo* PRETIOSIOR *auro inveniatur*. In quæ verba Hugo Cardinalis: *Quasi diceret, plus placet Deo, summo artifici fides*, quam in tribulationibus, morbis, miseriis, paupertate, fame, & siti comprobatis, *quam alicui artifici aurum materiale*. Quod si hæ quibusdam, licet pretiosæ, tamen nimis ponderosæ Cruces videantur, alias Hipponensis Præsul, minus carni onerosas, non minus tamen pretiosas proponit: *Duo*, inquit, *sunt abstinentiæ, & Crucis genera, unum corporale, aliud Spirituale, unum a potu atque epulis temperare, appetitum gulæ a delectationibus, & molestissimis suavitatibus coërcere: ab his quæ per tactum, & gustum, ullumque decipiunt sensum, viriliter revocare, ac violenter retrahere. Alterum abstinentiæ & Crucis genus est* PRETIOSIUS, *atque sublimius; motus animi regere, & perturbationes iræ, ac superbiæ impetus: quasi feram belluam refrenare, litigare quotidie contra vitia sua; increpare in quadam censura austeritatis & virtutis; & rixam quodammodo cum homine interiore congerere*, PRETIOSA IN CONSPECTU DEI, ET GLORIOSA CRUX, *cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examinatione discutere & regentis imperio subjugare*. Hoc Crucis genus, *pretiosius* atque sublimius, digne expendit, æstimavit, atque in se expressit S. Eusebia Virgo Romana, ut genere, ita virtute nobilis: Hæc è paternâ domo, & mundi deliciis profugerat, ut & castitatem illibatam,

a Apophtheg. Lycosthen. b Lauredan. ti. tribul. c 1 Pet. 1. 4.

d S. August. serm. in Nativit. S. Ioan. Bapt. e Bollandus 24. Ioan.

tam,& datam Christo,ceu sponso fidem servaret; tandemque multis in Religiosa vitâ perfuncta laboribus, ac cruciatibus, diem suum pie ac sancte obierat: cum ecce tibi illustre cœlo prodigium: ipso in meridie alto sole, sudoque aëre, apparuit corona è stellis micantibus contexta, in cujus medio Crux erat, miri candoris. Et hæc è cœlis imago, in qua illud ad nostrum institutum notari velim: Crucem stellis undique cingi, ut inde videas à Cruce ad coronas, ad stellas gradum fieri, *& Cruces tanto apud superos in pretio esse, ut stellis coronentur.*

Denique Crux tam pretiosa est, ut cum Christus omnia sua, velut testamento legasset: militibus vestes, *Iudæis corpus, Patri Spiritum, Virgini paranymphum, Latroni paradisum*, Crucem sibi reservavit, eamque præ omni lectulo Salomonis, pretiosissimam habuit,atque extremum in ea Spiritum exhalavit. Quem S. Andreas, totque invicti pugiles, qui in Cruce, & tormentis animam Deo reddiderunt,secuti sunt, de quibus Psaltes Regius,

§. 3.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Psa. 115.

Ecquis non pretium illud inæstimabile duxerit, quo non milleni aliquot aurei, non gemmæ, aut uniones comparantur, non vita hæc mortalis, quæ omnibus mundi opibus præstantior æstimatur, & medicinâ quamtumvis pretiosa adhibita conservatur, sed quo vita immortalis, gloria æterna, Deus bonum summum emitur? S. Cyprianus pretioso sanguinis sui ostro purpuratus Martyream declarat *pretiosam mortem esse quæ emit immortalitatem pretio sanguinis sui.* Ubi non abs re ingeniosus Italus, quæstionem movit,ut quid caput Ioannis Baptistæ in disco, in argentea lance, convivio illatum sit? animum certe barbarum,vivacius expressisse videretur, si avulsum caput, manu sua capillis prensasset, aut gladio impositum levis saltatrix intulisset; sed aureo sermone in morte pretiosa lusit Chrysologus: *Volo ut des mihi in disco &c. cur in disco? cur* PRETIOSE GESTAS *, quem viliter occidisti? nisi quia* PRETIOSA *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Digna certe patella edulio, qui viriliter occisus, pretiose à morte, aurea lance honoratur. Quam multi hic viles in vita visi sunt, in morte pretiosi exstiterunt? ut de iis dici possit, quod Poeta de vili animalculo:

Dum Phaetontæa formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta pedem:

a Ambros.

b S. Cyprian. epist 9. c Chrysolog. ser. 174. d Martialis.

Sic modo quæ fuerat vita contempta in mente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Invictus ille Heros Henricus Garnetus, apud Anglos, *vita in mente* quam vilis, merum peripsema: à morte quanto apud omnes in pretio fuit vilis festuca, quam gutta sanguinis ejus imbuit, *a* nunc auro includitur, & gemmis pretiosior habetur. Henricus ex infami trunco primum suspensus, mox fune præciso evisceratus, sectus, avibus vorandus exponitur: possum hic usurpare illud *b* Hugonis Cardinalis: ***Hæc mors licet abominabilis sit in conspectu hominum; tamen*** PRETIOSA ***est in conspectu Domini***, ut cœleste prodigium declaravit: *c* Etenim Ioannes Wilkinsonus, avidus nanciscì quidpiam de Reliquiis ipsius, propius accessit, ubi Carnifex corpus dissecabat: cum ecce tibi spica de circumfuso stramine, Garneti sanguine imbuta, nec opinanti defertur in manus, & ilico ingenti miraculo, *c* Garneti effigiem, vivis coloribus, cum coronâ, & *Cruce* expressam, non reliquis modo Catholicis, sed ipsi quoque Hispaniarum Regis legato contemplandam permisit. Quod ingeniosus vates, scilicet Anagrammate expressit:

Pater Henricus Garnetus:
Anagramma:
Pingère cruentus Arista.

Quid petit hic vultus sicca redivivus aristæ?
Quid frons? quid sacris ora locuta notis?
Nominis augurio, PINGERE CRUENTUS ARISTA
Granete, agnosco vultum, opus, artificem.

Martyrum cineres, ungues, pilos, vilissimas actenas, Sanctorumque Reliquias, in pretio supra aurum, & gemmas, atque omnes thesauros, longe pretiosiores esse, *d* Chrysostomus aurea plane oratione pronuntiavit, & S. Gaudentius. Hæc sacra Lypsana *pretiosam possessionem, divina munera, & cœlestia beneficia* suis Brixiensibus, à Deo munificentissime collata, impense deprædicat. Quid vero mortem adeo speciosam reddere, qua ratione consimilem quisque nostrûm adipisci valeat, candido suo calamo, è quo nil nisi mel fluxit, Bernardus *e* exponit Serm. 24. ex parvis: PRETIOSAM *in conspectu Domini mortem Sanctorum, facit aliquando vita, aliquando causa; in Confessoribus qui in Domino moriuntur, facit* PRETIOSAM *vita; in Martyribus, qui pro Domino moriuntur, facit eam* PRETIOSAM *aliquando sola causa, aliquando causa pariter & vita*; & hanc PRETIOSISSIMAM appellat, quam etiam omnibus obire non datur, addit: *& illa quidem mors* PRETIOSA *est*,

a Biblioth. script. Soci. b Hugo Card. in Psal 115. c Spondan. annal. anno 1605. n. vi. I.

d Chrysost. Orat. de S. Nicolao. Gaudent. serm. in dedic. Basil. 40. Mart. e Bern. ser. 24. ex parvis.

quam

quam commendat vita. Hanc vos omnes æmulari poteſtis, plebei, mæchanici, etiam mendici hanc pretioſam mortem nanciſci poſſunt. Errat profectò, errat, qui mortem illam vilem, abjectam, & contemptibilem ducit, quam quis in vaſta ſolitudine, omni humano ſolatio deſtitutus, cum Xaverio: quam in ſtramine, in vili domus angulo, cum Alexio, aut mendico Lazaro: quam ulceribus plenus in ſimeto cum Jobo: quam inter graviſſimos cruciatus, cum Andrea oppeteret. Aliter profectò nos ſentire docet Præſul Antiochenus hom. 66. in Gen. agens quam perverſa ſint hominum judicia: a *ne mihi*, inquit, *frigida illa verba, & inſipientiæ plena dicat aliquis, quod ille cane vilius eſt mortuus, nullo familiarium præſente, neq; ſepulturam & funus ejus contigerunt, ſi in alieno ſolo vitam finierit, aut in ſolitudine. Non eſt hoc, O homo, cane ignominioſius mortuum eſſe, ſed ſi caret virtutis amictu ſe tegente: nam plerique juſtorum, capite truncati ſunt, lapidati ſunt &c. at nullus de illis dicere auſus fuerit, quod ignominioſa ſit eorum mors; ſed Scriptura teſtante fatebitur: quia* PRETIOSA *in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Vides virum potentem purpureo in ſtrato, aureo in thalamo, in cubili, acu pictis peristromatis conveſtito, abaco pretioſa ſuppellectile inſtructo, circumfuſa nobilium ac Prælatorum turba animam efflantem: pompam funebrem ſplendidiſſimè adornari, mille funalibus colluſtrari, lugubri omnium campanarum ſonitu cèlebrari, exequias lautiſſime inſtaurari, ſi hujus mortem ex his beatam, & pretioſam duxeris, quantum halleris auſculta: b *Mors peccatorum peſſima*; etiamſi *domi ſuæ quiſpiam moriatur, & uxore, & filiis præſentibus, & familiaribus & notis adſtantibus; virtute autem careat, mala hujus mors eſt. Contra, etſi in aliena terra, etſi humi jaceat, quid dico in aliena terra? etiamſi inter latrones incidat, etiamſi a beſtiis devoretur, virtute autem præditus ſit*, PRETIOSA *ejus mors erit.*

Denique ut concludam, ſi cum Andrea in Cruce mori non detur, ſaltèm cum Cruce, in Crucis complexu mori contingat. c Tria illa quæ mulier Sareptana ſibi comparavit, pretioſam mortem faciunt: nempe *pugillus farinæ, paululum olei, & duo ligna.* His ſe ad mortem compoſuit. Pugillus farinæ Euchariſticum panem, in viaticum aſſumendum: paululum olei, quo ad extremam luctam ægroti inunguntur: duo ligna, quæ collegit d *ſignificant Crucem Chriſti, quæ ex duobus lignis fuit concinnata.* Expreſſius Auguſtinus: *quia duo ligna Crucem faciunt, quærebat moritura; unde ſemper eſſet victoria.* Et ad Fauſtum Manichæum, lib. 12. cap. 34, *vidua volebat duo ligna colligere priuſquam moreretur. Non hic ſolo ligni nomine, ſed etiam numero lignorum, ſignum Crucis exprimitur.* Duo hæc ligna, quam ſtudiosè ac ſolicite colligenda, quam pio oculo, & oſculo delibanda, quo affectu, am-

a Chyſoſt. hom. 66. in gen.

b Chryſoſt. cit. c L. 3. Reg. cap. 17. d Hugo Card. in l. 3. Reg. cap. 17. Aug. l. 50. hom. 18.

amplexuque ſtringenda, quam amicè compellanda, eximii ſanctimoniâ viri, ac fœminæ docuere; è quibus paucos ad imitandum propono.

a P. Alphonſus Rodriquez ſacro inunctus oleo, alienatus jam à ſenſibus, per triduum fere eo in ſtatu hæſerat, cum ſimulatque à Sacerdote Crucifixi imaginem accepiſſet, quaſi profundo quodam ſomno excitus, oculos aperuit, & facie, quæ ante palluerat, in ruborem versâ, Chriſti pedes religiosè exoſculatus, placidiſſimè exſpiravit. Ad quod ſaluberrimum, ac ſuaviſſimum oſculum, invitat & nos.

Varii SS. Patrum varias cauſas allegant, cui benigniſſimus Redemptor *inclinato capite* emiſerit Spiritum: *b* S. Athanaſius dicit jam omnibus conſummatis, Chriſtum nutu capitis morti annuiſſe, ut accederet. S. Bernardus *c* in ſignum ſubmiſſionis, alii hac inclinatione Matri extremum Vale dediſſe volunt, alii alia. In rem noſtram B. Laurentius Iuſtinianus: *Caput ſuum inclinavit mediator; ad indulgentiam,* ad oſculum pacis.

Iſtud à ſuo amantiſſimo Ieſu *d* S. Edmundus Cantuarienſis Antiſtes ardenter excepit, & reddidit, qui ſacro jam oleo delibutus, mira pietate, nec ſine lachrimis, Chriſti vulnera, ſed lateris præſertim, crebro & prolixius diſſuaviatus, illud *e* Iſaiæ concinebat: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Solent moribundi in ſupremo illo agone toti ſudore perfuſi, guttulas aliquot generoſi taleri, aquæ cinnamomi, aut alterius pretioſi liquoris, avido ore, ardentique pectore admittere; ſed præ his omnibus proderit pio oſculo *haurire aquas de fontibus Salvatoris.*

f Mirum ac maximè ſtupendum, quod in hiſtoria Indica refertur, ramum cujuſdam arbuſculæ, ſeu plantæ in Peruvia reperiri, qui certo indicio homini ægrotanti vel mortem, vel ſalutem prænuntiet: ſi enim hunc ramum alacer & lætus complexus fuerit, ſuperſtes futurus eſt; ſi mœſto animo, & languidis ulnis cum ſtringat, mortem imminere conſtat, idque reipſa anno 1562. in domeſtico Comitis de Nieva mancipio comprobatum. Quidquid de rei veritate ſit, hoc certum, qui ramum Crucis lætus & alacer complectitur, omen ſalutis æternæ habet.

Quam omni procul dubio Rebertus Cardinalis Bellarminus conſecutus eſt: ſpectaculum quippe jucundiſſimum erat intueri exoſculantem *g* Chriſti Domini, è Cruce pendentis effigiem, eamque arctiſſime complectentem; quem denique cum vellet ultimis obſequiis venerari, detracto ſibi pileolo, mãnu tremula, hoc ſalutiferæ Crucis ſimulachro, caput ſemel iterumque conſignavit: tum eandem ſuperimponere humeris, quaſi cum ea facturus iter, conatus eſt: demum ſuper pectus collocavit, & reductis brachiis ardentiſſime ſtrinxit, nec prius

a Biblioth. ſcript. Soci. b S. Athan. q. 76. ad Antioch. c S. Bern ſer. de Paſſ. d Vincent. in ſpeculo l. 31. c. 67. e Iſa. 12. 3.

f Monardes in hiſt. Indica. c. 74. g Silveſter Petra S. in vita l. 7. c. 1.

com-

complectendi, quam vivendi finem fecit.

a Talis mors pretio vel sit emenda mihi.

Sapienter *b* Sapiens: *Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.* Tempus enimvero tunc longe fieri ab amplexibus charæ conjugis, liberorum, omniumqumque rerum terrenarum, à quibus separat amara mors. Sed & *tempus* tum vel maxime *amplexandi* illum, qui vos in Cruce expansis brachiis tanto ardore complexus est. Hac pietate omnibus præluxit Monialis Cameraci, in Cœnobio S. Ursulæ, quæ semestri vitæ, postremo, identidem hos pios affectus B. Victoriæ, inter assiduos sponsi sui crucifixi amplexus ingeminabat:

b *Iesu mon cher amant, je n'aime rien que vous :*
Mon ame est vostre espouse & vous mon cher espoux.

c Hoc demum, aut illo, quo Magnus Apostolus (qui ut ait S. Thomas, *primus fuit Christianus*) amore Christi Crucem complectamur, atque hisce vocibus compellamus:

O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.

a Tibull. l. 3. el. 15. b Eccles. c. 3. 5.

b Barrii solitudo die 7. dissert. c S. Thom. in c. 1. Ioan. lect 15.

F E-

FESTUM SANCTI NICOLAI CONFESS. PONTIFICIS.

Sit Eleemosyna in abscondito. Matth. 6.



Incertum qua missa manu. Virg. l. 11. Æneid.

ARGUMENTUM.

PSaltes Regius Deum quidem mirabilem in omnibus operibus suis deprædicat : at nos eum vel maxime ? a *mirabilem in sanctis suis* : cum primis vero in Sanctissimo Myræ Præsule Nicolao ostendemus. In quo

a Psal. 67.

ut

ut ſtupenda quibus alii Sancti præditi fuere, mirabilia prope univerſa excelluerint; in eo tamen illum, potiſſimum vobis omnibus mirandum, & imitandum proponam, quod hæc omnia pretioſo humilitatis pallio contexerit, atque omnia ſua uno teſte Deo, *a qui videt in abſcondito* peregerit. A quo quam longiſſimè recedunt vani filii hujus ſæculi, qui omnia ſua agunt, *ut videantur ab hominibus*, atque fluxam & inanem, quam unice ſpectant, ab iis mercedem accipiant. Ubi & illi paucis perſtringendi, qui ſtatuis, aris, ſacellis, templis, quæ in Dei, Divorumque cultum, non levi impendio erexerunt, gentilitias teſſeras, & inaurata nomina præfigunt, quibus ut olim Phariſæi, velut tubis, vanitatem & jactantiam ſuam plenis buccis per urbem, & orbem proclamant, atque deblaterant.

§. I. *Sit Eleemoſyna* IN ABSCONDITO. Matt. 6.

§. II. *Cum facis Eleemoſynam, noli tubâ canere.* Matt. 6.

§. III. *Non modo Eleemoſyna, ſed & oratio in abſcondito facienda, juxta illud: clauſo oſtio ora patrem* IN ABSCONDITO. Matth. 6.

§. IV. *Et Pater tuus qui videt* IN ABSCONDITO, REDDET *tibi.* ibid.

a Matth. 5.

FESTUM SANCTI NICOLAI.

Sit Eleemosyna in abscondito. Matth. 6.

STupuit olim populus Israeliticus, & universa Ægyptus, signa & mirabilia, quæ Dominus omnipotenti sua manu operatus est: quæ ne unquam exciderent, hoc illos Moyses monitos voluit: a *Recordamini mirabilium ejus.* Nec hoc satis; sed ut & nati natorum, & qui nascuntur ab illis, perpetuam horum memoriam servent, ad ea filiis suis commemorandum, hortatur, dicens: b *Narrate omnia mirabilia ejus.* Hac aliaque longe excellentiora ac frequentiora, Spiritu prophetico prospectans c Hussæus vates, exclamat: *Qui facit magna atque mirabilia absque numero.* Ubicumque te verteris, O homo, quocumque oculos deflexeris, ubicumque animum intenderis, nunquam non admirabilia Dei, admirari licebit. Hæc ingens terrarum & aquarum moles, ex nihilo producta, dum medio in aëre d *Ponderibus librata suis*, immota constitit: lucidissimus ille mundi oculus, e *vas admirabile, opus excelsi:* defectus lunæ, ejusque influentias: æstus maris, ventorum turbines, quos profert de thesauris suis: quæ omnium ingenia exagitarunt, quomodo non in admirationem, & stuporem omnes rapiunt mortales? Subtilissimus Augustinus hæc attonitus spectavit, & præ cæteris, hanc mundi machinam mirabilem deprædicavit: f *Quidquid mirabile fit in mundo, profecto minus est, quam totus hic mundus.* Ut de potentissimo Rege nostro, cujus Assuerus typum gestit, illud usurpare possimus: g *Valdè mirabilis es tu Domine.* Mirabilis in plantis, mirabilis in floribus, mirabilis in fructibus, mirabilis in gemmis, mirabilis in volucrum plumis, in ferarum pellibus, in astris, in Luna & Sole, in cœlis, in elementis, in creaturis omnibus; sed super omnia h *mirabilis Deus in Sanctis suis.* Primum quidem inquit Hugo Cardinalis: *quia & mali mirabuntur de gloria Sanctorum,* Sapientiæ 5. MIRABUNTUR IN SUBITATIONE INSPERATÆ SALUTIS. *Et ipsi Sancti mirabuntur,* ut Isaias ait, TUNC VIDEBIS, ET AFFLUES, ET MIRABITUR, ET DILATABITUR COR TUUM. Pressius & expressius i *Hieronymus*: *In hoc mirabilis est Deus, quoniam ita dilexit humanum genus, ut signa faciat in Sanctis suis;* ac tandem subdit: *In illis magis mirabilis est Deus, quam in cæteris creaturis*: idque duplici ratione: potentissimos cælestis gratiæ affectus, Sanctis hic in terris communicando, ad prodigiosa virtutum, ac miraculorum facinora, majora quam ipsemet fecerit, patranda; tum in cœlis

a 1 Paral. 16. b Ibidem. c Iob. cap. 9. d Ovid. Metam. l. 1. e Eccl. 43.

f August. de civit. Dei. g Esther. 15 v 17. h Ps. 67 Hugo Card. in Ps 67. i Hieron. in Ps 67.

a *admirabile lumen* gloriæ, ineffabili modo illis impertiendo, ut ore lacteo mellifluus Doctor prædicavit: *mirabilis planè Deus in Sanctis suis, non modo in cælestibus, sed etiam in terrenis; utrobique Sanctos habet, & in utrisque mirabilis est; illos quidem beatificans, illos sanctificans.* Cumque in omnibus Deum mirabilem prædicet, in uno tamen, idque in viro plane admirabili, maxime mirandum, & quodammodo mirabilissimum proponere videtur: hic est Nicolaus, inquit, b *cujus miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terrarum, & qui habitant in eo: tot enim & tanta miracula, cumulantur, ut omnes literarum argutiæ, ad scribendum vix sufficiant, nos ad legendum; & licet scholarium numerus in incude Rhetorica, sub Quintiliani, vel Ciceronis malleis, tenuissimas orationum laminas extendat; superat tamen gloriæ confessoris vocem & mentem, linguam & conscientiam: crebrescunt enim quotidie mirabilia, nec requiescit Spiritus Dei ad memoriam militis sui, sua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis invocatur: denique qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini, & Nicolai per Dominum mirabilia in profundo.*

Quid ni hic omnes in festivas illas laudis voces prorumpimus? *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* E purpuratorum senatu, acclamantem audio Doctorem Seraphicum: c *Inter omnes Sanctos, temporibus suis, maximis miraculis claruit, & stupendis. Sicut de eo Sancta Ecclesia in oratione dicit: Deus qui Beatum Nicolaum innumeris decorâsti miraculis.* Aliorum Divorum miracula ac stupenda prodigia, studiose colligi, ad calculum revocari, facile potuerint recenseri; at *innumera*, quæ sanctissimus hic Pontifex patravit *miracula*, calamo exprimere, lingua enarrare, verbis circumscribere, novum foret miraculum. d *Nec putetis*, ait alter S.R.E. Cardinalis: *Nec declamatoris est loqui, vel venustate Rhetorica exaggerare splendorem, cum totus mundus beneficia sentiat Confessoris nec sit qui te abscondat ab amore ejus. in testimonium sunt peregrinationes ad Sanctissimum illius corpus à finibus terræ susceptæ, ut videantur quæ per eum fiunt mirabilia*; verum enimvero suspiciant alii hæc mira, Myrensis Antistitis facinora, ego de Nicolao, quod de Malachia Bernardus, verissime pronuntiaro: e *Inter multa magnaque miracula, maximum miraculum quod fecit, ipse fuit.* Leonardus Justinianus Patritius Venetus, Beati Laurentii Justiniani frater, sic de Sancto Nicolao: *Infantem autem hunc, quis dubitet* in ipso statim nativitatis exordio, divino fuisse munere afflatum, sanctificatumque? & quod mireris in hac infantuli ætate, luculentum sanctitatis adfert testimonium: *non prius Nicolaus vivere, quam Deum venerari, non prius comedere, quam jejunare cœpit:* virtutem quippe cũ

a 1 Petr. 2 S. Bern. ser. 1. in dedicat. Eccles. b Sermo secund. de S Nicolao. c Bonavent serm. 1. de S. Nicolao.

d B. Pet. Damianus sermone de S. Nicolao. e Bernard. de S. Malachia apud Lipomannum.

lacte ab infantja suxit, atque à primis incunabulis; diebus Mercurii & Veneris, semel in die, idque sero vespere tantum, maternum lac admisit; quam consuetudinem jejunii, per omnem deinde vitam sacrosanctam habuit. Pergit porrò disertissimus Encomiastes: a *Ab ipsa sua infantia, in summa virtute & sanctitate cœpit: ut in Republica Christiana nemo propè Sanctorum omnium, Nicolaum laude facilè anteiret.* O non virum, sed infantem plane admirabilem! qui necdum puer, jam Divis omnibus quodammodo exæquandus proponitur: *Tu electus ab utero, Sanctus à puero.* b Atque hoc primæ ætatis tyrocinium, celeberrimum præstantissimarum virtutum omnium seminarium aperuit, ut in illum aptissimè hoc Ecclesiastici c cadere videatur: *Non est inventus similis illi.* Si quando aliquam summis laudibus in cœlum extollere cupimus, hæc summa Encomiorum esse videtur: *Non est inventus similis illi.* Maxima laus mercatoris: sedulus, intelligens, industrius est, demum: *Non est inventus similis illi.* Causidicum, legisperitum, in Bartolo & Baldo exercitatum, Codicem, Pandectas ad unguem tenere, palam deprædicaveris, sed nihil splendidius attuleris, quàm: *Non* d *est inventus similis illi*: filiam à forma, à gratia commendare statuisti? omnibus prætuleris, si Tulipæ, quæ *non parelle*, vulgò vocitatur, contuleris, hoc Encomio adjecto: *Non est inventa similis illi.* Ita ubi

a Iustinian. cir. b B. Petr. Damian. serm. de S. Nicolao. c Eccl. 44.

de sanctimonia vitæ, cæterisque animæ ornamentis agitur, virum incomparabilem duxeris, cui hoc Ecclesiastici competit: *non est inventus similis illi.* Quod ut Ecclesia & aliis Sanctis voluerit esse commune; nostro tamen, de quo agimus tutelari, propriissimè adscribi posse, sapientissimus discipulus edocuit; qui expendens illud: d *non est inventus similis illi*, sic ait: *Hæc verba ad honorem Sancti Nicolai cantantur: quia quilibet Sanctus in aliqua virtute eminebat, in qua nullus similis fuit, potest dici de cunctis, non esse inventum similem illi, in illa scilicet virtutis perfectione. At Nicolaus superavit in cunctis; in hoc apparet mirabilis sapientia Dei, quæ in tanta multitudine ac varietate Sanctorum, tantam ponit differentiam meritorum, in quibus Nicolao nullus similis fuit.* Tria sunt quæ admirandam Dei potentiam nobis ingerunt, à paucis tamen observari solita: primum est, neminem lineamentis vultus sui omnibus, totoque corporis habitu, esse alteri omnino persimilem; quod Plinius, observatè asserens: *in facie*, inquit, *vultuque nostro nullas duas in tot hominum millibus, indiscretas effigies enitere. Quod ars nulla in paucis numero, præstet affectando.* Alterum est, quemadmodum nullius hominis vultus, sic etiam nullius conscientia, similis est. Tertium, tot hominum millia, quovis die emoriuntur; nullus tamen eodem penitus moriendi modo, eodem in statu, ac gradu virtutum & meritorum, quo al-

d Discipulus serm. 4. de S. Nicolao.

tei:

ter; unde cum gloria indivisibiliter gratiæ respondeat, quid mirum, facies Sanctorum omnes esse diversas, ac de quovis verissime asseverari: *Non est inventus similis illi*: quin imo inter se maximè diversas & veluti contrarias habent virtutes. S. Martinus: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*; Contra S. Philippus Nerius, se damnandum putabat, si ulli mortalium se utilem esse in animum induceret. Sanctus Paulus: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*; S. Ignatius etiam incertus de salute, optat hic in terris, si major Dei gloria, vivere. S. Ambrosius in morte securus, *quia*, inquit, *bonum Dominum habemus*, S. Hilarion vero: *septuaginta annis servivisti Deo, & mori times*? in quibus omnibus elucet, quam *mirabilis Deus in Sanctis suis*. Peculiariter tamen eum in Sancto nostro admirari convenit, quia ut alii in aliâ perfectione, ab altero discreparint, at Nicolaus superavit in omnibus. Contemplare quæso omnium Divorum illustria facinora, opera egregia, præstantissima virtutum ornamenta, & quam hæc omnia in uno Nicolao præfulgeant, attendite: a *Nicolaus etenim habuit octo privilegia, in quibus non est inventus similis illi: primum quod in pueritia sua cœpit servire Deo. Secundò quod nunquam mortaliter peccavit: hoc significatum est in hoc, quod Baptizandus erectus stetit in pelvi, in hujus stabilitatis documentum. Tertiò miraculosa electio, exemplo Apostolorum, vox de cœlo lapsa est, ut eligerent Nicolaum; fuit electus invitus, exemplo Christi, qui fugit. Quartò innumera miraculorum operatio. Quintò quia omnium virtutum charismate repletus obiit, & Angeli cum canticis animam ejus deduxerunt in cœlum. Sextò quia post mortem fuit gratiosè sepultus: nam de ejus tumba, emanat è capite fons olei, è pedibus fons aquæ, in hac annotatur gratiæ abundantia, in illa abundantia misericordiæ Divi Nicolai. Septimo quia confidenter in cœlum assumptus; non enim dæmones timuit. Octavo quia festum ipsius in Ecclesiâ solemniter celebratur, & nullius (tum temporis alterius Confessoris nisi Sancti Martini.) Ergo non est inventus similis illi*: quia unus *Nicolaus superavit in omnibus*, quæ cum non dico exornare, sed vel enarrare quam innumera sint, valeamus; unum dumtaxat, in quo omnia continentur, more meo persequar, & quoniam libentius, cum b Bernardo fateor, *imitandis immoror, quàm admirandis*, manifestè comprobabo, totius vitæ, omniumque virtutum splendorem ex eo traxisse, quod eas *maxima omnium virtutum, humilitate cumularit*; id unicè in omnibus sectando, ut ex ipsius cælestis Magistri præcepto, omnia sua opera faceret in abscondito. Quod ut & nos discamus,

§. I.

SIT ELEEMOSYNA IN ABSCONDITO: Matt. 6.

LUctus ille acerbissimus, mœror is longè gravissimus censendus est, quem non com-

a Discipulus cit.

b Bern. serm. de S. Malach. c Bern. serm. de S. Joann. Bapt.

plo-

plorationes, lamenta, feminei ululatus, non fusæ ubertim in amici sinum lachrymæ proloquuntur; sed qui alto animo infixus hæret, qui intra cordis sinum reconditur, qui sui spectatorem non habet, consolatorem erubescit: illæ amarissimæ afflictorum lachrymæ, quæ, teste luna, quæ in penitioris cubilis angulo tacitè resorbentur. Ut scitè Poëta: *a*

> *Ille dolet verè, qui sine teste dolet.*

Et Ovid. lib. 5. trist.

> *Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus,*
> *Cogitur & vires multiplicare suas.*

Consimili ratione eam penuriam acerrimam, eam indigentiam acerbissimam dixero, quæ nemini mortalium perspecta, sua ipsa viscera depascitur, quibus fama potior est fame, dumque ingenuo pudore mendicare erubescunt, perire malunt, quam prodere; quibus qua Methodo occurrendum sit, Sanctus Nicolaus docuit, qui divitias omnes in pauperes dilapidavit, adhoc ingenio etiam usus, b *ut secreto Eleemosynam faceret*, uti tum fecit cum tribus puellis, quas noverca paupertas prostituere parabat, dotem tribus noctibus furtim per fenestras immisit: ut pudori, & una pudicitiæ earum, in abscondito consuleret.

Factum hoc extollit Doctor Seraphicus, sermone secundo de Sancto Nicolao: c *Humilitas magna fuit, quando ad nuptias filiarum*, CLAM *aurum projecit*. Quod si penitius rem inspicere velimus, uno hoc in opere multiplicem virtutem delitescere Dionysius Carthusianus manifesto demonstrabit, qui sermone secundo sic ait: *Nicolaum ornavit Deus præcipua liberalitate, & maxima pietate, & fervida charitate: quæ omnia patent. In facto illo clarissimo, quod fecit in juventute sua.* Quod ut & vos æmulari studeatis, scitote Eleemosynam dandam pauperibus absconditis, & *in abscondito.* Disputat *d* Plutarchus, quonam modo adulator ab amico dignoscendus: in eâ disputatione mentionem injicit Arcesilai Lacedæmoniorum Regis, qui, Apellis Chii jam ægrotantis paupertate cognitâ, revisit ad eum, & una secum viginti Drachmas attulit; cumque jam officii causâ, ægroto assideret: hic quidem ajebat nihil est, præterquam Empedoclis elementa:

> *Ignis, aqua, & tellus, aque ætheris ambitus almi:*

Et tu etiam, mi Apelles, incommode cubas, patere tantisper dum cervical erigo, simulque movens pulvinar, clam pecuniam subjicit, ut homo verecundus quod desiderabat, potius inveniret, quam acciperet. Quod præclarum modestissimi viri factum extollit Seneca, atque una quemadmodum egestati *in abscondito* consulendum sit, discer

a Martialis. b S. Antoni. part. 2. tit. 3. c. 3. §. 2.

c Bonavent. ser. 2. de S. Nicolao d Plutarch. de Adulatoris & amici discrimine tissi

tissimè docet : a *Præcipiunt*, inquit, *omnes autores sapientiæ, quædam beneficia palam danda, quædam secreto, palam, quæ consequi gloriosum est, ut militaria dona, ut honores, & quicquid aliud notitia pulchrius fit. Quæ verò succurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt: ut nota sint solis, quibus prosunt; interdum & ipse qui juvatur, fallendus est, ut habeat, nec à quo acceperit, sciat.* Tum Lacedæmoniorum Regem in exemplum adducit: *Arcesilaus amico pauperi, & paupertatem dissimulanti, ægro autem, & ne hoc quidem confitenti, deesse sibi insumptum ad necessarios usus; cum clam succurrendum judicasset, pulvino ejus ignorantis, sacculum subjecit, ut homo inutiliter verecundus, inveniret potius quam acciperet.* Heu! quoties in urbibus familia est, in qua maritus æger decumbit, sex septemve liberi, fruges consumere nati, uxor re familiari occupatissima, cum marito ægro, tum culinæ & foco assidet: & nemo est in familiâ qui victum possit lucrifacere: nec panis est, nec quod molant habent, nec quod pinsant; Interim & indoles ingenua, & educatio honesta, & fortuna ante hac splendida, cogit cum extremâ pauperie clam luctari, & ulcus suum tenerrime cum sensu tegere. Hi sunt fallendi, ut habeant, nec à quo acceperint, sciant. b *Quid ergo? ille nesciet à quo acceperit. Primum nesciat si hoc ipsum beneficii pars est; denique ille nesciet accepisse se, ego sciam me dedisse, parum est, inquis: parum si fœnerare cogitas; sed si dare quo genere accipienti maximè profuturum erit, contentus eris te teste*: Contentus eris & alio teste, quem Romanus Philosophus non suspexit, contentus nempe eris teste Deo, hic oculis spectandus est; ut humanum declines, studiosè per alienas manus, quasi per cuniculos alimenta subministrando: hæc cautela potissimum Principibus in Republicâ viris ac matronis servanda, ne ineptè gloriolæ fucus insidietur.

c Quare quam id tuto egerit Maria Maximil. II. vidua videamus, hæc cautior fuit, quam ut peti posset ab illo hoste; sed argenti aurique summas, amicorum intimis secreto dabat, ut designatis, quod sagaciter indagarat pauperibus, ipsi deferrent, ac darent. Gregorius Nazianzenus patrem suum non immerito laudat, quod totas largitionis habenas, matri concesserit, eam potissimum ob causam, ut in occulto daret, & ne laus ad se redundaret. In summo Ecclesiæ solio vix ullus Sol effulsit, qui calore tam miti, tam largo pauperes calefecerit, atque Gregorius XIII. cujus liberalitas, ut orbi nostro ignota esset, novum sibi orbem quæsiit, & ad ipsos antipodas penetravit: in ipsa namque orientali India, plurima collegia condidit, ad juventutē moribus & litteris formandam. Hoc autem non annumerandum stipi, quæ usque adeo excrevit, ut ex Senatus consulto Romæ huic Pontifici, patri pauperum statua, in Capitolio erecta sit, cui hoc encomium inter cætera inscriptum marmori legitur:

a Seneca l.2. de beneficiis cap.9 & 10.
b Seneca cit.

c Rho. exem. vide l.4. c.13. §.1.

f Septer-

Sestertium octingenties singulari beneficentia in egenos distributum: sunt ipsi duo miiliones seu vicies centena millia aureorum.

Mitto, quæ ad modestissimi viri commendationem, & ad propositum nostrum faciunt plurima: non dare illi summa cura erat, nisi *occulté* daret. *Nam si quos palam accipere, personarum dignitas aut pudor vetabat, hos in cubiculum seductos, aureis onerabat, sæpius monitos ut eam largitionem occultam haberent*; Hunc Nicolai Pontificis Christianum æmulatorem jure verbis Isidori Pelusiotæ *b* deprædicato: Eleemosynam, inquit, singulari amore complectebatur; id tamen studiosè captabat, ut „obscura & incognita esset ea „benignitas; quod exploratum „haberet, Eleemosynam in hoc „maximè sitam esse. Idcirco „clarus ille vir non modo largiendo, sed etiam occulte id faciendo, eos qui in *fornace paupertatis* versabantur, velut rore quodam perfusos recreabat. Non semel dira fames, & extrema penuria honestum virum compulit perobscuro vespere potentioris, cui planè ignotus, ædes pulsare, & summo cum rubore manum, auro olim immergi assuetam, ad stipem porrigere: huic te Nicolaum exhibe, & occasionem tibi oblatam gratulare, ut ignoto & occulto, inter quatuor oculos, manum auro implere, & beneficium conferre queas. Hoc sapientis *d* monitum est: *Conclude Eleemosynam in sinu pauperis*: conclude: hoc est, absconde, ut legit Optatus Milevitanus; sicut absconditur semen jactum in agro per occasionem, ne ab avibus, & harpyis infamibus devoretur: Propitiatorium jussit Dominus alis Cherubinis obtegi & velari, Exodi. 25. *Vtrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum.* Scite hic Oleaster: *Cherubini extendent alas suas, tegentes propitiatorium. Considera quæso quid te hic admoneat Deus; summus benefactor est, & nihilominus tectus; ut te doceat benefacere, & nolle videri*; adeò ut sua bona occultare, divinum quid spiret.

Hoc nos docuisse videtur Sapiens *e* cum ad apem considerandam solicito misit: *Vade ad apem, & vide quomodo operaria est.* Sanctus Antiochus hom. 33. *Vir intelligens ingeniosam, & solertem imitatatur apiculam, quos externè selegerit flosculos, defert in alvearium, internè mellificium, favumque operosius conficit; ne labores suos illi gloriosa exponat.* Araneæ similis est, non ingeniosæ apiculæ, quæ se quodammodo eviscerat, ut leve & inane opus omnium oculis exponat, nulli usui profuturum: Ingenio ac solertiâ opus esse in dando, vero omnium olim plausu cecinit *f* Poëta:

Crede mihi res est: ingeniosa dare:

Quod & optimus morum Ma-

a Rho. virtut. hist. l. 4. c. 3. §. 8. b Isidor. l. 2. epi. 151. c Isaiæ 48. d Ecclesi. 29. v. 15.

e Prover. 6 f Ovid. l. 1. Amor. el 8.

gister

gister *a* tradidit: *Errat, si quis existimat facilem rem esse donare; plurimum ista res habet difficultatis*, ut quis sciat ubi, cui, quando, quomodo dandum. Hinc Regius Psaltes beatum deprædicat, non eum qui Eleemosynam elargitur, sed *b* *qui intelligit super egenum & pauperem.* Quid sibi vult hoc *intelligere?* Sanctus Leo Papa sermo. 4. de Collectis: *Ad intelligendum super egenum & pauperem, solicita benignitate vigilandum est, ut quem modestia tegit, & verecundia præpedit, invenire possimus: sunt enim qui palam poscere, quibus indigent, erubescunt: & malunt miseria tacitæ egestatis affligi, quam publica petitione confundi: Intelligendi ergo illi sunt, & ab occulta necessitate reservandi, ut hoc ipso amplius gaudeant: cum & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori, liberandi propter hoc, à damnatione perpetua: nam in die mala liberabit eos Dominus*: Ille intelligit super egenum & pauperem, qui tacitus secum consulit, quo pacto viduæ pauperculæ, vel pupillæ vel orphano in periculo animæ constitutæ, vel ægroto, vel ob debita in obscurum carcerem detruso, opitulari possit. Hoc mellco sermone Ambrosius *c* inculcat: *videndus*, inquit, *est tibi pauper qui te non videt; Requirendus ille qui videri erubescit: clausus in carcere occurrat tibi, ægrotus mentem tuam personet, qui aures non potest personare.* Vultque aures non tantum præberi pauperum precibus, sed oculos in vestigandis clancularii necessitatibus: nosocomia & carceres obeundo, aut saltem per transennam calceo qui è custodiâ dependet (ut hic moris) nummũ imponendo, ipsosq; ægros ab omnibus desertos lautâ Eleemosynâ juvando. Diogenes interrogatus, quid in vita miserrimum videretur? respondit: *Senex egenus.* Hic enim bis ægrotus est, & senectutis morbo, & mendicitatis malo; Iuvenis quippe manuum labore, vel aliis serviendo, vel per varias partes discurrendo, sibi opem ferre, & inopiam sublevare valet; at senex pauper, nihil horum potest. Consimili fere modo Cassiodorus, illud: *Intellige super egenum*, exponit, ut qui Eleemosynam erogat, non expectet donec pauper multo rubore suffusus, illam ab eo efflagitet, sed ejus indigentiam intellectu subodoretur: *Nam qui petenti tribuit*, inquit, *bonum opus efficit; qui vero tacentem intelligit, beatitudinem sine ulla dubitatione conquirit.* Beneficentia secundum se divina quædam res est; & quamvis secretum sit beneficium, & nemo noverit beneficium, & nemo noverit benefactorem, hoc ipso tamen quod beneficium sit, quid magnificum est, & planè divinum. Quot & quanta munificus Deus, in te tuosque contulit beneficia, quæ ignoras, quæ clam, quæ te inscio, te dormiente largâ, sed occultâ manu effudit? & ipsum benefactorem ignoras; illum

a Seneca l. de vitâ beatâ c. 24. b Ps. 4. c Amb. l. 2. de off. c. 26.

illum imitare: etenim *magnum opus est Eleemosyna*, clamat *a* Augustinus, *ut faciat homo, quod facit Deus*: & quemadmodum facit Deus, qui occulte nobis benefacit. Aurum in venis terræ *b* *Deus noster absconditus* operatur: quid non in corpore & animo clam nobis ipsis produxit? unde idem *d* Hipponensis Doctor, expendens illud *beatus qui intelligit*, quemque vestrum adhortatur: *Imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit.* (Et per fenestras, & rimas clam penetrat interiora domus cubilia) *ecce veniet tibi pluvia antequam roges, descendet ubertas nocte, dum stertis, dum adhuc in lecto es: ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur, jactat Cælum & parturit terra, tot cellaria messium, dum nescimus: sic accipimus, & tantas opes comedimus antequam rogemus. Magnum opus est Eleemosyna, ut faciat homo, quod facit Deus*: Deus pascit in sylvis, in deserto volatilia cœli, nudos & implumes pullos, ventis & pluviæ expositos non destituit; fac & tu homo *quod facit Deus*: nudos & famelicos pauperum puerulos pascendo, & vestiendo: Quidam in *e* Germania cum liberos suos, domesticos illos pullos, præ inopia alere non posset, memor pietatis ciconiarum, stultitiam simulans, eos in nidum Ciconiarum imposuit, tamquam ab ipsis, nutriendos, quod insolens spectaculum, omnium animos, oculosque in se convertit, ejusque inopia prospecta, Magistratus commiseratione ductus parvulos enutriri curavit. Plures hodierna die parentes, cum extrema penuria conflictantes, ejusmodi pullos suos palam enutriendos exponerent, nisi pudor vetaret, hos tu solerter investiga, nidos lustra, pasce & clanculum necessaria suppedita, e *sic facies homo, quod facit Deus*: Munera nobis sic elargitur Deus, nec videtur, quemadmodum in monialium claustris, ubi per trochleam (de Schupf) vinum & bellaria quandoque amicis apponunt, nec vident, nec videntur. Libro Iudicum cap. 6. Gedeon petiit à Domino, in signum liberationis populi sui, ut pluvia descenderet super vellus, quod & Deus præstitit. Quo prodigio adventum Domini præsignatum fuisse docet Ecclesia; dum dicit: f *Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum.* Ut quid pluvia in vellus? Hispanus Ecclesiastes in rem nostram, hoc mysterium observat: pluvia cum super nudam terram cadit, strepitum excitat, maximè si in lapides decidat; at super mollem lanam, silenter & insensibiliter cadit: significare quippe voluit Deus, se ad nos sine strepitu, facilè & in silentio venisse, eo more quo eum *g* Isaias describit: *Verè tu Deus absconditus es*: quo enim magis absconderet copiam & abundantiam divitiarum suarum, quam sub panni paupertate, qua erat

a Aug. lib. 50. hom. 31. b Isa. 45. c Aug. hom. 39. & 54. d Aldrovandus l. 20. ornitholog. de Ciconia.

e August. cit. Labata. tit. humilitas, prop. 10. f Isa. 45.

involu-

involutus: & majestatem quam sub tanta humilitate, & omnipotentiam quam sub brachiis fasciis constrictis? a *idque ut nos, abscondere nos, & nostra doceret.* Ut quæcumque agimus *Deo abscondito*, virtutum opera tegere, & *in abscondito* exercere, atque in occulto super egenum & pauperem intelligere, discamus. Eluxit in eo, & nobis omnibus præclarè præluxit Archidux Albertus: is Bruxellis viro nobili, quem inaudierat Martis infortunio ad extremam penuriam redactum, quemque ingenuus pudor stipem emendicare vetabat, indies è mensa sua duas tresve lances, optimis eduliis instructas per servum peregrinum deferri mandabat, cui hoc cautum, ne unde cibi submitterentur, indicaret: hæsit vir nobilis ad primos missus attonitus; at dum die insequenti, & tertio, & hebdomadis, & mensibus; & annis quibus vixit deferrentur, incredibile quanti homo ille occultum hoc beneficium & benefactorem suum quantumvis ignotum æstimarit, ac pro ejus incolumitate millies Patrem, *qui videt in abscondito* deprecatus sit. Hoc enimvero est *intelligere super egenum*, hoc est odorari prædam, hoc intrinsecam, non quæ in superficie est, indagare miseriam. Præclarè è Purpuratorum senatu b B. Petrus Damianus: *de quibus ubique non manifeste sed occulte pauperibus, quanta sit retributio, Propheta designat, cum ait; Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: super pauperes quippe pannosos, & bulgiosos, perasque gestantes, intellectu non indigemus, quos utique manifesta visione conspicimus; super ipsos autem pauperes debemus intrinsecus intelligere, quorum in superficie non possumus miseriam prævidere.*

Quo in genere nihil illustrius eo, quod de viro Apostolico, zelo Dei pleno, S. P. Theodoro van Munster refertur, qui Bruxellis, triginta millibus peste infectis extrema c Sacramenta administravit. Hic à viro quodam nobili mensæ adhibitus, & exquisitam ferculorum lautitiam, & confertam lancium copiam demiratus, pro ea qua valebat apud hospitem suum auctoritate, libere monuit, dicens: ***Tanta hic, Domine mi, ciborum & ferculorum abundantia, quid si unam alteramve lancem, in pauperis tectum deferri cures?*** Quæ verba cum Dominus domus, aut se percepisse negligeret, aut consultò præteriret; iterato Pater Theodorus eandem postulationem disertè ingessit: cui benignè Dominus annuens, pergratum sibi fore dictitavit, quidquid P. Theodorus decerneret. Hic itaque accito famulo, unam optimè instructam lancem, in manus tradidit, eique mappam instravit, solerter admonens, rectà in forum pergeret, & caute observaret: cujus ad ædes mappa vento exsufflaretur, eas subiret, atque hanc Eleemosynam deferret; pergit actutum famulus, mappa vento excutitur,

a Lobata. cit. b B. Pet. Damianus opusc. 11 cap. 1.

c In 't leven van de Medegesellen van den H. Franciscus.

hæret è vestigio famulus, advertit se ad ædes stare, bipatentibus valvis, frontispicio ad ostentationem magnifico, conspicuas; ea propter cum in animum inducere non possit, eo lancem inferendam, sed potius injuriam domesticis inurendam, domum, ut ierat, reversus est, quem P. Theodorus conspicatus, rei eventum ab eo sciscitatus est; cui famulus, quid sibi accidisset ingenue confessus, nec ausum se in amplissimas has ædes Eleemosynam deferre. Jubetur iterum eandem lancem mappa coopertam portare, & observare, ut prius, ubi vento excuteretur; atque eccum ad ejusdem domus postes vix pervenerat, cum illico mappa difflatur, quo, divino veluti prodigio confirmatus, ædes pulsat, admittitur, subit, & numerosam prolem, forte siliquis porcorum sese farcientem comperit. Si hodierno die ejusmodi lances, aut sportulæ, instratis mappis per urbem missitarentur, quoties, & ad quot ædes, etiam amplas & magnificas excuterentur? qui bysso quidem induuntur, sed non epulantur quotidie splendide, frigido & mucido pane famem tolerantes: sic etiam Booz permittens pauperi Ruth colligere spicas ex agro suo, præcepit messoribus dicens: a *de vestris quoque manipulis, projicite de industria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat:*

Quæritis & vos expertissimi, consultissimi, amplissimi, nobilissimi Domini, quomodo Eleemosynam in occulto facere possitis? Tu Domine Nobilissime è tuis manipulis, aliquot verecunde mendicanti objice: Tu Domine medice, pauperum tuguria, etiam intempesta nocte subire ne detrecta, ut eorum morbis medelam adferas: Tu Domine causidice, legisperite, causas viduarum ac pupillorum justissime perage, tuere, idque gratis, & *pater qui videt in abscondito, reddet tibi.*

a Ruth. 2.

§. 2.

CUM FACIS ELEEMOSYNAM, NOLI TUBA CANERE. Matth. 6.

Moris olim apud Hebræos, tuba convocare pauperes, quo fiebat ut quando, quoties, quo, ad cujus ædes confluerent, tota urbe innotesceret. Quid autem Judæi hoc clangore spectarint, diviné more suo Doctor Angelicus exponit; b *Tuba autem est omnis actus, vel sermo, per quem operis jactantia demonstratur: puta qui facit Eleemosynam, quando aliquem videt præsentem, vel intercedente aliquo sed etsi in loco secreto faceret eo proposito ut laudabilis videatur, tuba est.*

Christus Hierosolymis ad gazophylacium sedens, & veluti comœdiam spectans, silentio adspiciebat quomodo turba pecunias gazophylacio immitteret, & *multi*, ait c Marcus, *jactabant multa*, expende illud *jactabant*; ingentes quidem nummos, sed cum magno strepitu projiciebant, ut audirentur ab aliis.

b S. Thom. in Matt. c 6. c Marci 12.

Ec-

Ecquis dixerit placuisse Christo sonoram illam, auri & argenti jactationem? cum viduam quæ duo minuta modestè misit, præ cæteris collaudarit? Utinam etjam non hoc tempore, Judæis hisce multi consimiles reperirentur, qui dum Eleemosynæ sub sacram concionem colliguntur, honestiorem nummum argenteum, cum strepitu jactent, obolum aut teruncium, verecundè subdunt! utinam non multi, multa jactarent se quotannis in pauperes effudisse, & hoc domesticis, hoc posteris notum esse vellent! dum hoc plenis buccis deprædicari gaudent, in rationibus suis hoc exaratum relinquunt. Bonorum operum alis, in cælum sustollimur; sed si strepitum nola ediderit, Stygius accipiter, Tartareus prædo, nos insequitur, deorsum retrahit, omnibus privat, & in miserandam servitutem redigit: Ingeniosè id expressit in symbolis suis Didacus Savedra, falconem pingens, qui è vinculis emissus, nolas pedibus appensas, rostro dissolvere conatur: sibi quippe timet, ne audito strepitu, accipiter advolet, ac misere deplumet & dilaniet: cui hoc lemma subjecit:

Fama nocet.

Magna & rara virtus, nosse suam occultare famam, atque adeo omnem ingenii, scientiæ, excellentiæ, pietatis cavere ostentationem; sed hæc omnia naturæ, & gratiæ dona, quasi sub cineribus abdere.

Tametsi perdifficile intra pectoris angustias flammam, id est gloriæ famam cohibere, quæ undique emicat, & novam indies appetit materiam, quo magis accendatur & luceat. Quo fit, ut dum vanum hujus seculi splendorem sectatur, verum amittat. Pulchre Gregorius: a *Quisquis se, beneficus in alterum, extollit, majorem culpam superbiendo meruit, quam mercedem largiendo acquirit: fitque nudus dum nudum vestit.* Quod vel ipsi gentiles vitandum & detestandum duxere: apertissimeSeneca: b *Nihil æque in beneficio dando vitandum est, quam superbia; quid opus arrogantia vultus? quid tumore verborum? ipsa res se extollit. Detrahenda est inanis jactatio, res loquentur nobis tacentibus, non tantum ingratum est, sed etjam invisum, beneficium superbè datum*: Qui Eleemosynam elargitor ut videatur, non illam dat intuitu divino, sed in gratiam suæ vanitatis, instinctu Diaboli, & hostis infernalis, unde Chrysologus rectè observat à Deo cautum, ne Elemosynam daturus, tuba canat: c *Bene, inquit, tuba: quia talis Eleemosyna hostilis est*; atque ibidem aureè prosequitur, dicens: *Deus arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famem.* Methodum suggerit optimus humilitatis magister, Redemptor noster: d *Nesciat sinistra, quid faciat dextera tua, ut sit Eleemosyna tua in abscondito.* Chrysostomus hic, tantam solertiam ad tegendam Eleemosynam adhibendam putat, ac si Redemptor noster diceret

a Greg. l. 21. m r. c. 14. b Seneca lib. 2. de benefic. c. p. xI. c Chrysol. serm 9. d Matth. 6.

ceret. a *Si possibile est teipsum ignorare & ipsas manus latere possibile esset, studiosissimum est tibi id curandum*, adeo fugiendi sunt arbitri & spectatores, ut si vel sinistra manus oculos haberet, ab his eleemosynæ subducendæ sint, sed quo pacto sinistra manus scire, intelligere, aut ignorare quid potest? respondet divus Thomas: b *Quorundam opinionem esse, qui velint* SINISTRÆ *nomine, uxorem significari, ut quoniam in re familiari, tenaciores pecuniarum solent esse fœminæ, lateat eas, cum aliquid viri alienis impendunt, propter domesticas lites evitandas.* Ex quo conficitur, ut omnia Conjux conjugi arcana velit esse communia, hanc in miseros beneficentiam, uxore clam esse debere. Sed ut germanam hujus loci intelligentiam assequamur, summum Ecclesiæ Doctorem, c audiamus: *Sinistra videtur significare delectationem laudis; dextera vero intentionem rectam.*

Theophrastus, cui nomen dedit loquendi divinitas, cum antea *Tyrannus* vocaretur, in Aristotelis sinu educatus, ingenio atri, veloci, & planè igneo, ad eam gloriam effloruit, ut à Cicerone Philosophorum eruditissimus, & elegantissimus fuerit appellatus: ad duo auditorum millia habuit; cum annum octogesimum excessisset, moriens ad Discipulos conversus, hæc illis novissima verba, *in vita plus esse* dixit, *vanitatis, quam utilitatis; amore autem gloriæ nihil esse inanius!* ita animam exhalavit; pulcherrimè si quando aliàs Theophrastus.

Nunc quod postremum est, perstrepant manus, orantem.

Orationem quoque in abscondito fieri docet, non in angulis platearum, ut à transeuntibus conspiciantur, quod ibidem loci præcipitur.

§. 3.

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Matth. 6.

QVæ d Princeps Theologorum non sic accipienda esse exponit, quasi in templo, in locis divino cultui consecratis, et etiam in conferta hominum multitudine, orare nefas foret: docet enim *non ad locum hoc referri, quod ait Dominus, sed ad propositum* (& intentionem) *orantis: in conventu enim fidelium orare laudabile est, sicut dictum est: in Ecclesiis benedicite Deum. Qui ergo, sic orat, ut ab hominibus videatur, non Deum aspicit, sed homines,* quales sunt ii, qui palam pectus tundunt, pronos se adsternunt, terram lingunt, altos gemitus emittunt, uberrim lachrimas fundunt, atque hæc omnia, e *ut videantur ab hominibus*. Hæc studiose devitanda Christianus Tullius præcepit: *Orans ergo nihil novum facias, quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus extendendo.* Per ostium quoque domus, intelligit os corporis claudendum, ut *non clamosa voce oret, quia. 1. Deus est cordis auditor. 2. quia secretas orationes tuas, non oportet alterum scire. 3. quia clamosè orans, alterum juxta te, non permittis orare.*

a Chrys. in catena D. Thom. Matt. 6.
b S. Thomas ex c. e August. sermon. in monte. Greg. 3. part. pastor. cap. 21
c S. Thom. in Matth. c. 5.

d S. Thomas hic. e Chrysost. in catena D. Thom. in Matth. c. 6

Mitto

Mitto hic, de quibus alibi egimus: Quæ

Vt spectent veniunt, veniunt spectentur & ipsæ.

Alterum est, plurimum conferre ad attentionem, devotionem, & omnem inanem gloriam fugiendam, in domus angulo, clauso cubiculo, secreto oratorio Deum precari. Ita venerandum Antistitem nostrum Nicolaum orasse legimus, & totam noctem etjam orationi vacasse.

Conformiter Chrysostomo Theophylactus in c. 6. Matthæi, verum ac materiale cubiculum requirit, ut domus non sit, quæ non habeat suum Oratorium, seu Orationis locum, ad quem te per diem & noctem recipere, aut certe mane & vespere, tecum & cum Deo colloqui, intra conscientiæ latebras addere, interiora omnia rimari valeas. Hoc Angelici Doctoris votum est, ut quisq; usurpet, qui expendens illa verba: a *intra in cubiculum tuum*, sic ait: ***Per diem mille te circumdederunt causæ, & non permiserunt te esse secretum Orationi, sed quando ad lectum perveneris, dic animæ tuæ: anima, quomodo expendimus diem? quid boni, vel mali fecimus? Roga Deum prius, & sic animæ tuæ soporare permitte. Sic faciebat Iudith, sic Petrus, sic Tobias.***

b Hanc oportunitatem quoq; spectabat sancta Marcella, matrona Romana, quæ frequenter sacras Apostolorum ædes adibat, sed secreto atque eo tempore, quo norat nullum populi concursum.

B. Joanna, qua præstantiorem corporis forma Principem, non *c* Lusitania modo, sed nec orbis spectavit: intempestæ noctis silentio, se strato proripiebat, & in sacello domestico, clam omnibus in preces ac lachrimas prefusa, non raro etiam aspero in se flagello sæviebat.

Quam vero Stygius hostis has lachrimas & in angulo fusas preces oderit, argumento est, quod Beatam Magdalenam (quam *Angelique* nuncupabant *d*) ex Ordine S. Dominici, ab hac pia consuetudine deterrere voluerit: immanis ursi specie, angulum illum, in quo precari solita, occupando; donec afflictam Dominus solatus, monstrum fugavit, atque in eo ipso angulo, illi apparens, suavissime ad consuetum sanctæ contemplationis locum invitavit, dicens: *Veni, accede amica mea, quia ego hic sum.* Quo in angulo, ut postea Confessario exposuit, liquidissimis cæli deliciis perfruebatur: & sanctum Vincentium Ferrariensem, se istic visitasse, ac consolatam fuisse affirmebat.

Nolim hic recensere lachrimas, cilicia, flagra, omnesque corporis afflictationes, quas Religiosæ animæ clausis cellis: austeritates quas teste luna Anachoretæ in antris & speluncis, in cryptis terræ exantiarunt. Prætereo Hedwigim Ducissam Poloniæ, prætiosum stratum in cubiculo habuisse, & semper in duro cubuisse: Claram adhuc puellam, sub Damascena Cyclade, Borgiam Ducem sub holosirico thorace, aspera cilicia occultasse. Pœnitentiæ porro, & austeritates & jejunia, in abscondito

a S. Thomas cit. b Barry l'Année S. p. 3 c. 7. pract. 12.

c V. Fronell. de Regib. Lusit.
d Barry cit.

condito facienda sunt, unde Dominus ait: a *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.* Sciebat enim, b inquit S. Thomas, *gloriam vanam ex omni bono opere procedere.* Non vult jejunantes tristem faciem, caperatam frontem, os pallidum præ se ferre; sed ut Chrysostomus c docet, *longè se facere debet ab ostentatione jejunii, ita ut si fieri possit, ita dissimulet, ut jejunans epulari videatur.* Quam praxim non raro à viris Religiosis observari vidi, qui in mensa maximè occupati videbantur; cum interim pio dolo, genium fraudarent, atque ab iis quæ maximè appetebant, omnino abstinebant.

Profecto qui recte facta sua spectari desiderant, & plausum populi venantur, omniaque agunt, *ut videantur ab hominibus*, ii non probi Christiani, sed leves Comœdi, & ridiculi histriones ab Ecclesiæ Doctoribus jure appellantur, qui ut plurimos sui & spectatores & laudatores habeant, d *omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, & ut appareant hominibus.*

Quo omnes Ethnici, atque utinam soli, collimarunt. Diogenes ille Cynicus, ut omnium ad se oculos & ora converteret, rigidissima hieme, nudum se, spectante turba, frigida aspergebat, ut totus glacie obrigesceret; omni populo commiserante, simulque vitæ rigorem demirante, forte Plato illac pertransiens, cui histrionis hujus vanitas comperta erat, id unum turbæ insusurravit: *Si vultis misereri, abite.* Simili sensu de homine vano, & inani gloria turgido S. Gregorius: e *Quando non sperat laudem humanam, cessat à bene operando.*

Nostis quem Plinius f laborum suorum fructum cœperit; ipsum audite: *Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo; ego vero gaudeo, & gaudere me dico.* Et vero ut hominis inanitatem videas & rideas, scito totam gaudii materiam fuisse, quod nescio quæ anicula transiens alteri dixerit: *Vides hunc? Plinius est.* Quam vanum & insanum homunculum, magnum laborum suorum, & lucubrationum fructum, grandis ille sapiens affirmabat, dicens: *Verum fatebor, cepio magnum mei laboris fructum.*

O stulti Mortales! hæccine omnium laborum, vigiliarum, jejuniorum, eleemosynarum, operum bonorum fructus est; Amabo vos:

> g *Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est;*

Planè vacuum quid, & inane. Hoc inter Gentiles Romanus sapiens h recte censuit: *gloria vanum & volatile quiddam est, auraque mobilius.* & ô Dementiam non ferendam! ut tam pretiosas virtutum merces, tantillo *ut videantur ab hominibus*, vendamus. Quam te deceptum & illusum agnosces, ait Gregorius, cum apertis animæ oculis, clarè perspicies te eo quo regnum cælorum comparare poteras, inanem nominis famam, & merum,

a Matth. 6. b S. Thom. in catena. c Chrysost. ibid. d Matt. 23.

e S. Greg. l. 7. mor. c. 24. f Plin. l. 9. epist. g Iuvenal. Sat. 7. h Seneca, epist. 123.

fu-

fumum sectatum fuisse: a *qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni momenti, vili pretio venalem portat.*

Ecquis Artificum tam stolidus, qui rem vel minimam, ob solam laudis humanæ mercedem conficere, ac vendere percuperet? Sartores, sutores, fabros adi; eorum opera ac operam mercede laudum etiam ingentium: calceos in publicis choreis: vestes quoque ab innumeris convivis spectandas, artem & artificem laudandum atque alio consimili encomiorum plaustro, frustra emere tentaris. Præclare *b* Paschasius in illud Matth: *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Sic ait: *Dic quæso, quis unquam Agricola quamtumvis rusticus, ideo colit agrum, & seminavit, tantum ut videatur ab his, qui transeunt? vel quis unquam, quamvis stultus sit, finem laboris sui collocat in aspectu hominum, & nihil ex eo amplius requirit?* Qua stultitia utinam non Gentiles modo, sed & Christiani, & omne genus hominum laboraret! Quisque enim in se ipsum descendat, & verissimum illud Augustini *c* effatum deprehendet: *Hanc maculam non habere, aut paucorum, aut nullorum est*, qui in operibus etjam virtutis & pietatis, humanæ laudis affectu non ducantur: *d* quorum in numero censendus est Monachus ille, qui in cantu suo, mirè sibi complacebat, atq; ex eo populi plausum tam studiosè captabat, ut cum alias taciturnior esset, & confusum quid mussitaret, diebus solennioribus (quibus frequentiorem, nec vulgarium personarum, ad templum concursum noverat) vocem notabiliter super alios efferebat, disertissimeque cantabat. Quæ vanitatis aura præcipuos quandoque Ecclesiastas non leviter afflavit, qui non planctum concionis, sed plausum sectantur, ut videantur & audiantur ab hominibus. Hinc è primis Ecclesiæ Patribus Augustinus: *e difficile,* Gregorius *rarum*, Bernardus *mirabile*, Hieronymus *impossibile* dictitarunt, virtutibus ac bonis operibus, inanem gloriam quandoque non admisceri. Hoc porro vitium ut perniciosissium sic & subtilissimum est: alia vitia homines sceleratos, hoc etiam sanctissimos infestat. Unde non injuria *f* S. Thomas, expendens illud *attendite* ne justitiam & nos admonet, quanta solicitudine, & cautela inanem gloriam fugere debeamus: *præ omnibus enim vitiis carnalibus, periculosius hoc esse in hominibus* (Dominus) *intellexit: cum enim omnia mala servos diaboli vexent, concupiscentia vana gloriæ magis vexat servos Dei.*

Ab ipso gloriæ contemptu persæpe inanis gloria enascitur, & eos quandoque qui omnem mundi gloriam jam pridem videntur proculcasse, fortissime aggreditur. *g* Disertissimus Antistes hac de re sic differit: fit sæpius ut cultissima fœmina ex omni mundo muliebri: aut Eques torquatus ex omni suarum vestium splendore, tanto-

a S Greg. l. 8. mor. c. 28. b Paschasius l. 4. in Matt. c. 6. c Aug. ser. 29. de temp. d Lancicius opusculo spir. 3. c. 3. pag. 104.

e Lanuza tract. 2. part. 2. §. 5. n. 133. f S. Thomas in Matth. c. 6. g Lanuza tract. 2. part. 2. § 5.

pere sibi non complaceat, quantum monachus pauper, pannosus, in pauperrimi monasterii angulo residens, è pannis, è cucullo lacero, & male sarto: è nudis pedibus, ex inculta barba, è vacua cellula, sibi vanitatis inanis gloriæ ac æstimationis vel à suis, vel à vulgo emendicet; ut si olim Philosophus Philosophum promissa barba, ac scissa tunica sapientem sese venditantem, verè sugillavit: *per scissuram pallii, inanitatem tuam conspicio*, timendum sit, ne per exteriorem austeritatis ac sanctitatis speciem, sese quid inanitatis, ac vanitatis ostentet. Unde rectè Chrysostomus: *Cum omne malum ex malo nascatur, sola vana gloria de bono procedit*: atque ex ipsis virtutibus hoc vitium crescit & vires assumit. Omnia insecta, ranæ, mures, glires, vermes, lendes, ex putri materia gignuntur, ac fœtidissimus hic vermis vanæ gloriæ, semine recenti, prodit & generoso: ex larga eleemosyna, è rigido jejunio, ex habitu aspero, è prolixis precibus, ex concione fervida ortum ducit: nulli statui, ætati, ordini, aut sexui parcit, atque omne robur virtutis ac medullam enervat, vigorem omnem ac virorem bonorum operum depascitur.

Quam volupe fuit Prophetæ Jonæ sub viridi hedera meridianti? unicus vermiculus omnem amœnitatem turbavit, omnem viriditatem fecit exarescere. Vigent subinde opera nostra ac virent, veluti arbor feracia diffundens brachia, sed iis aut irrepit, aut innascitur superbiæ vermiculus, qui rodendo, aut mordendo, omni momento facit emarcescere.

Quam ob rem à Divo c Basilio *dulcis spiritualium opum spoliatrix, jucundus animarum nostrarum hostis, blandissima deprædatrix* appellatur.

Attendere ergo oportet diligenter, & observare sedulo furem blandè ac dulciter irrepentem, & spoliantem.

Penetrat claustra Monialium, cellas Monachorum: involat in cathedras Theologorum, in suggestus sacrorum Oratorum, in actiones omnes, omni loco, omni tempore, quocumque nos vertimus, *callida insidiatrix, & blandissima deprædatrix* sese insinuat. A qua, quam maxime cavendum monet d Gregorius: *In præsenti etenim vita, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus; maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via.*

Viatores ut quod portant aurum custodiant, an non illud calceorum soleis, cingulo, thoraci, pileo insuunt, in ipsum denique ventrem & viscera ut olim Iudæi in obsidione Hierosolymis, recondunt.

Hebræus Rex e Ezechias, Thesauros suos perdidit, quia eos Regis Babylonii legatis ostendit. Obvia hic nobis similitudo est, quæ à gallina vulgo petitur: hæc quia ovo posito glocinat; ipsum

a Apophtheg. Licosth. b Chrys. in Matt. c. 6. D. Thom. in catena.

c Basilius in constit. monast. c. 11. d S. Greg. hom 11. in Evang. e 4. Reg. c. 20.

amit-

amittit: ita quippe iis contingere solet, qui cum excellens aliquod opus perfecerint, quam primum ab aliis illud sciri, videri & prædicari cupiunt.

Quid quod hæc *blandissima deprædatrix*, pyraticam exerceat & maxime sanctis velut navibus onerariis locupleti merce repletis insidietur, atque in ipso portu quandoque omnibus spoliare nitatur: cujus rei funesta exstat tragœdia Anachoretæ illius, qui omnem vitam in angusta specu, herbarum radicibus & frigida sustentarat: carnem assiduis flagris diverberarat, noctes prolixis precibus traduxerat, jamq; portum salutis prospectans, tranavit è Styge Pirata, qui splendidum omnium virtutum encomium exorsus, ut alium Eliam curru igneo rapiendum, supremum inter beatas mentes, solium, è quo Lucifer deturbatus, psi præparatum dictitabat; qua inani gloriæ titillatione, ita sibi placuit, & animo elatus est, ut vita functus. omnibus anteactæ vitæ meritis privatus, ad inferos præcipitatus sit.

Quam miseri jacturam, gravissimamque ruinam Seleuciensis Antistes *a* amarissimè deplorat hisce verbis: *O sortem lugendam! post multa jejunia, post durum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post uberes effusas lachrimas, denique post annorum 20. vel 30. abstinentiam* (ab inanis gloriæ latrunculis) *omnibus spoliari, & similem omnino fieri Mercatori cuidam diviti, qui in portu naufragium fecit omnium, quæ tanto labore & sudore parta.*

a S. Basilius hom. 12. in principium Proverbiorum.

O sortem lugendam Doctores Theologos, sacros oratores, viros Religiosos, Apostolicos, misericordes, in pauperem effusos, per inanem gloriam, *omnibus spoliari.*

Qua super re, juvat *b* Angelici Doctoris audire sententiam: *Nullus*, inquit, *peccando meretur vitam æternam; unde opus virtutum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etsi illa inanis gloria, non sit peccatum mortale.*

Atque ita fit, dum de bono opere, aut vitio devicto gloriamur, quid 1. Machab. 6. Eleazaro accidit, qui dum elephantem regium sibi sumit sternendum, sub ipso elephanto quem recîdit occubuit, remansitque suo triumpho sepultus. *Ita*, inquit *c* Gregorius, *sub hoste quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat, elevatur.*

At nonnihil hic quæstionis movetur, qua ratione Christus actiones bonas lucere coram hominibus velit, eas nihilominus abscondi jubeat & tegi? ergo dicet aliquis in conventu, in plateis, in triviis neganda est misericordia? Plane in omni loco, omni tempore facienda est misericordia, præbendus victus, nuditas tegenda; sed sic quomodo docuit misericordiæ Auctor, ut misericordia non terræ, sed cælo sit nota: non homines spectes, sed Deum. In plateis, in triviis, in publico pietas habet secretum, si testes homines non requirat. Sic sensit Primas *d* Theologorum; *Quomodo potest fieri ut*

b S. Thom. 22. q. 132. a. 2. ad 2. c G eg. l. 19. Mor. c. 13. d 1. Thom. in Matt. c. 5.

non coram hominibus eleemosynam faciamus? aut si fiat, quomodo, non sentiemus? si enim præsente aliquo occurrerit pauper, quomodo dabitur ei absconditè? Sed considera, quia non dixit, ne tantum coram hominibus faciatis; sed subdit, ut videamini ab eis. Qui ergo non ideo facit, ut ab hominibus videatur, etsi coram hominibus fecerit; non tamen coram hominibus fecisse videtur: qui enim aliquid facit propter Deum, neminem videt in corde suo, nisi Deum propter quem facit. Sicut artifex cum semper habet præ oculis (etsi opus ab aliis videatur) *qui opus faciendum commisit*, & propter quem laborat.

Diversissima itaque sunt videri, & velle videri, primum quandoque necessarium, alterum semper flagitiosum. Hæc Petrus Chrysologus *a* oratione disertissima complexus: *quomodo*, inquit, *justitiam vult cal.ri, cujus opera sic cupit elucere? Fratres, hic præceptio cælestis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, submovere inanem gloriam. Iustitia quæ per se, sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit.*

Ubi eam aliquando controversiam motam fuisse memini: num sacris anathematis, argenteis candelabris, aliis in usum sacrificii donariis: sepulturis marmoreis, aris, sacellis, templis pia munificentia à se erectis, aut instauratis nomina, insignia imaginem apponere, per se vanum, vitiosum, aut culpandum sit? Ad quæsitum valet cum primis illud Gregorii: *b* honestò hoc fine, ac optima intentione fieri, nec debita sua apud Deum mercede frustrari, *si per hoc quod foris agimus, laudes exterius non quæramus*; sed hæc velut pietatis monumenta liberis ac posteris relinquamus, ut & ipsi hanc pietatem æmulari studeant: *sic autem opus sit in publico, ut intentio maneat in occulto; ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.*

Atque ita viros ab omni vanitate alienos factitasse legimus, ut de Simone Machabæo testantur sacræ paginæ: *c Ædificavit Simon* (qui vir consilii nuncupatur) *super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito, & statuit septem pyramidas patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam æternam.*

d Antiquis item Christianis usus propriorum insigniorum non fuit incognitus, ut pluribus Theophilus Raynaudus de virtutibus & vitiis.

Altera super eodem argumento, *ne videant opera vestra bona*, quæstio ventilatur, an suas virtutes, exercitia pietatis, divinos favores subinde aliis enarrare ac manifestare non liceat? Respondent asceticæ vitæ Doctores, id non nisi rarissimo & justissimis de causis, ut Hæreticos confunderent, infirmos confirmarent, maledicis fidem derogarent, Dei gloriam amplifi-

a Chrysolog. serm. 9.

b S. Greg. hom. 11 in Euang. c 1. Machab. c 13. d L. 6. Sect. 1, c. 16.

carent

carent à Sanctis peculiari Dei impulsu vel pia simplicitate factitatum esse, ut fusè Lancicius noster, è quibus quædam delibasse sufficiat. Constat imprimis sanctam *a* Gertrudem visiones suas cælestes conscripsisse, atque ut ab aliis legerentur, posteris reliquisse.

S. Vincentius Ferrerius prædixit Alphonso, eum fore Papam, & se ab eo canonizandum; quod quinquaginta post annos, tertio mense sui Pontificatus fecit. Idem palam pro concione prædixit, Bernardinum Minoritam tunc ibi præsentem, sibi supervicturum; prius tamen quam ipsum, canonizandum iri.

B. Clara de monte Falco cum super maxime implexas ac subtilissimas Theologiæ quæstiones, præclare ac dilucidè duobus Theologis responderet, illis attonitis, candide exposuit: b *Scitote*, inquit, *me à Domino accepisse talem scientiam, ut si tota schola Parisiensis me interrogaret, sine mora resolverem quodvis dubium, & quæstionem mihi propositam.*

Eadem sæpe suis indicavit, totam Christi Passionem se cordi habere impressam, ut ea mortua in exenterato corde compertum est, sed & hoc fatebatur: *Si à toto mundo honoraretur, se nullam inde mutationem, vel initium vanæ gloriæ habituram.*

c B. Baptista Verona suam ipsa vitam & in ea virtutes, raptus, revelationes quæ ad commendationem propriam maxime faciunt sua manu exaravit, additque à Christo, didicisse se remissa sibi omnia peccata quoad culpam & pœnam, &c. 6. nomen suum in Christi corde aureis literis scriptum, ab ipso cælesti sponso sibi ostensum esse.

Denique P. Poloncus per opportunitatem S. Ignatium familiariter percunctatus num Dei dona sibi concessa aliis communicando, nil pruriginis vanæ gloriæ persentisceret; responsum accepit ab Ignatio: se in hac parte nil sentire, nec ullum vitium minus metuere: *quinimo scias, Polance, me millesimam partem Dei donorum mihi concessorum patefacere. Et si sancti quorum vitas habemus, plura dona non habuerunt, quam ea quæ de eis leguntur, cum nullo eorum, mihi divinitus concessa commutarem.*

Legi, inquit *d* Lancicius, hoc annotatum in libro archivii Romani, in quo primi Patres societatis dicta & facta S. Ignatii annotarant.

Quæ omnia divini illi homines, ab omni pruritu vanitatis & inanis gloriæ remotissimi, vel in utilitatem proximi, vel ad hæreticorum & obtrectatorum confusionem, quodque propria fama ad majus Dei ac Religionis obsequium necessaria esset, potissimum vero ea non ex se: sed Dei consilio, ac peculiari providentia, sæpius alienati à se declararunt, ut posteris imitationis exemplum, ac bonitatis Dei testimonium relinqueretur: *tunc enim, ut* D. Bernardus *e* loquitur, *juxta mandatum Domini lux tua lucet coram hominibus ad glorificandum non te, sed Patrē qui in cælis est.* Sic P. Virgilius Cepari-

a Lancic. opusc. spir. 8. c. 10. in fine.
b Baptista Pergilius in vita p. 2. c. 17.
c Chronicon S. Francisci part. 4. tom. 2. l. 7.

d Lancic. e Bern. ser. 13 in Cant. in vita.

Cepariusb.Magdalenæ dePazzis à confessionibus refert hancSanctissimam Virginem in quodam raptu a. 1586. 11. Augusti, qui per quatuor dies duravit, locutam esse cum Deo, ac hisce verbis auditam piè queri: *O amorosum verbum! dic mihi rogo te, quare in me contulisti tot res intra se solum & me notas, & nunc vis ut ego eas manifestem.*

Verum enimvero cum eæ rationes in nobis rarissime locum habeant, ne spiritus superbiæ nobis congenitus decipiat, diligenter invigilandum est, & ut monet Gregorius Papa; *subtili inquisitione necesse est, ut semetipsum animus investiget, ne forte suæ laudis gloriam quærat, & animarum lucra se quærere nostra cogitatio simulet: sæpe enim sui nominis laude animus pascitur, & quasi sub obtentu lucrorum spiritualium, cum de se bona dici cognoverit, lætatur.*

Quare non hunc futilem plausum, non ut videamini ab hominibus; sed ut uni Deo placeatis atque æternam ab eo mercedem consequi valeatis, spectandū est.

§. 4.

Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.
Matth. 6.

S. Thomas & Augustinus exponunt hæc, & addunt: b *Reddet tibi* PALAM: *impossibile est enim, ut opus bonum hominis in abscondito dimittat Deus, sed in hoc sæculo* (non tantum in futuro) *manifestat, & in illo glorificat.* Ex æquo Deus certare cum Nicolao visus est, ut ubicumque ipse se occultabat, clarius elucesceret: Nicolaus in ultimos orbis fines, in terram sanctam profugerat, invitum & invitum, non aurum sed cælestis curæ spiritus donum reduxit. Nicolaus intra septa monasterii sese abdiderat, & voce divinitus immissa, in urbis Præsulem assumitur.

Sanctissimus Antistes Florentinus refert Nicolaum noctu in somnis, cum longissimè abesset, apparuisse, c Constantino Imp. qui ter geminos tribunos, læsæ Majestatis ab Eparcha Præfecto, falsò accusatos, in vincula conjectos, morti adjudicarat: atque eo vultu, ac vocis sono Imperatorem deterruisse, ut hac arcana monitione commotus, ipsos captivos non solum manu miserit; sed ad Nicolaum amplissimis muneribus instructos, cum publica honoris ac venerationis significatione, ipsos captivos legatos destinarit, dicens: *Ite & famulo Dei gratias agite, & Deo qui vos per eum liberavit.* Atque ita quæ Nicolaus clam & per noctem soli subindicarat, hisce velut tubis per orbem universum non sine sanctitatis fama, percrebuerunt.

Qui origines & scaturigines fontium scrutati sunt, liquido demonstrant, aquas quæ in subterraneas venas, abstrusæ delitescunt, hoc sublimius scaturire, & in lucem prorumpere, quo profundiori alveo coarctantur; haud aliter quas in abscondito, in angulis, in antris, lachrimarum rivos fudit: quasque in occulto eleemosynas profudit,

a S. Greg. hom. 9. in Ezech. b S. Thom. cit.

c S. Antonin part. 2. tit 93. c. 3. §. 7.

beni-

benignus Dominus in fontes fecit palam ebullire: *etenim ex sepulchro ejus honorifice*, ut S. Antoninus *a* testatur, *duo fontes emanant, unus oleo fluens*, quo innumeræ medicinæ opera, *exhibet*, *alius aqua, ad sanitatem populorum.*

Demum qui latere studuit, hunc tot prodigiis cælestibus Deus constravit, ut instar solis, sanctitatis suæ radios ac miraculorum fulgorem per orbem diffuderit. Unde in Lombardia a hi-storia *b* *Nicolaus Sol omnibus salutaris exortus* vocitatur.

Itaque quacunque tentationum nocte, adversitatis turbine, quousque morborum ac malorum procellis involvaris, quisquis salutis amans es, hunc *solem omnibus salutarem*, respice, invoca, & constanter implora. Ad hoc, eleganti nos parænesi aliorum exemplo hortatur *c* B. Petrus Damianus: *Si coruscationes fulgurant, & procellis detonantibus à supernis vindicta procedit, Nicolaus in Patronum assumitur, Nicolaus dulciter inclamatur. Si tempestas sæviens, & crudelitas maris, navigantibus mortem intentant, Nicolaus flebiliter exoratur, ut audiat, suppliciter invocatur ut veniat, ut eruat misericorditer, acclamatur.*

Quamque invocantibus præsto sit, insolens & multis inaudita testatur historia. *d* Vir dives, aureum vas in in anathema Divo Nicolao devoverat, quod cum ab aurifabro artificiose plane cælatum esset, ita huic viro placuit, ut suis illud usibus asservans, pretium ejus, ac auri tantundem secum deferens, una cum uxore ac filio conscensa navi, ad sancti Nicolai ædem iter instituerit, Iam tranquillo mari ferebantur, dum forte parens urgente siti, haustum vini ex aureo isto scypho sibi propinari postulat: filius promptus scyphum unda eluere nitens, pronus in undas delabitur, & demergitur.

Unica hic in rebus desperatis, in sancto Nicolao, quasi in sacra anchora, fiducia, sed frustra. Mœsti parentes iter suum peragunt, aurum in D. Nicolai ara reponunt, quod extemplo cunctis inspectantibus excutitur. Tum culpam suam parentes multis cum lachrimis detestati, voti se reos confessi sunt: atq; eccum filium salvum & incolumem scyphum aureum manu tenentem, templum subintrantem conspiciunt; vas Divo tutelari offerunt, quod una cum filio S. Nicolao acceptum referunt.

Quid mirum ergo, si ludat idem *e* Purpuratus Pater: *in testimonium sunt peregrinationes, ad sanctum illius corpus, à finibus terræ susceptæ, ut videantur, quæ per eum fiunt miracula*: qui captivi liberentur, ægri curentur, mortui in vitam revocentur. Unum referam, inquit *f* S. Bonaventura (quantus Auctor?) duo latrones nobiles & divites, multumque secum auri deferen- „ tes, Athenas ad Philosophiam „ pergentes, prius sanctum Ni- „ colaum videre volentes, ut se „ ejus orationibus commendarent, in civitatem in qua degebat „

a S. Antoninus cit. b F. Jobar to. 6. in Ennar. l. S. Ser. ... c Damian. ser. de S. Nicolao d Vincent Belovac l. 13. c. 13.

e Pet. Damian. ser. de S. Nicol. f S. Bonav. serm. 1. de S. Nicol.

„ Episcopus, advenerunt: quos „ hospes tam divites cernens, „ maligno spiritu pulsatus, „ eos occidit, & more porcorum in frusta concidit, „ & eorum carnes in vase „ salivit. Quod sanctus Nicolaus „ ut ab Angelo cognovit, in „ domum hospitis mox accessit & quidquid fecerat, indicavit: eumque valde redarguit, & tandem orando, pueros suscitavit.

Invocandus itaque & nobis, in omnibus periculis, tum corporis, tum animi, & præsidium ac patrocinium certo adfuturum, sperare jubet ejus plenitudo gratiarum, quæ tanta, ut possit in omnes Christianos redundare. Unde sicut Virginem misericordiæ Matrem gratia plenam exoramus, ut in nos miseros sua fluenta derivet; ita post Mariam hic nobis peculiariter invocandus: sicut enim in omni discrimine monet Bernardus Mariæ nomen inclamandum dicens: *Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat à corde, non discedat ab ore.* ita post hoc Sacratissimum Mariæ, Nicolai nomen invocandum, magnum [a] B. Petri Damiani commendat testimonium: *Nonne*, inquit, *post memoriam Virginis singularis tam dulcis pietas, & pia dulcedo in cordibus fidelium obversatur, ut in die tribulationis* NOMEN NICOLAI *teneatur in ore, requiescat in corde.*

Ad te igitur hodierna die, omnium ora oculosque & corda convertimus, ut in omni nobis periculo adesse digneris, [b] *tu divus Pater Nicolaus.* At te omnes clamamus, nescio quo divino nominis omine: E*n juva dulcis Pastor*, & oves tuas contra tartareum lupum tuere, ut quemadmodum universa te deprecatur Ecclesia, tuo patrocinio *à gehenna incendiis liberemur*, & tecum aliud anagramma (*ò tu plane carus Divis*) in æternum regnemus.

a Damian. cit. b Divus Pater Nicolaus. Anagramma. en juva dulcis Pastor.

F E-

FESTUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS SS^{mæ.} VIRGINIS MARIÆ.

TOTA *pulchra es amica mea*, & MACULA *non est in te.* Cant. 4.



Candore notabilis ipso. Ovid. lib. I. Metam.

ARGUMENTUM.

EOs quam maxime cæcutire, qui lucidissimo Soli maculas, purissimo Margaritæ (qu' *candore notabilis ipso*) turpissimos nævos, integerrimæ Dei Matri, propudiosam originalis noxæ, è qua velut è spuma

certus omne pullulavit, maculam aspergere non dubitarunt, hodierna luce, non alia quam ipsius omnium Theologorum Principis D. Thomæ, ac præcipuorum Thomistarum convincam testimonio. Qua sententia, solidissimis rationibus, ac argumentis stabilita, omnes vos cohortari aggrediar, ut è suggestu, è pulpitis, è Cathedris, in gymnasiis, in templis, in scholis, in quotidianis congressibus, immaculatam Deiparæ Conceptionem, & calamis, & linguis deprædicare, sudore, sanguine, vita, si opus sit propugnare ardentissime studeatis. Tum, ut etiam debitum cultum moribus referatis, ei quæ *tota pulchra est*, vos totos pulchros exhibete: a *Tu etenim tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte; sed in* TOTO: *&* MACULA *peccati, sive mortalis, sive venialis, sive* ORIGINALIS, *non est in te, nec unquam fuit, nec erit.* Pulchra oculis, pulchra labiis, pulchra manibus, pulchra pedibus, tota pulchra membris omnibus; sed tu, O homo, forte pulchro, ac modesto ore; sed fœdis, & lascivis oculis; Tu filia, forte pulchra oculis; sed turpi ac procaci lingua. Alius forte pulchris pedibus; sed rapacibus, aut cruentis manibus, &c. ut toti pulchri evadatis, jam vobis, quæ tota pulchra est, velut speculum contemplandam propono.

a Idiota de Deip. c. 5.

§. I. *Non pro te, sed omnibus hæc lex constituta est.*

§. II. *Probatur ex D. Thoma, aliisque* Thomistis, *immaculata Virginis Conceptio.*

§. III. TOTA *pulchra es amica mea, &* MACULA *non est in te.* Cant. 4.

F E-

FESTUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS.

TOTA *pulchra es amica mea*, & MACULA *non est in te.* Cant. 4.

PLinius ille perspicax naturæ oculus, ubi gemmarum pretium appendit, hanc earum virtutem expendit: *a Margaritis cæli societas major, quam maris.* Mari quidem Margarita innatat, & innascitur, in conchis marinis delitescit; sed cælesti rore concipitur, & solis radiis concrescit, nec quidquam à mari amaritudinis, aut naturalis soli, aut sali attrahit: a *Concha*, inquit Hieronymus, *solo cælesti rore perfusa*, MARGARITAM *gignit.* Haud aliter *Maria*, quam *b*Methodius: *Margaritam pretiosissimam* nuncupavit, nil habet à mari, vel amari aut salsi; sed cælesti rore gratiæ concepta, tota pulchra, *c* CANDORE NOTABILIS *ipso*, ab omnibus amari, & æstimari dignissima.

Mariam itaque non lunam dixero, ne quis forte eclipsim aut defectum pati posse asseveret; nec soli comparavero, quia subtilis Astronomorum acies, hic etiam maculas depræhendit; at Margaritam nil maris, nil maculæ habentem compellabo.

Et quoniam *Margaritarum omnis dos*, d *consistit in* CANDORE, quam omnis nævi, ac labis in ipso suo Sanctissimo conceptu immunis fuerit, sub eleganti Estheris figura, quæ *inter multas gemmas prætiosissima emicuit*, dilucide proponemus.

a Hieronym. ep. 22. b Method orat. de Hypapan. c Ovid. l. 1. Metam.

§. I.

Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. lib. Esther c. 15.

POst severam potentissimi Regis Assueri, in totam Judaicam stirpem sententiam, ut Esther Regina conspectum illius subiit: *Exilivit de solio, & his verbis blandiebatur: quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris*: NON ENIM PRO TE *sed* PRO OMNIBUS *hæc lex constituta est.* Si pro omnibus, quomodo Esther hoc edicto comprehensa non est? nisi quod sit supra omnes, extra omnes, omni exceptione major, utpote potentissima regni Augusta, & omnium Domina? Juris peritis quippe hæc regula est:

d Plinus l. 9. c. 35. Hieronym. in epitaph. Paulæ. Celada in Esther pag. 2.

Au-

a *Augusta gaudet privilegio principis.* Et L. Princeps. ff. de legibus: *Imperator eadem privilegia tribuit Augustæ, quæ & ipse habet,* quia censetur una. Ita nec Maria, quam Doctor Angelicus *a* per Estherem adumbratam diserte docuit, communi lege peccati, ullo pacto comprehensa est. Quo corruit Primum adversariorum telum, ex illo Pauli detortum: b *Sicut per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* In hisce commentariis D. Pauli, quæ certum est D. Thomam scripsisse post summam, ad Galat. 3. lect. 6. sic ait: c *Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omnino immunis esset, ad minus originali vel veniali.* Verba quæ sequuntur: EXCIPITUR PURISSIMA, ET OMNI LAUDE DIGNISSIMA VIRGO MARIA, hæc inquam verba, non inveniuntur in impressione Parisiensi ann. 1529. & 1532. ac Veneta ann. 1555. nec denique in typis qui post annum 1590. prodierunt, *d* quæ à fratre Remigio Florentino omissa, & expuncta fuerunt, ut luculento testimonio demonstrat *d* P. Eusebius Nirenbergus noster, quod illi ostendit Emin. Cardinalis Sandoual, Archiepiscopus Toletanus; ubi, qui consulere voluerit, oculatos testes inveniet, qui hunc locum in veteribus commentariis S. Thomæ, in Epistolas Pauli, litera perantiqua expressum repererunt, & Sanctissimo Domino Urbano VIII. aliis tribus editionibus, vitiatis ubi hæc verba expuncta fuerant oblatis.

Hic itaque divi Aquinatis sensus, hæc sententia est: EXCIPITUR PURISSIMA, ET OMNI LAUDE DIGNISSIMA VIRGO MARIA. Quis porro communi hac massa peccati, filium Dei, exemisse Virginem, quam ab æterno sibi in Matrem delegerat, jure inficiabitur? divine in rem nostram Anselmus: e *Vas Electionis S. Paulus dixit, omnes in Adam peccasse; vera utique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio; sed cum eminentiam gratiæ Dei, in te Maria Virgo considero, sicut te non intra, sed supra omnia quæ facta sunt, ineffabili modo contueor, ita & te non lege naturæ aliorum, in tua conceptione devectam fuisse opinor.*

Quasi ideo non sit ex omnibus, quia supra omnia, ut jam O Maria, f *non pro te, sed pro omnibus hæc lux constituta est:* tu ex omnibus, quæ una mecum es, & *una caro*, ait divinus ille Assuerus: g non tu adnumeraris turbæ, quæ *Virgo singularis es*: non commisceris vulgo, quæ excellentissima es, & electa ex millibus, præelecta ex omnibus, super omnia dilecta. Purpuratus Martyr, & doctor egregius *h* Cyprianus, in laudes Virginis effusus,

a S. Thom. in præfat. ad Canonicos S. Bonavent. in specul. c. 3. Pintus de concept. p. 41. b Ad Roman. 5. v. 12. c S. Thomas in epist. ad Galat. 4 lect. 6. d Euseb. Nierenberg. exceptiones concilii Trident. c. 21. p. 332.

e S. Anselmus in officio c. 4 Pintus de concept. pag. 66. f Esther cap 15. g S. Thomas. Bonaventur. Anselm. h Cyprian. lib. de oper. card. Christ. serm. de nativit.

[...]es, fidem adstruit, dicens: *Non [...]sinebat justitia, ut illud vas e[...]ectionis, communibus lacessere[...]ur injuriis; quoniam plurimum [...] ceteris differens, natura com[...]unicabat, non culpa.* Constat [...]uoque ex doctrina S. Hiero[...]ymi, Epistola ad Damasum [...]apam, atque quam plurium Do[...]torum: propositiones universa[...] sacræ Scripturæ, non semper [...]ersaliter esse exponendas: quod [...] etiam confirmat S. Fulgen[...]ius de incarnatione, & gratia [...]hristi, & patet ex illo Iere. 6. *[...] minimo usque ad maximum [...]mnes avaritiam sequuntur.* Et [...]d Philipp. 2. *Omnes quæ sua [...]unt quærunt, non quæ Iesu Chri[...]i,* & Psal. 13. *Omnes declinave[...]unt, simul inutiles facti sunt*, & [...]sal. 115. *Omnis homo mendax.* [...] Joann. epist. 1. c. 1. *Si dixe[...]imus, quoniam peccatum non ha[...]emus, mentimur, & nos seduci[...]mus, & veritas non est in no[...]is.*

Q[...]æ omnia, & sexcenta alia, [...]uantumvis universalia sint, [...] eam Matrem non compre[...]endunt, quia de lege communi [...]quuntur, non de privilegio. [...]imiliter Joann. 10. *Omnes [...]uot quot venerunt, fures sunt, & [...]atrones.* Ab hac universali re[...]ula Apostoli, aliique plures [...]ximi debent. Quid? quod ipse [...]octor Angelicus excipit Moy[...]en à lege illa communi: *Deum [...]emo vidit unquam.* Non magis [...]taque Maria, communi lege [...]eccati perstricta, quam pœna [...]egis, qua omnibus in Eva di[...]tum est: b *In dolore paries fi[...]ios.* Nihil ex Eva fomitis, nihil ex concupiscentiæ flammis fumi, nihil ex communi orbis incendio, fuliginis, Virginem afflavit. Pervulgatum illud Zeuxis, celeberrimi olim pictoris, qui domum in qua artificiosissimæ ipsius asservabantur tabulæ, igne cerneret conflagrantem, exclamavit: *Servate mihi Adonidem*, quam longe præ ceteris omnibus, ut opus absolutissimum æstimabat. Ita supremus rerum omnium artifex Deus, ubi totum mundum vidit in maligno, id est interprete D. Thoma, c *in malo igne positum*, ut opus perfectissimum, & *quod*, ut d Damianus loquitur, *solus artifex supergreditur*; quod teste Hesychio: fuit *complementum Trinitatis*, Mariam, inquam, servandam, ab æterno pronuntiasse, recte censebitur. Etenim si in fornace Babylonica, e *non solum Deus puerorum corpora servavit, sed etiam vestimenta, cur abnuat in Matre, quod elegit in veste aliena?*

Plus dico, si cælestes illas mentes, atque ipsos humani generis Protoplastas in primo, quo creati sunt momento, divinâ gratiæ suæ luce, & pleno mentis vigore, Deus condecorarit, quid congruentius, quam ut f *primogenitam ante omnem creaturam*, Angelorum Reginam, & mundi Daminam, hac eadem gratia, longe cumulatius locupletarit? quod Doctor Seraphicus paucis, sed nervosè expressit: h *Luce Angelica prior,*

a Nierenberg. cit. pag. 226. epist. 12. b Gen. 3.

c S. Thom. in 1. Ioann. c. 5. d Damian. serm. 1. de nativ. virg. e Aug. lib. de Assumpt. B. Virg. tom. 9. f Eccl. 24. g S. Bonav. tract. de B. Virg. serm. 1 h S. Hieronym. epist. ad Paulam & Eust.

& pa-

& purior est Maria : prior dignitate, & purior sanctitate. Hic & Divi Hieronymi sensus, aliorumque sanctorum patrum communis consensus : *Constat*, inquit *a* ille, *beatam, & gloriosam Virginem Mariam, ampliora promeruisse virtutum privilegia, & percepisse gratiam, ab ipsis Angelis collaudatam. Vnde etsi mirabilis fuit eorum virtus, mirabilior tamen in Maria, quam obumbravit virtus Altissimi ; ut ultra omnem virtutem Angelicam sit*. tanto porro largiori gratiarum copia, hæc in conceptu suo abundavit, quanto dignitatis intervallo Domina famulis, & Mater Dei ministris antecellit : fateor cum *b* Bernardo, *magnum est Angelo, ut minister sit Domini, sed Maria sublimius quid meruit, ut sit Mater tanto excellentior Angelis facta, quanto differentius præ ministris, nomen Matris concepit*, & alibi, b *quæ enim vel Angelica puritas, Virginitati illi audeat comparari?* quare nemo quisquam mirabitur, si ea quæ D. Augustinus *c* de Angelis, hic usurpem : *Deus in ea simul erat condens naturam, & largiens gratiam.* Denique ipse Doctor Angelicus, cujus in hac causa maximi est auctoritas: d *Virgo Angelos, quantum ad puritatem excessit : ipsa enim purissima, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam.*

Nunc vero quæ caput serpentis contrivit, quæ totius generis humani e *reparatrix* exstitit, ut illa in ortu suo, ipsa Eva fuerit longe infortunatior, quis in animum induxerit? labem hanc, vel certe umbram, è mentibus vestris detergat melleo suo flumine Bernardus, qui epist. 174. ad concilium Lugdunense, sic animi sui sensum exponit : *quod vel paucis mortalibus constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari, tantæ Matri esse negatum.* Vnde concludit *f* S. Bernardinus Senensis : certum est quod Deus creavit Evam, & sine peccato, modo non est credendum, quod ipse filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere ejus carnem, quæ esset maculata ex aliquo peccato originali, *imo credendum est*, quod voluerit sumere carnem purissimam, & quod ejus Mater fuerit plus quam Eva & Adam, qui creati „ fuere sine peccato originali. „

Obstupescant alii, velut naturæ miraculum, in amarissimis Oceani aquis, dulcissimum fontem scaturire, cui hoc ingeniosus vates subnotavit: *Nil habet à mari.* Laudo, & applaudo ego tibi Maria, quæ instar limpidissimi, & suavissimi fontis, in hoc turbido ac salso mari, divino sane prodigio emanasti. Miseriam hæc sors mortalium, ut omnes hisce fluctibus involvamur, ut Cerbereum illud serpentis virus omnes invadat, Tartarei hostis tela nemo devitet, unam dumtaxat Virginem sibi Deus intactam, & illæsam, præservavit, ut diserte *g* Doctor Seraphicus exclamat: *O Maria, Dominus tecum fuit tecum est, tecum erit, tecum fuit in conceptione te obumbrans, adversus omnia peccati originalis ignea tela* ; Te ô Maria,

a S. Hieronym epist. ad Paulam & Eust. b Bern. s. 4. in Assumpt. S. Aug l. 12. de civit. c. 9. d S. Thom. opusc. c 8. h B. Laurent. Iustin. s. de Nativit. Virg.

f S. Bernardin tom. 4. s. 49. p g S. Bonavent specul. virg. c. 9.

Maria adversus hæc ignea tela, æternæ providentiæ, ac benevolentiæ scuto texit, atq; protexit.

Venit hic mihi in mentem, non minus ingeniosum quam sumptuosum spectaculum, quod Philippus Bonus Dux Burgundiæ, ut illustres ordinis Equestris, aliosque viros nobiles ad bellum sacrum inflammaret, adornavit. An. Christi 1454. Feb. 17. Regio plane luxu, conviviũ Insulensi in urbe, quo omnis patriæ nobilitas confluxerat, instruxit. Primis facibus in aulam epulo præparatã, convivas Burgundię dux induxit. Amplissima hæc erat, & tapetib⁹ Herculeos labores egregie pertextos objicientibus, tota ridebat.

In medio, mensæ tres stratæ cernebantur: stabat in prima erectum alte templum, ubi organa pulsabantur. & tres pueri cũ viro modulabantur. Dein navis quasi jactis anchoris, quæ omni genere mercium ac nautarum, rebusque omnibus navalibus instructa, consistebat. Tum prati species, fontes Rosacei, flores, fructus exhibiti, quos inter, D. Andreæ statua editior spectabatur. In altera mensa multo extensiori, artocreas erat tantæ molis, ut octo & viginti homines comprehenderet, qui modo fidibus, modo vocibus argutissima musica aures demulcebant. Proxime Castrum erat, è cujus turribus, succus malorum aureorum, in subjectam fossam depluebat: prope lacus ingens, oppidis variis, pagisque circumdatus; In medio, navis, quæ nullo movente hinc illinc occultis machinis volitabat. Tertia mensa Nemus ostentabat Indicum, ubi varii generis, trucesque aspectu feræ, ut & cetera taceam, unum quod ad propositum facit, induxisse sufficiat; ex opposito mensæ maximæ, forma eleganti fœmina, auro, pretiosisq; unionibus adornata, columnæ capitello insistebat, continuum ex ubere dextro vinum cynnamomo, & saccharo conditum, cœnæ tempore large diffundens. Iunctim *Leo vivus, ferreo constrictus vinculo excubias agebat, quasi statuæ muliebris custos; eratq; fixum ex argento scutum, hæc verba literis aureis ostentans*: NEMO DOMINAM MEAM CONTINGAT.

Majori profecto cura, Leo ille de Tribu Juda evigilavit, & rugitu suo cavit: NEMO DOMINAM MEAM CONTINGAT, nemo Sponsam meam, nemo matrem meam contingat.

Hanc scuto suo inexpugnabili, in die belli contra omnia tela nequissimi defendit: qua velut victoriâ ab hoste partâ, Virgo exultat, ac Domino suo grates refert, dicens: *Obumbrasti* b *super caput meum in die belli*; quem locũ doctissimus Antistes c Abulensis, sic exponit: Caput principium est vitæ, dies autem belli, est instans illud conceptionis, in quo Dæmon, peccati Originalis maculâ dominatur de animâ. Principium autem vitæ B. Virginis, „ obumbratum fuit ab instanti „ conceptionis, ex vi prævisionis „ meritorum Christi, & nullam „ contraxit maculã originalem: unde gratias agens Deo, pro tanto beneficio dixit: OBUMBRASTI SUPER CAPUT MEUM IN DIE BELLI. Quid? quod pro clypeo, omnipotentem manum suam objecit, qua Matris

a Buzelini Gallo-Flandria, a. 1454. p. 416.

b Ps. 139. c Tostatus Abul. in Mat. Calamato. disc. 36.

integritatem ab omni læsione servavit; sic ut & ille Regii Psaltis, Virgo gloriari queat: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Notat enim S. Bruno *b* Patriarcha virtute & eruditione clarissimus, *formare*, hic non significare, rem aliquam facere vel fingere, sed *formosam facere*; atque ideo, inquit, Virginem addere: *Posuisti super me manum tuam, ne aliquatenus a formositate deficiam.*

Argumentum hoc, B. Petri Cardinalis Damiani *c* concludo testimonio, qui ser. 3. de Nativitate Virginis, sic ait: *Caro Virginis de Adam assumpta, maculas Adæ non contraxit, sed singularis continentiæ puritas, in candorem lucis conversa est*, ut ipsa fuerit inter *filias Adæ*, d *sic ut lilium inter spinas.* Quam sic indies, cum pio ejus cliente salutare juvat:

Salve Cœli sacra parens,
Flos de spinâ, spinâ carens,
Flos spineti nescia.
Nos Spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati;
Sed tu spinæ nescia.

In promptu hic morale est, & vos Virgines, ac juvenes, quodam modo lilium inter spinas esse posse, dum inter malos boni, inter impudicos pudici, ac immaculati exstiteritis. *Non enim est valde laudabile* (inquit e Greg.) *bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis.* Aut si libet, alia laudabili & palpabili D. Anselmi utar similitudine, quæ ab antiquissimo ac locupletissimo Theologo Ioanne *f* Bacono, sub hoc tenore refertur: *Deus*, inquit, *qui castaneæ hoc confert, ut inter spinas, à spinis remota concipiatur, alatur ac formetur, non potuit hoc facere Matri suæ? plane potuit, ac voluit; si autem voluit ac fecit, aut voluntatem aut potentiam non habuit.* Tandem, ut instituti mei ratio postulat, uni potissimum Angelici Doctoris *g* acquiesco suffragio, qui. 3 parte q. 27. a. 1. docet: *Rationabiliter* CREDITUR, *quod illa quæ genuit Vnigenitum a Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis* (Angelis nempe, & hominibus) *majora privilegia gratiæ acceperit*: ergo si cœlestes illæ intelligentiæ, ac primi parentes nostri, in gratiâ, & expedita mentis perspicaciâ, ardentissimâ in Deum voluntate, conditi sint, Dei Matri idipsum privilegium concessum esse, convincitur.

Nunc ad alias, ex eodem fonte, & rivulis derivatas scaturigines propero.

§. 2.

Probatur ex D. Thoma, aliisque Thomistis, immaculata Virginis conceptio.

DOctor Angelicus, & totus Virgineus, *h* qui cum lacte affectum Marianum suxit, & etiamnum in cunis à Deipara in filium adoptatus est. Hic p. 3. q. 27.

a Psalm. 138. b S. Bruno. c B. Pet Damian. d Cant. 2. e S. Greg. in Iob. l. 1. mor. c. 1.

f Bacon. in quodlibet cap. 4. g S. Thom.
h Chrysogonus in mundo Mariano disc. 3. n. 48. Ita Catharinus de Immac. Concept. l. 3.

q. 27. a. 4. docet illam ab omni peccato veniali, prorsus liberam fuisse: *Quia*, inquit, *non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando.* Sed longe enormius, ac detestabilius malum, est peccatum orginale, quam aliquod actuale, ergo fatendum, *quod non fuisset idonea Mater Dei,* si illud incurrisset: noxa quippe venialis, non privat hominem gratia, relinquit filium Dei, & hæredem Regni cœlestis; peccatum vero orginale constituit filium iræ, mancipium Diaboli, exulem Regni, & ut spurium, ut monstrum teterrimum, à visione Dei extorrem facit. Omnis deniq; mali scaturigo, & scelerum Mater est. Audi orbis oraculum, Magnum [a]Gregorium: *Quia ex originali culpa fit peccatum actionis, Matrem ejus, esse primam culpam, recte nominamus: liberi autem hujus Matris, sunt omnes concupiscentiæ, peccata, & vitia.* Absit ergo ut Mater Dei tam spurcam, degeneremq; Matrem, in se inhabitantem unquam habuerit: nihil enim cum Maternitate Dei, majori dissidio pugnare potest, quam Maternitas peccati, & teterrima illa omnium vitiorum lerna, quam belluam multorum capitum ipse D. Thomas sic [b] graphice depingit: *Peccatum orginale est multiplex virtute: quia in peccato primi parentis, fuerunt plures deformitates; scilicet superbia, inobedientia, gulæ &c.*

Quid causæ fuisset arbitramini, quod humani generis hostis, serpentis potius formam assumpserit, quam columbæ cujus pulchritudine, versicolorumque varietate, tanquam ampliori instrumento, ad alliciendam fœminam, uti potuisset, quam horrido serpentis aspectu, formidabili vultu, spirisque sinuoso, quo magis fugari, quam allici Eva debuisset. Ita sane, ait Magister sententiarum, si permissum fuisset cacodæmoni, columbæ formam induisset; at cur divina sapientia, & bonitas id caverit, attendite: *Venit*, inquit [c] præfatus Doctor; *ad hominem in serpentis specie, qui forte, si permitteretur, in Columbæ specie, venire maluisset; sed non erat dignum, ut Spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus Sanctus appariturus erat.* Quasi maxime dedeceret, ut eam Diabolus formam assumeret, suo contactu deturparet, quam post longam sæculorum seriem, ipse Spiritus Sanctus, super Christi verticem descendens, assumpturus erat; non Columbæ substantiam, sibi intime per unionem copulando. sed externam dumtaxat ejus speciem induendo. Et credam Marianam columbam (de qua habes Cant. 2. *Surge, propera columba mea*, in qua, inquit Dionysius Carthusianus, *nunquam fuit radix amaritudidis, fellea austeritas; sed simplicitas sapientialis inviolata*) ipsam credam, quæ Spiritus Sancti habitaculum extitit, quique ex Virginea ejus carne, & sanguine, hominem Deum effinxit,

a S. Greg. l. 6. mor. cap 15. b S. Thom. 1. 2. q 28. a. 2. ad 1.

c Magister sentent l. 2. distinct. 21.

eam, a *de qua natus est Iesus*, prius à tartareo isto lenone deturpatam, ac conspurcatam fuisse? Absit, absit, ut caro, quam verbum assumpsit, tantum, tamque immane dedecus, aliquando subierit; absit ut caro Christi, fuerit aliquando peccatrix. Quare si potuit Dei filius, hoc fœdissimum monstrum, & execrandum malum, à Matre sua amoliri, nulli dubium est quin fecerit; ne ei hostis infernalis unquam insultare, & exprobrare præsumat, Matrem Dei, sibi subditam fuisse: *b* Reginam Angelorum, ac mundi Dominam, mancipium Satanæ extitisse: Virginem illam, è qua filius Dei carnem assumpsit, servam peccati: templum Spiritus Sancti, tabernaculum Altissimi, in speluncam latronum aut ferarum, omni cloaca horribilius antrum fuisse commutatum: Filiam æterni Patris, Matrem Dei, Sponsam Spiritus Sancti, ab infami illo inferorum lenone, violatam, cujus vel suspicionem, ut Assuerus in Amano (qui Diaboli typus est: c *Aman quippe Spiritus impuri supplementum*) observavit, justo iracundiæ zelo inflammatus, exclamavit, d *etiam Reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea?* omni enim peccato, anima fœde prostituitur, ut aptè *e* Petrus Cellensis; *Rapitur puella, O crimen! generositas ancillatur, O pudor! delicata laceratur. O pietatis naufragium! formosa denigratur, O damnum pulchritudinis! obscuratur candida, O gloriæ convitium! vitiatur damnatrix vitiorum! O commutatio damnorum!* quæ *e* tam horrenda, tam detestanda, si in Virginem Matrem cecidissent, cum Propheta amarissime lamentari potuisset: *Pereat* g *dies in qua nata sum, & in qua dictum est*, CONCEPTA EST MULIER! *dies ille vertatur in tenebras &c.* Aut cum *h* alio: *Maledicta dies in qua nata sum, dies in qua peperit me Mater mea, non sit benedicta.* Quas adeo sacrilegas, & blasphemas voces, nemo potentius elidet, quam sanctissimus Marianæ familiæ Patriarcha Dominicus, libello de Sacramento corporis Christi, qui ter in ignem conjectus; divino prodigio intactus evasit, ubi contra Albigenses *i* sic scribit: *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in secundo Adam fieri, id est Christo, cujus terra, id est Mater Virgo, nunquam fuit maledicta.* Quam doctrinam confirmat ejusdem ordinis, * Hugo Cardinalis, qui in cap. 1. Lucæ: *Ave* inquit; sine *Væ triplici: corruptionis, gravitatis, & doloris, quod incurrit Eva per peccatum: quod ab ea omnes mulieres, præter Mariam, quasi* jure

a Matt. 1 b Calamato disc. 26. n. 12. c Greg. Naz. orat. 1. d Esther. c. 7 e Petrus Cellens. de panibus. c. 4.

f V. Salaz de Concept. Virg. c. 28 n. 23. g Iob. c. 3. h Ierem. 20 i Vincent. Episc. Bellovac. in spec. hist. l. 29. c. 49. S Antoni. 3 petit. 19 c. 1. §. 4. Iacobus Episc. Genuensis. ejusd. Ord. F. Ferdin. de Castillo &c. ut fusè Christoph. de Vega. in Theolog. Mariana. pag. 67. n. 235. Salazar. de immac. Concep. p. 432. * Hugo Card. in Luc. cap. 10. Niremb. in Concil. Trid. dissertat. epist. pag. 288. Nierember. except. Concil. Triden. c. 24. §. 2.

jure hæreditario contraxerunt. Et infra enumerat triplex Væ: culpæ, pœnæ, & concupiscentiæ, à quo liberam prorsus Deiparam decernit, additque: *Primum Mariæ privilegium est immunitas à peccato.*

Illustris Dominicanæ familiæ Decus B. Henricus Suso, in Dialogo Sapientiæ cap. 16. egregie puritatem Virginis, in sua creatione commendat, Deum alloquens: *Ecquid tibi in mentem venit, aut qui tandem affectus eras, in illa tua sempiterna incommutabilitate, & incommutabili æternitate cum tam præclare conderes creaturarum omnium* (supra primos parentes & Angelos, qui in gratia creati) *purissimam, elegantissimam, atque dignissimam?*

B. Ludovicus Bertrandus, in sermone de purissima Conceptione Dominæ nostræ, quem Valentiæ prædicavit gloriosus Pater, sic habet: Quoniam autem in hac confusione, quando anima corporis possessionem, primum adivit, nullius peccati originalis sorde fuit conspurcata, ideo jure optimo de Beatissimæ Virginis Conceptione festum celebramus: hæc sane Domina singulares prærogativas, & cumulatissima privilegia, in die suæ Conceptionis recepit: quorum primum, est maximum gratiæ beneficium, quia in sua Conceptione, ab originali labe præservata fuit.

Hæc est itaque Rubus ille Moysis, qui ardebat, & non consumebatur: more quidem reliquorum ab Adamo descendentium, ex semine virili, & ardore concupiscentiæ, fuit concepta; verum incombusta, ac à communi peccati originalis incendio remansit illæsa. Hæc, aliaque in eam rem, in sermone, quem totum enarrat, videre est. atque ut authenticum novis, hoc exemplar, ait Nierenbergius, desumptum est ex originali Hispanico ipsius Sancti Viri, propria manu conscripto, inter alia multa manuscripta sua, quæ venerabilis Episcopus de Albarrazin, ejus discipulus frater Hieronymus Baptista de la Nuza; in novitiatu possedit, quodque ad festivitatis hujus plausum facit mirifice, refert Iustinianus Antistes ex eadem familia: cymbalum, sive campanam Valentini cœnobii, omnium maximam, inscriptam habere circum in ipsius ora, hunc titulum: *Maria Virgo, ab* OMNI PECCATO ORIGINALI FUIT IMMUNIS. Itaque; inquit *a* P. Christophorus de Vega, non solum hæc illustrissima familia, voce, ore, & scripto, è suggestu, & prælo, pro immaculata Virginis Conceptione decertat; sed etiam repetitis cymbalorum tinnitibus; ac concrepantibus tintinnabulorum reboatibus, velut sonoris maxime linguis, veritatem deprædicat. Nunc intentum nostrum, altera ratione D. Thomæ comprobemus: b *quia honor parentum, redundat in prolem,*

a Christoph. de Vega. Theolog. Marian. pag. 6. b S. Thomas p. 3. q. 27 a. 4.

secundum illud Proverbior. 17. Gloria filiorum, patres eorum. Unde & per oppositum, ignominia Matris, ad filium redundasset. Quare, ne minima, venialis, nedum originalis culpa, eam contaminavit. Princeps Philosophorum, doctrinam moralem hanc sancte adstruit: a *Non minus stultum, aut supervacaneum est, de honore parentibus tribuendo, quam de candore nivis disputare.* Quia tamen sunt, qui negent nivem candidam, & solem in meridie lucere, paulo prolixius hoc argumentum deducemus.

Pompejum Atticum, hoc pie, ac præclare ferunt jactare solitum: b *Nunquam cum Matre ingratiam redii*; quo satis aperte declarat, ne minimam offensæ, aut diffidii ansam, se unquam Matri præbuisse, at longe potiori jure, Unigenitus Dei, & Virginis filius, dicere poterit: *Nunquam cum Matre in gratiam redii.* Inter talem filium; & talem Matrem; ne minima unquam intercessit offensa, aut discordia, quæ ex originali culpa, gravissima exorta fuisset; melius autem esse, eam nunquam incurrisse, quam ab ea mundari: nunquam pacem violasse, quam ruptam resarcire, ex illo D. Thomæ c arguitur, quod hac ratione innocentia tollatur, quæ non magis, quam Virginitas recuperari potest: *Eadem enim est ratio de recuperatione Virginitatis, & de recuperatione innocentiæ.* Hinc d D. Bonaventura, eam perappositè *nivi* comparat: *Virgo,* inquit, *pulchra, ut nix candida.* Ecquid non à candidissimo lino, aut bysso, similitudinem mutuavit? quia hæc primum fuere nigra, ac deformia, & per frequentes lotiones dealbata; nix verò, semper candida, omnis ex se nævi expers, & nigredinis. Omnem itaque candorem, ac nitorem possibilem, Matri contulit, & conservavit. nam ut verissimè Methodius: e *Qui dixit, honora patrem tuum, & Matrem tuam, ut decretum a se promulgatum observaret, atque adeo hac in parte, aliis excelleret: omnem Matri gratiam, & honorem impendit.* Quàm Dei Matri denegare, vel ipsis Barbaris, & Mahumetanis, gravissimo scandalo fuisse compertum est: f sic enim Jacobus Perez de Valentia refert: anno 1322. SS. D. Joanne XXII. ad Ecclesiæ clavum sedente, cum Soldani Armeniæ filius, Græcè & Latinè peritus, jamque baptismi candidatus, Pontificem accessisset, audito Concionatore, qui è suggestu adversus immaculatam Deiparæ Conceptionem, vehementius detonabat, à consilio suscipiendi baptismatis resipuit, hanc injuriam non leviter se pupugisse contestatus, quam ne Saraceni quidem æquis auribus exciperent: quandoquidem etiam impiissimus Mahometus, in suo Alcorano affirmet, (ut narrat Galatinus l. 7. & Canisius de

a Aristot. 2. ethicor. b Valer Maxim. de pietat. in parent. c S. Thom. p. 3. q. 89. a. 3. ad 1.

d S. Bonaventur. super salve Regina. e Method. serm. de Hypapant. f Iac. Perez de Valent. in Cant. Magnificat. ad vers. 3. Dissertatio Amedei Salii. de lit. immac. Concept §. 7. Aut. Imp. & Approb. 1651.

Deip.)

Deip.) *nullus nascitur ex filiis Adam, quem non tangat Sathan,* PRÆTER MARIAM ET FILIUM EJUS. Quapropter si de Esthere usurpare possim illud Hieronymi, talem exstitisse, *a ut nunquam de illa, etiam maledicorum, quidquam auderet fama confingere.* Si Juditha sacræ paginæ: b *Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum,* caveamus ne ipsis Barbaris, & immanissimis nationibus, in Dei Matrem nos magis injurii simus; quin potius c Doctorem maximum audiamus, & obaudiamus, qui cum sibi objecisset præclaram hanc D. Anselmi *d* sententiam: *Decuit beatam Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit, intelligi.* Huic sic subscribit. solut. 3. *Augmentum puritatis, est secundum recessum à contrario; & quia in beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summum puritatis.* Nec multo post expressissime, ubi docet: e *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit:* ET TALIS FUIT PURITAS BEATÆ VIRGINIS, QUÆ A PECCATO ORIGINALI, *& actuali immunis fuit.* Quare nefas sit suspicari, tanto Ecclesiæ lumini, tam crassas mentis tenebras offusas esse, ut aut pugnantia dicere, aut dicta retractasse præsumendus sit: *f* quemadmodum clare demonstrat P. Magister Frater Joannes, de S. Thoma, Thomista nobilis, ac apprime doctus, qui disp. 2. super 1. partem proœmii. art. 2. docet, Sanctum Thomam nullibi dixisse, aut censuisse, B. Virginem fuisse conceptam in culpa originali. Quod ipsum comprobat Illustrissimus Dominus Frater Franciscus de Arauso, Episcopus Segoviensis, adductis omnibus locis D. Thomæ. Quare teterrimam calumniæ natam in Hispaniis illi inustam, quasi de Dei Matre minus rectè scripsisset (dum in uno labore effigiem Christi, cum hac Epig. *Bene scripsisti de me Thoma;* in altero Deiparæ, subjecto lemmate: *g Aquino,* hic non. *maligne confictam,* & ut cavillum, ac pasquillum, merito omnes execramur. Jamque uti confido post Bullam Sixti IV. Pauli V. Greg. XV. & post decretum congregationis Cardinalium, insertis actis Capituli generalis Ordinis Prædicatorum, Romæ celebrari anno 1629, in quo disertis verbis: *h Conceptio* B. Virginis dicitur *Sanctissima* (ut refert Mechoviensis, vir eruditissimus ejusdem Ordinis) confido, imo [illegible], ut omnium mentes à sinistra speculatione, manus ab indicta scriptione, linguæ à contentione conquiescant; atque utinam quod olim Concilium Tridentinum exequi decreverat, tandem optatissimum eventum sortiatur! quod quam immaculatæ Virgini Conceptioni faverit, ex eo patet, quod P. Lancicius vir eruditione, & sanctitatis opi-

a Hieron. Epitaph. Paulæ. b Iudi.h c. 8. c S. Thom. in 1. dist. 17. q. 2. a. 4. d Anselm. lib. de Concept. Virg. cap 18. e S. Thom in 1. dist. 44. q. 1 a. 3. ad 3. f V Nierenberg. except. Concilii Trid. c. 21. pag. 335.

g V. Spondani Annal. h Mechoviensis Ord. S. Dom. in Lytan. Lauret. disc. 136. n. 13. pag. 302.

tione *a* clarus, scribit in hæc verba: anno 1599 legi, & descripsi ex actis originalibus Concilii Tridentini (quæ asservabantur in Castro S. Angeli Romano, & cum expressa licentia Clementis VIII. fuerunt R. P. Petro de Arrubal, Professori Theologiæ in Collegio Romano, & mihi ejus socio, ad aliquot horas exhibita à Cardinali Cæsio) ex aliquot Decadibus Episcoporum deputatorum, ad tractandum de hoc puncto Conceptionis B. Virginis Mariæ, omnes asseruisse, illam esse conceptam sine peccato originali; solos quinque contrarium dixisse. Postea in alia sessione fuisse conclusum, ut tandem determinaretur à Concilio Tridentino, illam esse conceptam sine peccato originali; sed ob instantissimas preces aliquot Episcoporum, & Theologorum S. Dominici, qui illi Concilio aderant, rogantium ne hac vice, propter notam quæ inureretur Ordini S. Dominici hoc decreto, illud ederent, sed supersederent, & ad aliud tempus illud rejicerent: Concilium supersedit, decretum illud non evulgavit hanc solam ob causam. Ita habetur in actis illis Concilii, quæ diligentissime legi, & hæc tunc exscripsi: hactenus ille. Nunc vero si Sanctissimumm Patriarcham Dominicum, si S. Thomam, si S. Vincentium, S. Antoninum, B. Ludovicum Bertrandum, B. Henricum Susonem &c. præcipuosque Thomistas, ipsam etiam declarationem immaculatæ Virginis Conceptionis à SS. D. Paulo V. postulasse, quorum Catalogum prolixum videre est *b*: insuper Generales Ordinis quinque, totumque Capitulum pro immaculata Virgine stare, solidissime comprobetur, causa omnis quæ in hoc tanto Mysterio, Sanctissimæ Deiparæ gloriam sufflaminare videbatur, sublatam esse, boni omnes, & æqui judices fatebuntur. Porro si eo die quo Madritum cursor Regius *c*, Pontificium diploma Sixti IV. detulit, ferant lampadem nocturnis tantum horis, coram imagine conceptæ purissimæ Virginis accendi solitam, medio foro, clara die, eo ipso momento, quo pedem urbi intulit, cunctis spectantibus, ac demirantibus, sponte ardere cœpisse, consumptoq; exiguo quod à præterita nocte supererat, oleo, perdurasse flammam, ipsa quæ supposita erat aqua, ignis fomentum suppeditante. Ad quod exciti spectaculum, proxima nocte innumeri prope mortales convenire, vigiliasque stupore defixi produxere; quod si inquam, tantis gaudiis, piisque in Matrem affectibus corda exilierint, ad festivam illam summi oraculi denunciationem, immaculatam Virginis conceptionem, neminem impugnare, sed & calamis, & linguis, è Cathedris, è pulpitis, tabulis, codicibus, festis officiis, celebrari posse, qui non triumphi in cœlis, in terris, in universa Ecclesia, in Marianis animis, exspectandi sunt? ubi hæc,

a Lancicius opusc. Spirit. x1. c. 13. p. 49.

b Nierenber. except. Concil. Trident. c. 21. 25. §. 1. Borgesius Societat. Virg. Sacra c. 21.

quæ

quæ hactenus in Ecclesia, immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptio colitur, non erroneè, sed ad Dei Matris gloriam amplificandam, sic rectè ac ritè coli, è prima orbis Cathedra denuntietur. *a* Quod solum privilegium Virginis sine labe, in majorem ejus laudem, & gloriam cedit, quam est ingens omnis cumulus aliarum ejusdem prærogativarum, præservationis à corruptione, coleris, virtutum infusarum, doni Prophetiæ, &c. ita ut magis laudent Virginem, qui ejus immaculatam Conceptionem prædicant, quam qui alia ejus privilegia, & gratias gratis datas celebrant, quoniam majus malum fuisset ipsi Virgini privari etiam per momentum gratia sanctificante, & hac labe infectam fuisse, quam carere omnibus prærogativis, & donis gratuitis, ei collatis.

Quare quisquis hujus tantæ Virginis, ipsius Dei Matris, honori promulgando se inflammatum sentit, ardens suum desiderium, & votum jungat illi ingeniosissimo ac religiosissimo P. Eusebii Nierenbergii:

Supplex Libellus
pro immaculata

B. VIRGINIS CONCEPTIONE.

ET

PACE CHRISTIANORUM PRINCIPUM Ad Sanctissimum Dominum nostrum ALEXANDRUM VII. Pontificem maximum

Anagramma insertum in hoc libello supplici, est purum, & satis Mysticum, litteris constans pro numero discipulorum Christi, & Collegii Cardinalium, conspiraturi pro exaltatione Deiparæ, in obsequium Sanctissimi Domini Alexandri Septimi, qui est quartus Papa Senensis, post Alexandrum Tertium, juxta Spondanum ad annum 1159. Item ad annum 1458. atque annum 1503.

Beatissime Pater

Joannes Eusebius Nierembergius è Societate JESU ad pedes communis Ecclesiæ Patris provolutus, sacrum, & felix sui nominis nomen offert, & supplicat:

Sanctissimus Pater & Dominus

ALEXANDER *Papa Septimus qui erat antea*

FABIUS CHISIUS

Anagramma

Quartus è senis Papa,
Dei Matri charissimus,
Ipsi labem Adæ non fuisse
statuet
Tunc pax.

Hoc pro honore Filii Dei, pro gloria Matris ejus, pro Auctoritate Sedis Apostolicæ, pro gaudio Fidelium, pro tollendis populorum scandalis, pro Ecclesiæ unitate, & concordia,

pro Europæ pace, pro contritione hæreſcos, orat plebs, orant Principes, orat Clerus, orant Antiſtites, orant pii, orant Docti, orat conſenſus Eccleſiæ, ut veritatem de Immaculata VIRGINIS CONCEPTIONE, quam certam agnoſcit, ſic veſtra ſanctitas, ſacram, & ſanctam ſtatuat, ut à nemine contradici permittat, ad imitationem ſanctiſſimorum Pontificum, qui laboranti Eccleſiæ ſubvenerunt propitiato Deo, per ampliationem cultus, & Exaltationis ſuæ ſanctiſſimæ Matris.

Venio nunc ad aliud aliunde petitum, ex eodem tamen Doctore argumentum, quod ab inſtitutione feſti, *immaculatæ Conceptionis*, ſic deſumitur: dicet S. Thomas p. 3. q. 27. a. 1. *Eccleſia celebrat Nativitatem B. Virginis; non autem celebratur feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto, ergo B. Virgo in ipſa ſua Nativitate fuit Sancta.* Quod pari forma, iiſdemque terminis in cauſa noſtra procedit: *Eccleſia celebrat* CONCEPTIONEM *B. Virginis; non autem celebratur feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto, ergo Beata Virgo in ipſa ſua* CONCEPTIONE *fuit Sancta*, ergo immunis à peccato. ipſe Chriſtus Magiſter noſter, & viam Dei in veritate docens, feſtum illud Virginis immaculatæ Conceptæ, à ſuperis celebrari oſtendit, ut eundem cultum mortales è cœlo in terras devocarent. Nam anno 1310. *Beata Oringa Chriſtiana* Virgo, in cœlos animo & mente elata, Chriſtum vidit conſpicuum ea luce, præ qua vel ipſa Solis lux obſcura videbatur; vidit & divam Matrem ad Filii latus aſſidentem, ſuppari lumine coruſcam, & albâ veſte, eaque pretioſiſſimâ ornatam. Huic porro Auguſtæ cœli, terrarumque Reginæ, accinebant cæleſtes genii, & omnis beatarum mentium Corona, cui immixta Beata Oringa, viſa ſibi eſt Virginem ſupplex revereri! quod dum facit, ſic ei Chriſtus: Miraris *Chriſtiana* dum contemplaris, quis hodie Matri meæ honos, quis cultus habeatur, qui plauſus dentur, quæ accinantur laudum cantica? at mirari deſines; ubi ex me audieris, hodie in cœlis celebrari ſolennitatem *Immaculatæ Conceptionis* illius, quæ deinde me concepit, ac genuit illibata Virginitate. Illius autem immaculatæ Conceptionis index eſt, veſtis candida, qua nitet. Hæc ad B. Oringam Chriſtus, in illo mentis exceſſu. At ne vanam quis viſionem, aut alienatæ mentis illuſionem forte arbitretur, diſertiſſimus Eccleſiaſtes, & prædicatorum omnium prædicator longe excellentiſsimus S. Vincent. Ferrerius, feſtum hoc ab Angelis celebratum confirmat: nam confertiſſimæ concioni linguâ igneâ hæc verba exponens, *fiat lux*, de Conceptione Virginis ſic fatur: *Non credatis quia fuerit, ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur; ſed ſtatim ac anima ejus fuit creata, fuit ſanctificata, & ſtatim Angeli in cœlo fecerunt feſtum* CON-

a Bollandus in vita 10. Ian. Amedei Salii §. 6.

b Vincent. ſerm 1. & 2. in Nativit. B. Virg.

CE-

CEPTIONIS. Accedit partes *Summæ* Theologicæ S. Thomæ, quibus utebatur S. Vincentius, servari hodie in Conventu S. Dominici Civitatis de Alcanez, Diœcesis Cæsar-Augustanæ, quibus ipse Sanctus nonnullas annotationes & glossas adjecit, in iisque etiam nunc, in 3. p. q. 27. a. 2. ad 3. scripta esse ejusdem S. Vincentii manus de Beata Virgine hæc verba : *Fuit immunis à peccato Originalia* ita testati, velut oculari testes, Comes de Motoro, Regis à consilio Coronæ Aragoniæ, & Doctor D. Petrus Zamudio S. Petri in hac Regia Madritensi Vrbe Parochus, chyrographo etiam suo adjecto.

Addo his, summæ, & infallibilis veritatis oraculum Sixti IV qui in 2. Extravag. *grave nimis*, sic ait: *Cum Sancta Romana Ecclesia, de intemeratæ, semper Virginis Mariæ* CONCEPTIONE PUBLICE FESTUM CELEBRET SOLENNITER, *& speciale super hoc officium, ac proprium ordinaverit &c.* In quo officio, attendite porro, quid statuerit : in versiculo ad 1. Vesperas ponitur ; IMMACULATA CONCEPTIO *est hodie sanctæ Mariæ Virginis*. In una oratione : Deus *qui per* IMMACULATAM VIRGINIS CONCEPTIONEM. Et in alia : *Concede quæsumus, ut sicut eam* AB OMNI LABE PRÆSERVASTI. Hæc Niercmbergius. In recentioris editionis officio: b *Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam* SANCTAM CONCEPTIONEM. Hoc vero festum, ijsque officium peculiari cultu ac pietate, à PP. Prædicatoribus coli & observari, apud citatum auctorem videre est, affirmatque se vidisse libellum c cui titulus : *Horæ Beatæ Mariæ Virginis, ad usum fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici,* Typis datum Parisiis anno 1529. ubi tam perspicuè recitatur præservatio Virginis à peccato Orginali, ut nullibi eam magis expressam videre illi contigerit. Oratio hæc est : *Deus qui pro salute humani generis, carnem gloriosæ Virginis Mariæ assumere dignatus es, & ipsam* SINE MACULA CONCIPIENDAM, *ante sæcula in Matrem præelegisti ; concede propitius, ut qui de ejus* CONCEPTIONE, *quæ fuit nostræ Redemptionis, nec non temporum plenitudinis exordium*, LÆTAMUR, *ejus piis intercessionibus, ab instantibus periculis, & à morte perpetua præservemur.* Hymnus vero ad tertiam: CONCEPTIO LAUDABILIS *ab Angelo nuntiata Mariæ, tam amabilis in conceptu præservata.* Ad sextam : *quæ* CONCEPTA VITIORUM SINE LABE PURISSIMA. Ad nonam : *quæ* SINE LABE CONCEPTA &c.

Denique ne hic longior sim, si forte reperiantur, adeo pervicaces, qui nisi signa & prodigia viderint, non credent, aut ut Hieronymus d loquitur, Luciferianis deteriores, *solent oculis clausis denegare qui non credunt factum esse, quod nolunt* ; plurimis omissis

a Testimonium V. apud Nieremb. except. Concil Trid. c. 24 § 3. pag 397. Idem c 23. pag. 353. b 3. noct. resp. 2.

c Nier. cit. c. 23. pag. 348. d Hieron. l. 4 contra Luciferian.

unum, alterumve oculis subjecisse sufficiat. Catharinus imprimis gravis auctor, Dominici Ordinis, curationes complures adducit, suo tempore divinitus concessas, solo a *immaculatæ Conceptionis* titulo, invocato Virginis Patrocinio: additque, nosse se personas fide dignas, quibus gratiæ stupendæ, in nomine *immaculatæ Conceptionis* obtigerunt; nec ferendos putat, qui fidem denegant, aut explodant.

Quis in suspicionem vocare audeat prodigium, quod celebris scriptor commemorat, & Inquisitorum auctoritas confirmat. *b* Sanctum Ignatium Lojolam hausisse affectum erga *Conceptionem* Deiparæ *immaculatam*, ex miraculo quod Manresæ, ubi vir sanctus vitæ novæ tyrocinium posuit, tunc erat vulgatissimum. Rem sic gestam describit: Sacerdos probus ac pius, Manresæ quosdam pueros erudiebat. Eorum unum ob quendam puerilem defectum, severius forte quam par est, exceperat: unde tanta inferbuit pueri hujus patruo bilis, ut impacta sica, Sacerdotem trucidarit: cumque elato inter Ecclesiam funere, justa ritu Ecclesiastico persolvuntur, affusâ sacrorum hominum, & Laicorum, qui virum hunc impensè amabant, & venerabantur coronâ, extemplo omnium adstantium stupore, resedit mortuus, & cœpit loqui, suum in Deiparam affectum referens quo per omnem vitam flagraverat, unum tamen fuisse, ob quod concessum animæ in corpus regredi, nimirum quod dum viveret, Beatam Virginem conceptam in peccato originali censuisset; hanc unam ob causam, jussum se à Deo tantisper ad vitam redire, ut quam hactenus vivens, tenuerat sententiam, retractaret, eamque immaculate conceptam palam profiteretur. Quod ubi solenniter, & ardentissimo in Virginem affectu luculenter contestatus esset, quasi legatione hac tam honorifica perfunctus, placide obdormivit. Rem gestam in claustro Collegiatæ Ecclesiæ, urbis Manresanæ, picturæ & mutæ tabulæ satis loquuntur; quas cum malevoli obduci cuperent, repetitis à Quæsitorum Barcinonensium tribunali, accuratissimis Inquisitoribus, comperta, & omni fide testata veritate, contra invidos obtrectatores, historia quemadmodum audistis, per sacros quæsitores confirmata est. Sunt qui velint, per manifestam visionem D. Thomam quædam retractasse, ut *c* apud Eliam de Theresa, *d* Bernard de Busto, aliosque videre est. Superest, quo concludo ultimum Thomæ argumentum, quo probat Beatam Virginem ab omni peccato actuali liberam, quia

a Catharin. lib. 4. cont. Cajetan. §. Quod vero p. 357. b Nieremberg. in vita S. Ignatii edit. 4. Dissertatio Amedei Salli approb. 1651.

c Elias de Theresa Legatio Eccl. l 2. c. 10. n. 12 d Bern. de Busto serm. 7. de Concept. Novarini umbra Virg. pagina 65.

T o-

§. 3.

TOTA PULCHRA *es Amica mea*, & MACULA NON EST IN TE. Cant. 4.

QUantâ fuerit Regina Esther oris venustate, quam eximia corporis, animique pulchritudine, sacra historia, sic paucis testatur: a *Erat enim formosa valde, &* INCREDIBILI *pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.* Quod Elogium sub Estheris typo, de B. Virgine intelligendum esse, docet Richardus de S. Laurentio: ideo inquit, in figura Mariæ, dictum est de Esther: b *Erat formosa valde, &* INCREDIBILI *pulchritudine.* Rectissime hæc nova Esther Maria, *formosa valde* deprædicatur; at quo pacto, quæ *omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur*, excellere dicitur INCREDIBILI *pulchritudine*? etenim quod omnium oculis patet, quomodo *incredibile* reputatur? non levis in hoc verbo emphasis; utrumque porro, ex alterutro redarguitur, vel oculis non videri, quod *incredibile* censetur, vel si apparet oculis, non fore *incredibile.* Quod subtili mentis acie expendens Richardus, ad elucidationem inducit illud Isaiæ: c *Quis audivit unquam tale, & quis vidit huic simile?* Virginem nostram *formosam valde* in primo suæ conceptionis momento, *omnium* oculis fidelium, SS. Patrum, Doctorum, universitatum, ut per sex & decem sæcula Salazar noster eruditissime demonstravit, *gratiosissimam*; d quibusdam tamen hanc ejus pulchritudinem *incredibilem* haberi, & censeri. Vos qui docibiles estis, ut credibilem judicetis, aures animumque advertite. In unam Virginem totus defixus, omnesque animi ac corporis ejus dotes penitius contemplatus, exclamat: d *Tota Virgo pulchra dicitur, quia pulchra facie, & pulchra mente: nemo enim tam sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum, præter Mariam: tota enim pulchra, quam tota possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum*; tota pulchra, non ex parte, sed ex toto: pulchra in morte, pulchra in vita, pulchra in primo animationis momento: pulchra oculis, pulchra ciliis, pulchra labiis, pulchra linguâ, pulchra manibus, pulchra pedibus, tota pulchra membris omnibus.

Enituit subinde in aliquâ insigni filiâ, formæ elegantia; sed eam parum pudici mores infuscarunt: aliam, pudicitiæ lumen exornavit; sed obsolevit superbia: Alia, Natalitiis imaginibus clara, virtutes in ceris habuit, alia laudem à pueritia collectam, ante virtutis maturitatem decoxit, alia fortitudinis gloria profulsit; sed Virginitatis laureâ caruit. Ad summum, nulla inventa est, quam non aliquis nævus ex ista fatali hominum corruptela derivatus intinxerit. Maria, una est, in quam magnificè consentiens, atque

a Lib. Esther c. 2. v. 15. b Rich. de S. Laur. l. 5. in princ. Celada in Esth. p. 683. c Isaiæ 66.

d Salazar de Concept. immac. B. Virgin. c. 42. e Richard. de vita in Cant. c. 26.

con-

conspirans, omnium virtutum contentio: ut nihil pudori venustas, nihil gravitas demissioni, nihil comitas gravitati detraheret. Sed tu, ô homo! pulcher forte in puerili ætate, dum morum candor, & vitæ innocentia omnibus amabilem reddebant; sed turpis in lubrica juventâ, dum mores, & amores turpes, macularunt. Et tu, ô homo! pulcher forte in virili ætate; sed turpis plane, & deformis in senectute. Tu, ô filia! pulchra quidem fronte, sed turpi ac procaci lingua. Tu Adolescens, pulchro ac modesto ore; sed fœdis ac lascivis oculis, &c. quam rari nantes, quam pauci hic stantes, de quibus dici potest: *Totus pulcher es, tota pulchra es.* Tibi soli canit Ecclesia: *Felix namque es sacra Virgo Maria, & OMNI LAUDE dignissima.* Sunt & alii cœlites laude digni; sed non omni: pulchri; sed non omnino. Laude dignus Sanctus Petrus; sed non omni, quia turpem maculam gloriæ inussit, dum Christum negavit. Laude dignus Paulus, vas electionis; sed non omni, quia persecutus est Ecclesiam Dei. Laude dignus, dilectus Christi Discipulus; sed non omni, quia & ipse infidelitatis notam, per fugam incurrit. Dignus laude Joannes Baptista, qui ipsum Verbum habuit laudatorem; sed non omni, quia macula originali contaminatus est. Maria vero, quia ex omni parte vicit peccatum, supra omnes, omni prorsus laude dignissima est: a *De qua*, inquit subtilis Doctor Augustinus, *propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Unde enim* (alii legunt inde) *scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum, omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruerit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? rogo vos quantalibet fuerit in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce omnes clamassent, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* Cujus divino plane testimonio, subnecto sapientissimi Idiotæ judicium, qui contemplatione de Virgine Deipara cap. 3. sic ait: *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, nec unquam fuit nec erit.* Quid hoc, nec erit? quasi præsagiret, post tot sæcula futuros, qui turpissimam hanc maculam sanctissimæ Virgini adspergere auderent. Sed frustra, quia labes *hæc nec fuit, nec est, nec erit*; b Ut quemadmodum D. Thomas concludit, *sic in ea impleatur quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, &* MACULA NON EST IN TE.

Quærunt solerter sacrarum literarum indagatores, ut quid cœlestis sponsus, sponsam suam ab eximia venustate collaudans, bis eadem verba cum admiratio-

a Aug. lib. de nat. & grat. c. 36.

b S. Thom. 3. p. q. 27. a. 4.

ne ingeminet? *quam pulchra es amica mea! quam pulchra!* bis pulchra, ait Honorius, *quia immunis ab originali, & actuali.* a Hugo Cardinalis ad mores sic interpretatur: *Quam pulchra es interius voluntate! quam pulchra es exterius compositione morum, sive honesta conversatione*, Vel: *quam pulchra in activis, quam pulchra in contemplativis.* Aut ut supra diximus: b *Quam pulchra in facie, quam pulchra in mente.*

Hanc geminam pulchritudinem, quam Sol, & Luna mirantur, dum subjicio, eum ex amœnissimo hoc Virginis immaculatæ spectaculo fructum exspecto, ut quisque vestrûm hac pulchritudine illectus, in castissimos Virginis amores, totus exardescat, & c *immaculatum se custodire* in animum inducat. Princeps in pingendi arte Coryphæus, Zeuxis Heracleotes, in Junonis templo, d quæ apud Agrigentinos, religiosissime celebratur, Helenam exsertis totius artis suæ viribus, expressurus: venustissimas ac forma præstantissimas Virgines delegit, in quibus, quidquid in labris, genis fronte, toto ore, oculisque pulchrum emicabat, quidquid omni ex parte, natura perfectum expoliverat, id totum in unam Helenam, divino propemodum artificio conferebat, *ut ita mutum in simulachrum ex animali exemplo*, quemadmodum loquitur M. Tullius, *veritas transferretur.* e Haud aliter (*si parvis liceat componere magna*) ubi Maria, *opus digitorum Dei* efformandum fuit, quidquid ridet in pratis, quidquid halat in floribus, quidquid fulget in gemmis, quidquid micat in stellis, quidquid in tota mortalium, cœlestiumque natura venustatis, gratiæ, excellentiæ, perfectionis usquam reperitur, id omne molitor Deus eminentissimo quodam modo, in Virginem nostram congessit. Viderat hoc acuto mentis obtutu doctissimus ille f Parisinæ Academiæ Cancellarius Ioannes Gerson: *Speciositas quælibet reperta in creaturis sparsim tota colligitur in beata ac pulcherrima mulierum, vel formaliter vel eminenter. Hæc est regula divini Dionysii, Hierarchias ordinantis, ut nimirum suprema illarum beatissimarum mentium Hierarchias, perfectiones omnes inferiorum comprehendat*; quas cum Deipara infinitis parasangis antecellat, tantam esse pulchritudinem *qua sub Deo major nequit excogitari*, necesse est. Addo ut Omnipotens Deus, in hoc uno opere, quod quasi æternitati pinxit, diciturq; *negotium omnium sæculorum*, potentiam suam quodammodo exhausisse, omnesque perfectiones suas, velut in compendium collegisse videatur. Quod ille sensit, qui excellentia Virginis attonitus, eam *compendium incomprehensibilium perfectionum Dei*, appellare non dubitavit. Atque has omnes cœlestis gratiæ prærogativas, in primo conceptionis suæ momento, Mariæ divinitus collatas fuisse, fuse supra ostendimus.

a Hugo Card. in Cant. cap. 4. b Rich. de S. Vict. cit. c Iacobi 1. d Cicero l. 2. de invent. e Bonav. in Psalter.

f Gerson. tract. 3. in Magnif. g Gerson cit. h S. Bernard. serm. 2. in Pentec. i Andreas Creten. orat. 1. de Assumpt. Virg.

Equi-

Equidem *a* ut occulta sit, harum investigatio, cognitioque virtutum, quæ sub arcana, reconditaque corporis humani, veluti adyta refugiunt; in eo tamen quædam proposuit Deus animi simulachra, notasque naturæ certissimas, in quibus illæ præluceant: atque ipsis magnis mentibus, domicilia corporum solet apta metari, ut ex vultu, ac decore membrorum colligi possit, quantus augustum hoc palatium subiturus sit habitator; adeo ut Augustinus *b* de ea: *Si te Dei formam appellem, digna existis.* Porro si quam vim habet, tacita cujusquam corporis figura, ea fuit Virginis forma, ut ille de Areopago non tam nomine, quam sanguine clarissimus, ubi Dei Matrem conspexit, tanto stupore perculsus hæserit, ut si de divinitate liceat divinare, tantum non Deam affirmare præsumpserit. Ipsum *c* audite. *Testor Deũ, qui aderat in Virgine, nisi me divina docuissent eloquia, hanc verum Deum credidissem; quoniam nulla potest videri major gloria beatorum; quam felicitas ista, quam ego tunc gustavi.*

O quam te memorem Virgo! namque haud tibi vultus
d *Mortalis, nec vox hominem sonat; O* DEA *certe.*

Adeo etiam cum gratissimo Divinitatis periculo, divina Virginis forma deprædicatur. O dulce ludibrium, fidem per formulam quandam Divinitatis imaginem quodammodo periclitari! ita de pluralitate Numinum disceptari, ut qui in hanc speciem, oculorum aciem intenderit, non possit ut velit artificem Deum, quasi è radio solem ignorare, unde auree Chrysologus: *e Quantus sit Deus satis ignorat, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur*, totius corporis venustatem non veneratur.

Quid ad integerrimæ Matris gloriam præstantius, ad dignitatem illustrius, ad majestatem augustius, ad omnium nostrum animos inflammandos potentius? *f* experto credite. Tametsi nihil esse charius in vita, quam suos cuique oculos ducamus, fuit tamen qui Virginis formam, vel semel dumtaxat per transennam intueri, toto luminis, oculorumque impendio libens licitaretur: nam ut ejus; in paucis erat studiosus, ita cum stupenda, ac pæne divina lectitasset, quæ de singulari ejus splendore ferebantur, non temperavit, quin audacior aliquanto erumperet, votisque humana conditione majoribus indulgens, eam oculis mortalibus aspicere desideraret. Et eccum tibi decreta legatione datur negotium Ephebulo cælesti, qui prænuntius erat: & juveni valuisse preces, quibus cælum importunis fatigaret, significet. Obstupuit visu, & insolita oris honestate perculsus, quid inciperet Adolescens,

a 2. Pulchritudo Virg. exterior. b Aug. serm. 35. de temp. Festo Assumpt. c S. Dionys. epist. ad S. Paul. d Virg. l. 1. Æneid.

e Chrysolog. serm. 140. f Ex Ioan. Herol. in prompt. mirac. 79. Ioan. Major. spec dist. 8, tex. 69. Biderman. Deliciæ, l. 2 c. 4.

ſcens, aliquamdiu neſciebat. Ce-terum ubi ſe animus deniq; col-legit, etſi vehementer hominem etiam is aſpectus tenuit; im-plere tamen deſiderantis exſpe-ctationem adeo non potuit, ut eo conſpecto, magis exardeſce-ret, & in querelas effuſus, aliud certe ſe ſuis tam ardentibus vo-tis à cælo contendiſſe: ut An-gelorum Reginam, ipſam divini verbi parentem intueri velle, expoſtularit. Verum his adeo querelis opus non eſſe, brevi poſt cæleſtis genius aperuit: ſtatuiſſe nimirum Virginem ei dare ſe videndam; ſed caro ta-men hunc ei ſtaturum Virginis aſpectum: ea propter delibera-ret ſecum ipſe, quantas, quaſ-que profundere opes, eam in rem placeret. At Adoleſcens injuriam ratus, ſi deliberaret, jubet hoc metu nuntium ſu-perſedere, & pretium, quan-tum id cumque eſſet, edicere: ambage ergo remota prædicit nuntius: velle quidem indulge-re ſe oculis mortalibus, immor-talem Virginem; ſed ea tamen lege, ut oculi ab eo deinde aſpe-ctu, mortale penitus nihil intue-antur. Nec enim æquum videri, ut oculus ſemel ad tam ſublime cæli ſpectaculum admiſſus, poſt-liminium habeat ad terræ, cœnique ſordes contemplandas, quarum obtutu inquinetur. I-gitur quos tu oculos, inquit, in Virginis ore defiges, iis ca-ptum illico te, ſimul illa receſ-ſerit, ſenties: ita quidem, ut exinde cæcus, nullam lucis uſu-ram ſis habiturus. Hoc tu diſ-pendio, ſi neque dum etiam mo-veris, macte animi Adoleſcens, die craſtina feliciter ſimul & vo-tis te Virgo damnabit, & oculos tu tuos in aſpecta, dilectaque virgine funerabis. Fulminatam hoc edicto ſuam conſtantiam ſenſit Adoleſcens; ut amor ta-men aſpiciendæ Virginis nihilo minus perſeveraret, incidit ex improviſo conſilium. Age ſis, manuq; objecta lumen ſiniſtrum occlude, dextrum vero ſimul & ſpectalo impende, & periculo, quodcumque eſt, audacter com-mitte; honeſtius hoc illi funus erit, quam alteri ſua ſalus,& vi-ta. Placuit in hoc ſibi commen-to, jamque interea momentum ſuberat, ut Virginum Virgo pul-cherrimo cum comitatu intuen-dam ſe juveni ſiſteret. Venit, & ô formæ formam elegantem! ô frontis ſerenæ! ô oris Ambro-ſii! ô lineamentorum omnium venuſtatem! ſimul huc Adole-ſcens deſtinatam aciem conver-tit:

Omnia ſunt uno ſidera viſa loco:
Lunaque ſe lunam, ſolem ſol eſſe negavit:
Virginis os oculo, lunaque, ſol-que fuit.

Verum enimvero, ut ma-gnam & prope dixerim immen-ſam, ab eo conſpectu volupta-tem hauſerit, longam tamen eam, ac diuturnam capere haud potuit perinde; nam objectæ lucis, qualem ante non viderat impatiens, viſum omnem illico ſic hebetavit, ut offuſis repen-te tenebris, nullum oculi illius uſum deinde reſervarit, quo in diſpendio, id unum lachri-mis dignum ducebat, quod alte-

altero, dum timide nimis, ſtulteque pepercerit, famam glorioſiſſimi funeris invidiſſet, dabis, inquit, tu pænas tibi, ut nihil deinde terrenum videas, poſtquam videre hanc cæli faventis elegantiam noluiſti, & ſocio feliciter tumulato, ad hoc ſolum vives, ut ſemper, ſemperque lachrimeris. Sed quin tu, a *O pulcherrima verum omnium pulchritudo* (ut cum dilecto tuo loquar) *O Dei Mater, pulchrorum omnium ſummum ornamentum*, ad dandum ſupplicium te rurſus accingis: nam excæcari, & extingui hoc ipſo, quod noluit, debebit. Nec vero tibi operoſum, mihi glorioſum, hac illum parte vindicari. Exhibe te dumtaxat, vel mille oculos ſpectaculo tam amœno; prodigus libens impendam.

Perdam lumina mille, deinde centum:
Perdam millia, dein ſecunda centum.
Dein poſt millia multa, multa rurſus
Optem millia luminum, in cupito.
Viſa perdere Virginis theatro.

Secundum has querelas, iterato illa. & jam ſeipſa (quis credat) formoſior, illuſtriorque prodiit; diceres pyropis undique, & ſmaragdis, & adamantibus coopertam ſiderum omnium, ſplendorem extinxiſſe. O conſpectum admirabilem! O frontem iterum! O ſpeciem! O formam denuo elegantem! in quam dum uno lumine, ſed toto animo, totiſque ſenſibus collimat, jam jamque anxius, ne noxa ſuboriatur, non modo ſuperſtitem oculum inferias non dedit, ſed & benigniſſimo ſuo clienti, in amoris filialis hoſtimentum, extinctum alterum reſtituit: non enim adeo triſte ſidus Maria, ut aſpici ſine noxa non queat. Inhæſit interim Adoleſcenti Virginis forma, oculis, quibus eam conſpexerat, poſt hac omnibus terrenis occluſis, quæ ſi ſpecies ſemper oberraret, fruſtra indecoras faces, in medias caſtimoniæ nives, funeſtus pectorum incendarius effunderet.

Quare, amabo vos, integritatis Amatores, libere in nitidiſſimum hoc omnis pudicitiæ ſpeculum intendite, Argos hic vos omnes exhibete: nihil ab hac luce ardoris, nihil ab hoc igne fomitis, nihil ab hoc forma corruptelæ referetis. Teſtem habeo irrefragibilem Theologorum principem Aquinatem: b *Gratia ſanctificationis, non ſolum repreſſit in Virgine motus illicitos, ſed etiam in aliis efficaciam habuit ita, ut quamvis eſſet pulchra in corpore, à nullo tamen concupiſci potuerit.* Quod nec Agathæ, nec Luciæ, nec Catharinæ, nec Agneti, aliiſque niveæ, ac illibatæ mentis Virginibus conceſſum. In eandem ſententiam concedit Ioannes Gerſon, Theologus eximius: c *Phyſiognomia Virginis movebat aſpicientes ad omnem caſtitatem, & luxurioſas extinguebat cogitationes*; quæque ab eleganti quapiam mulieris ſpecie abſiſtere libidinis ſcintillæ conſuevere, uno Virginis aſpectu, velut frigida reſtinguuntur. Libet

a Greg. Nicomed. Epiſ. oration. præſent.

b S. Thom. in 3. diſt. 2. q. 1. a. 1. ad 4. S. Amb. de Virg. c. 7. c Gerſon. ſerm. de concept. Virg.

bet hic cum melliflio *a* Bernardo exclamare : *Quid tale in se ostendit, ea quæ præterit figura hujus mundi?* quam Sapiens *b* sic brevi describit: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo,* in quæ verba Tilmannus : Quid est vana pulchritudo, nisi pulchra vanitas? quid est fallax gratia, nisi grata fallacia, quæ intuentibus oculis quasi quibusdam præstigiis illudit ? denique, quid est pulchritudo carnis, nisi velamentum turpitudinis ? amantur corpora tam cito in fœdum abitura, quæ morbi diripiunt, quæ senectus erodit, quæ mors horrenda strage populatur, toties fucata, toties interpolata ; non hoc forma, sed fascinatæ Veneris rabies imperat, & ne his longius immorer, omnia complexus est Ecclesiastes Hispanus, qui de mulieris specie, virtute seposita agens, hoc de ea elogium tulit : *El parayso de los ojos, el purgatorio de las Bulsas, el lembo de los pensamientos, el infierno de las almas.*

Quanto satius, quanto sanctius, *vultum tuum*, ô Maria, *c deprecabuntur omnes divites plebis.* Ecquid mirum si divites, si nobiles, Virginis Matris vultum, pulchritudinemq; desiderabant? cum jam dixerit (Psaltes) quia *concupivit Rex speciem tuam :* valde enim pulchra est, quæ pulchritudine sua, Deum ipsum ad amorem sui pellexit. Hujus formæ vos amatores præbete, hujus, in animis vestris, Iuvenes ut fæmina compti, puellæ circumornatæ, ut similitudo templi, divinam pulchritudinem efformare nitamini.

d Apposita, nec ut opinor injucunda narratio, stimulos addere poterit, quam refert Christophorus Fonseca, tract. de amore Dei. c.41. Vlyssipone, matrona fuit prænobilis ; deformitatis planè enormis,

e Cui per mediam nolles occurrere noctem.

Mirum ipsa se excruciabat, quod non secus ac Megæram, aut Medusam, obviis se terriculo esse animadverteret. Tandem quo diuturnæ mœstitiæ, ac amaritudini suæ, modum statueret, ad D. Vincentii Ferrerii, quem impensè colebat, patrocinium ardenter confugit ; nec spes eam fefellit : Etenim hoc monstrum hominis, & velut furiarum una, extemplo speciosam adeo formam induit, ut si non Dea, certe excellentissimæ pulchritudinis idea ab omnibns haberetur, & amaretur ; unde in hodiernum diem, inquit auctor, mulieres, in toto illo regno, hujus Sancti cultui, ac venerationi sunt addictissimæ. Quod si Sanctus hic, pulchritudinem corpoream, ad instar flosculi marcescentem, sibi devotis impertiri consuevit, quanto magis Regina cælitum, pulchritudinem animæ ; æternum duraturam, clientibus suis communicabit ?

Hanc profecto pulchritudinem, vobis omnibus ultro impertiri, hujus formæ vos amatores fieri,

a Bernard. ser. 27. in Cant. b Prov. 13. c Psalm 44. vers. 13. S. Bruno. serm. de Advent.

d Fonseca Chrysog. mundus Marian. disc. 35. n. 9. e Juven. sat. 5.

a *Ma-*

a *Mater pulchræ dilectionis* desiderat, unicum hoc ejus votum; utinam & noſtrum, ut vos juvenes ambuletis b *immaculati in via.* Vobis ô conjuges, ſit c *thorus immaculatus.* Viris, ac virginibus voto obſtrictis, ſit d *Religio munda, & immaculata*; *ut* omnes ſimus e *ſancti & immaculati.* Hoc à vobis hodierna die poſtulat f *mulier immaculata,* tota pulchra, in qua macula non eſt.

Quam ut aliquando intueri, ejuſque pulchritudine in æternum perfrui mereamur, uſurpemus illa SS. Patriarchæ verba: *Novi quod pulchra ſis mulier, dic ergo obſecro te, quod Mater noſtra ſis, ut bene ſit nobis propter te*; potiſſimum, dum in terram longinquam & regionem ignotam profecturi. Aut cum dilecto tuo Bernardo g exclamemus: *Gratioſus vultus tuus, Beata Virgo, nobis appareat in extremis, formoſitas faciei tuæ lætificet ſpiritum noſtrum,* & me deducat, ut non in ſpeculo, & ænigmate, ſed facie ad faciem, te cum dilecto filio tuo, mulierem amictam ſole, in æternitate valeam contueri.

a Eccli.24 v.24. b Pſal. 118. c Heb.13. d Iacobi.1. e Epheſ.1. f Eccl.4.

g Bern. ſerm. 2. in advent.

FESTUM
S. THOMÆ APOSTOLI.

Cum ceciderit, non collidetur. Pſal. 36.



Sic cadit, ut tacta ſurgere poſſit humo. Ovid. l. 3. triſt. 4.

ARGVMENTVM.

LUdus videri poſſet, quo Deus nos ut pilas habet; quas ut in terras ex alto decidere patiatur, prævidet in altum reſulturas. Quid? quod quibuſdam cadere etiam utile fuit, ut altius aſſurgerent: ſuoque caſu plus ſibi, ac Eccleſiæ, emolumenti, quam nocumenti

menti conferrent. Ubi non casum dumtaxat Thomæ, sed & aliorum, qui inde cautius incedendo, humilius de se sentiendo, ferventius agendo, ad supremum sanctitatis apicem conscenderunt, quorum exemplis nos qui toties, ac tam fœde prolapsi sumus, edocti, quamprimum è terra, in qua jacemus prostrati, & è limo profundi, in quo infixi hæremus, quantocyus exilientes, cautius, humilius, ferventius incedamus: illud serio & attentè animo recolentes, peccatorem ubi per veram pœnitentiam assurrexerit, longe cumulatiori quam antea gratia donari; Deum ad se reducem, velut benignissimum Patrem prodigum filium chariorem plerumque habere, tenerius complecti, ac cælestibus favoribus uberius locupletare. atque ita illud Psal. 36. *Cum ceciderit, non collidetur,* exponit Origenes: *non collidetur, id est, non permanebit in peccato; sed sicut in agone contingit, ut qui ab adversario dejectus, denuo assurgat & vincat, ita si quem in nostro agone adversus principem hujus mundi vinci, ac cadere contigerit, nunquid si ceciderit, non adjiciet ut resurgat?*

§. I. *Si non errasset, fecerat ille minus.* Martial. l. 1.

§. II. *Confessio, seu pœnitentia, reddit peccatorem sanctiorem, & Deo gratiorem, quam ante fuerit.*

F E-

FESTUM D. THOMÆ APOSTOLI.

Cum ceciderit, non collidetur. Psal. 36. 24.

OLim è Philosophorum stoa, illud præclarè Aristides confessus est, non ex ipso dumtaxat aspectu, sermone, & quotidiana consuetudine Socratis, sed è contactu & complexu ejus, mirificam quandam se utilitatem capere solitum; sic enim divinus a Plato eum loquentem inducit: *Proficiebam O Socrates, quotiescumque tecum essem, etsi in eadem domo solum essem, non tamen in eadem parte domus; magis tamen in eadem parte. Et mihi quidem videbar multo magis, quando in eadem parte existens, aliquid te dicentem intuebar, quam cum alio essem aversus, sed longe magis proficiebam, cum apud te sedens, te tangebam:* cum manum osculari, tam carum caput, tam doctum pectus amplecti licebat.

Haud aliter sed longè sublimiori modo glorientur hodierna die discipuli, se non exiguam è cælestis magistri contubernio, ex amabili conspectu, ex suavissimo ejusdem sermone, utilitatem consecutos; jactent se apud Thomam: quia *vidimus Dominum*, & amica illa vox insonuit auribus nostris, *Pax vobis*: plus aliquid, & multo plus DivoThomæ concessum est, *& longè magis proficiebat*, DOMINE IESU, *cum apud te sedens, te tangebat*; Manus illas prodigiosas, cælestium gratiarum prodigas, non spectavit modo, atq; trabali clavo in iis se descriptum legit, sed & contrectavit, b *ut vel manus fidem faciat*: nam & rectè c Augustinus *de aspectu, ambigi potest, de tactu non potest dubitari*: huic consentit Divus Ambrosius in cap. ult: Lucæ, qui sic de Divo Thoma: *Tactu suo debuit me docere.* Meruit Magdalena sedens ad Christi pedes audire verbum illius, sed contingere prohibita est: d *Noli me tangere*: Hæmorrhoissa oram vestimenti piâ confidentia tangere ausa, sanitatem invenit. Dilectus ille discipulus, supra pectus Domini recubuit, sed non intra scrutatus est, his omnibus longè majus beneficium, Apostolus Thomas consecutus est. e *quæ vidit, tetigit*: hic in fornacem illam ardentissimi amoris, rigidam manum immisit, hic homo *ascendit ad cor altum*, ad thesaurum illum Divinitatis, ad immensum illud omnium gratiarum gazophylacium penetravit, quod nulli mortalium patuit. Exultat sancta anima ac sibi complacet, apud divam f Getrudem dicens: tota illa cælestis arca, in qua habitat omnis

a Plato in Theogene.

b Chrysolog. ser. 81. c Aug. ser. 161. de temp. d Ioan. 20. e Ovid. lib. 15. Metam. f In revel. l. 5. c. 13.

omnis plenitudoDivinitatis cor-
„ poraliter, scilicet dulcissimum
„ cor amatoris mei Iesu Christi,
„ est mihi reseratum, excepta
„ una clausula, quæ mihi non
„ patet, quia hoc non promerui
„ in vita mea: nam quod ibi
„ intus latet, hoc tantummodo
„ reseratur illis, qui tali dile-
„ ctione Deum amant in terris,
„ quod omnia bona quæ sciunt,
„ libenter toti mundo notifica-
„ rent, ut Deus amplius glorifi-
„ caretur; quam charitatem ego
„ non habui, sed delectabar sola
„ cum solo scire, quidquid dono
„ ejus accepi; unde ad id super-
„ jucundum Gazophylacium
„ non admittor: quod talibus
„ præparatur, qualis Thomas
„ extitit, qui in altissima divi-
næ humanitatis, & humanæ di-
vinitatis adyta penitus admissus,
tantum profecit, ut ea orbi uni-
verso manifesto, ac fidem suám
præ cæteris Apostolis in nobis
stabiliendo confirmarit. Hinc
Divus Augustinus expendens il-
lud Divi Thomæ ad condiscipu-
los: a *Nisi videro &c, non credam* ait: *In his Apostoli verbis, mundi utilitas agebatur, & unius inter-rogatio, universitatis erat instau-ratio*; adeò ut infidelitas Tho-
mæ, ejusque incredulitatis per-
tinacia, nobis plus contulerit,
quam viva fides, & prædicatio
Apostolorum, *b* Seraphicum Do-
ctorem hæc uberius tractantem
attendite: *ut verbo utar* c *sancti Gregorii*, inquit, *nunquid casu gestum esse credimus, ut electus il-le discipulus, quando ad discipulos Dominus est ingressus, deesset; sed post veniens, aliis referentibus audiret, audiens dubitaret, du-bitans palparet, palpans crederet; non hoc casu, inquit, sed divina dispensatione gestum est: egit nam-que miro modo superna clementia, ut discipulus dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet car-nis, in nobis vulnera sanaret in-fidelitatis*, ac tandem concludit: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides discipulorum credentium profuit: quia dum il-le ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur*. Unius
Thomæ casus, omnium tituban-
tium, ac vacillantium in fide,
fuit stabilimentum: atque è suo
ipse casu fortior, firmior, san-
ctior, ac Deo gratior assurrexit:
salubri documento homini quan-
tumvis flagitioso, relicto: si per
veram pænitentiam, & arden-
tem amorem se adDeum conver-
terit, ampliori gratiæ ac gloriæ
cumulo condecorandum, juxta
illud Poetæ: quod fusius pertra-
ctabimus.

a August. serm 156. de temp. b Bona-vent. serm. 1 de S. Thom. c S. Greg. hom. 26. in Euang.

§. I.

Si non errasset, fecerat ille minus. Martial. l. 1.

DOctor Angelicus *d* Thomas Aquinas, de Thoma Aposto-
lo acturus, in argumentum hu-
jus festivitatis, assumit illud
Prophetæ: *Dedit abyssus vocem suam, quia inquit Thomas, abyssus est propter nominis rationem, quod interpretatur abyssus*; Abyssus
enim fuit Thomas infirmitatis,

d S. Thomas Aqui. serm. de S. Thoma.

& mi-

& misericordiæ a *Abyssus dicitur ab α privativo, id est sine, & byssus id est candidus: quia sine candore lucis fidei.* At quam profunda miseriæ, malitiæ, pervicaciæ, pertinaciæ, perfidiæ, abyssus fuerit, primum perscrutemur: fuit in eo *b* secundum graves SS. Patrum, & Theologorum sententias obstinatio planè singularis, ex eo cumprimis, quod non esset in Christi disciplina tyro, sed aliquot jam annorum discipulus & familiaris, atque adeò unus ex duodeno Apostolorum choro: non erat rerum imperitus Adolescens, qui tum forte, cum majoribus suis, pertinacia atque obstinatione certaret; sed erat ætate virili ac matura. Multa quoque jam miracula viderat [illegible] pudentem cum eo quod prætractè se credituram negabat; filium quippe viduæ, ipsumque nuper quatriduanum Lazarum, a mortuis viderat in lucem revocatum. Denique [illegible] pervicacia, non unam hæsitat, alteramue horam, sed o[illegible] totum, atque in ea ad ultimum spiritum se pertinaciter perseveraturum obfirmarat, nisi abyssus misericordiæ, eum clementer excepisset. Compellat ipsum hisce verbis Hipponensis Antistes: *c O beate Apostole, ante oculos tuos Christus Lazarum potuit suscitare, & ipse non poterat de sepulchro surgere? quæris loca clavorum, & oblitus es [illegible] tanta lignorum? [illegible] in triduo memoriam magistri, ut potentiæ non crederes Christi?* Accedit hæc Thomæ pertinaciam cum insigni aliorum Apostolorum injuria, & contemptu conjunctam fuisse, quos levitatis in credendo facilè arguebat, juxta illud Sapientis: d *Qui cito credit, levis est corde*: atque sanctæ assirmantibus, fidem derogabat. Principem Apostolorum audierat profitentem, visum à se post Resurrectionem Dominum: Audierat duos discipulos ex Emaus reversos, qui longum etiam cum eo sermonem habitum referebant: eumdemque cognitum in fractione panis. Audierat Magdalenam, aliasque sanctas mulieres, quæ eum ab oculatæ, & testes oculatæ fuerant. Quin etiam reliquos decem Apostolos audiebat, ipsi omni asseveratione affirmantes, visum à se Dominum manuum, pedum, laterisque cicatricibus insignem, auditum semel iterumque salutantem, & Spiritum sanctum in remissionem peccatorum impertientem. At ille, qui (ut Augustinus loquitur) *c Mortem incurrerat in fide*, nullis rationibus à concepta animo pertinacia dimoveri potest. Quid si benignus Dominus, ut te ad fidem resurrectionis adducat, cælitum ad te Angelum mittat? *Non credam*, inquit. Quid si mater sanctissima Salvatoris, eum resurrexisse asseveret, visum a se, & diuturno complexu, colloquioque detentum testetur? *Non credam*, inquit? sed age obsecro Thoma: b Veniat ad te Magister tuus, sic ut eum quidem non videas, audias tamen, & liceat notas audire, &

a S. Thomas cit. b Salvius de amore Dei lib. 10. c. xi. c August. serm. 159. de temp.

d Eccl 19. c Aug. serm. 159. de tempore

reddere vocem, quid facturus es? *Nisi videro, non credam:* videbis ergo eum hisce oculis tuis, & auribus percipies verba ejus, numquid hoc satis erit, ad extorquendam fidem? non erit satis, inquit: *Nisi misero manum meam in latus ejus, non credam.* O Thoma! quam parva est fides tua! quam magna pertinacia tua! in quantam miseriæ, caliginis, perversitatis abyssum delapsus es! nihilominus immensa tibi, & ut ita dicam, abyssalis miserationis divinæ abyssus aperitur: a ***Ecce enim iterum venit Dominus, ne periret Discipulus***, quem ut a pertinaci errore, ad sacram fidei doctrinam revocaret, divino usus est magisterio, scribit porrò sanctus Lucas, post resurrectionem suam apparuisse b *in multis argumentis*, quæ Scholastico more exponens S. Bonaventura, docet Christum cum Thoma fuisse argumentatum: *Vide*, inquit, *processum mirabilem, Christus intrat ut Deus: & hæc fuit propositio major; deinde ostendit ei manus & latus, & hæc fuit propositio minor; tertio conclusionem extorsit: Dominus meus & Deus meus.*

Qui librorum indices excogitarunt, rem utilem ac delectabilem adinvenerunt, ut quæ longo tractu, in vasto volumine dispersa, & prolixa lectione indaganda, ad summam & brevem synopsim redigerentur, ut primo quasi intuitu omnia lustrentur. Liber vitæ, c Christus est, ut docet Justinianus Venetus, scriptus intus & foris, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei: atque hujus immensi voluminis, perfectus index, S. Thomas est; Cum ea omnia quæ in Christo latissime continentur, comprehenderit, summa, seu synopsi duorum verborum: *Dominus meus, & Deus meus*: quibus totam Thomæ Aquinatis summam, atque omnia Christi divina & humana mysteria complexus est. Magdalenam convertit interiori motu, & cælesti radio: Petrum oculo, Paulum voce; sed Thomam protervum, perviacem, pertinacem, convicit demonstratione, & syllogisticis argumentis, signisque evidentibus primæ veritatis. Unde d D. Thomas: *Dicitur Christus suam resurrectionem argumentis declarasse, in quantum per quædam evidentia signa, se verè resurrexisse ostendit.* Etenim quid efficacius demonstratione hac palpabili, ad intellectum Thomæ in submissione fidei captivandum? unde ut notat Theophylactus, in illo versu: *Dominus meus, & Deus meus*, post tactum lateris, ipse se Theologum ostendit, duplicem naturam, & unam hypostasim Christi edisserens: dicens enim *Dominum*, naturam humanam; dicens Deum: divinam confessus est, in uno & eodem. O abyssus misericordiæ! *O pietas salutaris*, exclamat e Augustinus, *quæ non dedignatur locum ostendere cicatricis*; amice illum invitans: *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, &*

a Aug. serm. 159. de temp. b S. Bonav. serm. 2. in hexaëmero. c B. Laurent. Justinia. l. de humilit. c. 11 & de triumphali Christi agone.

d S. Thomas. in 3. q. 55. a. 5. e Aug. cit.

mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis

Longe S. Thomas corpore abfuerat, sed longius animo, à dilecto Christi grege avolarat: longius enim cæteris Apostolis fugisse, atque adeo, aliis congregatis, necdum redisse dicitur. Iamque animo obfirmato, omne tamen fidei, ac Deum optimum excluserat, ut facilius fuerit Christo clausis januis a rium, quam animum Thomæ penetrare. Apposite ad mores Philo Carpothiorum Antistes, in cantico amoris, cap. 5. *Vox dilecti mei pulsantis*, sic ait: *Hoc quoque ad resurrectionem referri potest, cum Dominus noster Iesus Christus, clausis januis apparuit Apostolis cum & Thomam incredulitatis suæ reprehendit (& sub ejus nomine quamlibet infidelem animam) ut sibi januam cordis aperiret.*

Quoties divinus sponsus pulsat januam cordis vestri, & surdi estis; cum illa vel nutu, vel sibilo lascivi proci patefiat; quoties dilectus interiorem illam januam, pessulo divino pertinaciæ in fuciere, pessulo ferrugineo inveteratæ luxuriæ, pessulo ferreo pravæ consuetudinis, pessulo aureo avaritiæ, pessulo adamantino confusionis, desperationis, confessario Dei vicario clausum, & obstructum invenit? cor nostrum illi pateat, qui suum Thomæ, & omni peccatori, affectu tenerrimo nudum, & apertum exhibuit. Fuit qui reditum Thomæ, conspecto Christi corde, ingenioso hoc symbolo expressit: falconem liberius, ac longius per aëra evagantem, ut Dominus ad manum redeat, cor captæ prædæ eminus illi ostentat; subjecto lemmate: *ut redeat.*

Plures cum Thoma longius avolarunt, longius evagati sunt, ostendit benignissimus redemptor sacratissimum cor; *redite ad cor*; ostendit corpus suum, ut quæ longius avolarunt, *congregentur & aquilæ.* Quo autem Christus, suum Apostolo latus ostenderit fructu, Bernardus calamo suo lacte & melle manante, suaviter b descripsit: *Thomas dubitando (& palpando cor illud Iesu) constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis.* Apostoli ad prædicandum Evangelium, in totum orbem dispergendi, omnes fidei articulos, in unum symbolum contulere, ut eadem omnes mysteria, concordibus animis & linguis prædicarent. suum itaque singulis articulum conferentibus, D. Thomas qui de Christi resurrectione est, pronuntiavit: *Tertia die resurrexit à mortuis*, ut D. Augustinus c testatur. Verum enim vero cum D. Thomas hunc articulum, ut diximus, perfide ac impiè negarit, dicens: *Nisi videro, non credam*: cur ejus constituitur prædicator? non alia de causa, quam ut eò major esset prædicationis fides, quo major fuerat infidelitas prædicantis: quis enim fidem derogaret inimico, istam, quam pertinacissimè negarat, veritatem confitenti? unde est illud magni d Gregorii: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem quam fides credentium discipulorum præ-*

a Aresius festo S. Thomæ.

b S. Ber. serm. 2 super missus c Aug. f. 115. de temp. d S. Greg. hom. 26 in Euang. Mendosa l. 1. Reg c 6. annot. 10 sec. 3

fuit. Mirabilius est autem illud Haymonis : *Plus nobis profuit dubitatio Thomæ, quam certissima fides Mariæ* : Hanc enim protervi, utpote matris, suspectam dicerent; illam vero utpote adversarii, incorruptam judicarent. Ex quibus, primum hoc quod proposuimus, concluditur :

Si non errasset, fecerat ille minus.

Sic tamen, ut illud *a* Augustini vos monitos velim : *Non cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi* : alterum est, Thomam pœnitentem, ac confitentem : *Dominus meus, & Deus meus*, plus gratiæ, favoris, benevolentiæ, apud Christum inivisse, quam si nunquam peccasset, juxta illud Angelici *b* Thomæ pronunciatum : *Dux in prælio plus eum militem diligit* (æstimat, effert) *qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quam eum qui nunquam terga præbuit, neq; aliquid fortiter fecit.*

§. 2.

CONFESSIO SEU POENITENTIA REDDIT PECCATOREM SANCTIOREM, ET DEO GRATIOREM, QUAM ANTE FUERIT.

PRobationi denuo mihi servit, quo nec excelsiorem, nec excellentiorem Doctorem reperio, Thomas Aquinas, qui 22. q. 106. a. 2. diviné ut assolet, disceptat : utrum quis majus beneficium à Deo consecutus sit, innocens, qui niveam in Baptismo gratiæ vestem acceptam, non commaculavit, an pœnitens qui etiam post innumeras lethalis peccati labes, ad cor redierit, & confessione Sacramentali expiarit ? Ad quod quæsitum respondet : *Potest dici major gratia facta pœnitenti, quam innocenti, quia majus datur gratis; cum enim esset dignus pœna, datur ei gratia : & sic licet donum datum innocenti sit absolutè consideratum majus, tamen donum quod datur pœnitenti, est majus in comparatione ad ipsum : sicut parvum donum datum pauperi, est majus quam diviti magnum.* Quod quod indies accidere videmus, ut peccator quasi è veterno suo, vigilantior resurgat, è torpore ferventior, ex periculo circumspectior, è fastu humilior, ex casu cautior, & alacrior in cœlum altior assurgat : velut follis, aut pila quælibet in terram recidens: *Sic cadit ut tacta surgere possit humo.* Inanis certè, ac levis follis, præsumptionis spiritu inflatus, Thomas censeri poterat, qui præ cæteris Apostolis, ultro in mortem ruere, sanguinem fundere, paratum se jactitabat, dicens : *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*; at quam vane, turpis fuga, & altissimus ille incredulitatis casus, manifestè edocuit, è quo alacrior, & altior assurrexit : pilam quippe ex eo non solum bonam deprehendis, quod percussa bene volet, sed quod cadens in terram, bene resultet; ita quis non ex alta contemplatione, & fer-

a August. in Psal. 50. b S. Thom. in Luc. cap. 15 Majus gaudium super uno peccatore.

c Ioan. c. 11.

fervore cognoscitur; hic si lapsus in peccatum, statim resurgat. *a* Origenes exponens illud Ps. 36. *Cum ceciderit, non collidetur*, hoc est, inquit *non prosternitur*, *non permanebit in peccato*; *in quo ostenditur*, *esse aliquos casus*, *qui tamen non continuo indicent esse victum, & prostratum, cum quis ceciderit*: *sicut enim in agone* (perappolita utitur similitudine) *fieri solet*, *ut duabus inter se luctantibus*, *accidat primo quidem cadere unum, & cum ceciderit, surgat & vincat*; *ita etiam in nostro agone, qui est nobis adversus principem huius mundi*: *si forte acciderit aliquem de nobis vinci, & in aliquo periculo cadere*: *possibile est ut post peccatum resipiscat*, & exsurgat, & vincat: *juxta illud*: *Numquid qui ceciderit, non adjiciet ut resurgat*? Quid quod optimus morum magister *b* asseveret: *Multi ceciderunt*, *ut altius surgerent*. Deus subinde electos cadere permittit, ut è torpore suo ferventius resurgant. Paulus 1 Cor. 15. *Ego sum minimus Apostolorum*, *qui non sum dignus vocari Apostolus*: seq; *abortivum* nuncupat; quodq; stupendum, mox subdit: *Abundantius illis omnibus laboravi*. Hieronymus id scitè observavit, epistola ad Paulinum: *Subitus*, inquit, *calor longum vincit teporem*: *Paulus Apostolus de persecutore mutatus*, *novissimus in ordine*, *primus in meritis est*: *quia extremus licet plus omnibus laboravit*; qui fervor non aliunde, nisi à frigore anteriore, quasi per antiperistasim derepente oriri visus est. Hoc ipsum purpura, sed vitæ sanctimonia illustrior, confirmat B. Petrus Damianus *c* *Consuevit Deus honorare pœnitentes magis*, *quam innocentes*: *quia devotior est servidus pœnitens*, *quam tepidus innocens*: *cum ille materiam fervoris habeat*, *hic tepiditatis*, ut ipsa flagitia; pabulum censeantur divini amoris. Tum ab exemplis rem comprobat: *Habeo ad manum*, inquit, *Testimonia nec pauca*, *nec parva*, *quæ & ipsa credibilia facta sunt nimis*: *Petrus Apostolus*, *non quilibet Apostolus*, *sed princeps Apostolorum*, *numquid non de choro pœnitentium est? non ipse est qui Deum negavit*, *reliquit magistrum*, *fefellit promissum*, *negationi perjurium addens*, *crimen criminum acumulans*: *cecidit*, *sed non collisus est*, *quia Dominus supposuit manum suam*; imo altior, ferventior, & sanctior assurrexit:

2. Hos lapsus divina providentia permittit, ut è casu suo cautius & humilius incedant: quare Augustinus l. 14. de civit c 13. sic libere profitetur: *Audeo dicere*, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum*, *manifestumque peccatum*, *unde sibi displiceant*: *salubrius enim Petrus sibi displicuit*, *quando flevit*, *quam sibi placuit quando præsumpsit*. quo fit, ut Deus peccati venenum, in peccatorum remedium, & antidotum convertat, atque ex veneno, ut ita dicam, Theriacam faciat. Hugo Carensis in Ps. 57. *Dominus facit quandoque de veneno theriacam*, *ut de peccatis patratis fit homo cautior & fortior post lapsum*, *& in amore Dei ferventior*. Sic e lapsu suo, remedium David sentiens, *d* ait: *Bonum mihi Domine*, *quia humiliasti me*. Dixerit Ioseph suo Pharaoni: Bonum mihi, quia exaltasti me;

a Origenes in Ps. 36. *b* Seneca ep. 91. *c* Damia. serm. de S. Martino.

d Psal. 118.

dixerit Esther Assuero suo: bonum mihi quia coronasti me; dixerit Mardochæus Regi: Bonum mihi, quia honorasti me; dixerit Tobias Angelo: bonum mihi quia [illegible] me, dixerit Claudus Petro: bonum mihi quia sanasti me, dixerit Lazarus Christo: bonum mihi quia suscitasti me. At Rex David, inter omnia beneficia, hoc summum deprædicat: *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me.* Quenam hoc sibi adeo bonum extollit? *Ut discam justificationes tuas*, ut discam altos, & elatos præsumptionis spiritus, dimittere, quibus infectus: a *Dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Petrus Gonsalvus equo excussus in cloacam, à mundo illusus, ipsum irridens, sensit verissimum illud: b *Bonum mihi Domine.* &c. Ita quandoque viros sibi nimium præfidentes, cæteros præ se despicientes, quod ingenio, facundia, aliisque naturæ dotibus pollerent, salubriter à Deo humiliatos vidimus, dum aut in medio orationis cursu, instar piscis muti, coram honestissimo consessu repentè constitêre: aut verbo, aut opere, in leges prudentiæ enormiter impegere: aut alios subinde despotico fastu, & intolerabili arrogantia arguentes, in illud ipsi longe gravius prolapsi, se homines agnoverunt, & exemplo principis Apostolorum, jam conversi, fratres suos confirmare didicerunt. c *Petrus futuri casus nescius, magnificè profitetur: Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire; sed Dominus videns eum præsumptuose loquentem, permittit. Tentationis pressum, sciturus quod negaturus esset.* Ubi D. Thomas d Paulus apte subnectit, [illegible] de secreto Dei consilio fieri. *Sciendum autem*, inquit, *quod Deo permittente, timorati lapsum patiuntur quandoque, ad [illegible] præcedentis remedium.* Idem argumentum prosequitur e Gregorius, & f Isidorus, qui ejusmodi in se confidentes, [illegible] elatos, Deo permittente [illegible] ipsam nempe fœdæ libidinis aut gravis injustitiæ flagitium prolapsos tradunt; atque ita docent Paulum de superbis Philosophis scripsisse, quod Deus propter superbiam, tradiderit eos in cordis sui desideria: g *in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, in passiones ignominiæ.* Sed ut gentiles omittamus, in luce fidei, in fervore charitatis, æstuantem Anachoretam h obstupescite; hic postquam quadraginta omnino annos in eremo Deo militaverat, miranda maxime patrarat, trophæa de hoste interno statuerat plurima, effusa è vicinis oppidis ad se hominum turba, cœpit forte se circumspicere, & virtutem suam demirari: cum ecce vir id ætatis ac sanctitatis à muliercula triumphatur, & ab ea, in qua ipsum cacodæmona non horruerat, imo è qua victum ejecerat huic itaque infelix primo pudorem, mox vitam extorquet; & vero tertium scelus accumulasset desperabundus, & victum se

a Psal. 29. b Pl... sec. [illegible] Relig. epist. ad sæculares c. 58. c S. Thom. in Lucam c. 22.

d B... ep... D. Thom. cit. e Greg. [illegible] S. mor. c. 13. f Isidor. de summo bono l. [illegible] c. 37. g Ad Rom. 1. h Surius 28. Ian... [illegible]

mun-

mundo dedicisset, nisi lapsus benignissimi Domini sic disponente providentia, credens tantus, tum enim vero altissimum in casum tam cum honore despicere, animo ad ardua quæque assurgere, sepulchrum vivus subire, mortem item in decimum annum usque deflere, cælo interim oculos nunquam attollere: vix semel aut iterum in hebdomade de herbulis vesci, quæ ad ostium conditorii crevissent: ipse certe Apostolus, peccato mortuum dixisset, sed nunquam pulchrius ille vixit, quam sic mortuus: nunquam gratior orbi potuit, quam dum sic latuit: nunquam celsior stetit, quam dum sic cecidit. divino etenim oraculo scelus sibi remissum audiit, atque exinde numini charior, quam unquam alias exstitit, ut verissime magni Gregorii *a* verbis affirmare queam: ecce fit *plerumque Deo gratior ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia.*

Pœnitentia non modo æternis suppliciis eripit, ut rectè Ambrosius: b *Confessio pœnarum compendium est*; sed hominem divinis Sacramentis suscipiendis, conficiendis, administrandis indignum, rursus in novam gratiam admittit, & mensa hac, quo major in terris honor exoptari nequit, amicè dignatur. David pœnitudine ductus, ex intimo corde clamat ad Dominum: c *Ego sum, qui peccavi, ego inique egi.* Quid gloriæ, quid honoris, hac hominis confessione reportavit? subditur statim: venit Propheta Gad ad David in die illa, & dixit ei: d *Ascende, & constitue altare Domino*; quod David fideliter executus: *ædificat altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica.* Inducit illic suavissimo sermone Ambrosius: e *quo facto*, inquit, *statim dignus sacrificio judicatus est, qui ab ablutione æstimabatur indignus.* O vicissitudinem mirandam! o tam amorphissimi gratissimam! ut hostis capitalis, Regis sicarius, ejusdem dapifer aut Oeconomus (*Major domo*) constituatur! è loco supplicii, ad locum convivii vocetur, eadem cum ipso Rege mensa, intima familiaritate perfruatur! Id olim stupuere Judæi, dicentes: f *Peccatores recipit, & manducat cum eis*; Thomas vero non modo conviva, sed & sacerdos altissimi, & dapifer summi Regis effectus est. Quid quod arctior inter Deum & peccatorem jam conversum amicitia, quam si nunquam ejus gratia excidisset.

Quemadmodum experientia compertum est, os confractum, atque ipsas etiam plantas, multo solidius uniri, & quodam quasi callo obducto, ex vulnere roborari. Certè prodigus ille filius ad Patrem reversus, arctiori complexu stringitur, festivius habetur, longe excellentiori honore afficitur, quam senior ille filius, qui semper innocentiam conservasse se gloriabatur: nam qui inter mercenarios recenseri cupiebat, in terra paterna brachia fovetur, & lætissimo convivio, quale nunquam primogenitus à parente obtinuerat, adhibetur;

a S. Greg. l. 3. pastor. admon. 25. b Amb. l. 1. de Abel & Cain. c. 9. c 2. Reg. 24. v. 17.

d V. 18. e Amb. apolog. 1. de David. c. 7. f Marci. 2.

quod expendens *a* D. Bern. *Prodigus inquit filius, ad filiorum numerum aspirare timebat, beatum se reputans, si vel in mercenariorum numero recipi mereretur, minimè tamen sufficere potuit paternæ pietati, nisi tam copiosam ei misericordiam exhiberet, cui possit & ille, qui nunquam a parente discesserat, semper filius invidere.* Quali pœnitens innocenti non solum adæquaretur, sed etiam præferretur, quod brevius, nec minus eleganter expressit *b* Tertullianus, dicens: *Chariorem senserat, quem lucrifecerat*; hoc est, quem pœnitentem receperat, in majorem sui amoris gratiam cooptavit. Ita Thomam, & filium prodigum in terras longinquas profugum, plusquam paterno redemptor noster affectu complexus est, quia Doctore *c* Thoma Angelico, *sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas, uberes fruges profert, quam eam qua nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit.* Mortales inter, si transfuga, amice novatus, ad castra revertitur, proditor in gratiam recipiatur, capitalia odia componantur: animo plerumq; veteris sceleris, ac injuriæ quoddam vestigium, rancor quidam, diffidentia, & veluti vulneris cicatrix inhærere consuevit, at ubi peccator ad Dominum redierit, omnium scelerum, ac si nunquam fuissent, ne memoria superest: *Omniumq; d iniquitatum non recordabor amplius*; sed priori, imo ampliori gratia, & dignitati restituitur. Onesimus Phryx, Philemonis, dictus Colossensis mercatoris mancipium, fugit compilatis heri sui rebus Romam, ibique in Paulum incidit, qui eum ad Christum convertit, instruxit & baptizavit, adeoque ex fure & infami mancipio, eum in suis vinculis habuit ministrum fidelem, & sedulum: & gratia cum Philemone inita, factus est vir & Doctor egregius, & post Timotheum secundus Ephesi episcopus creatus, valde commendatus, & laudatus *e* a S. Ignatio, Romæ demq; sub Trajano Martyrii laurea coronatus. Unde huic vili mancipio ea gratia, ea sanctitas, & dignitas? audi *f* Hiero. *Si Dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi erat Paulus vinctus in carcere, si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum; si Christi non habuisset fidē, nunquam Pauli effectus filius, in opus Euangelij mitteretur. Ex quo paulatim, & per gradus suo, reciprocante sententia, ideo minister Euangelij est factus Onesimus, quia fugit à Domino.* Infamis vitæ nulla superest nota, imo nescio quo honoris fulgore irradiatur. Medicis atque ipsis chirurgis quantumvis peritis, non ea in curando vulnere ars & industria, ut cicatricem non relinquat, hoc solius supremi illius medici est, non modo nullum plagæ vestigium relinquit, sed insuper qui decorem ac venustatem læsis olim partibus conferre consuevit. *g* Chrysostomus: *Quamvis innumeris modis*

a Bern. serm. contra vitium ingratitudinis. b Tertul. lib. de pœnitent. cap. 8. c S Thom. in Luc. 15. magis gaudium super uno peccante. d Ezech. 18.

e S. Ignat. epist. ad Ephes. f Hieron. in eam Pauli epist. g Chrysost. hom. 3. de pœnit.

admira-

...litur medicus interdum etc cicatricem, & eam è medio auferre; non poterit tamen. Repugnat huic facto, naturæ infirmitas, artis insuper vis invalida, denique tenuitas medicamentorum. E diverso Deus, quando peccata abolet, nullam relinquit cicatricem, nullum vestigium finit manere; sed cum sanitate, eximium etiam confert formæ decus. Inter Brasilos non ita pridem à Batavis captivos, conspexi hominem brachio ac pectore, variis plagis conscissis: qui hoc Brasilis, maximè nobilibus, moris esse affirmabat, ut cutem corporis, cultris conscindant, atque in ipsas plagas uniones, ac margaritas inferant: ita peccatricis animæ plagas, Deum gemmis ac margaritis exornare, probat visio illa mirabilis, quam sibi divinitus ostensam fuisse, refert *a* S. Gertrudis, die festo S. Mariæ Magdalenæ: vidit quippe sanctam illam pœnitentium patronam, veste pulcherrima, pretiosissimaque indutam: cujus limbi aureis floribus, mire radiantibus coruscabant; vestis autem gemmis variis collucebat. Porro significatum est Gertrudi, per illam gemmis quibusdam exornari, quot peccata vivens in animum admiserit. In gemmas ergo mirabilis Dei atque omnipotentis misericordia, delicta omnia conversit, quæ pœnitentem animam exornant, atque condecorant. Vnde perapposite Hieron. *b Fœditatem vulnerum*, inquit, *in sanitatis decorem commutat.* Atque ut propositum prosequamur, fertur Trajanus imperator post Decebalum Dacorum Regem prælio victum, cum vulneribus ligamina defecissent, suam purpuram in tenues lacinias concisam, vulneribus militum obligandis adhibuisse: Alexander proprio etiam diademate Lysimachi faucii vulnus obligasse. Quis ad ejusmodi alligaturam, quæ non modo saluti, sed & honori est, erubescat? at longe pretiosius redemptor vulnera nostra obligavit: *c* VINCULA EJUS ALLIGATURA SALUTIS. Quo, inquit Palacius, *fit allusio ad nexum, quo chirurgus membrum saucium obligat.*

Sic anima quantumvis saucia, a confessario vitta coccinea, pretioso sanguinis ostro tincta devincitur, diademate meritorum Christi, redimitur: ut necessario anima, post lapsum pœnitentis pulchrior, sanctior, ac Deo gratior sit, quam fuerit justa, antequam peccaret: præterquam enim, ut cum D. Thoma communiter Theologi, quod per confessionem reviviscant omnia merita vitæ præteritæ insuper accedit gratia, per sacramentum collata, ut rectè docet *d* Cardinalis Hugo, de pœnitentia. Vbi idem animæ peccatrici, mihi accidere videtur, quod insigni olim latroni, (Crocotta nomine) de quo hæc me legisse memini. *e* Octavius Imperator publica præconis voce, decies millia sestertium promisit se daturum ei,

a Indic. S. Gertrud. l. 4. c. 47. b Hieron. epist. 45. ad Rufinum. Baron. annal. a. 103.

c Eccl. 6.
d Hugo de pœn. disp. 12. sect. 1. & 2.
e Ribadineira de princip. Christiano l. 9. c. 17.

qui sibi Crocottam, latrociniis insignem & latronum ducem adduxisset; hoc ubi rescIit Crocotta, prudenter impudens Imperatorem ipse supplex adiit, se Crocottam confessus, ejusque se clementiæ committens, pretium quod tradenti Crocottam promiserat, reportavit. Exclamat hic ad rem nostram apte Cassiodorus: a *O mira compensatio! stupenda vicissitudo! Domino suo proprio maledicere*, (id est tacere) *& ab eodem, præmia salutis accipere! quis non miretur ei ad præmium confiteri, cui non possit negare, quod fecerit?* Vide peccatorem pœnitentem, non modo omnium scelerum suorum remissionem consequi, & apud Deum omnis injuriæ quantumvis gravissime illatæ oblivionem induci, sed insuper meritorum ac gratiarum cumulo locupletari, in filium ac hæredem regni cælestis adoptari. b Rufus vir ordinis Senatorii, cum in Cæsarem peccasset, indeque postea à servo, ut Cæsarem adiret, & occuparet, ut is consilio, descendenti Cæsari occurrit, illatam injuriam condonari sibi precatur, seseque in gratiam ut redeat, rogat. Cum dixisset Cæsar, se facere libentissime: *Nemo*, inquit, *credet, ó Cæsar, te gravissimam post acceptam injuriam, mecum in gratiam redisse, nisi magnum aliquod mihi contuleris beneficium*, nisi inter regni principes, inter proximos aulæ dynastas adscripseris. Numquid de Thoma sentiendum? quo loco illum apud supremum Cæsarem, apud Regem Regum, quem gravissime læsit, futurum, arbitramini? magna sunt Apostolorum munia, qui excellentissimo honoris munere insigniuntur; at quam dignitatem cælesti in palatio Thomas occupavit! c *Thomas* (quis credat) *œconomus tribus [illegible] Apostolatus gentium, qui fuit ei creditus.*

Qui, & quales in aulis Regum œconomi sint, quo apud reges loco, quo apud omnes in honore, satis compertum. Alterum divinæ benevolentiæ, & peculiaris amicitiæ in peccatores conversos argumentum est, quod Redemptor noster, prius dicitur fœminis, quam viris apparuisse, imo per has suam viris resurrectionem evulgasse: d *Ite*, inquit, *nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* At cur tantum honoris, ac favoris, fœminis tribuitur? D. Gregor. Nyss. rationem adfert: e *Quia fœmina prius peccaverat, Christum Dominum prius fœminis apparuisse, ut suam erga peccatores benevolentiam ostenderet, & quærtam illis parassei medicinam, testaretur.* Homines si quando gratiam ineunt cum iis, a quibus læsi sunt, ut obvios jam salutent; prius tamen illos adire, peramicè invisere, nunquam aut plane repugnanter consueverunt: f *Manet alta mente repóstum*, si quid ante odii, aut injuriarum intercesserit; non sic benignissimus Redemptor noster, qui iis primum apparuit, ac amicissime salutavit, à quibus gravissimis flagitiis fuerat lacessitus, id est Petrum, &

a Cassiodor. in Psal. 118. b Mendosæ viri Danini. l. 5. prob. l. 36. n. 94.

c Metaphrast. d Matt. 26. e Gregor Nyss. orat. de resurrect. f Virg. l. 1. Æneid.

Mag-

Magdalenam: cumque pariter currerent ad monumentum, Petrus & Joannes, non dicitur Christus sese spectandum exhibuisse Joanni innocenti, sed Petro pœnitenti, juxta illud: a *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*; sed nulli familiarius, quam Thomæ. Mirum quibusdam videri possit, non tantum fiduciæ fuisse Petro in cœna, ut Dominum per se inficari ausus sit, super proditore; sed id per Joannem expiscari voluerit, post resurrectionem vero nequidquam accesserit, & libere quid de Joanne futurum, interrogarit: b *Domine, hic autem quid?* num major illi cum Christo, post resurrectionem consuetudo, num familiaritas ac fiducia major intercessit? ita planè, inquit Chrysostomus, postquam tanto Petrum in fastigio collocavit, ut altius ascendere non valeret, eam dignitatem contulit, qua major in terris nequit excogitari.

Et vero divinam bonitatem longe plura, ac cumulatiora amicitiæ testimonia, ad se conversis exhibere, sacræ paginæ, atque ipsi Ecclesiæ Patres, universim omnes testantur. In una civitate Ninive, supra centum viginti millia hominum, planè innocentium recensebantur, qui nesciebant quid inter dexteram, & sinistram interesset, nec tanta innocentium multitudo, Deum potuit exorare; c *Ego*, inquit, *Dominus, non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plusquam viginti milli hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam?* contra vero quinque civitatibus abominandis, condonaturum se promisit, si in illis non dico quinquaginta, vel viginti, sed decem duntaxat pœnitentes invenirentur: d *Non delebo*, inquit, *propter decem.* Quasi digniores, & potentiores apud Deum decem pœnitentes, quam centum, viginti millia innocentum viderentur. Quid, quod vel in unius pœnitentis gratiam, universæ civitati parcere, non dubitavit. Chrysostomus: e *Multa Domini bonitas est, & sæpe solet propter paucos, dare multis salutem. Imo* propter unum, quod probat divino ad Regem Ezechiam, oraculo: f *Protegam urbem illam propter me, & propter David servum meum*; ubi Davidis pœnitentis tanta auctoritas, ut propè divinæ comparetur; at longe quid illustrius, Dominus Iesus in gratiam Thomæ operatus est, per quem solum fidem & salutem tot urbibus, tot millenis Indorum millibus impertivit: nam ut vere Petrus Chrysologus; ideo dixit Christus Thomæ: g *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, ut effundant iterum, te aperiente, hæc vulnera fidem, quæ aquam in lavacrum, & sanguinem in omnium pretium, jam fuderunt.* Nec mirum ab eo gentes barbaras, populum terribilem ad fidem conversum, & *Æthiopas dealbatos*, mutasse pellem suam: *Quia habebat in se*, inquit Metaphrastes, *magistrum Christum.* h Eusebius Cæsariensis, Nicephorus, Callistus, & alii referunt, ipsum Parthos, Medos, Persas, Hyrcanos, Brachman-

a Luc. 24. b Ioann. 21. c Ionæ 4.

d Gen. 18. e Chrysost. homil. 42. in Gen. f 4 Reg. 20 g Chrysol. serm. 84. h Ribadin. in vita.

nos, Abyssinos, c *Æthiopas* lustrasse, atque ut *a* Chrysostomus testatur, *baptismali fonte dealbasse.* insuper & ipsos Brasilos Anthropophagos, & Indos penetrasse: nam de *vehementissimo Christi amatore* (sic Nicephorus D. Thomam compellat) ita scribit: Emanuel Nobrega Societatis Jesu in Brasilia Provincialis a. 1552. Habent incolæ, *b* S. Thomæ notitiam, eumque hac iter fecisse, a majoribus acceperunt, & vestigia Apostolica etiamnum cerni, non procul a quodam fluvium affirmant. Quod ut certius cognoscerem, ipse adii, & propriis oculis inspexi quatuor pedum, & digitorum satis altè impressa vestigia, quæ nonnunquam aqua excrescens cooperit: ferunt autem ea relicta, cum D. Thomas persequentes, ipsum configere volentes, fugeret, flumenque divisum fuisset, per cujus medium, ad ulteriorem ripam, sicco pede in Indiam abiit. Pari modo narrant, sagittas quibus ipsum impetebant, in sagittarios reflexas, sylvasque per quas gradiebatur cedentes, viam præbuisse; *c* in Indiam verò ut pervenit, Evangelium Christi provulgare cœpisse, ab insula Zocotora, atque hinc progressum in Regna Cranganoris, & Congi, quæ sunt Malabarum; inde transiisse ad regna *d* Narsingæ, & demum ad Calaminæ, atque hic templum extruxisse, cujus occasionem dedit miraculum, ab ipso patratum, quando inusitatæ magnitudinis truncum, quem robusti homines incassum funibus, ergo difficili movere conati, dein complures elephanti, cum toto connixi impetu nihilum promoverent, Zomo[illegible], mira facilitate traxit; atque hic in æde Crucem lapideam defixit, cui hoc vaticinium fuit inscriptum: *Quando autem lapidem pertinget pelagus, tum divino jussu è remotissimis terris, candidos homines, ad ea quæ ipse intulit sacra instauranda, venturos.* *e* Neque fefellit prædictio: siquidem sub Christianorum Lusitanorum, atque ipsius Xaverii appulsum, [illegible] accessibus, locus Crucis demum allui cœptus est. Verum ab eo signo, cæterisque virtutibus, cum Thomæ veritas, major indies accresceret fides, unus e Brachmannis rabie accensus, tædium ac ferum facinus, mali dæmonis instinctu confecit: proprio filio admodum puero, ipsemet necem intulit, ut haberet unde ipsi Thomæ crimen, exitiumque conflaret. Citatur ad regem Thomas, accusatur ab eo per summam indignationem & querimoniam, pœnas filii extincti repeteret. Apostolus puerum ipsum interrogandum, de veritate affirmat, & civibus inauditæ rei exspectatione suspensis, cadaver in medium adfertur; tum ad exanimem puerum, Thomas placido ac sereno vultu conversus: Agedum, inquit, per Christum quem ego Deum prædico, expone quisnam hujus tanti sceleris auctor extiterit? mirum dictu, ad Christi nomen, frigido & exsangui corpusculo, vitales confestim redire spiritus, & clara voce, Tho-

a Chrys. de 12. Apost. b Nierenb. hist. nat. lib 5. cap 2. p 73. c Ribadin. d Metaphra. Maffeus hist. Ind. l. 2.

e Maffæus cit.

mam

onem summi Dei legatum, & ipsius odio ad struendum ei calumniam, nefarias manus à parente sibi illatas esse confirmat; hac tam illustri, tamque admiranda testificatione, Sagamus Rex Christianam fidem, ac religionem complexus est. Quis itaque satis depraedicet sudores, labores, dolores, quibus hoc novale S. Thomas excoluit? ex quo tam uberem animarum messem collegit, ut *a* Laurentius Iustinianus *innumerabilium conversionem populorum*, uni ipsi adscribere non dubitet. Denique Thomas, qui dicitur Didymus, id est interprete *b* S. Isidoro, *Christi geminus, Salvatori similis*, gavisus fuit cor suum lanceâ perforari, ut Christo, cui lancea latus apertum, similis, *cor pro corde* referre possit, & fidem ac amorem testari; unde eam gloriam consecutus est, quam Patriarcha Venetus describit: *c* *Tantum*, inquit, *in illo fides convaluit, ut post consumatum cursum Apostolicæ prædicationis, post innumerabilium conversionem populorum, ad triumphalem palmam perveniret Martyrii: quo mediante, immortalitatis stolam, perpetuæ vitæ gloriam, Angelicam dignitatem, & beatissimæ Trinitatis revelatam videre meruit majestatem.*

a B. Laurent. Iusti. serm. de S. Thom.
b S. Isidor: lib. de vita sanctorum,
c B. Laurent. Iust. ser. de S. Thoma,

S OLEN-

SOLENNITAS NATALIS DOMINI.

Puer parvulus minabit eos. Isa. 11.



Dux ego vester ero. Virg. Eccl. 8.

ARGUMENTUM.

PAradoxum multis videri posset, validissimis militum copiis, exercitatis militiæ centurionibus, Infantem Ducem præfici, contra potentissimos exercitus, ac infestissimos hostes, puerum in cunis, in arenam produci: atque hujus unius, elinguis, atque infantis

fantis Imperatoris auſpiciis, milites quam maxime animari, hoſtes conturbari, deque iis feliciſſime triumphari. Hoc inquam multis peregrinum, ac paradoxum videri poſſet, niſi veterum annales, ac noſtratum hiſtoriæ, exitum comprobaſſent. Quibus ſi imbellis, ac inermis puelli præſentia, tantos animos addiderit, quid non contra viſibiles, ac inviſibiles Eccleſiæ hoſtes, à Duce noſtro ſubſidii ſperandum eſt? qui etiam in cunis, non modo ſerpentes elidere; ſed & ferociſſimos inferorum hoſtes delere, militibus ſuis vires, & robur addere, ac denique glorioſiſſimam contra Principes tenebrarum victoriam (quod nemo mortalium) valet impertiri. Hoc Duce, ut contra vitia, & concupiſcentias bellum geramus, cœleſtis militiæ velites, claſſicum inſonant, epinicium, certo daturi, ſi ad Imperatoris hujus, quantumvis infantis nutus, obſecuti fuerimus.

§. I. *Puer parvulus minabit eos.* Iſa. 11.

§. II. Hoc Puero duce, Principes tenebrarum, una cum vitiis, & concupiſcentiis, quæ a *militant adverſus animam* debellandi.

a 1. Petr. 2.

S O-

IN SOLENNITATE NATALIS DOMINI.

Facta est cum Angelo, multitudo MILITIÆ COELESTIS. Lucæ 2.

INsolens ac prorsus inusitatum hac solemnissimâ luce, vobis omnibus spectaculum exhibebo: non quod barbara feritate, aut bellorum laniena, cædes animæsque cruentet, quale olim Romani dare consueverant, dum miseros mortales, feris laniandos objiciebant, aut ipsos inter sese lanistas committebant, non nisi per vulnera, & sanguinem, ludere docti.

Verum enimvero alios vobis hodie ludos, aliud planè ludicrum, non armorum, sed amorum certamen: luctatores nudos, & inermes, speciosissimos Pumiliones, in arenam producam. Id olim à Vespasiano Imperatore factitatum legimus, qui lectissimos cujusque ingenio, formâ, ac robore pueros, oleo delibutos, in arenam descendere, atque inter se, amœnissimo oculorum lenocinio, ac gratissimo spectantium plausu, decertare mandavit: ingenti donario proposito, qui inter luctandum, Antigonistam solo insternere, ac superare valuisset; cumque alter altero jam prensante, lubrici unguenti beneficio, sese passim expediret, unus ceteris solertior, pulvere arrepto levam complet, eoque adversarium dextrè aspergens, manum injicit, in terram deturbat, ac felicissime triumphat.

Jam dudum supra quinque annorum millia, Justitia & Misericordia, duo pumiliones, amor divinus & humanus, natura divina & humana luctabantur: *Gravis* inquit Bernardus, *inter eas videtur orta contentio.* Dum tandem Humanitas quod viribus non valeret divinum illum Cupidinem prensare, recondito stratagemate, pulvere mortalitatis aspersum dejecit, solo intravit, ac gloriosissimè triumphavit.

Hæc contentio, hæc lucta, hoc singulare certamen, velitatio quædam fuit ad pugnam, quam parvulus hic in terram delapsus, adversus Tartareas phalanges, impiorum catervas, & illos Nominis hostes assumpsit: *a* hic porro Infans *sempiternæ Deitatis majestate servata, servile cingulorium carnis assumens, in hujus sæculi campum* PUGNATURUS *intravit.* Tum ut se bellidiucem ac Imperatorem ostentet, decies centena millia, levis armaturæ milites advolare coegit: subito *facta est multitudo* MILITIÆ *cœlestis.* Causam nostis? *quia Dux ad prælium natus est.* Hæc *multitudo*, inquit *b* Hugo Cardinalis,

a S. Fulgent. de S. Stephano. b Ludolph. à Saxon. serm. de Nativ. n. 28. c Hugo Card. in Luc. cap. 2.

EXERCITUS *nominatur qui sequebatur* MILITIÆ DUCEM.

Sub hoc duce, militandum ac pugnandum nobis est, *hic docebit manus nostras ad prælium*, ille animas addet: *dabit hic in prælia vires*; spondet is certam de visibilibus, & invisibilibus hostibus victoriam.

§. I.

Puer parvulus minabit eos. Isaias c. 11. v. 6.

QUid conferat, quid valeat, quanti momenti, & emolumenti Dux exercitus, gravissimorum auctorum testimoniis compertum est. Curtius: a *Militarem sine* DUCE *turbam, esse corpus sine Spiritu*, sine anima, sine vita, affirmavit. Huic congruit illud Demadis, qui defuncto Alexandro Magno: b *Exercitum Macedonum, Cyclopi excæcato* comparabat. Nec dictum Taciti c silentio hic involvendum: *Plus in* DUCE *repones, quam in toto exercitu.* Etenim ut milites sint copiâ frequentes, robore firmi, lacertis validi, animis concitati, si perito Duce destituantur, d *male ruunt sua*: e *& ut remiges sine gubernatore, ita milites sine Imperatore nihil valere*, sed in suum abripi exitium, indubitatum est. [illegible] Florus f pronuntiavit: *Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem.* Quæ cum [illegible] in mentem mihi [illegible] Chabriæ, cujus Plutarchus in apophtegm. memorat, dicere nimirum eum solitum: f *Formidabiliorem esse cervorum exercitum, DUCE leone: quam leonum, DUCE cervo.* Nec Livio historico alia mens: cum enim M. Coriolanus Romæ damnatus, exulatum ad Volscos abiisset, collectoque exercitu rediisset, vicit tum non semel cum Volscis Romanos, qui Volsci prius semper à Romanis vinci consueverant. Quod bellum dum narrat historicus, inter alia sic ait: g *In Coriolano plus spei repositum à Volscis, quæ spes nequaquam fefellit: ut facile appareret,* DUCIBUS *validiorem, quam exercitu, rem Romanam esse. Hannibalem luctu publico, privatoque quietum, non lacessiverunt Romani, tantam inesse vim, etsi omnia alia circum eum ruerent, in uno illo* DUCE *censebant*; Adeo ut ab unius Ducis robore, prudentia, solertia, veluti à capite, omnium militum salus, incolumitas, fortuna, victoria pendere jure meritissimo videatur.

Quæ cum ita sint, quæ fortitudo, quæ prudentia in duce puero? quæ nobis spes victoriæ, quæ fiducia in Infantulo, in cunis posito? nonne rectè Ecclesiastes: h *Væ tibi terra, cujus Rex puer est!* Væ copiis, væ exercitui, cujus Dux puer est, cujus Imperator Infans est, qui inermis concurrit, cui fa[illegible], panniculi: Baltheus, fasciæ: tympana, gemitus: tuba, vagitus: clamor, lachrymæ: tela, suspiria: cui campus Martius, stabulum: currus

a [illegible] l. 10. b Plutarch. in Galba. c [illegible] de [illegible] Germ. d Horat. [illegible] l. 3. e Q[illegible] 5. f Florus l. 1. c. 11.

f Plut. in Apopht. g Livius. lib. 12. h Eccl. c 10.

falca-

falcatus, præfepe: fonipes, Afellus & bucula: cui ftare, eft jacere: cui triumphare, eft fanguinem fundere.

Hic fidem veftram obteftor, Auditores, quis hic puer fit attendite: verum quidem parvulus eft, inermis eft, elinguis eft, edentulus eft, fugit ubera, manus fafciis colligantur, pedes conftringuntur, in cunis vagit; fed hic parvulus a *fortis eft.* Ifaiam audite: b *Parvulus natus eft nobis, & filius datus eft nobis, & vocabitur* DEUS FORTIS, *Princeps pacis.* Sub his fafciolis ac lintcolis velut fub tentorio, latet *Deus exercituum*; fub illis teneris, ac infantilibus membris jacet poteftas armata, recondit fe Omnipotens; quod ftupore attonitus expendit Cyprianus ferm. de Nativitate: c ***Vere tu es Deus qui facis mirabilia: non modo Mundi hujus ftaturam admiror, non terræ ftabilitatem, non Solem, &c. Sed miror*** OMNIPOTENTIAM ***in cunabulis: hic folus me complectitur ftupor.*** Illæ tenellæ manus valent vectes ferreos, & portas æreas abyssi confringere: quot illuminabunt obfcura, tam parvi oculi? quot monftra, pedes calcabunt Infantis? dum nil dicit, bellum mundo indicit: hujus filentium, canit Classicum: d ***Necdum loquitur, & quæcunque de eo funt, clamant: ipfa quoque infantilia membra non filent.***

Quis fub hoc duce pugnam detrectet, quis abjecta parmula fugiat, quis animis cadat? e *Ipfa multitudo* MILITIÆ *cœleftis* epinicium concinit, augurium præfert, optime vaticinatur.

Paufanias l. 6. refert, Arcades olim ingreflos fines Eleorum, omnia ferro & igne populatos effe, extrema quæque Elidis, hoftili incenfa invenifle. Elei anxii fua ingeminant vota, fi aliquod Numen propitium, præfto effet. Illis arma capeffentibus, ecce Matrona infignis occurrit, puerum tenellum in ulnis geftans, & affirmans, fe in fomnis monitam: *Hoc infantulo* DUCE, ***hoftium agmina proterenda.*** Elei hoc veluti divino oraculo moniti, infantem excipiunt, atque in ipfo congreflu, eum hofti fiftunt. Diceres novo Numine perculfas hoftium acies, nutante veftigio titubare. Elei ubi Arcades ad occurfum Infantis pavere confpexerunt, conceptis animis irruunt, atque hoftes hactenus victores, prope ad internecionem profternunt. Undique nos hoftes laceflunt, omnia bellis ardent: agri vaftati, Agricolæ profugi, æraria exhaufta: & quod caput eft, hinc Batavus, illinc Suecus, inde Anglus, Religionem exfcindere, aras evertere, ipfum in cunis Imperatorem noftrum obtruncare conantur: f *Cunabulis bella moventur,* inquit Chryfologus. Pro his aris, pro his cunis, contra infeftiffimos Ecclefiæ hoftes, qui

a Ifa. cap. 1. v. 26.
b Ifai. cap. 9.
c S. Cyprian. ferm. de Nativit.
d S. Bern. ferm. 3. de Nativit.

e Lucæ 2.
f Chryfolog. ferm. 158.

[illegible]erunt puerum ad occiden-[illegible]; nobis decertandum est: nil [illegible]uce hoc Infantulo formidan-[illegible]um.

a Anno à salute millesimo, [illegible]entesimo supra quadragesi-[illegible]mum quartum, Godefridus III. [illegible]ux erat Brabantiæ; sed qui in [illegible]rima Infantia, & ordientis vi-[illegible]æ annum nondum esset egres-[illegible]us. Accendit ea res veterem [illegible]ostem, & spem, animosque in-[illegible]gentes addidit Bertutiorum gen-[illegible]i, cum qua Infantis illius patri, [illegible]avoque bellum fuerat, & septen-[illegible]decim justa prælia. Hostes ita-[illegible]que grandes copias in aciem [illegible]educunt, & gentem sine [illegible]uce, vel cum Duce Infante, [illegible]acile opprimendam censent. [illegible]ovanienses, quorum res tum [illegible]otissimum agebatur, ante om-[illegible]nia novum Principem, quamvis [illegible]nfantem in paterno solio locant, [illegible]& fidem ei popularium adstrin-[illegible]gunt: quo facto, accingunt se ad [illegible]bellum, in propinquo, castra [illegible]metantur; & cum hostis etiam [illegible]per feciales de agnoscendo Prin-[illegible]cipe monitus, ferociter reclama-[illegible]ret, in sequentem diem pugnam [illegible]denuntiant; sed quis pugnæ [illegible]Dux & Moderator? ille ipse [illegible]Infans. At quomodo in acie ste-[illegible]tit, qui adhuc in cunis jacuit? [illegible]aut quomodo militem hortari [illegible]potuit, qui necdum fari? horta-[illegible]tus est, & efficacius elinguis, [illegible]quam eloquentissimus Orato-[illegible]rum; sed hoc modo: consilium [illegible]fuit generosi viri, puerum illum [illegible]illuc deferri, & animandis mili-[illegible]tibus ostentari; quod sanè fa-[illegible]ctum est. Nam Infans in cunis *b* argenteis allatus, & ad salicem arborem suspensus, neque ulla concio hoc aspectu miserabilis infantis potuit esse facundior. Conjecit hic universus miles oculos, manu qui potuerunt teti-gerunt; omnes ut Numen, suum Principem venerari, inflammatis animis in hostem iverunt. Magna pugna, magna cædes fuit, & pro omnibus Ducibus Dux infans: & cum certantium animi ceciderant, vagitus pueri erexit: cum non pauci fugere cœperunt, infantis aspectus coercuit: cum hostes nimis invaluerunt, muta hæc exhortatio repressit. Denique qui pro infante pugnarunt, vi vicerunt: ex hostibus plerosque omnes Duces cœperunt, aut cæciderunt, ac reliqua vulgi cœde sic purpurarunt fluvium Zennam, ut eo die fluxerit cruentus. Ergone tantum potuit Infans, in quo solus Ducum sanguis tam multo sanguine defensus est? ergone tantum potuerunt aspectæ in pugna cunæ? quid si hic puer in manu sua victoriam habuisset, nonne pro se tam generosè decertantibus concessisset? Hac lucidissima nocte Infans non Hispaniæ, sed Cœli, Princeps pacis, puer Imperator nobis nascitur: nec exspectandum dum adoleverit, in cunis pugnabit, in cunis hostes debellabit, in cunis vincet: *Vagitu*, inquit Tertull. *ad arma convocaturus est infans, & signum belli, non tuba sed crepitaculo daturus: nec ex equo, vel de muro, sed de*

a Lipsius in Lovanio, l. 2. c. 9.

b Fraire in Is[illegible]. c. 6. v. 37. c Tertull. l. 3. contra Marcion. c. 13.

nutri-

nutricis, vel genulæ suæ collo, hostem designaturus. Hunc bellulum, hunc bellicum Infantulum, hoc bellicoso tempore in conspectum vestrum ponite: hujus curæ non argenteæ, sed vimineæ, animos vestros inflammet: ille Infans nos eripere hostibus & potest, & vult, Isaias c. 8. *Voca nomen ejus* Accelera, *spolia detrahere: festina prædari:* quod ita facit interpres exponit: *Tu puer O Christe eris celerrimus prædator*, eris fortissimus bellator, eripies hosti spolia illa nobis erepta, tot terras, tot templa, tot urbes: a *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.* Hæc Regna, inquit b Cornelius, erant impia, & plena sceleribus, erant hostilia Regno Iudæ & Davidis, sive populo, & templo Dei: hæc puer eversurus advenit, ut disertissimus Ecclesiastes B. Thomas de Villa nova con. 1. de Assump. prosequitur: *Intravit Iesus in quoddam Castellum, id est Virginis uterum, unde totum mundum ditioni suæ subjugavit: statim enim ut de Castello hoc egressus est, viriliter* (infans) *agere cœpit, mundum scilicet invadere, tyrannum excludere, unde & spoliatoris nomen sortitus est, sicut apud Isaiam legimus:* VOCA NOMEN EJUS, SPOLIA DETRAHERE.

Libro Iudicum c. 7. v. 10. Gedeon exiguis copiis trecentorum virorum, contra exercitum centum triginta quinque millium confligere non injuria reformidabat. Cum Dominus hisce paucis copiis puerum Ducem præficiendum mandat, cujus auspiciis tantum, tamque potentem Madianitarum exercitum funditus deleret: *Sin autem solus* (inquit Dominus) *ire formidas, descendat tecum Phara* PUER. c Leo Castrius, puerum hunc, Christi Redemptoris typum fuisse existimat: *Iubet Dominus Gedeonem si timet, descendere in castra Madianitarum solus, ut descendat cum Phara* PUERO *suo. Quis hic est* PUER *qui repellere potest formidinem tot millium Madianitarum? Timet Gedeon, & Dominus præcepit ei, ut ad pellendum tantum timorem, socium itineris adhibeat sibi* PUERUM *suum Pharam: valentissimum esse hunc* PUERUM *oportebat, cujus præsidio adversus tot hominum millia tutus sit Gedeon. Quis ergo hic* PUER *est? Suspicor ego,* PUERUM *hunc esse,* QUI DATUS EST NOBIS.

Fateor profectò, si hostium nostrorum vires bellicas, robur militare, acies instructissimas, exercitus copiosissimos, ac validissimos attendere velimus, impares nos, nec resistendo esse, ac merito formidare, nisi hic Puer descendat nobiscum, *cujus unius præsidio*, qui antea turpiter terga vertimus, bellum resumamus, & d ab Europo imbelli puero, quid divinus hic valeat Infans, condiscamus. Atrox agebatur bellum & antiquæ vigebant simultates Illyrios inter & Macedones: mortuo vero Philippo Rege, infantiam Europi filii, contemnentes Illyrii,

a Isaias 8. v. 4. b Cornel. hic.

c Leo Castr. hic. Serrarius in Iud. c. 7. d Iustin. l. 7.

Illyrii, Macedones sunt aggressi, qui prælio pulsi, novum hujusmodi iniere consilium: Rege suo infante in cunis posito, & ante aciem prolato, acrius repetivere certamen, tandemque magnâ clade Illyrios luderunt: *ostenderuntque hostibus suis, priori bello Regem Macedonibus, non virtutem defuisse.*

§. 2.

HOC PVERO DVCE, PRINCIPES TENEBRARVM, VNA CVM VITIIS, ET CONCVPISCENTIIS, *a* QVÆ MILITANT ADVERSVS ANIMAM DEBELLANDI.

Inter figmenta Poëtarum, omnium plectris, lyris, ac linguis, Herculei labores decantantur, ac celebrantur: quorum præludia in cunis exstitere, dum geminos angues adrepentes, exserta è cunis manu, utrumque masculo animo contrivit. Vnde Pelignus vates:

> *b* *Angues cunarum, labor est superare tuarum.*

Et alius:

> *geminis cristati caput*
> *Angues ferebant ora: quos contra obvius*
> *Reptavit: infans, lumine ac placido intuens,*
> *Et tumida tenerâ guttura elidens manu,*
> *Prælusit hydræ.*

Ab his rudimentis exorsus toti orbi pacem procreavit. Hinc inscriptiones variæ *Herculi pacifero.* Et Ovid. Epist. Decaniræ:

> *Respice vindicibus pacatum viribus orbem.*

Verus, non fictus Hercules, in cunis est, Auditores, geminos serpentes, tenella manu sua elidet, & reddet *pacatum viribus orbem.* Stylo lacte & melle manante, de hoc puero *d* Bern. *Adversus hostes tuos dimicat, jam superborum & sublimium colla, tanquam Dei virtus, & sapientia calcat.* DUO SUNT HOSTES, PECCATUM ET MORS. *Vtrumque debellaturus advenit.* Advenit, bellum moturus tyranno, qui sibi vindicarat imperium solitumque Regium occuparat, sceptrumque & imperium, vero ejus Domino eripuerat; sed ut vinceret, dejiceretque hunc superbum gigantem, pugnare noluit aureis Saulis Regis armis, id est sæculi vanitatibus, sed humilitate, nuditate, pauperie, & velut alter David, inermis: eumque suo gladio obtruncare: *e* Dein *persequitur inimicos tuos, & comprehendit eos, nec convertitur donec deficiant: contra peccatum dimicans in conversatione sua verbis pariter & exemplis oppugnat; sed in passione sua alligat illud, alligat plane fortem, & diripit vasa ejus.*

Mellifluus Doctor Classicum canit, ut sub hoc Duce arma arripiamus, contra vitia & concupiscentias, *f* *quæ militant adversus animam*, id est, inquit S. Thomas, *g* *quæ ut milites pugnant, & impugnant*, ipsum audite: *h* *Nunc generale*

a 1. Pet. 2. *b* Ovid. *c* Senec. in Hercule fur.

d S. Bern. ferm. 1. in Nativit. *e* Bern. cit. *f* 1 Pet. 2. *g* S. Thom. in 1 Petr. 2. v. 11. *h* Bern. ser. 7. in quadrag.

quo-

quodam totius orbis exercitu contra diabolum, Salvator congreditur: beati qui sub tali DUCE *strenue militarint.*

Beatos se plerique vestrum deprædicarent, si inter milites Melitenses, Alcantaræ, aurei velleris censeri possent; sed hi vere beati, qui huic militiæ spirituali adscripti, *sub tali Duce strenue militarint.*

Origenes hom. 8 in Iosue, ad illa verba: *percusserunt eos in ore gladii, usquequo non relinqueretur ex eis qui salvus fieret.* Totam hanc stragem Amalecitarum, ad spiritualium hostium internecionem traducit: *Interimus* inquit *dæmones, non ipsam eorum substantiam perimentes, sed opus eorum, ac studium: nam sicut hæc est eorum vita, si nos peccamus, ita sine dubio, interitus eorum est, si non peccemus.* Tollantur itaque peccata, ut dæmones occidantur: tollantur prava desideria, iræ, vindictæ, concupiscentiæ: tollantur perversæ cogitationes, vanitatis, ambitionis, lasciviæ, ut dæmones occidantur. Quem crudelissimorum hostium interitum confirmat Regii Psaltis *a* testimonio, *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Vbi civitatis nomine, vel universam Ecclesiam, vel cujusque animam intelligit: *De ipsa anima Sanctus quisq; & diligens, ejicit peccatores, id est cogitationes pessimas, & cupiditates pravas interficit in matutino.* Atque ita oportet decertare, ut nulli hostium parcatur, nemini vita donetur, sed ut Propheta: *interficebam* OMNES. Vnde Origenes *b* subdit: *Si quando ergo legis in scripturis Sanctis, justorum pugnas, cædes, ac strages interemptorum, & quia sancti, nulli penitus hostium parcunt, intellige bella justorum, quæ ab eis adversus peccata geruntur. Quomodo autem manebunt justi, si vel parum aliquid peccati, in semetipsis reservarint?* Hanc pugnã spiritualem spectans Propheta: *Sanctificate,* inquit, *super eam bellum;* quasi quemque animaret pro Ecclesia, vel anima bellum suscipere, non profanum, sed sanctum, ad diabolicas vires subvertendas: c *Quid enim aliud est sanctificare bellum, nisi interemptis omnibus animæ nostræ hostibus, qui sunt vitia peccatorum, & mortificatis membris omnibus, animæ nostra hostibus, qui sunt vitia peccatorum, & mortificatis membris, quæ sunt super terram, atq; omnibus malis cupiditatibus amputatis, effici Sanctum corpore & Spiritu, & fortiter facientem venire ad conspectum Dei viventis,* Ducis nostri, ac Imperatoris.

Porro ut Ducem nostrum sequamur, quod vexillum, quod signum? num pauperculi illi panni, de quibus cœlestis nuntius: *Hoc vobis d* SIGNUM; *invenitis infantem* PANNIS *involutum?* sic sentit *e* Cypr. de Nativ. Domini: *In stadio vitæ hujus se exercet militia Christiana, præeunte Christi* VEXILLO, *quem & parvulum vidimus & cognovimus Deum.* His certe bellis aut bellicis signis, in stabuli arce, carnis sub tentorio

a Psalm. 100.

b Origen. hom. 8 in Iosue. c Origen. eit. d Pugnandum contra superbiam, & sæculi pompam. d Luce. 2. e S. Cyprian. in Nativ.

militare

militare venit: ex illa spelunca, quasi è specula hostiles turmas advenientes explorat, inque quasi ex insidiis mentito habitu, pauper, ac inermis, opilionem indutus, inaudito hactenus stratagemate mundum expugnavit. Vultus in simili quasi in speculo, rem contemplandam oculis objiciam? an. 1523. insignis belli Dux, equitibus S. Ioannis Præfectus hoc astu Insulam Rhodum occupavit: adverterat Pastores quibus diebus, ovium greges mane educere, & sub obscuro vespere reducere; immixti his plures milites pelle ovina tecti, manibus & pedibus reptantes; ipse vero Dux, habitum pastoritium indutus, subsecutus: primo portis, deinde urbe, & Insula potiti sunt. Ita de Duce nostro sentiendum est: a *Mutavit habitum Rex Israel, & ingressus est bellum.* Hic haud inter superbum mundi Regnum expugnaturus, mutavit habitum, *Venit in Mundum*, inquit *b* Hilar. *non deposità, sed sepositâ Majestate.* Dux noster more militari in castris, in tugurio (in baracca vili) latere, in paleâ decumbere voluit, vitam militarem à miseriis auspicatus, quod in Trajano Plinius *c* nimium quantum extollit: *Veniet tempus*, inquit, *quo posteri visere, visendum trahere minoribus suis gestient, qui sud res tuos hauserit campus, quae saxa praetexerint, quod denique tectum magnus hospes compleverit.* Plinius *d* ad hæc: credemusne? credamus, & res est: Duces olim non in cubiculis; sed in terra, aut gramine, & (ut magnum) in antro aut specu, saxo impendente, ac tegente dormivisse. „

Hoc ut magnum suspiciunt, & admirantur, terrenum Ducem, mortalem Principem, in antro delitescere, in gramine recumbere, vili sago indui; at quis non totus stupore defixus hæreat, quale antrum, quam vile *tectum, magnus hospes impleverit*, quam paupere amiculo, immortalis & æternus Imperator noster indutus sit? *O curas hominum*, in concinnando vestitu vanissimas! *O quantum est in rebus*, præsertim vestibus, *inane*! confer obsecro hunc vestium luxum, quem indies oculis cernimus, cum his Christi panniculis, & linteolis. En Dux noster quam operimento vili tegitur qui omnes animantes vestit, has plumis, illas lanâ: has pilis, illas aculeis, squammis, testis; alias alia veste contegit; sed & prata, hortos, omnemq; florum familiam tam variè, tam venuste vestit, cum ipse interim pænè nudus; vix linteolis tegitur in præsepi. Hoc loco audio Petrum Damianum *e* dicentem: *Conditor Angelorum dum in præsepio vagiens reclinatur, non ostro sed vilibus tegitur panniculis involutus. Erubescat igitur terrena superbia, & arrogantia redempti hominis, ubi coruscat humilitas Redemptoris.* Erubescat superbia juvenum nostrorum, ac puellarum, in quorum aculeum figat apis illa Claravallensis: *In* SIGNUM, inquit Bernard. *positi sunt panni tui Domine Iesu; sed in signum; cui a multis, usq; hodie contradicitur*, & contraitur. Quem intolerandum fastum,

a 1. Reg. 2?. b S. Hilar. hom 2. c Plin. in Paneg. d Epist. [illegible] Plin. Paneg.

e B. Pet. Damian. l. 6, epist. 24.

ſtum,& arrogantiam, ut animis veſtris expugnare velitis, ulteriùs contendit: a *Armari, non ornari appetunt milites Chriſti, qui dum ſe præparare ad prælium, & contra aërias poteſtates, prætendere paupertatis* INSIGNE *debuerant, in mollitie veſtimentorum, pacis potiùs præferentes indicium ultrò ſe hoſtibus ſine ſanguine tradunt inermes.*

Hoc in ſuprema luctâ metuens Ferdinandus *b* Magnus Caſtellæ & Legionis Rex, pietate cum primis inſignis, à S. Iſidoro de inſtante ſibi morte admonitus, die natalis Domini illuceſcente, cùm nocturnis vigiliis religiosè interfuiſſet, ſe viribus deficere ſenſit; itaque Miſſam cantari petiit, perceptâque V. Euchariſtiâ ad lectulum fuit delatus. Ubi dum paululum quieviſſet, ornatus cultu Regio, aureâ capiti coronâ impoſitâ, ad templū deferri voluit: ubi genua flectens ante Verbum infans, ſupremum Imperatorem ſuum agnoſcens, ſic oravit: Tua eſt poteſtas, tuum eſt Regnum, tu es ſuper omnes Reges; Regnum quod te donante accepi, ecce reddo tibi; tantum animam meam de militia hac ereptam, ut ad te ſuſcipias, deprecor. His dictis exuit regalem chlamydem, depoſuit & gemmarum Coronam, atq; cum lachrymis ſolo proſtratus, pro delictorum venia Dominum precatus, Sacramentis munitus, induitur cilicio pro ornamento regali, adſpergitur cinere pro aureo diademate. Manſit autem in templo, nec ſtationem deſeruit, uſque dum feſto S. Joannis inter Epiſcoporum manus, animam Deo reddidit. Salubriter ſiquidem erubuerat hic piiſſimus Rex, cultu Regio fulgere, ubi Dux ejus vilibus pannis, & pauperculis linteolis induitur: cujus exemplo permotus, aptiùs uſurpare poterat, quàm olim *c* gentilis de Demetrio, dum ait: *Magnificentior (mihi crede) ſermo tuus in grabato videbitur, & in panno: non enim dicentur tantùm illa, ſed probabuntur. Ego certè aliter audio, quæ dicit Demetrius noſter* (quæ dicit Chriſtus noſter) *cùm illum video nudum ſtramentis incubantem; tunc enim non præceptor tantum veri ſed teſtis eſt*: nec paupertatem & humilitatem ſolùm laudat, ſed & amat, & expetiit. Scio bello ac militiæ terrenæ juvenes & viros aptos, non puellas ac mulieres, ut cecinit Maro:

d *Bella viri, pacemque gerant, queis bella gerenda.*

Verùm ſpiritualis militia, utroſque ſpectat: ejus Sacramento, nec vir nec mulier exauctorantur: quibus enim ſunt communes hoſtes, caro & ſanguis, & Principes tenebrarum, ac ſpiritualia nequitiæ; quibus item ſunt paria arma, non carnalia, ſed ſpiritualia, iis planè eadem certamina incumbere ſolent; unde Patriarcha Venetus: e *Eſt quædam ſpiritualis pugna, quæ communis eſt omnibus: à qua nullus eſt liber, maſculus vel femina.* Ubi non ſexu, ſed ſpiritu quandoque viris, teſte *f* Antiocheno Præſule, fœminæ prævaluerunt: *Sæpè*, inquit, *in hujuſmodi arena*

a Bern. ſerm. 4. ſuper Miſſus. b Baron. tom. 11. à Chri. 1065.

c Seneca. Epiſt. 20. d Virg. l. 7. Æn. e B. Laurent. Juſtin. de inſtitut. & regimen. Prælator. cap. 14. f Chryſoſt. hom. … in Matth.

for-

fortius viris feminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. Unam hic contra superbiam, & omnem mundi pompam, sub Duce Jesu parvulo militantem, non ego, sed magnus Ambrosius Marcellinam sororem suam in campum producet: quam l. 3. de Virg. ipso die Natalis Domini, sæculo renunciasse, omni habitu pretioso, ac mundo muliebri seposito, devotam Virginum cœtu stipatam, Christo nato Virginitatem dicasse, deprædicat, atque hisce verbis gratulatur: a *Tempus est, soror sancta, cum in* SALVATORIS NATALI *ad Apostolum Petrum, Virginitatis professionem, vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quam quo Virgo, posteritatem acquisivit) atque adstantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua Societate. Bonas filia nuptias desiderasti: vides quantus ad* NATALEM *sponsi tui populus convenerit.*

Quàm paucas, quàm raras hac [illegible] natalitiis Domini, Marcellinas reperire est, quæ linteola, ac fasciolas Christi Damascenæ [illegible], & aurato Syrmati præponunt; quæ divino hoc pusionae Duce, militiam supremam triumphent! b *Aggredimur,* inquit Ambrosius, *non ferro, non fuste, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus & castitate. Hæc sunt arma fidei nostræ, ut autem his armis vim inferre possimus animi, corporibus nostris vim quodammodo faciamus: prius enim ipsi regnare debemus in nobis, ut Regnum possimus diripere Salvatoris.* Et quamvis Dux noster parvulus est, Rex noster puer est; regnum suum tamen vult robore & viribus expugnari: quia c *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nostis quomodo, nostis quâ violentiâ fidelis anima cœlum expugnet? d*Voluntarium bellum indicit passionibus, & vim facit pristinis suis desideriis, & violenter se vincere ipsa contendit: non enim sine violentiâ fieri potest, ut de abundantia, & delitiis ad famem, & sitim, ad abstinentiam & crucem transeat. Non inquam sine violentia fieri potest, ut unusquisque iracundiam patientia; superbiam humilitate commutet: amore paupertatis divitiarum ac suffic entiæ affluentiam superet: vinolentiam sobrietate condemnet, & homo subito in virum transformetur perfectum, & quodammodo alter reddatur ex altero: ac sic à talibus, per violentiam Regnum cælorum diripitur.* Unde Carthaginensis Antistes rectè concludit: *Qui victores sunt sui, cœli vim inferunt. In* PARVULI *hujus nomine, cum hoste antiquo congredimur.* Absit, quisquam vestrum eò impudentiæ deveniat, ut sacrilegum Arriani Imperatoris facinus imitetur, qui, ut stabuli Bethlemitici religionem tolleret, in eo statuam Adonidis erexit: *ut in specu* (inquit Hieron. ad Paulin.) *ubi Christus parvulus vagiisset, Veneris Amasius plangeretur.* Quod ipsum faciunt ii, in quorum cordibus hic infamis Adonis recumbit; quem ut deturbent, divinus noster Cupido flam-

a S. Ambr. l. 3. de Virg. ad [illegible] b Pu- [illegible] contra Luxuriam [illegible] Ambro. ser. 15.

c Matth. 11 d August. ser. 32. de Sanctis in Nativ. S. Ioan. serm. 1.

x

flammas & faces suppeditat.

Ecce vobis signum, jam non panni, sed fœnum & paleæ, quarum manipulos olim è pertica suspensos, Romani milites pro vexillis præferebant; de quibus Poëta:

> a *Pertica suspensos portabat longa maniplos,*
> *Vnde maniplaris nomina miles habet.*

Auctor fuisse creditur Romulus, Rex Romanorum, qui à Sabinis obrutus, vexillis destitutus, quibus militem duceret, viamque monstraret, manipulo fœni, in quem forte fortuna inciderat, in perticam sublato, exercitum recollegit, hostem vicit: atque in hujus rei memoriam voluisse, ut turmæ manipulares, pro signis manipulum fœni efferrent. Unde Ovidius:

> *Illa quidem fœnum, sed erat reverentia fœni*
> *Quantum nunc Aquilas cernis habere tuas.*

Signa ducis nostri, *illa quidem fœnum, sed erit reverentia fœni* supra omnes Leones, & Aquilas. In fœno, in stramine, non in molli anser re, non in tenui sindone, non in purpura collocari voluit: quia fœnum & stipulæ, aptum pabulum ad incendendum, ad inflammandum. Si quid accendere paras, stramen subjice, & flammas concipiet. Haud aliter Redemptor noster, qui venit ut corda nostra inflammaret, cor carneum, quod fœnum est, exureret; in stramine, apto inflammandis cordibus pabulo, collocari voluit, ut aureè Chrysologus: b *Sic nasci voluit, qui voluit amari.*

a Ovid.

Omnia quæ cernis, amorem spirant: manus non fulmen rotant, sed fasciis & vinculis amoris constringuntur, ut meritò gloriari liceat, obligatum nobis nos habere Deum: oculi non minaces flammas ejaculantur, sed lachrymas commiserationis propinant: non dentatus, bicipitem gladium ore tenens advenit, sed edentulus, lac & mel sub lingua habet, roseis labris suis nos ad osculum invitat: non septemplici loricâ pectus obarmatum, sed nudum omnibus corculum patet: non terribilis & cataphractus progreditur, sed totus amor factus, in suavissimum puerum, cœlestem Cupidinem versus est. c *Puerum se maluit exhibere, magisque amabilis quàm terribilis apparere.*

Qualem se exhibuit homini fero ac barbaro, amabili prodigio: d Ann. 1641. Turcicum mancipium Neapoli curiositate populi allectum, cum reliqua turba ædem sacram subiit, in qua natalibus Christi festis, rarissimi artificii, elegantiæque præsepe visebatur: hic à longè stans, oculos ignotâ pietate pascebat, nulli unquam sua curiositas felicīori exitu stetit: nam ecce procul consistentem Turcam, atque nihil minus cogitantem, effictus Infans cœpit è præsepio respicere, protensâ manu, & indice digito annuere, atque ad se vocare; quin vocem claram addidit, cunctis qui a[...]

b Chrysol. serm. 158. c Guerricus [...] 1. de Nativit. d Stengelius de judi[ciis] divinis tom. 1. c. 41. n. XV.

ra[...]

rant stupore defixis: neque verò annuere cessavit, antequam ille attonitus ac stupens accederet. Ubi accessit, Infans hic catechistam egit, elementa fidei Turcam edocuit, monuitque ut se quamprimum baptismi lymphâ tingi curaret: fore enim brevi, ut secum in cœlo esset. Profecit insigniter sub tali Magistro, quantumvis mancipium: doctrinam quam hauserat, diserte exposuit, baptismum ardenter expetiit, obtinuit, & è vestigio lethali morbo corripitur: jamque morti vicinus, palam edixit, se corporis vinculis priùs dissolvi non posse, quàm sacro viatico munitus sit, quod ut accepit, ad parvulum qui vocarat, in cœlos evolavit. Miramini, ut video, hanc Christi in hominem barbarum bonitatem, cùm interim indubitatum sit, nos omnes ad hujus Infantis præsepe benignissimè invitari, & siquidem oculos, & aures cordis non claudimus, facilè ediscemus, puerulum Jesum, pannis suis paupertatem, frigoris tolerantiâ patientiam, lachrymis pœnitentiam, toto vultu, gestu, omnique corporis habitu, amorem spirare ac prædicare. *Amemus, amemus hunc parvulum*, alto spiritu clamabat olim Seraphicus Pater Franciscus; sanctâ curiositate ducti omnes, mente in Bethlehem abeamus, hunc parvulum contemplari, complecti cum Sponsa a ardeamus: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te?* si per hosce dies quæsiti fuerimus, solùm Bethlehemitico in antro reperiamur. Saul aliquando percunctatus, ut quid David convivio non interesset? Jonathan b respondit: *Rogavit me obnixè, ut irem in Bethlehem.* Ita postulo auditores, per hoc tempus, non ludis, non conviviis, non aliis corporis lenociniis immoremur, illudque cumprimis moneo: c *Nolite peccare in puerum; frater enim, & caro nostra est.* Hic puer nihil nobis mali unquam intulit, multum boni contulit, dedit sua, dedit se, dedit vobis omnia: *Nolite peccare in puerum*; quantum amatis vestram salutem, tantum amate puerum hunc, quia Jesus, hoc est, Salvator est. *Nolite peccare in puerum*; hujus pueri egestas, nostra abundantia est: illius calamitas, nostra felicitas est: ipsius esuries, nostra satietas est: illius tristitia, nostrum gaudium est: illius labor, nostra quies: illius mors, nostra vita. *Nolite peccare in puerum*, quidquid habet vel lachrymarum in oculis, vel sudoris in poris, vel sanguinis in venis, hoc plorando, sudando, laborando, tolerando, pro nobis effundet. *Nolite peccare in puerum*, nolite eum cum Jerosolymæ tyranno ad mortem quærere, & in cunis velle obtruncare. Busbequius præclarus scriptor rerum Turcicarum refert, Solimannum imperasse è medio tolli Bajazethem, simulque misisse Prusam Eunuchum suum, qui Bajazethis filiolum unà trucidaret; hic, cùm esset tenerioris animo, illud facinus uni è Ja-

a Cant. 8. v. 1.

b 1. Reg. 20. 28. c Gen. 2. 2. Genes. 37. 27.

nitzaris commisit, qui ad puerum in cunis ingressus, jamque laqueum pueri collo adaptat; infantulus suavissimè arridens, apertis ulnis eum complectitur, & osculatus est: quo barbarus ita emollitus est, ut manus à cæde abstinuerit.

Quotquot felle & amaritudine pleni, inveterata animo odia fovent, inimici sanguinem spirant, hi cum Herode vix natum divinissimum infantem tollere, & trucidare gestiunt. a *At quis finis sæcularis hujus, non dico militiæ, sed malitiæ, si occisor lethaliter peccat, & occisus æternaliter pereat?* quod ne fiat, amabo, quàm suavis, quàm amabilis hic puer sit, attendite: *quia dulce prorsus & sapidum cogitare, & recogitare* Puerum Deum; *quin etiam efficax ad medendum, & dulcorandum si quis in nobis est, rancorem animorum.* Quin potius, ut alibi monet, *filium qui tibi natus est, spe magna venerare, suscipe fide, amplexare charitate.* Ut ab hoc puero, charitatem, mansuetu[dinem], amoremque sugere que[amus], usurpare hic mihi liceat, quo[d] olim *Alexander Macedo*, qu[i] cùm plurima bella gessisset, civitates & agros vastasset, Darium Regem Persarum cum sui[s] captivum cepisset, accidit ut filiolum Darii in brachia sublatum, collo admoveret; at puer cervicem ejus blandè complexus, eumque tenerrimè suaviatus est. Rex motus hoc inusitato pueri affectu, Hephestionem suum intuitus: *Quam vellem*, inquit, *Darius aliquid ex ista indole suxisset?* quàm facilè cum illo in gratiam redirem, quàm citò paciscerer, quàm libente[r] eum pristinæ libertati restituerem? Jam tot annis, tam cruenta prælia, civitates eversæ, agri vastati, jam tanto tempore bella & lites inter vos, amabilis hic puer in colla nostra ruit; utinam aliquid ex hac indole castissimi, humillimi, mitissimi hujus pueri, hauriretis! ilico vobiscum pacisci, in gratiam redire, atque æternæ libertati conscribere no[n] detrectaret.

a S. Bern. ad milites templi serm. 2. Guerricus serm. 1. de Nativit. Idem ser. 2. de Nativit.

F E

FESTUM S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Posuisti in capite ejus CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO. Psal. 20.



PRIMAM *meruit qui laude* CORONAM. 5. Æneid.

ARGUMENTUM.

GLoriosissimo innumeræ purpuratorum Martyrum Phalangis ductori, quam aptè vaticinium Prophetæ Regii congruat: *posuisti in capite ejus* CORONAM *de* LAPIDE PRETIOSO, nobis tacentibus, & viri nomen, & ipsi lapides loquuntur. Mundus quidem suis

 varias

varias & vanas contexit corollas, civicas, murales, navales, triumphales, floreas, frondeas, laureas, aureas; sed has omnes, quam olim primipilus Christianorum heroum Stephanus retulit, nimium quantum, & pretio, & gloria, & dignitate antecellit.

Ab hoc invictissimo pugile, hodie discamus, lasciviæ coronas eorum, qui dicunt a *coronemus nos rosis*: avaritiæ coronas, ex *mammonæ iniquitatis conflatas*: Coronas superbiæ, de qua Isaias: b *Væ coronæ superbiæ*, aliasque fluxas, perituras, & corruptibiles coronas, quas mundus tanto labore, sudore, & sanguine ardet & ambit, despicere, nobisque æternam & *immarcescibilem gloriæ coronam, ex lapide pretioso*, cum Stephano emereri. Quam alia ratione nobis contexere non possumus, nisi à Dei manu, calamitates, miserias, morbos, adversitates quascunque immissas, ut pretiosissimos lapides ardenter colligamus & amanter excipiamus. Quod quam solicite viri sanctitate conspicui, Protomartyris hujus seduli æmulatores, quinimo & tenerrimæ Virgines, quibus hi *lapides dulces fuerunt*, consecuti sint, ex dictis manifestò patebit.

a Sap. 2. b Isa. 28.

§. I. *Coronam meruit tanquam suo sibi nomine positam*: Stephanus *enim, Græce, Latine*, CORONA *appellatur. Aug. serm. 2. de S. Stephano.*

§. II. *Longe alias, filii hujus sæculi, sibi nectunt coronas.*

§. III. *Posuisti in capite ejus* CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO. Psal. 20.

F E-

F E S T U M SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Posuisti in capite ejus Coronam de Lapide pretioso. Psalm. 20.

ELectus ac prædilectus populusDei, durissimã ac intolerabilẽ Regis Ægyptii servitutem exosus, fugam Duce Moyse, meditatus est: cumque ad littus maris rubri devenissent, omnibus ad indomitum illud elementum attonitis: *Extendit Moyses* a *manum suam super mare, & abstulit illud Dominus:* cumque stabat *aqua quasi murus à dextra eorum & læva*; sed quia iter illud per mare rubrum (quod Salianus *b* ad 25. milliaria Belgica, ex peritis Cosmographis describit) longum ac prolixum erat, & muri illi aquei ac fluidi, facile coirre, atque omnes involvere potuissent, Israelitæ cum uxoribus ac parvulis suis, illud intrare reformidabant. *c* Donec tandem Moysen præeuntem Aminadab Dux è tribu Iuda, primus secutus, & mare ingressus est; de quo bellicosissimo Duce, *d* Nicolaus Lyranus Ordinis Seraphici *divinus certè vir, & in sacris scripturis doctissimus: nec minus conversatione, quam scientia, venerandus*, scribens in caput primum Matthæi v. 5. *Aram genuit Aminadab*, sic ad propositum nostrum excurrit:

Aminadab Princeps tribus Iudæ, primus intravit post Moysen, & ex hoc tribus Iuda dignitatem meruit. Vnde & illud Cantic. 6. *Anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab*, sic exponit: *Tribus Iuda* (cujus Dux Aminadab) *secundum omnes Doctores Hebræos & Latinos, meruit dignitatem regiam, in transitu maris: nam aliis tribubus formidantibus Moysen sequi, per mare divisum, tribus Iuda constanter secuta fuit ipsum, & aliis constantiæ dedit exemplum. Tunc autem* AMINADAB ERAT PRINCEPS TRIBUS IUDÆ.

Prospicitis, ut opinor Auditores, quem generosissimus hic Dux Aminadab designet, cujus hic typum, & vivam exprimat imaginem, invictissimum nempe tot millium purpuratorum Martyrum Ducem ac Antesignanum Stephanum, quem Cardinalis Damiani: e *primum & primicerium purpuratæ cohortis*, nuncupavit. Nemo potentissimorum Ductor exercituum; talia duxit agmina; qui quot capita, & ea quidem laureata censeat, ex eo colligas, quod *f* sub uno Diocletiano cæsa sint quod mensibus

a Exodi 14. b Salianus in annalib. anno mundi 2544. n. 224. c Trithem. Wading. Annal. Minorum tom. 2. pag. 597. d Lyran. in c. 1. Matt. Hieron in Oleam. c. 11.

e B. Pet. Damian. ser. de S. Steph. f Cornelius in Apocal. cap. 7.

sibus, septendecim millia Martyrum. Multiplica hunc numerum, ait Cornelius, per decem annos, quibus ea persecutio duravit, invenies vicies centena millia, sive duos milliones Martyrum, ut (quod *a* Genebrardus asserit) ad triginta millia Martyrum coronatorum in cœlis, ab Ecclesia in dies singulos possint celebrari. Quod nemo demirabitur, qui uno die quandoque sex millia, sexaginta sex, totam Legionem Thebæorum: quandoque undecim Virginum millia deleta legerit. Quid, quod *b* Scribanius asserere non dubitavit, plures in lege nova Martyres per sicas, flammas, rotas, equuleos tyrannorum, Deo victimas cecidisse, quam olim in prisca lege pecudes mactatæ sint.

Horum omnium fortissimorum Heroum Princeps & Dux Stephanus, ut aureo suo stylo *c* Chrysologus expressit: *Stephanus*, inquit, *est Martyrum primus: Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini sui adhuc calente sanguine, sanguinem suum avidus Bellator effudit.* Redemptor noster turbidum illud turbulentumque persecutionum Iudæorum mare rubrum, tam copioso sanguine tinxerat & cruentarat, unde canit Ecclesia: *post transitum maris rubri Christo canamus Principi.* Hunc Moysen secutus Dux noster Stephanus, mare rubrum tot tyrannorum rabie turbidum, tot Martyrum sanguine cruentum, primus ingressus est, ut olim divina sua fac india Hipponensis *d* Antistes deprædicavit. *Christus caput est Martyrum*, viam per sanguinis undas signavit, *ejus passionis vestigia* PRIOR SECUTUS *B. Stephanus.* Iamq; hoc procellosum maiare ingredienti, apparuit in littore Dominus: *e Vidit Iesum stantem.* D. Greg. hom. 24. in illud Io. Ioann. 21 v. 4. *mane autem facto stetit Iesus in littore*, ait: *Mane je præsens sæculum significat: soliditas autem littoris perpetuitas est quietis æternæ: f* Christus etenim post passionis diros fluctus, pelagusq; procellosum, ac littus jam pervenerat immortalitatis, gloriæque sempiternæ; ibi Stephanum adhuc fluctuantem, sua præsentia animavit, & palmam coronamq; ostentavit: *Stetisse Christum* ait *g* Damian. *ut solicitus juvaret Athletam quem* PARATUS CORONARET. Sic olim vidi inter Heroum Symbola hominem jactatum fluctibus, prospectare in littore Virginem, quæ victoriam referens, oceano emenso coronam porrigebat. Vbi nemini dubium esse potest, quin Stephano corona cœlo porrigatur, sed quæ, & qualis, videamus.

§. I.

CORONAM *meruit t, tanquam suo sibi nomine positam: Stephanus enim Græcè, Latinè* CORONA *appellatur.* Aug. ser. 2. de S. Stephano.

NOn potest non pretiosus esse sermo D. Chrysologi qui

a Genebr. in Psalm. 78. b Scribanius Christ. ... p. 219. c Chrysolog. serm. de S. Laurent.

d Aug. ser. 2. in festo S. Steph. ... 7. f Baradius tom. 4. l. 9. c. 2. g Damian. ... ad Veteo lentem. Eccles. Lor. ... in Acta 7. v. 55.

qui totitus aureus est: Hic festiva Protomnartyris Lucæ ostendit, quomoodo etiam in Sanctorum nominaia ludat divina Providentia, atq-que

a*Conveniant rebus nomina sæpe suisis.*

b *Sicucuti*, inquit, *Dominum, prædiorum u limitibus affixi tituli proloquantitur: ita nomina ipsa sæpe Sanctorirum merita indicant, testantur r insignia.* Quod variis probat argigumentis: *Ita Abraham quod fidule credidit, nominis adjectione mmonstravit, quando ex Abram, Abraham, divinitus nuncupatur, r, ut dilatandus genere, nomine annte dilataretur; sic conjux ejus, cumm de sterili fit fœcunda, ex Sarai, vcvocitata est Sarach, ut & ipsa ante c crescat nomine, quam pignore. SSic & ipsa risum, mox quod genuit, a nuncupavit: vocavit enim nomen ejejus Isaac, quod interpretatur risusis. Sic & Iacob, qui in utero ante cœpipit luctari, quam vivere, inter visfscera materna, supplantatoris vcvocabulum est consecutus.* Qiæ u ubi Prisci sæculi exempla congessitit, tum ad natam recens Ecclesiaiam dilabitur, in qua Princeps Appostolorum *Petrus à Petra nomeien adeptus est, quia scilicet primuus meruit Ecclesiam fidei firmitatete fundare.*

EtMaiartyrum primus *Stephanus vocaiatus est à* CORONA, *quia primus n.meruit pro Christi nomine subire coronflictum, & quia cruore proprio titinctam sibi ipse* (in mari rubro) *p.purpuram conquisivit, merito à Re.ege suo consecutus est (post* CORONAAM) *qui jam cum nascere-tur, nomonen sortitus est à* CORONA.

a Ovid. l. b Chrysolog. ser. 154. festo S. Stephani. 1

Verum enimvero quæ illi & qualis, non ex nomine, sed ex re, ex opere heroico, ex virtute, ex constantia Christiana, jure meritoque corona debeatur, non iniuria controvertitur; cum quas olim apud Romanos singuli singulas, invictissimus noster Pugil omnes reportare meruerit.

Lipsius de militia Romana, Dialog. 17. Coronas militares maiora dona appellat, quas multifarias fuisse *c* A. Gellius scribit; præcipuas tamen esse triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, navalem & hanc quidem ille reportabat, qui primus mare conscendisset, primus in portum appulisset, qua beatum Stephanum, donandum, dum per sanguineos fluctus primus in Portum salutis appellit, omnes suffragantur; *Muralem* vero illi deberi, quia primus cœlestis illius civitatis muros ascendit, in confesso est, juxta illud *d* Livii: *Præcipuum muralis* CORONÆ *decus ejus esse, qui primus murum ascendisset.*

Civica corona quam civis civi, à quo servatus erat in prælio, testem vitæ salutisque perceptæ donabat, de qua *e* Plinius: *Corona civica militaris virtutis, insigne clarissimum.* Hanc è quercu contexi solitam *f* Poëta cecinit:

Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu
Velaret, validis fuso qui viribus hoste,
Casurum morti potuit subducere civem.

c A. Gellius l. 5 c. 6. d Livius l. 16. e Plinius l. 22. c. 5. f Claudian. de laudibus Stilicon. c. 3

Porro Heros noster dum voce, exemplo, sanguine suo supernæ illius Hierosolymæ civem, Paulum servavit, an non *Civica* dignissimus censeatur? etenim *si Stephanus* a *non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Mitto innumeros alios quos labantes constantia sua roboravit, & precibus suis ac meritis *cives Sanctorum* effecerit: ei quippe adscribitur conversio 540. Iudæorum in urbe Majorca, cum illic ejus Reliquiæ inferrentur, Iudæi verò, more suo tunc lapides in Christianos jactarent, neminem tangere poterant atque interim Synagoga eorum, cælitus immisso igne conflagravit; quo in prodigio, Dei manum agnoscentes, durissimam cervicem, teste Severo Episcopo Majoricensi, suavi Christi jugo submisere.

Obsidionalis ei conferebatur, qui urbem obsidione hostili liberabat: quod passim fit, dum per obsidentium cuneos, in urbem suppetiæ immittuntur. Quales vero, quantasque copias, Stephanus omnium ductor, in beatorum patriam, per Iudæorum, Tyrannorum, & Cacodæmonum castra, in cælestem civitatem suppetias submiserit, nemo unquam satis valet enarrare.

Denique *Triumphalis* corona, quondam è lauro, postea ex auro, Ducem ac Imperatorem, de hostibus triumphantem condecorabat. Dux noster, ut inquit Augustinus, b *triumphavit & coronatus est,* non laurea, non aurea, sed his omnibus longè preciosissima. Qua de priusquam agamus, juvat paucis interpellantem, & adhortantem vos, audire c Doctorem Africanum: *Charissimi, si non potestis imitari Dominum, imitamini conservum, imitamini Stephanum*, & hic, & omnes Martyres *homines erant, conservi tui erant, sicut tu nati, sed à Domino* CORONATI.

Agere & satagere debemus & nos, ut has coronas consequamur: d *Imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

Corona Navalis nobis omnibus proposita est in hoc turbido Oceano fluctuantibus, quam facile percipiet, e *si quis paululum è rerum mundanarum fluctibus erexerit caput.*

Iactamur hic adversitatum procellis, tentationum fluctibus. Nam ut ait S. Thomas f in illud Matthæi 8. *motus magnus; erat hæc turbatio, typus futurarum tentationum.* Luctandum, nitendum, dum in portum appellamus, ubi coronandi sumus.

Muralem adipisci possumus, si omnes obstantes difficultates, Dei gratia adjuti constanter superare nitamur, dicamusque cum Propheta regio g *In Deo meo transgrediar* MURUM. Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio c. 6. *Nemo de se confidat, nullus de propriis viribus in hoc spirituali conflictu præsumat, totum adscribat Deo, totum se illi committat: non in virtute (inquit Propheta) mea, sed in Deo meo transgrediar* MURUM. Audax Alexandri facinus cursim exponit Curtius.

a S. August. serm. 1. de S. Stephano.
b Aug. serm. 3. de S. Stephano.

c Aug. serm. 2. de S. Stephano. d Aug. serm. 47. de Sanctis. e Chrysost. hom. de S. Philagonio. f S. Thomas. in Matt. c. 8. g Psal. 17. v. 30.

tius lib. 9. dum cunctantibus ceteris, conscendens scalas, evasit in murum, & in hujus margine magis hærens quàm stans, clypeoq; incidentia undiq; tela propulsans, a suis destitutus, non desiliit ad illos, sed in urbem hostium plenam, præcipiti saltu se met ipse immisit, *Murali* dignissimus. *a* Redeat Pericles & Piræos muros struat quadraginta cubitis altos, tam verò latos ut duo currus inter se juncti, amplius spatium non requirant; ego tamen, ait David, hos muros transgredior. Redeant Carthaginienses, & triplicem educant murũ omni ævo celebrem, ego tamen hunc ipsum transgrediar *in Deo meo: quoniam in illo eripiar à tentatione*. Hic Murus dicitur peccatum quod separat nos à Deo, juxta illud Isaiæ: *b Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum*. Structuram ejus exponit Hugo Cardinalis: *c Iste autem murus fit ex luto luxuriæ, & latere avaritiæ, & palea inanis gloriæ*, & hic est *murus*, inquit *d* Augustinus, *quem inter homines, & cælestem Jerusalem, peccata erexerunt*.

Corderius *e* noster: Celsior aut densior murus vix ulli objicitur, quam sua cuique voluntas. Hunc murum vocat Ezechiel *f murum ferreum*, quem transgredi & transilire necesse est, voluntas mea hactenus ut *murus aheneus*, voluntati divinæ (quæ omnis perfectionis amussis & regula) obstitit; at hodie transiliam, & *in Deo meo transiliens murum*, Muralem præstolabor.

a Corderius in Psal. 17. v. 30. *b* Isaiæ 59. *c* Hugo Card in Psal 17. v. 30. *d* August. in Psal 17. *e* Corderius cit. *f* Ezech 4.

Civica non modo Reipublicæ capita, Prætores, Præsides, senatores, Causidici exornari merentur, cives & clientes servando, sed & Ecclesiastes in cathedra, Pastor in diœcesi sua, Paterfamilias in domo sua, & quivis vestrûm in quotidiano congressu, domesticos, concives, subditos, sodales, doctrina, verbo, & exemplo, à flagitijs, ab erroribus, ab interitu vindicando, corona civicâ dignissimus censendus. Sic Doctor gentium ad Philippenses, quos ad fidem, ad probitatem, ad virtutem reductos, ab immani errorum & scelerum voragine servarat, merito gloriatur: *g Fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & CORONA MEA*. Porro si Civica donandus ac coronandus est, qui civem à naufragio, aut ab incendio, aut præcipitio, aliove præsenti corporis periculo servavit, quanto magis si caverit ne mens ebrietate obruatur, si filium aut filiam libidinis flammis eripuerit, nobilem ad duellum properantem, in interitum corporis & animæ ruentem retardarit, peccatorem jam jam immani inferorum abysso absumendum, etiam cum Vitæ suæ dispendio servarit? Ignatius Paritus dum gelido stagno immersus, Adolescentem sistit, ne impudicitiæ flammis conflagraret, illud Pauli usurpare posset: *Gaudium meum & CORONA MEA*.

Xaverius Indico in palmeto, palmare Charitatis facinus edidit, dum ut hominem obstina-

g Ad Philippen. c. 4.

X 5 tè sce-

tè ſceleratı] flectat, ubi cum illo in littus exſcenderat, arma expedivit, flagellum ſtrinxit, & non ſine ſanguine vicit, ac concivem Sanctorum effecit, ſed parum hoc: qui undecies centena millia barbarorum, cœleſti patriæ aſſertos ſervavit, nonne exclamare poſſet: a *Quæ eſt ſpes noſtra, aut gaudium aut* CORONA GLORIAE, *nonne vos?* Quid vero ſignificet Philippenſes & Theſſalonicenſes coronam Pauli eſſe & nuncupari, exponit Primaſius: *Per vos enim, ıum* CORONANDUS *& remunerandus.* Conſimili ſenſu Anſelmus: *Corona mea in futuro: quia propter vos* CORONAM GLORIAE *percipiam.*

b Hic vobis omnibus in mentem veniat, unam animam ſervaſſe, plus conferre ad Dei gloriam, quam omnes virtutum actus & merita omnium hominum uſque ad ſupremum judicii diem exercendos: quia illi finiti ſunt; anima autem vel unica per ſe, & Dei gratiam ſalva, tota æternitate tot actus gratiarum actionis, laudationis, adorationis ut exercebit ut aliquando omnes omnium aliarum adæquet, & inſuper ſine fine excedat. Quæ piiſſima conſideratio complures eo zelo proximi juvandi inflammavit, ut animam ſuam (*qua majorem charitatem nemo habet*) pro ejus incolumitate ponere non dubitarint.

Heroicum illud cumprimis quod *c* Nierenbergius in Aſceticis ſuis refert: Pater Joannes Gonzalez videns hominem peccatorem ſine ſenſu, & abſque peccatorum Confeſſione, animam acturum, obtulit inter celebrandum vitam propriam, pro anima moribundi, fitque voti compos: nam peracto ſacrificio, certus divinæ acceptationis, ad hominem reviſit, reperitque ad mentem rediiſſe, & quod plus eſt, cum deteſtatione ſcelerum. Audit confeſſionem, atque impertita abſolutione, Ioannes domum reverſus, lethali morbo corripitur, brevique inflammatam charitate animam, Deo in holocauſtum pro cive ſervato obtulit.

Non remiſſionis charitatis argumentum, cenſeri poſſet, quod ſacerdos præſtitit: *d* hic ad hominem ſceleratum jam cum morte luctantem, accitus, ut deſperabundum omnino reperit; inter alia pœnitudinis motiva, dicit ille ſacerdos, paratum ſe animæ ſuæ ſtatum, cum ipſius commutare, omnia ſua merita ſe illi conferre, atque in ſe ſuſcipere omnem reatum ſcelerum & pœnas debitas. Ilico ille quaſi è lethargo experrectus, peccata deteſtari, ſacra exomologeſi expiare, lachrymis eluere cœpit, & animam placidiſſimè exhalavit. Proximè inſequenti ab obitu nocte, ſacerdoti apparuit, eique ſalutem ſuam acceptam retulit, addens omnia merita quæ illi applicata voluerat, ob inſignem charitatis actum, conduplicanda eſſe atque re ipſa veriſſimum illud divi *e* Anſelmi comprobavit:

a 1 ad Theſſ. 2. b V. Pennequin. de l'amour divin. part. 3. c. 28. c Nierenbergii Aſcetica p. 50.

d Pennequin de l'amour divin. part. 3. c. 28. e Anſelm. l. 2. ep. 3.

quiſ-

quisquis diligit aliquem, aut per affectionem prodest alicui, scitote quia pluss sibi prodest, quam aliis.

a Hoc probè norat Catharina Riccia, Ordinis S. Dominici virgineum decus: Luctabatur cum morte magnus Italiæ Regulus, homo flagitiosus ac prostitutæ nequitiæ, nec resipiscendi spes aderat, dum obstitit Catharina, se Deo devovens, ut in se vellet irasci, votii rea, quam mox decubuit, && quadraginta dies toto corpore gravissimè divexata: reddita interrim ægro sanior mens, & animo salus.

b Alteera ejusdem Ordinis Prædicatorum, charitatis victima, Christophorus de Lugo extitit: hic forte convenit mulierem excellentis formæ, ac fortunæ principalis: quam cum in ipso adolescentiæ flore, morbus lethalis occupasset, mortem impatientissimè ferens, id ætatis se volente abripi, desperatissimè agebat; quod ut Christophorus advertit, cum multa tentasset, cum Deo paciscitur: paratum se omnium illius criminum pœnas pendere, modo illi sanior redi et mens, nec mora, illa sapere incipit, ediriffimè hic ac diutissimè laborrans, exeso demum corpore, ad eum evolavit, qui *unica* illum *corona*, quam omnes quos commemoravi, meruere, donavit..

c *Obsiddionalem* omnes consequi valeamus, quando *circumdabunt nos inimici nostri vallo, & circumdabunt nos, & coangustabunt nos undique*, idque inquit Doctor Angelicus: dum in ultimo vitæ cum morte conflictu, d *animam circumdabunt ejus inimici, id est, spiritus nequam, & immittent in circuitu ejus vallum, vt obsideant eam.* Hoc vallum hostile perrumpendum, inimicorum cunei perfringendi sunt, ut obsidionali potiamur.

Denique ut *triumphali*, aliquando *corona* perfruamini, certandum est, quia primæ veritatis hoc oraculum est: e *Non coronabitur, nisi legitimè certaverit*, idque dum hic vivimus: Quia f *militia est vita hominis super terram* atq; *hæc pugna*, g teste sancto Thoma, *est contra carnem, mundum & diabolum*, à qua ne terreamur, inducit Apostolus fortissimos Athletas, qui olim apud Romanos per dura quævis & aspera, se ad luctam exercebant: h *& hi quidem ut* CORRUPTIBILEM CORONAM *accipiant, nos autem incorruptam.*

Pro hac nobis pugnandum, certandum, luctandum est contra tartareos hostes, contra effetas animi passiones, hostes domesticos & intestinos; *i* edocuit hoc discipulus cujusdam Anachoretæ, cui is surripiebat quidquid bonus senex, labore manuum corrogabat: quin & jam viribus destitutum, & gravissimo morbo dejectum neglexit, sprevit, nec quidquam obsequii deferre voluit. Cum interea senex eum ne levissimè unquam reprehendit, sed ad finem vitæ apud se commorari passus est. Et ecce jam moribundus, illius pervicacis disci-

a P. Rhoovariæ virtutum historiæ l. 1. c 3. b Ibid. cc Lucæ 19.

d S. Thom. in Lucam. c. 19 e 2. Timoth. 2. f Iob 7. g S. Thom. in 2 ad Timoth. 2. h 1. Cor. 9. i In vitis Patrum; Pennequin de l'amour divin. par. 3. c. 27.

discipuli manum exosculatus est, dicens: *Hæ manus mihi* CORONAM *texuerunt*. ita & morbi corollam D. *a* Ludustinæ texuerunt (ut alibi diximus) ita & Deus CORONANS CORONABIT *nos tribulatione*. Psal. 28. Vnde Sanctus Nilus in Parænesi: *fortiter perfer afflictiones*, pauperiem, calumniam, injuriam, tribulationes, tentationes: *quoniam* CORONÆ *horum sunt, qui in illis certamen sustinent*. sæviat in nos persecutor, quo magis sævit, eo nobiliorem nobis coronam fabricabit. Ita sentit Guilielmus Peraldus: b *Ad plus*, inquit, *non potest nocere diabolus, vel persecutor justo, nisi quia fabricavit ei* CORONAM ÆTERNAM. *Iucundam Dei judicium, quia ille superbus humilium malleator, nesciens eis* CORONAS FABRICAT PERPETUAS, *omnes impugnando & omnibus succumbendo. & David, supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, fabricaverunt, inquam*, CORONAM PERPETUAM. Concludo melleo Divi c Guerrici quod ex Bernardo sumsit eloquio: *Poterit immundus ille tentator sævire, sed hoc erit servire: poterit urere, tundere, dissecare; sed hoc erit coronas fabricare.*

§. 2.

Longe alias filij hujus seculi sibi nectunt coronas.

HAS *d* Doctor Angelicus, & Seraphicus, Principes orbis Christiani Oratores, eleganti stilo depinxerunt, *Prima* CORONA FLOREA, *est* LASCIVIÆ, *& hæc texitur è putida carnis voluptate, quam sibi assumunt carnis ac naturæ mancipia, dum dicunt sic apud e Sapientem*: CORONEMUS NOS ROSIS *antequam marcescant*; causam, addit *f* Bonaventura, *quia eorum coronæ mane sunt virides, sero siccæ: mane redolentes, sero fœtidæ: mane speciosæ, sero apparent nullæ, cum corona sit sicut gloria floris ad modicum decidentis.*

Antiqui moris est, in conviviis connubialibus, novis nuptis coronas imponere, sed hæ profecto, quia castitatis decus tollunt, omnino fluxæ, marcidæ ac *fœtidæ sunt*. At cœlestis sponsus Virginibus promisit *g* IMMARCESCIBILEM GLORIÆ CORONAM, *id est* inquit S. Thomas *h*, *vitam æternam, quæ non habet principium, nec finem, ad modum* CORONÆ, de qua paulò infra.

SECUNDA CORONA, *qua coronatur à mundo, est* AVARITIÆ, *ex* AURICHALCO, *& hæc implexa & contexta est divitiis secularibus, quæ veræ divitiæ non sunt, sed apparentes*, uti nec aurichalcum, verum aurum. Accedit hanc coronam appendi in rota fortunæ; adeoque cum illa semper volvi ac rotari, atque id o CORONA *magis nobilis quam felix*: *ob quam causam narrat Valerius Maximus, quod Rex quidam sapiens fuit, cui dum* CORONA REGIA *esset oblata, ut capiti suo eam imponeret, ille eam manu diu dicitur considerasse, & tandem dixisse*: O CORONA MAGIS *nobilis, quam felix? quam si*

a V [illegible] Dom. 2 Advent. b Novarini elect. sacr. [illegible] 5 pag. 425 c Guerricus ser. 1 de S. Benedicto. d S. Thomas. de serm. de S. Stephano.

e Sapient. 2. f S. Bonav. serm. 2. de S. Barthol. g 1. Petr. 5. h S. Thomas in 1. Petri, c. 5. i Bonav. cit.

quis

quis verè cognoſcat, quam multis curis, multiſque periculis & miſeriis plena ſit, nec humi quidem jacentem, tollere vellet.

Alium vobis & nobilem, & felicem coronam divites hujus ſeculi parare poteſtis, de qua Sapiens Prov. 14. v. 24. CORONA *ſapientum divitiæ*; ubi perappoſite Hugo Cardinalis: *id eſt divitiæ ſapientum, diſtributæ pauperibus, ſunt corona, id eſt cauſa* CORONÆ *eorum, qua* CORONABUNTUR *in patria.*

Carolus VIII. Galliæ Rex, *a* cum Sponſa ſua Margarita Auſtriaca, Valencenis inter cetera ſpectacula, exceptus eſt Ecloga, in qua Paſtor qui Caroli Sponſi agebat partes, ſertum ex floſculis, quos *Margaritas* dicimus, in capite geſtabat; quæ vero Margaretam Sponſam referebat, coronam ex nummis aureis quos *Carolos* vocitamus redimita fuit; verum quos in pauperes & egenos, vos nummos elargiti fueritis, ii vos longè pretioſius ac præſtantius coronabunt.

Quod egregie tetigit Chryſoſtomus, loquens de eo qui omnes ſe munificum præbebat: *tunc vincis, & trophæum figis, & innumeros acquiris, qui te* CORONENT; ut in publico illo orbis theatro aliquando patebit, quando ad coronas, regnumque vocatos ſic allocuturus eſt ſummus Imperator: b *Venite benedicti patris mei: poſſidete paratum regnum*; (immarceſcibilem gloriæ coronam, inquit c Novarinus) *eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*; hæc largitate, & in pauperes liberalitate, coronam vobis regni acquiſiviſtis.

Aurum Moloch, Mammonæ, id eſt avaritiæ idolo, hactenus dicatum, in coronam gloriæ, capiti veſtro imponendam, conflare poteſtis, exemplo Davidis, qui ex auro quod antea caput idoli Moloch exornarat, pulcherrimam ſibi coronam fecit, reddiditque ſacrum quod erat ſacrilegium; ſic etenim *d* 2 Regum 12. dicitur: ***Tulit diadema Regis eorum, de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſuper caput David.*** Abulenſis hic, quæſtion. 39. Plurimi, inquit, volunt quod iſtud diadema non erat Regis, ſed cujuſdam idoli Ammonitarum, quod vocabatur Melchon, ut patet 1. Paralip. 20. *Tulit* CORONAM *Melchon de capite ejus, & fecit ſibi diadema.* Ubi bene advertit Lyranus, quod David aurum illud purgando, conflando, & redigendo in aliam formam, ſibi coronam impoſuerit.

Tertia corona frondea qua coronantur *à diabolo, eſt* CORONA SUPERBIÆ, de qua dicitur Iſaiæ 28: *Væ coronæ ſuperbiæ! & quidem in æternum.* Hanc inhiantem, graviſſime punitum refert Nicetas Choniates l. 1. de Alexio Comneno ubi ait: e *Factionis principem & Regem delecturus* · *graviori ſupplicio deſtinavit.* f *Juſſit enim* CORONAM ÆNEAM *ejus capiti, quatuor magnis clavis affigi dicens: Habes homo* CORONAM, *quam venatus es, nemo tibi invidet, fruere uſq; adeo deſiderata re.*

a Molinier hiſt. Burg. Dovernutius Amor increatus. pag. 384. b Matt. 25. cap. c Novarini electa ſacra tom. 5. p 35.

d 1. Reg. c. 12 Cauſſin ſymbol l. 12. §. 18. e Bonav. cit. f Bonav. ibi.

Hujusmodi *coronæ superbiæ*, Comitum, Marchionum, Ducum, Principum, Regum ac Imperatorum, ut raro clavis vertici affigantur; tamen quam graviter premant, quam acutis stimulis lancinent, testantur supremi regnorum Dynastæ, qui eas abjecerunt & pedibus obtriverunt. Tales invenies apud *a* Platum Imperatores, Reges, Principes, Duces, & avitæ nobilitatis florem, qui mundo triumphato, & spreta *corona superbiæ*, è cella in cœlum, ad coronam gloriæ à Christo evocati sunt. Vnum hic tacitus præterire non possum, is est Henricus III. *b* qui pro gentilitia tessera, duas sibi coronas Poloniæ & Galliæ assumpserat, cui tertia è cœlo augustior supereminebat, cum hoc lemmate: *manet vltima cœlo*; quam nonnulli jure illi debitam dictitabant, si quemadmodum coronæ Polonicæ, ita & Gallicæ renunciasset, & in sacerdotalem commutasset; unde *c* Dinet in theatro Nobilitatis Franciæ hoc distichon retulit:

Qui dedit ante duas, unam abstulit, altera nutat:
Tertia tonsoris, nunc facienda manu.

Qua coronam sacerdotalem designari volebant, quæ profecto omnes Regum, Imperatorum, atque ipsas tricoronides Pontificum Infulas antecellit; quæ quam acerbè plerumque summum Ecclesiæ caput cruciant, verè ingeniosus Poëta cecinit, dum sic Gregorium Papam compellat, & ad triplicem crucem in pedo alludit:

Cur tibi cum triplex Gregori, triplexque CORONA EST:
Anne suam sequitur quæque corona Crucem?

His ternis mundanorum coronis jam recensitis, opponit *d* S. Bonaventura tres alias sanctorum coronas, quarum PRIMA inquit AUREA, *& hæc datur Virginibus: ut enim purum, speciosum, & incorruptibile est aurum: ita & Virgines, in quas cadit illud Ecclesiastici*: CORONA AUREA *super caput ejus:* & hæc convenit Stephano, juveni Virgineo, cujus facies *tanquam facies Angeli*, Iudæorum aciem everberavit; causam exponit Augustinus serm. 6. de S. Stephano: *Martyr & pulchritudo erat corporis, & flos ætatis, & testimonium* SINCERISSIMÆ CASTITATIS *& operatio divinitatis.* Vt de eo jure pronunciare queam, quod Agapetus Diaconus in parænetici suis, ubi Iustinianum Cæsarem laudat: *Te revera Imperatorem asserimus: quippe qui & imperare ac dominari voluptatibus vales, & tum* CORONA CASTITATIS *revinctus, tum purpuram justitiæ indutus incedis.*

Ad hanc coronam castitatis invitat sponsus Virginum candidissimam Sponsam suam, invitat & vos, ut ait Gilbertus serm. 29. ad illud amoris canticum: *Veni* CORONABERIS *de capite Amanæ.* Vbi sic disserit: *Cum de cubilibus & impudicitiis, ad florida &* honesta

a Platus de bono status Relig. l. 2. c. 26. b Typotius symb. pag. 93 c Dinet de la noblesse françoise, l. 4. c. 17.

d Bonavent. serm. 2. de S. Barth. Ecclesiast. 45. Act. 6. 15.

honesta transfertur cubilia, in quibus compunctio cordis &c. CORONARI *sponsa satis aptè dicitur.*

Pro hac corona castitatis obtinenda & servanda, tot Virgines, tot viri usque ad sanguinem certarunt, omnes carnis stimulos generosè superarunt.

Hortatur suos & quemque vestrum *a* Sanctus Bernardus: *quoties restiteris, toties* CORONARIS; ut manifestè comprobat Ruffinus, in vitis Patrum l.3.n.104. ubi refert quemdam fratrem exagitatum fuisse à cogitationibus suis per annos novem, ita, ut metu ipso desponderet de salute sua, & adjudicaret semetipsum, dicens: perdidi animam meam: jam quia perii, vadam ad sæculum. Qui cum abiret, venit ei vox in via dicens: tentationes quas in novem annis sustinuisti CORONÆ *tuæ erunt,* revertere ergo in locum tuum.

Quare omni solertia, omni cura ac custodia quisque dispiciat & attendat, ne hanc Virginitatis corollam amittat, ne tota æternitate amarissimis lacrymis deploret: b *cecidit* CORONA *capitis nostri.* Quoties quis carnis concupiscentiis sese tradit, quoties quis se nuptiis sæculi adstringit, merito lamentatur: *cecidit corona capitis nostri*: pro qua O Virgines, ut alacriter dimicetis, solatio sit illud c Augustini: *cum reluctamur concupiscentiæ, non peccamus, sed coronamur*

d ALTERA CORONA EST STELLA, *& illa datur Prædicantibus, ut enim illa lumine nitet, sic & hi luce doctrinæ, ideoque fulgebunt sicut stellæ cœli in perpetuas æternitates.*

Et hæc quoque debetur Stephano, qui ferventissimam ad induratæ cervicis Iudæos concionem habuit. Convenit & hæc corona Patribus fam. dum vitia domestica corripiunt, dum scandala corrigunt, dum salutis monita suis tradunt, atque omnibus ad virtutem & morum honestatem exemplo suo facem prætulerunt.

Demum ne longior sim & finem his imponam.

e *Tertia corona est lapidea,* vel, ut S. Thomas *gemmea*, & hæc peculiaris S. Stephano, una instar omnium. *f* Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, in symbolum sibi sumpsit lauream coronam, in cujus apice rosa, pretiosis lapillis distincta, cum hac epighraphe: *instar omnium*: his nempe, à quibus pretium habebat, lapillis exornata, *instar omnium* fulgebat. Verum de qua in præsentiarum acturi sumus, tota undique è lapidibus pretiosis concinnata, *instar omnium,* quæ in terris, & in cœlis pretiosæ sunt, sibi primas Stephanus vindicavit.

§. 3.

Posuisti in capite ejus CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO. Psal. 20.

VArii Reges, varias coronas gestare consuevêre: Diade-

a Bern. serm. 5. de quadrag. b Jerem in thren. c. 5. 16. c August. l. 2. de Gen. c. 14. d S. Thom. cit. e S. Bonavent. cit.

e Bonavent. cit. f Typotius symb. tom. 3. pag. 35.

ma seu

ma ſeu faſciam byſſinam Orientales, & primi Romanorum Imperatores uſurparunt, ſubinde auream coronam. Cidarim Perſæ: Byzantini poſteriores tiaram gemmis, & unionibus gravem: Mahometani Tulipantum, ex lineis faſcibus convolutis compoſitum, gemmiſque coronatum geſtant: Mexicani plumeum galerum mirè variegatum, alii alia rara ac præclara capitis ornamenta ſibi adaptarunt; at vero quantum diſtat obryzum aurum vili luto, pretioſum margaritum, fragili vitro, quantum diſtant æterna caducis, tantum omnibus hiſce Regiis coronis, antestat illa quam hodierna luce Rex Regum radioſo D. Stephani capiti impoſuit a *ex lapide pretioſo*, id eſt ex omni lapide pretioſo, ſeu *ex lapidibus pretioſis, omnem decorem habentem*; hanc intenta mentis acie ſuſpiciens b Patriarcha Venetus: *In ipſa* CORONA, inquit, *tanquam pretioſi lapides, fulgent duodecim genera gaudiorum, quibus decorantur qui illuc introducuntur.* 1. *eſt ſanitas abſque infirmitate.* 2. *Iuventus ſine ſenectute.* 3. *ſatietas ſine faſtidio.* 4. *libertas ſine impedimento.* 5. *pulchritudo ſine deformitate.* 6. *impaſſibilitas ſine morte.* 7. *abundantia ſine indigentia.* 8. *ſecuritas ſine timore.* 9. *cognitio ſine timore.* 10. *gloria ſine ignominia.* 11. *pax ſine perturbatione.* 12. *gaudium ſine triſtitia.* Coronam illam duodecim hiſce myſticis gemmis coruſcantem, ſibi ex gemmea lapidum grandine, qua obrutus fuit, Stephanus concinnavit: *Dic aliquid Iudæis*, inquit Auguſtinus, c *ut incipias* LAPIDARI, *& poſſis* CORONARI; & ſerm. 4. *lapidatus à Iudæis*, CORONAM *meruit.*

Sponſa in Canticis d dicebat: *Deſcendi in hortum nucum, ut viderem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala Punica.* Quid hoc? qui poma deſiderat, pomarium ingreditur, qui uvas vineam, qui nuces, eas juxta vias quærit, juxta illud:

> *Nux ego juncta viæ, cum ſim ſine crimine vitæ,*
> *A populo ſaxis prætereunte petor.*

Quorſum ergo Sponſa in horto nucum, quærit poma Punica, quæ inter omnes fructus arborum, corona inſigniuntur, & hoc in horto nucum, qui fructus *cortice amaro*, e fuſtibus & ſaxis decutitur ideoque *Martyribus* confertur? ut hinc diſcamus, ſi *coronam gloriæ* ambimus, eam non inter flores, fontes, inter amœna mundi vireta, & vineta, ſed inter adverſitates, morbos, ærumnas, & ſaxeam miſeriarum grandinem conquirendam.

f Declaravit hoc Deus pulchrè per S. Agnetem, quæ apparens S. Brigittæ, dixit: Veni filia, & impone tibi coronam, factam ex ſeptem lapidibus pretioſis. g Quid vero eſt corona, niſi probatio patientiæ, quæ ex tribulationibus conflatur, & à Deo lapidibus adornatur? Primus igitur lapis coronæ, Iaſpis eſt, quem appo-

a Pſ. 20. Hugo Card. hic. b B. Laurent. Iuſtin. lignum vitæ tract. 2. de fide, c. 7.

c Aug. ſerm. 1 de S. Stephano. d Cant. 6. v. 10. e Hugo Card. in Cant. c. 6. v. 10. f L. 3. revelat S. Brigittæ. c. 124. g Lancicius opuſc. 9. c. 3 n. 64.

fuit

fuit tibi ille, qui contumeliose dixit, se nescire quo spiritu loquebaris, & esse tibi utilius, mulierum more subtilius filare, quam de Scripturis disputare; ideo sicut Iaspis acuit visum, & accendit gaudium animi: sic Deus ex tribulatione accendit gaudium in animo, intellectum illuminat ad spiritualia, mortificatque animam à motibus inordinatis.

Secundus lapis est Saphirus, & hunc apposuit tibi ille, qui favorabilia loquebatur, in facie tua, & in dorso detrahebat de te. Sicut igitur saphirus est cælestis coloris, & servat membra in sanitate; sic hominum malitia probat justum, ut fiat cælestis, & servet membra animæ, ne superbia elevetur.

Tertius lapis est smaragdus; hunc apposuit tibi ille, qui dicebat te dixisse ea, quæ nec cogitabas, nec loquebaris. Ideo sicut smaragdus est fragilis ex se, sed tamen pulcher & viridis: sic mendacium citius annihilatur, sed tamen pulchram facit animam, propter patientiæ remunerationem.

Quartus lapis est Margarita; hunc apposuit tibi ille, qui Amicum Dei, te præsente vituperavit, ex cujus vituperio plus turbabaris, quam de tuo. Ideo sicut Margarita est alba & pulchra, & alleviat cordis Passionem: sic dolor caritatis, introducit Deum in animam, compescitque Passiones iræ, & impatientiæ.

Quintus lapis est Topazius; hunc apposuit ille tibi, qui amara loquebatur tibi, cui tu econtrario benedixisti. Ideo sicut Topazius est aurei coloris, & servat castitatem, & pulchritudinem, sic nihil pulchrius & acceptius est Deo, quam lædentem se diligere, & pro persequentibus orare.

Sextus lapis est Adamas; hunc apposuit ille tibi, qui fecit tibi corporale damnum, quod patienter tolerasti, & noluisti eum dehonestare. Ideo sicut Adamas non frangitur tunsionibus, sed sanguine hirci, sic placet Deo, hominem oblivisci, & negligere propter damnum corporale; & cogitare semper ea, quæ Deus propter hominem fecit.

Septimus lapis est Carbunculus; hunc apposuit ille tibi, qui falsa annuntiavit tibi, id est filium tuum Carolum esse mortuum, & patienter tulisti, committens voluntatem tuam Deo. Ideo sicut Carbunculus lucet in domo, in annulo est pulcherrimus: sic homo qui patiens est in amissione alicujus rei charissimæ sibi, provocat Deum ad dilectionem sui, & in conspectu Sanctorum lucet, & placet, sicut lapis pretiosus. Ideo filia, ita stabilis, quia pro *amplianda corona tua, adhuc aliqui lapides sunt necessarii.*

Nostis & vos quomodo coronam è lapidibus pretiosis comparare, quomodo cum Stephano saxeum imbrem perferre valeatis? *ictus calumniæ*, inquit S. Athanasius, *gravius*

vius quam LAPIDES *feriunt*, & Sanctus Zeno Veronensis, sermon. de Iona, ad illud Pauli *lapidatus sum*, calamitates & adversitates quibus impetitus fuit, felices lapides appellat: *Clamat de profundis Paulus obrutus calamitatibus beatis, cum pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in civitatibus patiatur, cum à Iudæis virgis ter cæsus, naufragio trino diluitur, cum insani populi furibunda tempestate*, LAPIDEIS IMBRIBUS, FELICITER GRANDINATUR.

Dum Deus pluit in verbera, dum verba sacrastica, injuriosa, calumniosa, saxis duriora vicini & domestici grandinant, lapillos tibi subministrant ad coronam. *a* Sic mulier illa sapuit, quam cum altera vicina jurgis impeteret & procaci lingua proscinderet, illa expandit ei sinum suum, dicens: Domina, *ista vituperia vestra sunt mihi valde necessaria quasi aurum &* LAPIDES PRETIOSI AD CORONAM ÆTERNAM *fabricandam, projice ergo satis de iis, in sinum meum.*

Dum manus Domini vobis calamitates, calumnias, dolores capitis, dentium, podagræ, calculi immittit, scitote *manus ejus plenas hyacinthis*, atque *pro amplianda corona vestra, adhuc illos lapides esse necessarios.*

Ita sensit *b* Nicolaus Romæus Societatis nostræ, Patria Brugensis, vir acri ingenio, qui dum acutos calculi dolores, deinde & atrocem sectionem mira constantia pertulisset, dixit *se nolle suum* CALCULUM *cum omnibus Orientis* ADAMANTIBUS *commutare.* Idem de omnibus aliis morbis & afflictionibus sentiendum est; si patienter tolerentur, *in lapides pro* AMPLIANDA CORONA NOSTRA convertendos. Hinc non incongruè quidam asserebat, lapidem molarem, majoris sibi pretii esse, quam Adamantem, quia plus inde lucri, oleum in copia exprimendo, referebat, quod oleum dum patientia Stephani per lapides expressit, jure illos in pretio habere voluit: *mira virtus patientiæ* inquit *c* Richardus, *& quis dignè penset* PRETIUM HUJUS PETRAE *quæ in tanta copia distillat oleum cum melle, quanta quæso olei & mellis copia deprehenditur. Imo mirum in modum crescit ex dolore delectatio, & ex passione compassio. Martyr sane cum* LAPIDARETUR, *magis miserabatur inimicis suis, quam membris suis.*

Exodi 24. v. 10. dicitur de Moyse & Aarone, quod *viderunt Deum Isaël, & sub pedibus ejus, quasi opus* LAPIDIS SAPHIRINI. Oleaster refert in hunc locum; Hebræos asserere, Deum sic apparuisse, ut scirent lateres, in quibus elaborandis, in Ægypto premebantur, in Saphiros esse commutandos. Hoc verò dicendum de lapidibus, seu lateribus omnium tribulationum, inquit *d* Lauredanus, additque lapides passionis, Stephano in lapides gloriæ cessisse, atque ex iis vel unum, quibus fuit lapidatus (quem ait alicubi asservari) quasi in lapidem pretiosum conversum, in magno honore ac pretio haberi.

a Vincent. Belluac. in [illegible] l. moral. l. 3. part. 1. dist. 3. b Biblioth. script. Societ.

c Richardus de extermin. mali. c 14. d Lauredan. Venetus [illegible] tit. tribulat. pag. 610.

Dixe-

Dixerit olim divinus *a* Plato, in bello cæſos *aureum hominum genus eſſe*; At Stephanus non modo aureus, ſed *gemmeus*, & vir plane adamantinus habendus eſt.

Ab hac adamantina fortitudine, commendat *b* aureus orator prophetam Iob, ſtupendnm illud patientiæ exemplar: b*Non eſt ulla apud mortales calamitas, quam non hic* (Iob) *quovis ſolidior* ADAMANTE *ſuſtinuerit, famem, & egeſtatem, & morbum, & orbitatem filiorum*, Itaq; percuti à ſatanico hoſte potuit, frangi non potuit, ut idem Chryſoſtomus hom. 23. in gen. *Iob ille Athleta orbis, acceptis innumeris à Diabolo telis, vulnus non accepit, ſed ſicut* ADAMAS *omnes impetus ferre potuit.* Audis hæc, qui totus vitreus, vel leviſſimæ calamitatis, tribulationis ictu frangeris? adamantinus eſſe vis? fames, egeſtas, & morbus, & orbitas filiorum ſuſtinenda eſt. Hanc laudem quoque Abrahamo tribuêre non dubitavit, dum ad quæſitum illud Iſaaci: c *Ubi eſt Victima pater mi*: ſic ait: *hæc verba* (filii) *tantam vim habebant, ut vel ſaxeum pectus emollire poſſent, nec tamen* ADAMANTEM *illum perculerunt, imo nec concesſerunt: nec dixit, quid patrem vocas, qui paulo poſt, pater tuus futurus non eſt.*

Si tales vos geſſeritis, dum Deus filium unicum, aut filiam olim in religioſo clauſtro hoſtiam vivam immolari deſiderat aut morte immatura illos, vel propinquos neceſſarios, conjugem auferre deſignat, *Adaman*-*te ſolidiores* eſtis. Quod certè ut humanis viribus æquanimiter ferre non valeamus, Dei gratia adjuti, facile poterimus: *d* ADAMANTE ENIM SOLIDIORES, *Dei gratia nos efficit, & ſi volumus, omnino invictos.* Hac fretus Stephanus, ADAMANTE *ſolidior* extitit, qui cum e *plenus gratia & fortitudine* fuiſſe perhibeatur, merito uſurpare potero, quod Præſul Antiochenus, de Paulo: *quænam eſt illa* ADAMANTINA *prorſus anima, quæ* (Stephani) *patientiam poſſit imitari?* digna profectò talis, quæ corona è lapide pretioſo, veriſque adamantibus coronetur.

Quo ut pertingere queas, unius Stephani exemplum te inflammet: ſcintillæ quæ vel ex uno ejus lapide abſiſtunt, ſatis eſſe poterunt.

Potentiſſimi Burgundiæ Duces, ac illuſtriſſimi orbis Heroes, torquem geſtant, ex ignariis contextum, ferro videlicet, ac ſilice, ex quo ignis proceditur. *f* Carolus Pugnax ultimus ejus familiæ Princeps miſerè apud Nanceium, media hyeme cæſus, glacie & morte obriguit. Lotharingiæ Dux, quem ille bello petebat, exclamaſſe ad tam lugubre ſpectaculum dicitur: *heu te infortunatum Principem, qui è tuo ſilice, ne ſcintillam ignis excudere potuiſti; quo te à mortis frigore intueris?*

At ſilices Stephani, non ſcintillas dumtaxat, ſed & flammas, & faces ejaculantur, quibus ad ejus virtutes ſectandas, toti candeſcatis, & potiſſimum corda

a Plat. l. 5. de legit. b Chryſoſt. in catena græca. Iob. 1. c Chryſoſt hom 4. in 2. ad Corint.

d Chryſoſt. hom. 4 in geneſin. e Act. c. 6. Chryſoſt hom. 1. de laudib. Pauli, f Doutemans amor increatus pag. 382

corda saxea, inveterato odio, ac malitiæ pertinacia obdurata, emolliantur plane ac immutentur: *Etenim si lapidis durities* (ut inquit *a*Gregorius) *igni cedit, & non duritiem suam modo, sed naturam suam & nomen suum amittit, quid mirum, si lapidea hominum corda, pristina duritia, cælestis hujus ignis virtute, deposita, in aliam quodammodo transeant naturam, & ex duris lapidibus, filii Abrahæ*, imo filii Dei efficiantur; quos ex hoc cognoveris, si odio deposito, *dilectionem habuerint ad invicem*; ad quod conducit aurea *b* S. Thomæ sententia: *Ab aliis Martyribus, alia petere consuevimus, & in iis quæ passi sunt ipsi, similia patientium Advocati constituti sunt: in peste Rochum, in ophthalmia Luciam, in carcinomate Agatham, in dolore dentium Apolloniam*, STEPHANI AUTEM LAPIDATI MARTYRIS MUNUS EST, DURITIAM CORDIS EMOLLIRE. Ut vobis qui toties Deo restitistis, & *dura cervice* saluberrimis ejus præceptis ac monitis obnixi estis, illud contingat, quod filiæ illi vanæ ac dissolutæ, de qua *c* Cæsarius refert: cum vir Ecclesiasticus magnæ gravitatis non ferret sororis suæ levitatem, ejusque in mundi vanitate, nihil quidquam se, aliisque monentibus, pertinaciam, *silicem solidissimum sustulit, & ait: Prius dirumpatur hic silex in manu mea, quam soror mea, mundo spreto Monialis fiat.* Atque eccum lapis in manu ejus confractus est: quod ut illa forte præsens conspexit, mundo ac nuptiis spretis in claustro sanctimonialium, Religionis habitum assumpsit, ubi lapis ille, cælestis prodigii testis, etiamnum asservatur. Atque hæc Sponsa Christi, proculcatis marcescentibus ac fœtentibus nuptiarum coronis, æternam atque immarcescibilem virginitatis corollam meruit obtinere. Ubi qui volet ad Auditores suos prolixius velificetur, mihi ut finem imponam cum *d* Augustino dixisse sufficiat: *Floribus Ecclesiæ cælestis, nec rosæ, nec lilia desunt. Certemus nunc, Charissimi, singuli ad utrosque honores, amplissimas accipere dignitatum* CORONAS; *sive de virginitate candidas, sive de passione purpureas, vel de Doctrinis Laureas*, sive de persecutione & adversitate, *lapide pretioso* vermiculatas.

a Greg. in Iob c. 28. v 2. b S. Thom. de villa nova, festo S. Stephani. c Cæsarius. l. 10. c. 55.

d Aug. serm. 37. de Sanctis.

FE-

FESTUM
S. JOANNIS EUANGELISTÆ.

Longe oculi ejus prospiciunt. Iob. 39. v.27.



Cernit acutum. Horat. Sat 3.

ARGVMENTVM.

MYsticam illam Aquilam, Ioannem, sublimi suo ad ipsa sanctissimæ Triados adyta volatu, divini Oratores, supra omnes mortales longe transcendere contendant: alii eam à remigio *magnarum alarum*, & *non*

a *non usitatâ pennâ* collaudent, qua abstrusa Apocalypseωs mysteria, aliaque arcana exoravit, quæ Paulus vidit. Sed quæ, ut ingenuè fatetur, *non licet homini loqui*, Ioannes *vidit & scripsit.* Alii aliunde eum in cœlos extollant; suffecerit nobis hodie, Aquilam à visus perspicacia commendare: quam dilectus hic Christi discipulus, ab amore divino, qui totus oculus est, secus ac fœdus, & lascivus, qui lumine orbus, & totus cæcus est, participavit. Optandum interim ut cæci mortales, oculos aperiant, atque ipsi cumprimis parentes, ac superiores quod de Argo Poëtæ fabulantur, toti vigiles, centum oculis, pro liberis, ac domesticis suis excubent: nam ut rectè Chrysost. b *Magnum habemus, pretiosumque depositum filios, ingenti illos servemus curâ, ne fur id nobis astutus auferat.* Quod depositum, quo in pretio habendum, quam vigili cura asservandum; D. Ioannes in adolescente declaravit, quem curæ Antistitis unicè commendarat; jamque à laborum meta reversus, cum depositum suum reddi postulat, illudque minus bene custoditum intelligit, omni sudore ac sanguine suo illud redimere statuit.

a Ezech.7. Horat. l.2. Ode 20. Aug. tract.36. in Ioan. *b* Chrys. hom.9. epist.1. ad Timoth.

§. I. *Ioannes Aquila, propter videndi perspicacitatem.* S. Thom. serm. de S. Ioann.

§. II. *Optandum ut filii tenebrarum acutum Aquilæ nostræ visum consequantur, ut* QUI NON VIDENT, VIDEANT. Joan.9.

§. III. *Superiores omnes, ac parentes, Aquilæ & Argi sint, ut suis invigilent, eosque observent.*

FESTUM SANCTI IOANNIS EVANGELISTÆ.

Conversus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus. Joh. 21.

INgenioso, ut *a* D. Nazianzenus refert, Apologo, aves quondam universæ *de regno disceptarunt*, & de Rege nominando Comitia edixerant. Vix res divulgata, dictusque Comitiis habendis dies fuerat, cum continuo ingentem volucrum cœtum suis sedibus excivit, brevique campum quantus oculis prospectum caperet, candidatis implevit. [illegible] circumstare rostratas *ciconiarum* aves, cuneato agmine crebras *grues*, properare raucas *Anserum* phalanges. His nihilo segniores advolant è segetibus *alaudæ*, è turribus *Columbæ*; & inquilinæ silvarum, *lusciniæ*. His corpore proceriores se inseruere ardea, & aquila. Quos inter Imperii competitores, etiam peregrini litoris hospites comparuere: Hic advena de Phaside *Gallus*, ex India *psittacus*; ex Græcia *pavus*. *Struthionem* misit Africa, *Cignum* Caistus ex Mysia, & *phœnicem*, quem orbis unicum reservarat, legavit Syria. In hoc tam celebri congressu, jactabat molem vastissimi corporis *Struthio*, carere se gloriâ non dubie ceteris præferebat. Hinc niveum candorem suum ostendere *cygnus*, oculeo *pavus* syrmate, picturato *psittacus* tegmine, se offerre. *Lusciniam* nativa commendabat Musica, *gruem* vigilia, phœnicem senecta, alia alii, & sua cuique propria extollebat, dum tandem placuit regni majestatem, volatu constituere. Hanc unam gentis esse gloriam, hæreditario jure acceptam; supra terram, cœnumque, volatu se attollere, proximeque ad cæli viciniam adscendere, eam profecto rem esse, volucrum propriam, & Regno, Regique maximè decoram. His itaque constitutis, provolandi iam signo dato, unà omnes cum ingenti alarum plausu, ab humo sese attollere, certatimque qua data cuique via est, per aëra evadere, ac pari dein conatu, sed constantia, eventuque dispari, ad usque nubium caligines, & ipsa cæli confinia tendere. Paulatim vero ut ventum ad ardua est, cœpit multorum calor intepescere, ut pennis deficientibus complures fatigati destiterint, & labori succubuerint. Visæ ante omnes *lusciniæ* (delicatum ac vocale genus) in arborum celsarum frondibus interquiescere: *Hirundines* ad notarum ædium lares divertere. *Ciconiæ* ipsæ in

a Nazianz. ad Nicobulum epist. 209.

in mænium fastigiis subsistere: aliæ inter rupium cavernas, aut montium cacumina respirare. Pertinacior ac pernicior unius *Aquila* conatus fuit, per invia quæque altius adhuc, altiusque eluctantis. Hæc igitur ut infra se omnes despexit, ter in gyros gloriosè circumacta, editoque ter clangore, ventum ad metam, quo nemo pertingere valebat, pronunciavit, eique omnes palam de palma concedentes, Regem suum suspexerunt, imperiumque cum Regni insignibus perpetuum donarunt.

Atque ita *a* D. Hieronymus non fictè, sed verè affirmavit: ***Vt leo inter bestias, ita*** AQUILA ***inter aves***, *regnum tenet.*

Nunc à fabulis ad veritatem auditum convertite, atque eorum cœtum ac comitia cogite, qui ab orbe condito, ingenii acumine, mentis perniciritate, scientiæ sublimitate, quibus vis etiam sanctimoniæ ac gratiæ pennis adjuti, quam excellentissimè in cœlum subvolarunt, atque hos omnes cœlestis *b* ***magnarum alarum*** Aquilam, *Ioannem*, quam longissime prævertisse, ac intra se conspexisse intelligetis. Sic porrò ad ardua, & sublimia connitentem, suspexit olim magnus ille *c* Origenes: *Vox*, ait SPIRITALIS AQUILÆ ***auditum pulsat Ecclesiæ***: ***vox altivoli volatilis***, ***non aërem corporeum***, ***vel æthera***, ***vel totius mundi sensibilis ambitum supervolitantis***; *sed ultra omnia*, *quæ sunt & quæ non sunt*, *citivolis intimæ Theologiæ pennis*, *clarissimæ* SUPERNÆQUE CONTEMPLATIONIS OBTUTIBUS *transcendentis*. ***Supervolat*** *itaque B. Ioannes* ***Theologus***, ***non*** *solum quæ* ***intelligi***, ***ac dici*** *possunt*; *verum* ***etiam quæ superant*** *omnem intellectum supervehitur*, *extraq; omnia*, INEFFABILI MENTIS VOLATU, ***in arcana*** *unius omnium principii* ***exaltatur***. Quo altius, non dico humanæ, sed nec Angelicæ intelligentiæ, valent conscendere. Quare huic spirituali Aquilæ multum concedit Psaltes regius, qui columbinis, quas à Deo efflagitarat pennis, non eò sese sustollere valuit, quò ***ineffabile mentis volatu*** Ioannes exaltatur. *d* Ezechiel quidem de se fatetur: ***assumpsit me spiritus***, *& audivi* ***post me vocem commotionis magnæ***, ***benedicta gloria*** *Domini* ***de loco suo***. Quin vel eo gloriatur, quòd usque eò elevatus est, ut hujus aquilæ, inter cetera mystica animalia, umbram, vel typum subobscurè cernere meruerit, ***& vocem alarum animantium***, *percutientium alteram ad alteram. eo*, inquit, *spiritus* LEVAVIT *& assumpsit me*.

Summo vertici Apostolorum quidem cœlestis Pater arcana mysteria revelarat, ut palam hanc laudabilem professionem fecerit: *e* ***Tu es*** *Christus filius Dei vivi*. Verum *Ioannes dicitur præcurrisse citius Petro*, *quia acutius*, ***atque velocius intima*** *divinarum* *apicum penetrat secreta*, *& ineffabili mentis volatu*, *in arcana* *unius omnium principii exaltatur*.

Humana omnia, ac sublunaria supergressus doctor gen-

a S. Hieron. tom. 4. in Daniel. c. 7 b Ezech. 7. c Origenes hom. 2. in diversis de S. Ioan.

d Ezech 3. v. 12. e Matt. 16. Origen. cit.

tium,

tium, pernici alarum remigio in tertium cœlum raptus est, (ut ipse asserit) sed ô beate a *Paule, non es raptus super omne cœlum & paradisum. Ioannes omne cœlum conditum, omnemque creatam paradisum, hoc est, omnem humanam, Angelicamque transgreditur naturam. In tertium cœlum raptus, ô vas electionis, & magister gentium, audisti verba quæ non licet homini loqui; Ioannes intimæ veritatis inspector, ultra omne cœlum, in paradiso paradisorum audivit unum verbum, per quod facta sunt omnia.* Non ergo *Ioannes erat homo, sed plus quam homo, quando & se ipsum, & omnia quæ sunt, superavit, & ineffabili sapientiæ virtute, purissimoq; mentis acumine subvectus, in ea quæ superiora sunt secreta, videlicet unius essentiæ in tribus substantiis, & trium substantiarum in una essentia ingressus est.* b Unde B. Petrus Damianus: *Ad tantum gratiæ provectus est privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illud acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non deniq; quispiam ab ipso primordio cognoscatur in carne positus aspirasse.*

Erit forte qui cetera illa mystica animalia, cum aquila pari velocitate contendisse arbitretur, sed à sacro vate, c *ceteris sublimior* volans Aquila, faciem aliis animalibus altiorem extulisse dicitur: d *facies*, inquit, AQUILÆ DESUPER *ipsorum quatuor*, hoc est, tres alios Euangelistas transcendit, imo & seipsum, dum instar aquilæ; in cœlis ponit nidum suum, imo & in sinum æterni Patris evadit, indeq;, ut ait Bernardus, *sacrosanctam intimæ sapientiæ eruit medullam*, eructatque altum illud: e *In principio erat verbum.*

Hinc excelsum super omnia volatum Hipponensis antistes, qui teste f D. Thoma, *profunda fluminum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit*, ita suspexit, ut tract. 36. in Ioannem, de eo affirmarit: g *Ceteri Euangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulant, & de divinitate ejus pauca dixerunt. Istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso sui sermonis exordio intonuit, erexit se non solum super terram & super omnem ambitum aëris & cœli, sed omnem etiam exercitum Angelorum.* Hinc ait: *Ioannes Apostolus non immerito secundum intelligentiam spiritualem*, AQUILÆ *comparatus, altius, multoque sublimius aliis tribus erexit prædicationem suam.* Tandem concludit: AQUILA *est Ioannes, lucis internæ, & æternæ* FIXIS OCULIS *contemplator.*

h *& quæ natura negavit*
Visibus humanis, OCULIS EA PECTORIS HAUSIT.

Nulla volucrum, imo nec mortalium, tam firma oculorum acies, ac visus perspicacia, & pertinacia, ut solem in meridie candidissimum, valeat fixo obtutu intueri. Hoc solius Aquilæ est, eodem testante Augustino: i *Sol iste quo vere nihil inter visibilia pulchrius invenitur, nostros sauciat, & obtenebrat oculos;* AQUILINOS *verò vegetat inspectus.*

a Orig. ibid. b B. Pet. Damian. ser. 1. de S. Ioan. c Damian. cit. d Ezech. 1.

e Ioan. 1. f S. Thom. festo S. Aug. g Aug. tract. 36. in Ioan. h Ovid. metam. l. 15. i Aug. l. 2. de moribus Manich. c. 15.

Hoc itaque vobis hodie symbolum propono: Aquilam irretortis oculis solem contuentem; quia *Aquila est Ioannes, lucis internæ & æternæ* FIXIS OCULIS *contemplator.* Ubi illud unicum sectabor, ut ostendam discipulum, quem diligebat Iesus, aciem mentis, ex sola dilectione maximè perspicacem habuisse, atque illud ad mores utilissimè pro concione pertractandum, amorem divinum maximè oculatum, & supra omnem Aquilam lynceum esse; terrenum verò ac carnalem, non modo cæcum pingi, ac a Poëtis fingi, sed reipsa, omni prorsus rationis, ac mentis luce privatum, in tenebris Andabatarum more cæcutire.

§. I.

Ioannes AQUILA, PROPTER VIDENDI PERSPICACITATEM. S. Thomas. serm. de S. Ioan.

Vulgatissimum illud a *pictoribus atque Poetis*, Amorem, seu Cupidinem, oculis spatio obvelatis, & plane cæcum effingere, quia amantes quos ille ferierit, aut quorum pectus subit, excæcat juxta illud:

b *Insano, nemo in amore videt.* Et alibi:

Quid deceat, non VIDET *ullus amans.*

Amans scilicet, Amens, insano prorsus, ac impuro ab amore, quid ratio, quid nominis fama; quid parentum observantia, quid familiæ dignitas requirit;

Quid deceat, non videt ullus amans.

Non virorum religiosorum monita, nec propinquorum consilia, nec Matris Viduæ lamenta, nec Dei vindicis flagella, jam jamque imminentia corporis, ac animi discrimina,

Insano nemo in amore videt.

Ita Cupidineus hic puer, non ipse duntaxat cœcus, sed & alios jaculis suis excœcat.

At quorum mentes cœlestis, ac plane divinus amor occupavit, eos omnes supra Aquilas, supra Lynces, ac Serpentes Epidauricos, oculatos ac perspicaces reddit juxta illud Richardi c *Amor vehemens, non potest non videre quem amat: quia amor oculus est, & amare, videre est.*

Testis ille ocularius discipulus, d *Deo dilectus ab ipso*, quique diligebat Iesum. Hic a resurrectione sua forte discipulis piscantibus, eminus illis in litore apparuit, e *non tamen cognoverunt discipuli, quia Iesus est.*

Solus Ioannes Dominum cognovit, sic porrò subditur: *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro; Dominus est.*

Appositam ad rem nostram doctor Angelicus causam adfert cur Ioannes præ ceteris Christum

a Horat. de arte. b Tibull. lib. 2. eleg. 14.

c Richard. Victorin. de charitate part. 1. cap. 3. d Ovid. metam. l. 10. e Ioan 21.

flum

[Chri]ſtum agnoverit : a *Ioannes enim* PERSPICACIOR *erat , & ideo primum agnovit Chriſtum.*

At unde quæſo hæc mentis, ac oculorum perſpicacia ? Hieronymus divino , ac caſto amori adſcribit , quo Ioannes Chriſtum complectebatur : b *Solus*, inquit, *Virgo Virginem agnoſcit* , & epiſt. 61. ad Pammachium : *Prior Virginitas, Virginale corpus agnoſcit.*

Huic conſentit c S. Cyrillus : *Ioannes*, inquit, *propter mentis puritatem , & oculorum cordis acumen , ad intelligendum aptiſſimus præ cæteris , præſentem agnovit Chriſtum, & aliis indicavit.*

Eodem ſpectat illud d Lyrani: *Sciendum quod puritas mentis , & corporis , maximè diſponit hominem, ad cognitionem rerum divinarum ;; & ideo Ioannes , qui cæteris purior erat, tanquam Virgo, citius aliis cognovit Chriſtum.*

O Virginitatis prærogativam præſtantiſſimam ! ô inter omnes beatitudines ſummam , & unicè eſſentialem, *Deum videre !* quod ſolis mundo corde conceditur. e *Mundus enim Deus , à mundo oculo conſpicitur*

Hi ſunt qui etiamnum in hoc mortali corpore , in rerum divinarum contemplatione , ſublimius efferuntur, & ſubtilius, quæ homo carnalis non videt, intelligunt ea, quæ ſunt Spiritus, atque ipſam gratiæ ac virtutis pulchritudinem , oculis cordis clariſſimè intuentur. Dilucida ſimiliter dicit oſtendit Auguſtinus , vos ipſos , virtutis pulchritudinem intueri , & amare poſſe , imo de facto amare , & intueri , ac corporis venuſtati , quæ in oculos incurrit, præferre : f *Habes* , inquit , *duos ſervos , unum deformem corpore, alium pulcherrimum; ſed illum deformem, fidelem : alterum infidelem. Dic mihi quem plus diligas ? & video te amare inviſibilia. Quid ergo ? quando plus amas ſervum fidelem , licet corpore deformem, quam pulchrum infidelem, utique non erraſti : ſed pulchriora fœdis præpoſuiſti : contempſiſti enim oculos carnis , & erexiſti oculos cordis , quid fide* (quid caſtitate, temperantia) *pulchrius , quid infidelitate* (quid fornicatione, temulentiâ , perfidiâ) *deformius ?* Ea perſpicacitas, *oculis cordis eſt*, quibus ſi vos præditi eſſetis , pulchritudo caſtimoniæ , adeò in ſui admirationem raperet , ut fornicatio ; omniſque immunditia, præ monſtro quantumvis teterrimo , ac ipſo cacodæmone, horrori eſſet. Pulchritudo temperantiæ, uſque eò vos in ſui amorem traheret , ut vitium temulentiæ, & ebrietatis , *cane pejus & angue* , quiſque veſtrûm execraretur. Pulchritudo juſtitiæ , tam potenter animos veſtros occuparet , ut nullis muneribus, nullis promiſſis vos excœcari, & à recti tramite ſeduci pateremini. Quid ? quòd oculi cordis , & acuta mentis acies , non modò elevatur ad videndum Deum, atque ipſius virtutis pulchritudinem , ſed & ad ea omnia , etiam minutiſſima conſpicienda , quæ amori divino officere , ac diſplicere

a S. Thoma. in Ioan. c.21. v.7. b S. Hieron. lib.1. contra Iovin. c Cyrill. in Ioan. c.21. d Lyran. in Matt. c.5. v.8. Beati mundo corde. e Hieron. in Matt. c.5. v.8.

f Aug. ſerm.17. de verbis Apoſt.

possunt. Vnde S. *a* Hieronymus beatos mundo corde asserit, *quos non arguit conscientia peccati*, etiam levissimi : Sed *quis est hic, & laudabimus eum.* Quis est hic, qui ita pupullam oculi acutam, & perspicacem habet, ut minimos imperfectionum pulvisculos, & vitiorum atomos valeat intueri? quod in occluso cubili fieri consuevit :

> b *Dum clarum mane fenestras*
> *Intrat & angustas extendit lumine rimas.*

Vt in illo Solis radio, ab acuto oculo atomi illic volitantes conspiciantur. Idipsum in anima, quam cœlestis gratiæ radius collustrat, contingere solet, ut D. *c* Bonaventura scitè observavit : *In domo*, inquit, *quam subintrans Solis radius illuminat, quantumcumque licet fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius intuenti apparent : sic & cor radiis gratiæ illustratum, etiam minima videt, & subtili examinatione discernit. Quantò quis fuerit mente purgatior, tantò se sordidiorem videbit, & majores causas humiliationis inveniet.*

Cedo mihi ex hîc stantibus hominem, qui semel in anno sacra exomologesi animum expiare consuevit, quam ille circa passiones prædominantes, imperfectiones, veniales noxas, imò circa gravissimas, & frequentissimas lethales culpas cæcus est; dum interim candidæ mentes; quæ cum Ioanne Deum diligunt, sicut pupillam oculi sui, minimos nævos, levissimas in oratione evagationes, velut atomos volitantes intuentur, atque illud *d* Bernardi usurpare solent : *Facilius atomos mundi denumerare possem, quàm motus cordis mei*; & vel minimas noxas, quasi festucas aciem incurrentes, amarissimis lachrymis cum S. Paula deflent, ejusque malitiam, quam penitius perspexerint, supra omne malum pœnæ execrantur.

Hinc *e* B. Catharina Genuensis ajebat malle se pœnas inferni per omnem æternitatem tolerare, quàm levi culpâ Deum offendere; adeo vel minimam injuriam, summo bono illatam, mentis oculis penetrarat, illudque *f* Salviani verissimum ducebat : *Nihil leve æstimari, quo Deus læditur.*

Consimili mentis acumine excelluit *g* P. Elzearius Doreson, ex Comitum Borboniorum familiâ, qui victima charitatis, peste infectis inserviens, occubuit : hic adeò vel minimum wenialem nævum detestabatur, ut à morte in commentariolis exaratum reliquerit : *Malo dæmonum adire domicilium, quam vel levi noxa Deum offendere, maximè in materia delectationis sensualis.*

Addebat : *si esset in potestate mea, unire omnes omnino delectationes, & fieri posset, ut nullam omnino pœnam inde incurrerem, sed solùm per instans Deus à me levissimè averteretur, & in ejus-*

a V. Corn. in canonicas pag. 437. Eccl 31 b Persius. Sat. 3. c Bonavent. In 1. parte speculi c 3.

d Bern. de interiori domo c. 62. e In vita. N[illegible] electa sacra pag. 394. f Salvian. l. 6 g Bar[illegible]

modi

mundi deliciis ac delectationibus perseverarem per totam vitam, ego eligerem non solùm privationem delectationum, sed etiam omnia tormenta possibilia, quantumvis intensa, & extensa, per totam æternitatem. Atque idem sentiunt omnes Beatorum mentes, lumine gloriæ collustratæ. *An possumus ergo*, inquit *a* Hieronymus, *leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur?* Certè cæcitatem hic suam meritò deploravit S. Theresa, quæ nescio quem virum Religiosum, minùs in divinis oculatum, à confessionibus habebat, & minuta peccata, ac veniales noxas, minùs solicitè curandas, & cavendas dictitabat. b *Mansi*, inquit, *in hac cæcitate, credo plusquam septendecim annis, donec quidam Pater S. Dominici valde doctus, mihi aperuit oculos in aliquibus rebus; & illi ex Societate Iesu, totaliter mihi incusserunt timorem,* (scilicet, non parvi facienda quædam peccata venialia, quæ quidam rudes Confessarii dixerant non esse curanda) *aggravando mea adeò mala principia, sicut postea dicam.* Cæcitatem suam vidit Theresa, & candidissima illa anima tenebris excussis acutissimâ mentis acie, minutissima observavit, adeò ut hoc secum identidem ingeminaret, ac suis inculcaret: c *Quis audet dicere parvum, nollo meam voluntatem sequi potius, quam tuam Domine;* Volo in garriendo, dormiendo, comedendo *meam voluntatem sequi potius, quam tuam Domine.* Quis autem hoc *parvum dicere, ac ducere*, qui cum Theresa oculos jam apertos, & illuminatos habet? Interim quàm multi vestrum potiori jure, quàm hæc Seraphica Virgo, & omnis sanctitatis Magistra, queri possent: *mansi in hac*, & multò graviori *cæcitate*, plus quam septendecim, viginti, triginta *annis*: quam pauci quibus oculi postea aperti, ut perspiciant: d *Quo nitidiores manus, eò gravius quoque minor in eis nævus offendit, & pretiosam vestem, exigua quævis macula turpius decolorat.* Omnium prope aciem hæc minuta effugiunt, nec iis se urgeri arbitrantur, cùm acutissima illa visu Aquila, Ioannes disertè asserat: e *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Etenim f *unicuique dedit vitium natura creato*: & sicut non est frumentum sine paleâ, triticum sine lolligine, liber sine mendis, pomum punicum sine grano putrido, nec piscis sine spinis: licet g *optimus ille qui minimis urgetur*; ita non est homo sine vitiis; quæ, quò quis acutiori mentis visu, eo plura, ac graviora in se sibi videre arbitratur, quare hoc sedulò agendum, ut hic acutum videamus; alioquin, teste *h* Richardo Victorino: *Frustra cordis oculum ad videndum Deum erigit, qui nondum idoneus ad videndum seipsum.*

a Hierony. epist. 14. ad Cleant. b In vita c. 5. de S. Theresia in itinere perfect.

d Bern. de triplici custodia manus linguæ & cordis. e 1 Ioan. 1. f Theod. l. 2. g Horat. sat. 3. h Richard. de S. Vict. tr. de præcep. ad contempl. c. 71.

§. 2.

Optandum, ut filii tenebrarum, acutum Aquilæ nostræ visum consequantur: ut QUI NON VIDENT, VIDEANT. Ioan. 9.

MOrtales omnes in hanc lucem, miseranda cœcitate percussos effundi, gravissimus Doctorum tradidit *a* Augustinus. *Nascimur,* inquit, *omnes* COECI; *quia nascimur omnes peccatores.* Hæc porrò cœcitas in sacris baptismi aquis, gratiæ cœlestis radio tollitur; sed, ô malum! in aliam plerumque labimur, dum in aliud scelus devolvimur: *b* ***ambulabunt enim ut*** COECI; ***quia Domino peccaverunt,*** ait Sophonias. Cœcus est omnis peccator, cujus mentem, ceu animæ pupillam, lethale scelus occupavit: *c quia peccatum excæcat mentem hominis.* Ac primùm quidem, teste *d* Chrysostomo, AVARUS COECUS EST: ***amor namque pecuniarum in pupillam mentis, quasi quidam malignus humor influxit, densamque jam nebulam prorsus operatus est***, ut lumen cœli, æternas divitias, atque ipsius divinitatis abyssum contueri non possit. Consimile Divi Ambrosii pronuntiatum est: *e* COECA EST AVARITIA, ***non videt quæ Divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis***; ut rem domesticam amplificet, ut lucrum faciat, ut annuos reditus augeat, ut aurum & argentum accumulet, hic omnes oculati sunt, hic omnes Aquilæ sunt, visu acutissimo. At ut divinæ gratiæ augmentum, ut virtutum thesaurum, cœlestium bonorum cumulum, acquirant, hic talpæ, & noctuæ, hic COECA EST AVARITIA.

Quantò meliori, ac salubriori cæcitate percussus, adolescens quidam blasphemus, de quo Iarricus. *f* Non procul à Pequino, Regia Sinarum Urbe, Iacobus Pontoya è Societate Jesu, Conciones ad populum satis frequentes habebat; cui non semel petulantiùs illudere cœpit adolescens: imò & blasphemo ore in sacra Christianæ legis mysteria debachari. Non tulit inultum scelus, quod spectabat è cœlo Numen: Adolescentem enim salubri remedio ad frugem reduxit: demissis quippe in terram oculis, nihil omnino cernebat; elevatis autem in superna, ac cœlestia, liquido omnia intuebatur. Ita ad terrena hæc, & humana cœcus, ad cœlestia & divina oculatus erat, adeò ut & fidei lumine collustratus, Christo nomen dederit. Ea mentis cœcitas exoptanda; at alia miseranda, ac detestanda, qua quidam, ut cœci solent, à cane, id est; pecunia, se duci sinunt, eique alligati tenentur, quorum miseram servitutem deplorat Cyprianus: *Magna* COECITAS, inquit, *auro alligatum teneri, & possideri magis, quam possidere.*

Ea verò maximè perniciosa, ac periculosa hujus cœcitatis ca-

a Aug. tract. 41. in Ioan. b Sophon. c. 1. c Hugo Card. in ps. 37. d Chrys. hom. 21. in Matth. e Ambros. serm. 59.

f Iarricus l. 6. hist. Indicæ.

lam i-

[il]lumitas, quòd nemo tenebras suas videat, nemo cœcitatem suam agnoscat: eis nunque usu-venit, quod de fatuâ suæ ancillâ, ad Lucilium sibi familiarem scribit Seneca: a *Harpastem uxoris meæ fatuam, scis hæreditarium onus in domo remansisse. Hæc fatua subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram: nescit esse se* COECAM. Omnia se quam optimè videre, ac observare asserit; cum nil videat, & illudi sibi putat, si quis ad ducendum, manum porrigat, aut de periculo præmoneat. *Ait domum tenebrosam esse*, rogat fenestras, ac januas sibi aperiri, & ne quis domesticus obsistat lumini. *Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat.* Ex quo patet, multos hoc ævo illi fatuæ similes videri; cœci sunt, & tamen cœcos se esse nesciunt, imò videntes, ac bene oculatos se credunt. *Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum*: nam avari se parcos, se providos ducunt, & attentos ad rem dicunt. Ambitiosi, & honorum plus æquo amantes; hoc ingenuæ, alteque indolis esse jactitant. Vnde quilibet dicet: b *Non ego ambitiosus sum; sed nemo Romæ aliter potest vivere.* Quòd tot famulos, pedissequas, equos, rhedas habeam, *non ego sumptuosus, sed Vrbs ipsa, magnas expensas exigit.* Ex acu pictis peristromatis, ex splendidissimis epulis, popularem auram aucupantur, argenteis gradibus, ad honores sibi viam sternunt; & ad divinos, & æternos honores caligant: c COECA AMBITIO, clamat Ber-nardus, *magis imis, quam summis delectari!* Aperit Deus cœlo, valvis bipatentibus, cœlestem illam Regiam, æternosque honores, & non videt: d

O! quantum pectora cœca
Noctis habent!

Ira excæcat hominem, & in gladios, in præcipitium abripit, & ea facere suadet, quæ oculo mentis præditus nunquam cogitaret, & hæc e *Ira videre non permittit.* Interim dicet iracundus: f *Non est meum vitium, quod iracundus sim.* Sed illa ancilla, pueri mei, vicini isti, uxor mea, mihi caput obtundit. Maxima autem cœcorum turba, quos libido, & turpis amor, penitus excæcavit. Quemadmodum porrò castus, ac Virgineus amor, mentis aciem exacuit, & oculos animi limpidissimos reddit; ita lascivus amor, cœcus ille cupido, omnem rationis usum, id est, mentis visum eripit, ut nec ipsum ante se inferni barathrum apertum conspiciat; ut acutè observavit Chrysostom. g *Ab impudica libidine capitur anima, sicut nube & caligine, corporei oculi. Ita cum eripuerit menti perspiciendi facultatem, nihil sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam.* Quî enim videret, qui ratione, ceu oculis, orbus est. Nimirum impudicis illis ganeonibus facit dæmon, quod corvi cadaveribus, quorum oculos primum invadunt, fodicant, eruunt, absumunt: quâ similitudine utitur h Hugo Victorinus. *Corvus est diabolus, qui in cadaveribus primum oculos*

a Seneca epist. 50. b Seneca cit. c Bern. epist. 78. ad Suggerium Abbat.

d Ovid. l. 6. Metam. e Chrys. Il. hom. 30. ad Pop. f Seneca cit. g Chrysost. hom. 1. in 1. ad Cor. h Hugo Vict. lib. de bestiis c. 35.

petit; quia in hominibus carnalibus, intellectum discretionis extinguit, & sensum mentis evertit. Et hunc olim in Sodomitis extinxit præpostera libido, qui tantâ cæcitate percussi, ut etiam ostium non viderent.a Unde Ambrosius: CÆCA EST *omnis libido, & quod ante se*, NON VIDET.

Ante se habet immane illud peccati lethalis spectrum ac turpitudinis monstrũ, *nec videt.* Ante se habet pudorem, ac verecundiam, quæ scelus insequitur, ac premit, *nec videt.* Ante se habet infamiam familiæ, & notam toto orbe divulgandam, *nec videt.* Ante se habet inferni præcipitium & æternas flammas, *nec videt.* Unde hoc? ca[...] subdit *b* Cyrillus ille Alexandrinus: *sibi ipsi oculos* ERUIT, *& destitutus lumine mentis, in foveam iniquitatis* (& internum) *agitur præceps.* Miseranda sanè conditio pueri, aut etiam viri, oculis capti, sine duce, ad subterraneam fornacem imprudenter properantis, & præsentissimum vitæ periculum incurrentis. At quantò deterior illius sors, qui longè præsentius animæ discrimen incurrit? hoc de eo, qui fœdas oblectationes sectatur, S. Gregorius pronunciavit. c *Anima*, inquit, *perversa, dum in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud, quam* CLAUSIS OCULIS, *ad ignem vadit.*

Porrò lascivum amorem, mentis oculos eruere, Deus aliquando cœlesti prodigio, etiam corporis cæcitate manifestavit: nam dum *d* Algarius Angelorum Rex, virginem Oxoniensem insequeretur, ejusq; pudicitiæ insidiaretur, de repente oculis captus est. Verùm jam factus pœnitens, suamque cæcitatem deplorans, eâdem, Virgine Deum pro eo deprecante, visum recepit, qui jam per veram pœnitentiam oculos mentis receperat: quod si omnes infames proci, & lascivientes juvenes, qui scelus ejusmodi anhelant, oculorum orbitate percuterentur, quàm innumeros brevi cæcos & cæcas conspiceremus? cùm interim cæcitas mentis, orbitas gratiæ, magis alta nox sit: nam ut Hieronymus rectè monet Castrutium: e *Multo melius est spiritu videre, quam carne, & illos oculos possidere, in quos non cadit festuca peccati.* Denique omnes passim talpæ sunt, noctuæ sunt, toti cæci sunt ad sua vitia, & proprios defectus intuendum: ad alienos verò, aquilæ & lyncei sunt, è quibus Satyricus, unum sic perstringit:

> f *Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,*
> *Cur in amicorum vitiis tam* CERNIS ACUTUM;

Quam aut AQUILA *serpens Epidaurius?* quàm hic in familia sua prodigus, quàm ille parcus & sordidus; quàm alter in uxorem durus & ferus, quàm alius mollis & effeminatus, quàm hic liberos, servos & ancillas indulgenter habeat, alius verò despoticè, ac planè tyrannicè, *cernis acutum*, cum ipse interim

a Ambr. lib. de Abraham. c. 6. b Cyrill. l. 6. in cap. 21. Ioan. c Greg. hom. 20. in Euang. d Polidorus l. 4. hist. Anglic.

e Hierony. epist. 33. d Castrutium. f Horat. l. 1. Sat. 3.

indices

indices in longè graviora pro-
nuas.

a *Sed turpia decipiunt* CÆCUM *vitia.*

Id olim prima veritas, Pharisæis exprobavit: b *quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* quæ aureo suo sermone exponit episcopus Ravennas: *Vagus enim oculus,* SUA CÆCUS AD CRIMINA, *ad aliena errata perlucet, malorum suorum nescius, alienorum accusator & testis:* hoc est quod d Poëta queritur:

Vt in se nemo tentat descendere nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Nemo seipsum intuetur: e *oculis,* inquit magnus Basilius, *perquam similes sumus, qui cetera omnia vident, se non vident.* Vxor videt mariti vitia, maritus uxoris, dominus famuli, & hic domini: Magister discipuli, superior subditi, & vicissim hi illorum, omnes aliena vident, pauci sua. Vnde quantum mali, exponit Philosophus Romanus optimus, teste Lactantio, morum magister: f *Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit.*

Hanc ingeniosam praxin puellarum vanitas & arrogantia excogitavit, ut duobus speculis, se etiam, si quid incomptum in occipite, aut quid minus ornatum in tergo esset, conspicere valeant; sed utinam quos in tergum suum flagitia, & enormia scelera conjiciunt, cum Augustino intuerentur, qui Deum alloquens, de seipso fatetur: *retorquebas me ad me ipsum, ut viderem me in dorso meo, quàm vilis, & quam difformis essem.* Imò à tergo vestro, quàm domus vestra, familia vestra, uxor vestra, filius vester, *vilis & difformis* apud exteros sit, quam infamis audiat, non vides: per vicinos, per amicos, per exteros, oculi tibi aperiendi sunt. Hos inter cæcos, g Heli censendus, qui *audiebat omnia quæ faciebant filii sui, quomodò dormiebant cum mulieribus,* eosque coarguens, aliunde ad se sinistram famam dimanasse dicit: *quas ego audio* (non videbat, nec sciebat quid agerent) *res pessimas ab omni populo.* Hoc est quod h Hieronymus justissimè queritur: quia *novissimi mala nostra discimus:* ut exemplo Syllæ comprobat, qui habebat uxorem impudicam, totis Athenis publicam, quod ipsum latebat, nec videbat, donec ab hoste id illi exprobaretur, & oculi aperirentur. *Id Athenis,* inquit, *cantabatur, & Sylla ignorabat, secretaque domus suæ, primum hostium convitio didicit.*

Obvia & apta similitudo ducitur à tecto, aut camino incenso; unde flamma primùm ab externis videtur, deprehenditur, ac evulgatur, ipsis domesticis ignorantibus. Haud aliter plerumque in familiis fieri assolet; ut parentes ignari, & cæci ad libidinis flammam, tale connubium à filia nobili ac prædivite,

a Horat. cit b Matth 7. c Chrysol. serm. 189. d Persius sat 4. e Basil. hom 9. hexam. f Seneca epist. 83.

g 1. Reg. 2. h Hieron. advers. Iovini... sub finem.

cum herili famulo initum nesciant, illius Judicis uxorem, clam vero, muneribus excæcari, filium viri probi, uno Vespere, jactu aleæ centum aureorum jacturam facere; pedisequam à famulo gravidam, ipsi quorum interest patresfamilias ignorant; & ab extraneis domum incensam primi audiunt.

§. 3.

Superiores omnes, ac parentes, Aquilæ, & Argi sint, ut suis invigilent, eosque observent.

PRetiosæ merces quantâ curâ, quali clausurâ, quam vigili ac multiplici oculo asserventur, cuique vestrûm qui officinam telâ argenteâ, & aureâ instructam, qui capsas gemmis, & monilibus plenas, qui uniones & Margaritas ex collo, & auribus circumfertis, compertum est. At si filii, & filiæ, ut rectè *a* Hieronymus, *Margaritæ sint*, se subditi, pupilli, si clientes, si famuli & ancillæ, longè pretiosissimum, supra omne aurum, & lapidem pretiosum, depositum sunt, quid ni omni curâ, ac vigilantiâ, parentes, superiores, tutores, patresfamilias, etiam mille oculis suis invigilent. Horum typum expressit Ezechiel in mysticis illis animalibus, quæ ante, & retro, omnibusque membris oculatissima erant, ut ipse depingit: *b* *Totum corpus plenum oculis*. *c* Hugo Cardinalis hic: *Scriptura omnimodam circumspectionem docet.* Parentes oculos circumferant in cubili, qua honestate, gravitate, maturitate agatur cum filiabus; oculos circumferant quid interim in culinâ agatur à famulis, & ancillis; quid foris à filiis: *Totum corpus plenum oculis omnimodam circumspectionem docet.* Superiores oculos circumferant, quid cuipiam desit, quid huic expediat, quid alteri noceat, quis abundet, quis penuriam patiatur, quid illi animorum addendum, quid illi subducendum. Quid hic agat in cubiculo, quid alter foris, ut juxta eundem *d* Doctorem, sit totum *corpus plenum oculis, sicut cauda pavonis.* Ubi alludere videtur ad veterem illam fabulam, quâ Io, unica Regis Inachi filia, servanda traditur Argo pervigili.

e *Centum luminibus cinctum caput Argus habebat;*
Inde suis vicibus capiebant bina quietem,
Cetera servabant, atque in statione manebant.
Constiterat quocumque loco, spectabat ad Io:
Ante oculos Io, quamvis aversus habebat.

Hunc tamen tam vigilem, tam oculatum, & circumspectum, Mercurius sua fistulâ in soporem induxit, & *centum oculos non occupat una*; atque Eheu! *Io* rapta est. Cuique vestrûm sua domi Io est, anima, æterni ac immortalis Regis filia, *miraculum conditoris*, cujus pretium Deus esse voluit, hæc quam vigili solertia, & solerti vigilan-

a Hieron. lib. adv. Iovinian. b Ezech. c. 1. c Hugo Card. in Ezech. c. 1. d Hugo cit. e Ovid, lib. 1. Metam.

ta

a servanda sit, docet Hieron. a 1. in Ezech. c. 1. *Corpus plenum oculis* IN CIRCUITU, *ut nullum membrum aspiceres, quod oculos luminis non haberet. Quaem describunt fabulæ Poëtarum* ARGUM FUISSE CENTOCULUM, *quem Juno in pavum vertit, ob* NEGLIGENTEM *custodiam, ut quod* MIRACULUM EST CONDITORIS DEI, *hoc condemnatio esset multi adulterii.* Ut velut Io, ser. etur anima, *miarculum conditoris Dei* nullum membrorum esse debet, quod oculos non habeat. Oculus debet esse in lingua, ut videat quid dicat, apud quos, de quibus. Videat ne quid obsceni, ne quid sarcastici, ne quid alterius famæ nocivi effundat. Oculus sit in manibus, vide quid agas, vide ne petulanter manum extendas, vide ne inique ad munera, vide ne præfervide ad vindictam manum extendas. Oculus in pedibus: vide qua, quo eas, an non iturus ad conversationem lubricam, ad pocula, ad aleas. Vide per quos nuper eo seductus, quomodo inde redieris, quo periculo, quo damno, qua jactura temporis, pecuniæ, animæ. Ut animam serves, talis esse debes, a *quadem describunt fabulæ Poetarum,* ARGUM FUISSE CENTOCULUM: Eodem spectat illud Theophylacti: b *Oportet pluribus oculis te omnia intueri, quam oculatus ille* ARGUS.

Quin & illud obversandum, non parentes dumtaxat cœcos esse, sed & in liberis suis cœcitatem amare, dum à filio, aut filia petunt, quod Christus à cœco: c *Quid tibi vis faciam?* vis studere? vis audire Philosophiam? vis domi, vis foris commorari? cum econtra filius parenti dicere deberet: quid *me vis facere*? Bernard. serm. 1. in Converf. S. Pauli, agens de cœco: *Heu plures* (inquit) *habemus Euangelici illius cœci, quam novi Apostoli* (Pauli) *imitatores. Quid vis, ait Dominus ad cœcum illum, ut faciam tibi? quanta est miseratio tua, Domine, quanta dignatio tua! Siccine Dominus quærit, ut servi faciat voluntatem? Vere cœcus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: Absit hoc Domine, tu magis dic, quid me facere velis. Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri, & fieri voluntatem. Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas, & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: quid vis ut faciam tibi, non ipsi quærant, Domine, quid me vis facere?*

Est & altera cuique Io, summa vigilantia, centum oculis servanda, parentibus filia, tutoribus pupilla, idque ut ingeniose observat Ambrosius, velut pupilla oculi, quæ inter omnia membra pulcherrima simul, & tenerrima, minima festuca lædiditur.

d *Pupillam Deus nitidissimo naturæ vallo, munire dignatus est, quia, innocentia & integritas, levi sorde aspersa violatur; & ideo perspiciendum, ne quis eam pulvis erroris oblinet, aut ulla vexet festuca peccati.* Tum subdit Mediolanensis Antistes: e *Ad hunc etiam modum, parentes custodire debent filios, & filias & ab omni labi* im-

a Hieron. cit. b Theophyl. epist. 7.

c Ioann. 9. d Amb. l. 6. hexam. c. 9. e Amb. cit.

impudicitiæ puros tueri, præsertim cum teneriorem ætatem supergressi, adolescentiæ latiorem campum ingrediuntur.

Nec minus acutè *a* Lauredanus Venetus observavit, non abs re filiam parentibus orbam, pupillam (Weese) vocitari, ut tutores meminerint, sicut pupillam oculi curandam ac custodiendam esse, ne si forma præcellenti, pudicitiæ damnum incurrat, ne præda fiat: nam

> b *rara est concordia formæ,*
> *Atque pudicitiæ.*

Si opibus, si divitiis abundet, ne eorum jacturam faciat, ne quod frequenter accidit, tutores pupillam illam excæcent, & non parentibus dumtaxat, sed & omnibus bonis, ac fortunis orbam efficiant, aut certe incuriâ, aut socordiâ suâ, temporalis & spiritualis detrimenti causa sint. Interim hæc c *delicta quis intelligit?* quis ita oculatus, ut peccata aliena in se perspiciat, & in Confessione exponat? *d* Cordc-
„ rius hic: *quis* tam *Argus* in hu-
„ manis invenietur,ut quotidia-
„ nas suas prolapsiones enume-
„ ret, dæmonis impetus, cordis
„ motus, conscientiæ maculas,
„ fraudes mentis,&impuras vo-
„ luntatis affectiones intelligat?
„ nam sæpe in communibus a-
„ ctionib9,mundani pulveris sor-
„ des contrahimus. Augustinus: e *Delicta mea inquinant me, delicta aliena affligunt me.* Sed hæc quis videt,quis intelligit? aliena dicuntur, sed quæ nobis auctoribus, aut quoquo modo adjutoribus, aut saltem non impedientibus committuntur. Argos esse oportet, ut pretiosum sibi commissum depositum ac pretiosum thesaurum vigili & attenta cura custodiamus. Cujus depositi fidem, pretiumque, dum æqua lance pensat *f* Bernard, ita secum ipse loquitur: *quid ego infelix, quo me vertam, si tantum Thesaurum, si pretiosum depositum illud, quod sibi (hujus sanguine suo pretiosius judicavit, contigerit neglexisse?* g omnibus hîc exemplo sit D. Ioannes, qui è pectore Domini sui, velut amoris ac charitatis officinâ, singularem quendam salutis humanæ zelum hauserat: exemplo verboque docuit, quantum esset, vel unius animulæ depositum.

Ephesο excedens, villas & oppida circumcursabat,cum ecce ei occurrit adolescens ingenio celeri & peracuto, specie etiam liberali & amœnâ: solet enim plerumque animus venturus in corpus,dignum prius metari hospitium. Certè ex hujus specie, in ipsam mentem, quæ illius hospes est; evasit Apstolus, dignamque censuit, quæ fideli colono traderetur excolenda. Is porro fuit illius loci ut vocabat Angelus, id est Episopus, in cujus manibus, eum juvenem,velut ingens & pretiosum quoddam depositum commisit, hac ferè verborum formula: *Iunc adolescentem omni studio cura & cogitatione coram Ecclea, & Chri-*

a Lauredan. Silva moral. tit. parent. b Iuvenal. Sat. 10. c Psal. 18. d Corderius in Psal 18. e August. in Psal. 18.

f Bern. serm. 3. de tripli Adv. g Eusebius l. 3. Eccl hist. c. 1.

sto

o teste, tibi, tuæque fidei commendo. Suscepit ille tum pro ea, qua in Magistrum erat reverentia, tum etiam prona, ac præcipiti in subditos charitate, qua illum in familia sua aluit, ejusque curam egit plane singularem, ne quid corpori, ne quid animo deesse videretur: duxere in eo pietatis officio plures anni, quibus adolescentiæ memor, juveni fræna contrahere, habenas adducere, ne forte, quod illi ætati facile est, positos sibi limites excederet. Verum ut temporis lapsu deteruntur, & intereunt omnia: ita & hujus Præsulis pius labor, curaque, eo annorum curriculo deferbuit. Hinc adolescenti laxiores dare habenas, & plus æquo indulgere. Illa Magistri conniventia, in illam palæstram abiit malus discipulus, ea juvenum fuit solutioris ævi, quibus alea, chartæq; saepius in manibus, quam in oculis pius liber, sacrique globuli: Ita sibi male lusit, Magistroque illusit adolescens, eoque scelerum venit, ut non tantum in malis malus esse, sed & pessimus videri posset: imo prædonum dux, ac coryphæus. Quis credat eo labi posse juvenem, cui Joannes in Spiritu parens, & Pædagogus esset Episcopus? lapsus est tamen, & prô dolor! longius à te, Deoque elapsus. Vita in præcipiti, salus in desperatione videri poterat, nisi divina manus affuisset. Revocavit illa à morte, quæ ad vitam prius invitarat. Peracto veluti cursu, laborumque meta, ad suos quasi carceres, grataque limina rediit Apostolus, quæsivitq; à suo Præsule, qui haberet suus ille adolescens, & in Christo filius? *Age* inquit, *Episcope, depositum nobis redde, quod ego & Christus, Ecclesia teste, quam gubernas, commisimus.* Hic primum ora rubor invasit, frontemque texit, dein in singultus ac gemitus explicuit sese, denique in pauculas voces effudit, sed amoris & doloris plenas. Eæ ostendêre, qualia in adolescente fuissent pietatis ac Religionis tyrocinia, qualis aliquot annorum cursus; quam pius, felix, ac fortunatus, qualis denique à malis consortiis exitus, quam impius, infelix, infortunatus. Hic hærere Vir sanctus attonito similis, dein subirato vultu, voceque, ita paucis: *sicine*, inquit, *servasti depositum; sic fratris tui animam?* Cetera dixere lacrymæ, profundique gemitus: à quibus (nec enim longior amanti mora) sese in viam expediit, annosus senex, in densa nemora, metuendosque saltus evasit, prædonem suum secutus, bonus animarum prædo. Ubi in juvenis conspectum venit, agnovit ille parentis ora, vultusque probe notos, ac summe venerabiles; agnovit inquam, & celeri fuga sese illius oculis eripuit, nimirum dolor, pudorque pedibus alas addiderat. Sed leviores pio seni, illius animulæ curâ; quam ut sibi; Deoque restitueret, concitato cursum fugientem insequi, & objicere amandum illud: quo abis infelix adolescens? juvenis senem, filius parentem, armatus inermem fugis. Ego tui causa in ferrum ibo, & in vulnera pronus ruam: pro quo Magister meus, amor meus, ac deli-

deliciæ in Crucem, ac mortem venit. Sui oblitum, nimiumque fugacem stitere illæ voces, amorque imo pectore renascens: qui etiam ad sanctissimi Præsulis, parentisque optimi pedes supplicem, ac lachrymabundũ abjecit. Sed admissi sceleris conscientia, fusus toties innoxius cruor, & truculentæ cædes, dextram tot criminum testem, ac ream abdiderant. Pudorem qui in animo adolescentis insederat, notavit indulgens Pater, dextramque prensavit: imo & osculo dignatus est, adpromisitque fore, ut pœnitenti remitteret Deus, quidquid ab illa manu contractum erat iniquitatis. Ita bonus Pastor errabundam ovem quæsivit, in ovile reduxit: imo deinceps probe pœnitentem, & instructam Dominico gregi, & Ecclesiæ præfecit. Habet in eo quisquis est Pastor, Præses, Præsul, quod discat, amet, imitetur; primum, quod, & quantum sit animarum depositum, vel hinc agnoscat: quod scilicet Deo homini, sanguine, vitâque stetit. Ex illo amantes, ac paternos animos induat, & cum sese offert occasio exhibeat, maxime ubi filios spirituales cecidisse, imo & à scelere mortuos esse didicerit. Ne in eum cadat illud D. Bernardi: *Cadit Asinus, & invenit qui se sublevat: cadit anima, & non est qui manum apponat.* Desunt nimirum viscera misericordiæ, deest paternus effectus, quem ut in patre corporis ergo suspicit Chrysostomus; ita & in Pastore, in Patre, in Superiore animi causa requirit. *Imitandi*, inquit, *sunt parentes, qui filiis suis graviter ægrotantibus, licet desperatis, assident lacrymantes, lamentantes, exostulantes, omnia quæ possunt admoventes, ad extremum usque halitum.* Ubi hæc parentum in filios officia exposuit: tum ita stylo aureo pungit, & urget: *Hoc tu quoque facito pro fratribus, & quidem potiori jure; nam illi non possunt lacrymis, & lamentis, neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere. Tu vero frequenter poteris animam deplorare assiduitate, instantiaque per lamenta, revocare, ac suscitare. Dedisti consilium, nec persuasisti, illacryma, punge frequenter, ac suspira paululum, ut tua sollicitudo incutiat illi verecundiam: itaque convertat ad salutem.*

Verum quis nunc hujus depositi pretium cum D. Ioanne mentis oculis attendit, aut expendit? cum justissima hoc perditissimo sæculo Prophetæ querela sit: *Speculatores ejus cæci.* a Et alibi b vindictam divinam interminet: *Claudet oculos vestros, Prophetas, & Principes.* Ubi c Oleaster: *Habes hic, quomodo Dominus cum communitatem aliquam punire vult, operiat oculos eorum, qui illam videre possunt.* Cum tamen, ut recte d Chrysostomus, deceat superiorem, Prælatum omnem, *vigilantem esse, & clarissima mentis acie præditum, innumerosósque habentem* EX OMNI PARTE OCULOS, *quibus acutissime cuncta perspiciat.* Ac tandem concludit: *Vigilantem igitur esse necesse est illum, qui non tantum sui curam habet; verum etiam reliquorum.*

a Isa. 56. b Isa. 29. v. 10. c Oleaster in Isa. cit. d Chrysost. in 1. ad Timoth. 3.

Itaque ut eo revertamur, unde exorsi sumus, si aciem mentis acui, si oculos cordis illuminari velimus, cum Joanne, toto pectore divinum amorem, qui totus lynceus, totus oculus est, hauriamus.

Hunc enimvero etiam cœlo delapsus, in terras detulit, dum metamorphosi hactenus inaudita S. Joannes cuidam Religioso a Ordinis S. Augustini, paulo ante mortem apparuit in forma Aquilæ, quæ rostro hanc brevem Epigraphen præferebat: *Jesus, amor meus.* Quem si nobis hodie dilectus ille Christi discipulus inspirarit, increatum illum Solem Justitiæ, irretortis oculis, tota æternitate intuebimur.

a P. Barry meditat. 10. Octob, punct. 3.

F E-

FESTUM SS. INNOCENTIUM.

Herodes occidit omnes pueros. Matth. 2.



Quid meruistis OVES, *placidum genus?* Ovid. 5. Metam.

ARGVMENTVM.

OVis, vivum ac verum ſymbolum Innocentiæ, quæ apud Deum & homines tanto ſemper in pretio, ut præſtet decem nocentes tolerare, quam unum innocentem perdere, quia ſanguis Innocentium, clamat vindictam in cœlum. Ex quo facile colligere eſt, quanta

ta fuerit rabies Herodis, qui tot Innocentes, tam atrociter trucidavit. Quæ ad ſenſum moralem, deducendo, manifeſtò vobis comprobabo, parentes pleroſque ſuorum parvulorum Herode atrociores, eſſe corporis & animæ patricidas; Ac Matres cumprimis, fœtus animati curam non habentes, & patres temulentos, ac turbulentos, occaſionem non levem abortus, uxori præbentes. Tum etiam exemplo pravo, Innocentes parvulos in omne vitiorum barathrum præcipites agentes. Alterum in præſentiarum pertractabimus, ut horum innocentium integritatem æmulando, primam quiſque, quam in baptiſmo accepit gratiam, & innocentiæ veſtem, ad finem vitæ ab omni labe incontaminatam, omnium fortunarum, famæ, ſanguinis & vitæ impendio ſervare nitatur. Quin imo, ut compleat, teſte Auguſtino numerum fratrum Innocentium, libens etiam quaſvis calumnias, opprobria, injurias, vincula & carceres, verbera & mortem, ſine cauſa innocens patiatur, aſpiciendo in eum, qui velut ovis ad occiſionem ductus, & ſicut Agnus coram tondente ſe obmutuit. Ut in die reſurrectionis, à dextris, ſejuncti ab hædis, inter oves numerari valeamus.

§. I. *Quinam parentes, Herode ferociores, parvulos ſuos occidant?*

§. II. *Morum ac vitæ Innocentia, cum parvulis, etiam cum vitæ diſcrimine ſervanda.*

§. III. *Quandoquidem* INNOCENTES PRO CHRISTO OCCISI SUNT, *quin & nos innocenter oppreſſi, aliquid toleremus.*

FESTUM SS. INNOCENTIVM.

Herodes iratus occidit omnes pueros Matth. 2.

INnocentia ſemper apud Deum, & homines amabilis, laudabilis, omni ratione & oratione propugnanda ac defendenda fuit: nec quidquam gravius, iniquius, atque deteſtabilius apud omnes habetur, quam innocentem calumniari, Innocentem opprimere, innocentem accuſare; innocentem damnare, ſanguinem innocentis fundere; quod per Prophetam Deus ſeveriſſime cautum voluit: a *Sanguinem innocentem ne effundas*, quia hic vindictam clamat in cœlum. Vnde ea Angelici Doctoris, omniumque Theologorum communis ſententia eſt, non licere emolumento aut detrimento propoſito quamtumvis maximo, innocentem occidere, ut patet ex univerſali præcepto Exod. 23. *inſontem, & juſtum non occides.* Ratio eſt, inquit Lugo, b quia vita hominis eſt ſolum ſub dominio Dei; quare ſicut ipſemet homo non poteſt eam ſibi tollere, ſic nec alius, cum minus jus, aut dominium in eam habeat. Ex quo facile conficitur, quam tyrannica fuerit rabies Herodis, quam immanis furor, quam execrandum facinus; quo omnes innocentes trucidavit, Vnde hoc immanitatis portentum ſic depingit c Chryſologus: *Magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex, inventor ſceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, hoſtis naturæ*, INIMICUS INNOCENTIÆ, *malus omnibus, ſuis pejor, peſſimus ſibi, quem Chriſtus non ut evaderet, ſed ne videret, aufugit.*

Hic ne quis Innocentium elaberetur, aut matrum affectu abſconderetur, conſilium cœpit plenum ſceleris & amentiæ; cum d Auguſtus edictum evulgaſſet, ut omnes maſculi tributum penderent, ille ut innocentes incautos opprimeret, ſub prætextu clementiæ edixit, ſe ſcire velle, qui, & quot ſint, eoque onere illos liberare. Alii volunt e quo magis inopinato opprimeret, rumorem evulgaſſe, quaſi ipſe triumphabundus Vrbem obiturus, pecuniam in vulgus ſparſurus eſſet, atque ita cùm plateæ pueris oppletæ, carnifices eos invaſiſſe ac trucidaſſe ad 44. milia: f *In teneris uberibus ferrum durat, lac fundit antequam ſanguinem, dat ante mortem ſentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem.*

Compertum eſt belluas, quamtumvis feroces, innocuis ac

a Ierem. 22. b Lugo d. jure & Iuſt. diſp. 10. ſect. 4.

c Chryſolog. ſerm. 152.
d S. Vincent. Feſto SS Innocent. Deaponte in Matth cap 2.
e Deaponte cit. f Chryſolog. cit.

mer-

inermibus animaculis pepercisse: *a* sic Leonem catulo canis adblanditum legimus, & Martialis: b

Tutus & ingenti ludit in ore lepus.

At quam Herodes exercuit, *ferocissima austeritatis audacia*, leoninam rabiem, & belluas omnes, in innocentes sæviendo, longe exsuperavit. Quam laniénam pathetice Hipponensis Antistes ob oculos ponit: c *Testis*, inquit, *est ipsa natura quæ pugnabat in Martyres, cum tyrannus jactaret infantes: mater crines capitis dissipabat, quæ ornamentum capitis omittebat; Quantis modis infantem volebat abscondere, & ipse se infantulus publicabat. Nesciebat tacere, quia necdum didicerat formidare. Pugnabat Mater & Carnifex, ille trahebat, illa tenebat. Ad Carnificem Mater clamabat, quid separas à me, quem genui ex me: caute portavi, quem a te video manu crudeli jactari.*

Spartianus refert, dum Antoninus Geta Imperator Mediolani natus est, eadem hora agnum quoque purpureo vellere editum fuisse; quod prodigium hodierna die innumeris accidit, qui vix dum in lucem editi, innocentiâ candidi, purpureo vellere, suo sanguine tincti rubuerunt. Exemplo ejus, qui velut *ovis ductus ad victimam, candidus & rubicundus d* describitur, *candidus* vitæ innocentia, *rubicundus* sanguinis effusione. Rupertus: e *unde candidus, & unde rubicundus? nimirum candidus sanctitate, rubicundus passione.* Vbi in sermone Græco observandum occurrit, nomen Ἰησοῦς, per Anagrâmmatismum verti σὺ ἦ οἶς. *tu ovis.* Quæ licet teste Pierio, vivum ac verûm f *innocentiæ* symbolum sit, ad tam atrocem tamen lanienam tractus est, & velut rabidi canes, & rugientes Leones, immaculatum Agnum Iudæi dilaniarunt, atque *ut Medea*, inquit g Philippus Abbas, *sic Iudæa* sæviit.

Huic carnificinæ præludunt hodie, dum h *occiduntur pro Christo, parvuli, pro justitiâ moritur* INNOCENTIA. Sed i *oves ululant matres, quia agnos perdunt sine voce balantes. Grande Martyrium, crudele spectaculum.* Quod quisquis mentis oculis contemplatur, commiseratione ductus jure exclamat:

† *Quid meruistis oves, placidum genus?*

Verum enim vero aliud longe crudelius spectaculum, aliud longe atrocius facinus à vobis, qui parvulorum vestrorum parricidæ estis, video exhiberi: nam tyrannus plus ⁑ *parvulis profuit odio, quam prodesse quis possit obsequio.*

a Lanuza hom. 23. n. 60. b Mart. l. 1. epig. 7. & 15. c Aug. serm. 1. de SS. Innocent. d Cant. 5. v. 10.

e Rupert. in Cant. cit.
f Pierius symb. l. 19.
g Philippus Abb. in Cant. l. 1. c. 28.
filii Matris meæ h Aug. serm. 2. Innoc.
i Idem serm. 1.
† Ovid. l. 15 Metam.
⁑ Aug. serm. 3. Festo SS Innocent.

§. 1. Qui-

§. I.

Quinam parentes, Herode ferociores, parvulos suos occidant.

VT omnibus constet, qui, quot, & quam truculenti sint parvulorum homicidæ, ac patricidæ, principium illud indubitatum, & fide divinâ receptum, præmittendum est: vitam animæ æternam, brevi vitæ corporis, quæ cum brutis nobis communis est, infinitis parasangis antecellere. Ex quo, communis illa charitatis lex, apud *a* Theologos certissima, & ab omnibus Catholicis recepta, te obligatum esse, salutem spiritualem cujuslibet proximi, tuis bonis temporalibus fortunæ, imo & vitæ præferre; ita ut si opus sit hæc omnia expendere pro illius conservatione, id debeas facere, & ut *b* S. Thomas ait, *teneris illius saluti providere.* Quod probat ex illo Ioannis 14. *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.*
,, At Christus dilexit nos ex-
,, pendendo propriam vitam pro
,, nostra spirituali salute, ergo
,, sic debemus proximos dilige-
,, re. Et confirmatur ex illo Io-
,, annis 1. cap. 3. *In hoc cognovi-*
,, *mus charitatem Dei, quia ille*
,, *animam suam posuit pro nobis,*
,, *& nos debemus pro fratribus*
,, *animas ponere*: Quem locum
,, expendens *c* S. Augustinus, di-
,, xit temporalem vitam suam,
,, pro æterna proximi, non dubi-
,, tabit Christianus amittere. Ita omnes Thomistæ, Cajetan. Bannes, Aragon, & alii. Valent. disp. 3. q. 4. punct. 4. assert. 5. Torres. disp. 87. dub. 2. concl. 3. Lorca, Azor. Toler. Coninck, Suarez, Bonacina cit. à Castropalao.

d Hinc ad propositum nostrum deducitur, si infans Christiani fidelis, sit morti proximus, indigeatque baptismo, quem absque periculo vitæ conferre non potes, quia Tyrannus, Turca, vel Iudæus interminatur, neque alius sit qui conferat, teneris cum periculo vitæ conferre, quia illa est extrema necessitas, à qua non potest infans se liberare, ut Navarrus c. 24. n. 9. aliique citati. In promptu causa est, inquit, Chrysostomus: *Quia unius animæ perditio, tantam habet jacturam, ut nulla eam ratio possit dignè æstimare; quandoquidem unius animæ salus, tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur.* *e* Hac Christiana charitate enituit Margarita Ducissa Alansonii, quæ ut pauperculam, in pago contagione laborantem, jamque parturientem, omni ope humana audiit destitutam. Ut animæ prolis succurreret, miseram convenit, subsidio ac solatio fuit, ut proles in lucem edita, baptismo lustrata sit. *f* Hinc & 2. quæri solet, an liceat fugienti hostem, & mortem propriam, prosequi cursum, quando obvius est in angusto infans non baptizatus, quem equi cursus contereret: quod ut ex justitia & jure,

a Castropalao part. 1. de virtut. & vitiis tract. 6. de charitate. disp. 1. punct. 9. n 2. b S. Thom. 2. 2. q. 26. ar. 5. c Aug. lib. de mendacio c. 6.

d Castropalao cit. e Bert. li. Annee Sainte part. 1 de vot. 9. p 11 f Lugo de Iure & Iust. disp. 10. sec. 1. n 127, 128, 129.

quo

quo quis ad se salvandum uti potest, scholastici concedant; tamen quia infans ille deberet in æternum damnari, lege charitatis teneri fugientem sistere, ait Lugo: quia charitas obligat ad præferendam æternam salutem proximi, vitæ propriæ temporali. Ita Silvester V. *bellum* 2. quæst. 4. Corduba l. 1. q. 26. in 2. parte quæstionis. §. *sed aliter.* Major. in 4. dist. 15. p. 22. Filliuc. tract. 26. n. 35. Sayrus Clavis Regia l. 7. c. 12. n. 22. ubi varia adfert exempla, qui consequenter debent concedere, matrem prægnantem non posse sumere pharmacum, ad propriam vitam tuendam, si ea occasione infans, quem in utero habet, perire debeat per abortum, aut alio modo. Imo si matri probabilis spes affulgeat salutis corporalis, ita ut trucidatio ejus, non sit trucidatio innoxiæ, teneri admittere sectionem Cæsaream, ut fœtui in extrema necessitate spirituali constituto, per baptismum subveniatur, quo alioquin cariturus esset, unaque æternæ salutis jacturam faceret. Addit Raynaudus[a]: sicut obligatio vitam per cibos sustentandi, non tantum postulat ut homo comedat, si cibi undecunque offerantur. Sed etiam ut cibos quærat & poscat ab iis, qui suppeditare illos possunt; ita Mater obligatur nihil prætermittere, ac quantum, absque peccato licuerit, vitam ipsam suam periculo exponere, ut proles Baptismi beneficium consequatur. Hujus autem obligationis explendæ medium, est sumptio pharmaci, aut sectio, ergo.

Cum igitur, ut ex hactenus dictis constat, lex charitatis obliget fortunas omnes, famam, ac vitam corporis postponere vitæ spirituali animæ, omnibus manifestum est, quam graviter huic obligationi adversentur, quamque immane flagitium admittant, mulieres gravidæ, ac prægnantes, quæ ut lasciviæ, aut petulantiæ suæ indulgeant, vel ingluvie cibos noxios vorando, vel tripudiando, vel alio concitatiori exercitio, aut vestitu arctiori, aut vehementiori sæpe ob levem causam, irâ, gaudio, tristitia, aliave animi corporisque perturbatione abortum effudere. In quas invehitur Tertullianus in apolog. cap. 9. *homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, aut disturbet nascentem.* Porro si tantam atrocitatem sceleris quantam præfert vox *parricidii*, non penes solum corporeum personæ conjunctissimæ exitium attendamus; sed etiam penes cædem animæ infantis, quæ baptismo prohibita, peribit in æternum, habebimus cumulum nequitiæ, & immanitatis, ac impietatis, supra quam dici, & concipi queat exaggeratæ; & ad tantam molem criminis horrore perculsi, mirabimur, & stupentes hærebimus, quod non in fœminas modo, quarum tenerior & mollior est sexus; sed & in matres, quibus nihil edidit natura ad amorem ardentius, & quidem Christia-

[a] Raynaud. de ortu Infant. & sect. Cæsarea. c. 6. n. 9. Lessius de Iure & Iustit. l. 2. c. 9. dub. 10. n. 64. Lugo cit. n. 130.
[a] Raynaud. c. 6. n. 9. Idem. [illegible]

ſtianas, quæ æterna prolis in utero enectæ damna, & vindicem oppreſſæ innocentiæ Deum noverint, cadere tanta iniquitatis, & truculentiæ monſtroſitas poſſit, ut vel levi ſaltu in choreis, aliove intemperantiæ exceſſu, vitæ corporis, & animæ, in fœtu jacturam ſubeant. *a* Uti fertur feciſſe ſoror inclyti illius Bellatoris, Curii Romani, quæ audita victoria fratris, de Pyrrho devicto, & captivo, tota nocte tripudiando, abortum, & fœtum emortuum effudit. Unde Albertus lib. 9. de anima tract. 1. c. 11. & ex eo Nider, officere fœtui, & abortum ciere choreas, affirmavit. Certè Auctor libri de natura pueri, quem volunt eſſe *b* Hippocratem, non erubuit ſcriptis prodere, ſervum quoddam, cujus gravitatem impedire intererat Dominæ, ad abortionem à ſe adductum indicta ei ſeptena ſaltatione, qua expleta exiluerit fœtus; atque ipſi matri non raro ſimul creatus interitus. Quare eſt quod mulieres ſaltatriculæ, aliæ eo malo deterritæ, cautiores fiant, ne ſe ferum ſuum, corporis ſimul & animæ excidio perdere velint, & ſeipſas in manifeſtum vitæ diſcrimen conjicere, non abſque duplici peccato mortali; primo quod ex ipſarummet læſione ducitur, altero quod ex fœtus læſione petitur. An vero, qui cum eis ſaltant numeroſe, ſint irregulares, ſequente abortu, videndus Silveſter, verbo Homicidium 2. n. 11.

Etiam arctiorem veſtitum illis cavendum obſervat Nider cit. & manifeſtum eſt ex eo, quod aliquæ hac ſola ex cauſa abortum ſint paſſæ, ait Mercurialis l. 1. de morbis mulier. c. 4. & lib. 2. cap. 1. ubi de aliis æ quæ vitandis prægnanti, diligenter agit.

Quo in parricidio non raro mariti temulenti, iracundi, furibundi, diris, blaſphemiis, pugnis, calcibus uxores impetendo, cumprimis rei arguendi ſunt. Quod *c* Cyprianus deſcribens Novati ſcelera, inter alia connumerat: *Uterus uxoris calce percuſſus; & abortione properante in parricidium, partus expreſſus. Et damnare nunc audet ſacrificantium manus, cum ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius, qui naſcebatur occiſus eſt.* Supplicium *d* tam enormi flagitio, ut Chryſoſtomus loquitur, parem, decrevit ſummus Legislator Exod. 21. juxta verſionem ſeptuaginta *qui percuſſerit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, ſi fœtus erat formatus, dabit animam pro anima.*

Quod ſi S. Cyrillus in ſimplici homicidio, tantam ſceleris atrocitatem agnovit, quantam apud eum legere eſt, homilia 8. Paſchæ quid de hac parricidali in corpus & animam impietate diceret, nemo non videt. Exclamat ille in homicidam quemcumque, tanquam in immitem beſtiam, convellit, ob eam naturæ legem expoſtulat: narratur quomodo jacens occiſi cadaver ſpectans, non ſibi velit lurem dehiſcere optet; queritu

a Nider in 5. præcept. decal. c. 1. litt. F. *b* Raynaud p. 264.

c Cyprian. ep. 49. *d* V. Leſſium l. 2. de Iuſt. c. 9 duo 1..

quid terram, quam habet optimarum frugum parentem, & nutricem perbenignam, injuria afficere non dubitarit, infuso illi innoxio sanguine? ferrum quoque ad tam multa vitæ commoda pernecessarium adjumentum, injuria affectum, ob tantam ejus perversionem, atque, ut *a* Plinius ait, *ad sceleratissimam humani ingenii fraudem* usurpatum, expostulat.

Denique interrogat S. Cyrillus homicidam, quasnam manus ad Deum sublaturus sit inter orandum? easne quas cruentavit humano sanguine auditurus reponentem Deum illud Isaiæ 1. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Hæc, & alia, quæ ibi, & hom. 7. in quemcumque homicidam corporum urget Cyrillus, valent multo magis in parricidium, quo persona omnibus titulis obstricta ad fovendum fœtum, sua vel impudentia, vel incuria, non corpori tantum, sed & animæ æternam cladem, truculenter inferre non dubitat. Atque ut hæc b *vel maxima impietas tollatur,* quam segnes, socordes, somnolentæ sint matres, quæ eodem lecto secum infantes collocant, quos & 3. Reg. 3. narratur, in somno oppressos, aut sub stragulis suffocatos, aut uberibus dormientis admotos continuo lactis fluxu extinctos fuisse, plus vice simplici, cum summo matrum expergiscentium lamento, plures mecum contestari, ac detestari possunt.

c Itaque hac in re generaliter statuendum est, prægnantes mulieres, omnes illas actiones teneri præstare, aut omittere, quas conceptæ prolis conservatio, atque promotio, præstari, aut omitti deposcit. Nam mater non est minus mater fœtus animati, adhuc utero conclusi, quam ejusdem jam in lucem emissi. Sicut ergo ad immanitatem, non barbaris modo quibusvis, sed etiam feris aversandam, spectaret abjectio prolis jam editæ, ejusque vel neglectus, prætermissis actionibus ad illam fovendam, curandamque necessariis, vel læsio per actus positivos, debito prolis studio adversantes; sic ad non minorem; imo longe majorem truculentiam spectaret, fœtum etiamnum maternis visceribus abditum, & baptismali gratia destitutum, meditato non curare, ac fovere, vel etiam positivis aliquibus actionibus lædere.

Quare non solum ab hac immani barbarie, salaces ac pervicaces scrophas, atrocia à lege humana, & divina, quæ interminantur, supplicia deterrere; sed & honestas ac pudicas matronas, ad omnem prolis tuendæ, ac fovendæ curam, cautelam, vigilantiam, nobilissimus ille, ad quem conceptus est, æternæ salutis finis, & amplissima qua Redemptor animarum, hanc parvulorum custodiam, ac tutelam dignatur, merces: tum largissima, quæ iis cœlitus

a Plinius l. 34. c. 14. b Lactant. 6. Insti. c. 20. Bellarmin. l. de laicis c. 14.

c Raynaud. c. xi.

clargitur beneficia quam maxime debent animare.

Hoc expertus *a* Cyriacus, princeps latronum, qui captus, per decem omnino annos vinculis adstrictus, cum tandem extrema omnia exspectaret supplicia, sine noxa dimissus est liber. Præmium id interpretabatur, quod inter latrocinia, vitam quibusdam infantulis servasset: nam & in carcere se præbuere spectandos, ac se pro illo satisfacturos pollicitabantur. Quod si tale beneficium latroni collatum est, quod parvulis vitam corporis servasset, quid mercedis sperandum est illi, qui vitam animæ servarit, qui latrones infernales ab innocentibus arcere conatus fuerit?

Verum hæc matrum in sobolem sævitia, non ita frequens, quam parentum, aliorumque prostitutæ nequitiæ ganeonum immanitas, qui verbis propudiosis, perjuris, blasphemis, cantilenis obscœnis, gestibus lascivis, iracundiæ, temulentiæ, luxuriæ, omnisque flagitii exemplo, suis prælucentes, innumeras innocentium animas, Herode longe truculentiores, interemerunt, atque æternis inferorum suppliciis excarnificandas tradiderunt: *b Moraliter quippe occidunt pueros multos, & multipliciter: Pharao submergendo, Herodes detruncando, Antiochus suspendendo, Medi sagittando.* Qui temulentia & ebrietate suis præeunt, magnis cullullis urgere alios solent, & parvulos exemplo suo se ingurgitare docent, illi innocentes cum Pharaone submergunt. Qui jurgiis, blasphemiis, pugnis, verberibus, uxorem, vicinos, domesticos, obviosque sauciant, mutilant, Herodis instar, parvulos suos detruncant; & velut catuli leonum, à teneris etiam, ferinum in morem ferocire parvuli eorum condiscunt. Qui inani ambitionis vento elati, intolerabili fastu domi forisque sese jactant, ac innocentes ab humili Christi jugo studiose divertere, atque ad excelsa mundi culmina erigere conantur, suos cum Antiocho parvulos, in Amani patibulo suspendunt. Qui vero coram innocua filia licentius cum uxore agunt, lascivos sermones effutiunt, quandoque etiam de industria, ut Sponsam Deo dicatam à proposito divertant, ignea quædam libidinis tela emittunt, suos sagittando conficere perhibentur.

Quid, quod unus aut alter impudens, quandoque integrum Virginum cætum uno jaculo configet, ut juste queritur *c* Sidonius Apollinaris: *Est hæc quædam vis malis moribus, ut* INNOCENTIAM *multitudinis devenustent scelera paucorum.* In quos aculeum suum exserit apis illa Claravallensis: d *Horrendum,* inquit, *penitus sacrilegium, quod & ipsum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus intulerunt. Horrendum sacrilegium,* puerum innocentem, integrum, omnisque nequitiæ inexpertum, à molli ephebo, aut salaci ancilla corrumpi. *Horrendum sacrilegium,* indulgentia aut conniventia parentum, fraterculos sororibus incestuose consuescere, dum eo-

a Drexel Gymnas. patientiæ. Ludolph. à Saxon. de vita Christi p. 1. c. 13. n. 23.

c Sidon. l. 7. in conc. d Bern. serm. 2. in conversione S. Pauli.

dem

dem strato ambo committuntur. Quod severissima lege olim cautum est Deut.27. *Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ, & dicet omnis populus*, AMEN. Cui sceleri ut potenter occurratur, terrori sit, quod in Galliis accidisse *a* Rossetus memorat: Illustris familiæ Nobilis, parum solicitus de honestate ac integritate suorum, filiolum cum filiola, ambos forma venustissimos, una dormire permisit, occasionem illis sensim pubescentibus suppeditando, ut incestu, alijsque enormibus flagitiis sese fœde contaminarent; adeo ut etiam jam provectiores; cum hæc nupta tradita Nobili Franco, & filius vicissim uxorem specie ac genere insignem duxisset, alter alterum perdite cuperirent, adulterio incestum superaddere non erubescerent. Donec forte in scelere deprehensi, ambo fugam capessunt, dudum tandem per Gallias profugi, comprehensi ambo, tortoris manu capite plexi sunt. *Horrendum Sacrilegium*, virgunculam non à Pastore, sed à lupo violari. *Horrendum sacrilegium*, scintillas pietatis in teneris puerorum animis velle exstinguere, atque enascentia virtutis, ac religionis semina suffocare. *Herodiana malitia*, clamat *b* Bernardus, *& Babylonica crudelitas est, nascentem velle extinguere religionem, & allidere parvulos Israëlis: si quid enim ad Salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plene cum Ægyptiis, parvulos Israelitici germinis necare conatur; imo cum Herode, nascentem persequitur Salvatorem.*

Refert *c* Anselmus, latronem qui in Cruce conversus, hanc gratiam meruisse, quia Deipara, cum Iesu parvulo in Ægyptum fugiente, latro hic pueri specie captus, manus à cæde abstinuit; at tales non latrone dumtaxat, sed & Iudæis crudeliores, manus illi inferre non reformidant, quia *d* *sacrilegium hoc videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus intulerunt.*

Vnde severissimam eis pœnam divinus legislator intentavit, dicens: *e* *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria, & demergatur in profundum maris.*

Quo supplicio ait Hieronymus gravissima crimina apud Iudæos plectebantur, Et tamen addit: *expedit ei*; ut molâ descendant in profundum, ne cadavera supernatent, & vel conspectu nostro noceant.

Hac etiam capitali *f* comminatione subjecti sunt, qui parvulos suos lacte destituunt, non corporali, de quo alibi egimus, sed spiritali, id est, debita in præceptis fidei catechesi, atque in primis ad timorem & amorem Domini, ad virtutem, & pietatem clementis. Ubi stimulo esse poterit, quod *g* Sacchinus noster commemorat ex annuis Collegii Quitensis, orbis novi, datis anno salutis 1604. ubi hujusmodi historiam legimus: Mu-

a Franc. Rossetes hist. tragi. de nostre temps. hist. 7. b Bernard. sermon. 3. in Epiphania.

c Anselm. in specul. Euang. Ludolphus part. 1. c. 13. n. 12. d Bern. cit. e Matth. 18. f Festo S. Joann. Bapt. g Sacchinus protrepticon, c.18, pag. 218

lier per quatuor horas, cum pro mortua jacuisset, subito erexit sese, & acriter cœpit flagello cædere; mirantibusque, & quærentibus aliis, quid eo tempore ei contigisset, cum exanimis ab omnibus habebatur? inter cetera dixit, Dominum sibi oblatum, vulneribus cruentum, & exprobrasse ingratum animum; & perpetrata scelera oculis subjecisse, propter quæ pœnis addicenda esset æternis.

Sed duorum præcipue infantium, angelico ritu fulgentium, quos à suis parentibus destitutos, ipsa suo lacte nutrierat, exoratum precibus, ut sibi ad resipiscendum vita prorogaretur, iisdemque infantibus postremo admonentibus, ne tantum beneficium oblitteraret, oblatam speciem evanuisse. Quæ ubi enarravit, sic assurgit: Hanc igitur si gratiam innocentes referunt iis, à quibus brevis vitæ usuram accipiunt, quam referent iis, à quibus accipiunt sempiternam, à quibus non humano ad occasum, sed divino ad beatitatem lacte parvuli pascuntur? quod lac S. Thomas in illud 1. Pet. 2. *Sicut rationabiles infantes sine dolo lac concupiscite*, interpretatur, *simplicem doctrinam, seu simpliciora rudimenta fidei, de uberibus matris Ecclesiæ sugenda*. Iuvat hic meminisse Catharinæ, Lusitanorũ Reginæ, quæ ne hoc lacte parvuli destituerentur, mammilla vere regia illos lactavit. Intellexerat *a* Xaverius Indiarum Apostolus, Reginæ huic soccorum, & crepidarum nomine, quadringentos aureos quotannis pensitari, quapropter ad Catharinam tam ingeniose, quam religiose litteras scripsit, non alios fore soccos, aut crepidas aptiores quibus ipsa cælum scanderet, quam Christianam puerorum in ora piscaria institutionem. Proinde orare se, ut soccorum, crepidarumque vectigal, ad sternendam sibi in cœlum viam, prælucentibus tot parvulis, commutatione læta, propagandæ religionis attribueret. Illa ut erat fœmina insigni religione, suum illud tributum, libens ac volens dictis usibus concessit.

Alterum est, quod eos concernit, qui niveam illam in baptismo, vestem gratiæ, & innocentiæ acceptam, ab omni macula lethali, illibatam hactenus servaverunt, eandem ad finem vitæ, quam studiosissime conservare nitantur, ut velut Agni *b absque macula*, cum innocentibus, gratissimas nos Deo victimas, hac ratione immolemus: *Nihil enim*, teste *c* Lactantio, *Sancta & singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat, quam* SOLAM INNOCENTIAM, *quam si quis obtulerit Deo, satis pie, religioséque litavit.*

§. 2.

Morum, ac vitæ innocentia, cum parvulis, etiam cum vitæ discrimine servanda.

SVpremus omnium Doctorum Magister, *d* duas ad propositum nostrum movet quæstiones,

a Tursellin. in vita Xaverii lib. 2. cap. 8.

b Exodi. 12. c Lactant. l. 6 divin. Instit. d S. Thomas 1.p.q.29.a.4.

mam 1. p. q. 20. a. 4. agens, *an Deus semper magis diligat meliora?* quærit 4. an Deus magis diligat pœnitentem quam innocentem, *quia plus de eo gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis.* Respondet S. Thomas: *Sive sint innocentes, sive pœnitentes, illi sunt meliores, & magis dilecti qui plus habent de gratiæ, ceteris autem paribus,* INNOCENTIA *dignior est, & magis dilecta.* Vnde in catena sua aurea, ad cap. Lucæ 15. a *sed inter hoc sciendum est,* inquit, *quia sunt plerique justi, in quorum vita tantum est gaudium, ut eis qualibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus possit.* Cui suffragatur ex eadem illa doctissima ad divinimâ Sanct. Dominici familia, Hugo Cardinalis, ad illa verba: b *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore* &c. sic ait: *Non tamen hoc est generale quod hic dicitur: non enim de quolibet peccatore pœnitentiam agente majus est gaudium, quam de Sanctis; nullus enim peccator est, de cujus conversione tantum est gaudium, quantum est de Ioanne Baptista, qui sanctificatus est ab utero*

Sed gaudium illud de peccatore converso ad pœnitentiam, est magis sensibile, inquit Cornelius, sicut majus est gaudium de re quam deperdimus inventa, quam de semper possessa. Majus gaudium de ægro jam à Medicis deposito, sibi ac sanitati restituto, quam si nunquam ægrotasset. Majus gaudium naufrago, aut tempestati jactato, ubi in portum appulerit, quam si pacato mari, ac secundo flumine eum tenuisset.

Vt disertissime Hipponensis Antistes observavit: c *Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inventis, aut redditis rebus, quas diligit, quam si eas semper habuisset? Iactat tempestas navigantes,* minaturque naufragium, *omnes futura morte pallescunt. Tranquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis: Æger est charus, & vena ejus malum renunciat, omnes, qui eum salvum cupiunt, ægrotant simul animo. Fit ei recte, & nondum ambulat pristinis viribus, & fit jam tale gaudium, quale non fuit, cum antea salvus, & fortis ambularet.* Cum tamen nemo quisquam vestrûm dubitet, quin majus sit beneficium, magisque expetendum, rem non amittere, quam perditam invenire, secundo salo, & cœlo frui, quam tempestate jactatum, portum tenere; non ægrotare, aut lædi, quam à morbo & vulnere, pristinæ sanitati restitui. Sicut omnibus manifestum est, majus donum ac beneficium præstari ab eo, qui amico donat horologium ita affabre effictum, ut nunquam hæreat aut hallucinetur, quam si minus correctum, quod ubi hæserit, etiam gratis emendaret; & quod plus gratiarum debeat, qui nunquam ægrotavit, quam qui sæpe à morbo convaluit. *d* Sic ut propositum prosequamur, absolute & simpliciter magis gaudet homo de nonaginta novem ovibus, quam de una, & Deus de nonaginta justis, quam de uno pœnitente.

a S. Thom. in Luc. c. 15. gaudium erit super uno peccatore b Hugo Card. in Luc. c. 15.

c August. lib. 8 confess. c. 3 d Silveira tom. 4 lib. 6. c. 26.

Secundam, super eodem argumento, quæstionem discutit S. Thomas 22. q. 106. a.2. *Utrum magis teneatur ad gratias reddendas Deo* INNOCENS, *quam pœnitens*? Respondet; *ex quantitate Dati*, INNOCENS *tenetur ad majores gratiarum actiones, quia majus bonum ei datur à Deo, & magis continuatum. Licet pœnitens alio modo magis teneatur ad gratiarum actiones, qua gratia magis gratis datur indigno. Tamen donum datum* INNOCENTI, *absolute consideratum, est majus*; Atque ita ex quantitate dati, censet Doctor in asceticis præcellens, Ludovicus *a* Blosius, dicens: Majus beneficium est à vulneribus permanere illæsum, quam ab inflictis vulneribus sanari, itemque præclarius est, & majori dignum gratiarum actione, præ- „servari à peccatis, quam de admissis consequi veniam, ut luculenter patet in Virgine Matre, cui omni dubio procul, longe gloriosius fuit labe orginali nunquam infectam fuisse, quam ab eo, peculiari Dei beneficio expiatam. Idem de Virginitate, quod de innocentia dicendum est, quæ semel amissa, ut lachrimis & pœnitentia culpa tollatur, nunquam recuperari potest: *Audacter loquar*, inquit *b* Hieronymus, *cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam*. Ita & ipse, audacter loquar: Cum omnia possit Deus, *suscitare innocentem non potest post ruinam*. Blosio conspirat electum S. Spiritus organum S. Antonius Patavinus, expendens responsum Pharisæi, ad Christi quæsitum, uter debitor plus diligeret fœneratorem donantem utrique: c *Æstimo quia is, cui plus donavit*. Quod judicium Christus ratum habuit. Affirmat ergo S. Antonius, id quoque valere in iis, qui reipsa non deliquerunt, quia à Deo sunt præservati.

Est quippe majus beneficium, de B. Antonii sententia, præservari ne cadas, quam post casum erigi: itaque agnoscit, sic præservatos plus Deo debere, & jure adstringi ad plus diligendum: *Quia d donum datum innocenti, absolute consideratum, est majus*. Nam *e* innocens est melior, & magis dilectus, ergo plus Deo debet. Antecedens patet, quia major, vel minor, dilectio, aut affectus Dei dicitur pro ratione effectus, sive boni, ab ipso in creaturam promanantis; in confesso autem est, quod ille filius plus parentem diligat, & diligatur, qui cum nunquam offendit, quam qui post offensam in gratiam rediit: ut ille jure gloriabatur: f *Nunquam cum matre in gratiam redii*. Quod in Deipara, Ioanne Baptista, aliisque Sanctis, etiam Veteris Testamenti, qui innocentiam servaverunt, omnes agnoscunt: *Bonum* g quippe *bonitas non solum consistit in quantitate charitatis, sed præcipue in perseverantia usque ad mortem*.

Quam si in antiqua Lege, non paucos, nullum Dei mandatum violando servasse legimus, quis in Lege gratiæ de ea desperet? de

a Blosius in Sacello animæ c. 14. n. 6. b Hieron. tom. 1. ad Eustochium de custodia Virgin.

c S. Antonius de Padua, in Evang. feriæ 5. in Passion. d S. Thom. cit. e Valentia. tom. 3. disp. 7. punct. [illegible] f Apophtheg. Lycosthen. g S. Thomas ad Roman. 8. lect. 6.

Io-

Josue c. 11. habemus : *Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille universa complevit : non præterit de universis mandatis vel unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi.*

Idipsum de Abraham, Moyse, Samuele, Elia, Elisæo, Isaia, Jeremia, aliisque Prophetis censet *a* Bellarminus. At in Lege gratiæ, quis justos enumeret, qui primam innocentiam conservarunt? Norant hi felicius esse nunquam fuisse infelicem, semperque Deo fidelitatem servasse.

Hinc non est quod quis ita de pœnitentia, ac misericordia Dei præsumat, quod lapsis etiam sua sint remedia; quæ ut innocentes, ac candidæ animæ, velut infelicium, nunquam adhibenda præcaveant. Sic monet *b* Hieronymus Salvinam de Virginitate servanda : *Nec statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt* INFELICIUM REMEDIA ; *cavendum est vulnus, quod dolore curatur.*

Cæmentarius è tecto decidit, omnibus artibus luxatus pelli ovinæ insuitur, sensim sibi; sed nunquam integre restituitur, *hæc sunt infelicium remedia.* Novi filiam forma præstantem quæ ad focum obdormiscens, in illum incidit, & fœde adusta, penita Medici manu curata, non tamen sine notabili veteris venustatis detrimento : hæc sunt *infelicium remedia*, &c. haud secus, qui ab excelso superbiæ fastigio dejecti, aut è flammis libidinis erepti, salubriter ad pœnitentiam redierunt, *infelicium remedia* experti sunt. Ut pluribus idem doctor prosequitur in illa verba *c* Amos. 5.

Israel cecidit, non adjiciet ut resurgat ; Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam, ubi sic ait : *Si pœnitentia reddit vulneris sanitatem, quomodo dicitur; domus Israel cecidit, amplius non resurget? Virgo Israel erravit in terra sua, ultra invenire non poterit sublevantem, &c. non est enim eadem gloria ejus qui semper secutus est Dominum, & ejus qui aberraverit à grege, & postea boni pastoris reportatus est humeris.* d *Unde & per alium Prophetam Dominus ait : Malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem. Pœnitentia non sanctitati purissimæ, & Ecclesiæ Christi, quæ non habet rugam, neque maculam, sed morti & inferis comparata, fit melior. Hæc dicimus, non quo juxta Novatum, tollamus spem pœnitentiæ; sed quo timidiores faciamus eos, & idcirco solicitos, qui aperta janua pœnitentiæ, dum sperant futura, perdunt præsentia, & qui absque vulnere poterant permanere, incauti vulnus accipiunt, ut postea dolore curentur.*

Denique supra omnes quos hactenus enumeravi Ecclesiæ Doctores, irrefragabile Christi primæ veritatis testimonium est, qui Episcopum Ephesi sic acerrime perstringit, dicens : e *Habeo adversum te, quod charitatem primam reliquisti*, id est innocentiam, seu gratiam primam, quæ teste *f* Ruperto, est *principale donum : Hoc enim solum & pœne*

a Bellarm. tom. 2. de gratia. b Hieron. tom. 1. ad Salvinam de Virgin. servanda.

c Hieronym. in Amos 5. d Ezech. 18. e Apoc. 2. v 4. f Rupertus hic.

unicum signum perfectionis, & testimonium veræ virtutis.

Pro hac prima charitate, & innocentia tuenda, Iob omnes adversitates, & injurias sustinuit, atque omnibus deperditis, hac unica servata, sibi laudi duxit exprobrari: a *Adhuc retines* INNOCENTIAM? atque in hac tanta omnium adversitatum procella, b *Iob cordis, & oris* INNOCENTIAM *ostendit.* Utinam & vobis, fortunæ, liberi, spes, & res omnes non tanti sint, ac innocentia, quam in adversis nec impatientia, nec blasphemia, nec desperatione, aliave in Deum offensa deperdatis. Quod ut arduum, certe pulchrum, ac laudabile inquit Augustinus in Psal. 103. *Pulchre addidit, & adhuc perseverans in* INNOCENTIA: *Quia difficile est pressam malis* INNOCENTIAM *non dolere, & hoc ipso, fide non periclitari, quod se videat injuste sustinere quod patitur.*

Utinam eam hoc corruptissimo sæculo causidici, senatores, judices præ omni auro, & argento, ita in pretio habeant, ut quisque affirmare possit: c *Munera super* INNOCENTEM *non accepi*: memor divini illius moniti: d *Custodi* INNOCENTIAM, *& vide æquitatem.* Quo fiet ut bonis & benedictionibus æternis gratiæ, & gloriæ repllearis, Psalte regio contestante: e *Non privabit bonis eos qui ambulant in* INNOCENTIA: Hugo Card *hoc est, gratiæ in præsenti, nec bonis gloriæ in futuro. Ergo ut illa bona habeamus, custodiamus* INNOCENTIAM, *& bona præsentia, & temporalia contemnamus, quæ qui appetunt,* INNOCENTIAM *perdunt, juxta illud Prov. 28. Qui festinat ditari, non erit* INNOCENS: Utinam filiæ hanc primam charitatem servantes, observent eos, qui per f *dulces sermones seducunt corda* INNOCENTIUM, & ad sanguinem usque pro ea decertent.

Quem si pro innocentia, pro justitia, pro Virginitate tuenda effuderint, etiam Myrtyres sine sanguine, innocentum choris adscribi poterunt. Hoc à vobis postulat sanguis SS. Innocentum, qui dum clamat ad Dominum: *Vindica sanguinem nostrum*, responsum accipiunt, præstolandum, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Quod observans g Augustinus; ait: *Videtis igitur quoniam propter nos Martyrum vindicta differtur. Dum nos retardamus* (innocenter vivere, & innocenter pati) *horum sanguis inultus est.* Itaque eorum numerum fratrum nostrorum compleamus.

§. 3.

Quandoquidem Innocentes pro Christo occisi sunt, quin & nos innocenter oppressi, aliquid toleremus.

FRedericus Gonzaga, h Mantuæ Dux; dum sub Carolo V. Exercitui præesset, variis calumniis, & adversæ fortunæ telis innocenter impetitus, adamantem in summitate montis conspicuum, inter flammas undique

a Iob. 2. b Hugo in Iob c. 1. sub finem. c Psal. 14. d Psal. 36. e Psal. 83.

f Roman. 16. g Aug. ser. 4 fest. Innocent. h Boldus. tom. 1. in Iob. pag. 120.

aliique adlambentes, in symbolum assumpsit, subjecto lemmate ἄμωμ☉ id est *innocens*: ut enim ignis, maculam nullam adamanti inurere valet, sed eum reddit nitidiorum: ita nec adversa animo innocentis, quem Deo & hominibus illustriorem reddunt, cujus doctrinæ veritatem convellere videntur tot miserorum querelæ, ac lamenta, qui jus suum violari aperta vi, vel iniquis litibus, malove dolo, ac fraude, fortunas eripi, bona invadi, famam elevari, falso traduci, sanguinem & vitam per nefas extorqueri, idque omnium malorum acerrimum, quod hæc *innocenter*, & sine causa, aut culpa patiantur, gravissimè expostulant.

Unde quotidianæ murmurationes, & in superos, ac inferos execrationes; nunc ancillæ, quæ se à pedissequa supplantari, idque innocenter queritur, nunc vicini de vicino, nunc subditi de subdito, de procaci externorum lingua, apud superiores se inauditum, aut suspectum, innocenter damnatum. Quasi vero præstaret eos nocentes condemnari, nocentes furum instar, aut latronum, de bonis, de fama deturbari: quibus Christianum illud, licet a gentili, ad ruborem nostrum juverit induxisse Socratis testimonium, qui ad mortem damnatus, Apollodoro complorante, dicentique: INNOCENS morieris. Quid, inquit, *num me nocentem mori malles*? Ita & tu: num me ut adulterum, ut parricidam, ut proditorem mori malles?

Aliter profecto Ioseph, qui infamis flagitii falso insimulatus, in carcerem detrusus, nil perturbationis, nil execrationis ostendit, sed has gloriosas voces jactavit: a *Hic* INNOCENS *in lacum missus sum.* Sed ut hæc prisci sæculi mittamus, S. Petrus Martyr, è Dominicana familia cum beatis mentibus agere visus, quasi mulierculas ad intima religiosi Claustri adita admisisset, turpis sceleris innocens arguitur. Etenim quæ superûm, Deique fuit indulgentia, sæpius humana specie ei sese visendas exhibebant è cœlitibus Virgines inclytæ, Agnes, Catharina, Cæcilia, cum forte eas advertit Religiosus unus aliquis, & in virum sanctum seu errore, seu zelo acrius exarsit, quasi Virgines in claustra, in intima cubiculi penetralia, contra religiosæ vitæ morem, & leges admisisset. Illius culpæ quasi jam reo dies indicitur, accusatur, damnatur, & domestico carcere mulctatur. Benignioris cœli favorem celat demissionis & patientiæ studiosus in paucis, sola innocentia teste securus. Sed cum longius iret pœna, nocte quadam, seu doloris, seu amoris æstu victus animus, blandè, piéque cum crucifixo queri cœpit, & arguere longas illas in illo squallore tam innocenter moras, quas inter sæpius auditæ illæ voces: *Domine! quid feci? quid commerui?* cui Christus è Cruce hæc reddidit: *& ego Petre quid feci?* cerne pedes, & manus affixas infami ligno, cerne cruentum à spinis caput, cerne hians, & apertum à ferro latus, cerne sparso toto

a Gen. 40. 15.

corpore vulnera; & quod iis acerbius fuit, audi in ipso mortis adiru, extremaque lucta, jactas in me calumnias, & scommata: *Et ego Petre quid feci?* Ægre pateris intra domesticos parietes, & religiosa claustra de tuo nomine; famaque aliquid decedere, & ego passus sum eam lacerari in Calvariæ vertice, in oculis omnis multitudinis, in conspectu solis, & ut hoc paterer, *ipse quid feci?* eâ voce, ac brevis commonitio Innocentissimi Iesu ita pupugit animum Petri, atque ita roboravit, ut innocentia sua fretus, de querelis cogitasset nunquam, etsi toties in eum facto impetu injuriosus ruisset orbis. Vos nondum vincula & carceres, ut innumeri in Anglia, Iaponia, aliisque locis perpessi, levi macula adspersi, levi calumnia perstricti, exigua injuria à vicino læsi, in diras, in iras, in vindictam insurgitis, & innocentiam vestram falso impetitam declamatis. Vocem comprimere hodierna die vos oves, & cumprimis Pastor earum suo exemplo condocefaciat.

Lubet, dum de innocentibus nobis sermo est, divi Innocentii parænesim adferre, qui ubi ovem à *mansuetudine*, & INNOCENT. A commendasset: a *Tales*, inquit, *debent esse fideles, ut sint mansueti, ne reddant maledictum pro maledicto ejus exemplo, qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut Agnus coram tondente non aperuit os suum. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Vt sint* INNOCENTES, *ne quemquam offendant, nulli noceant, neminem lædant.* Quas ovis & innocentis proprietates, si in vobis expresseritis, spondet divino oraculo b S. Vincentius, inter prædestinatos à dextris constituendos Oves, inquit, non nocent dentibus ut canis, non cornibus ut bos, nec calcibus ut equus, vel mulos; sic ,, personæ simplices, ac innocen- ,, tes, sunt oves, quæ non mor- ,, dent adversarios suos diffa- ,, mando, nec cornibus potentiæ, nec pedibus despiciendo aliquem conculcant, quia ovis non est vindicativa. Qui habent has conditiones oves, in judicio, à dextris considebunt ut Mat. 25 promittitur. Tum ô sancti innocentes, completus erit numerus fratrum vestrorum, & una voce clamabitis: *Vindica sanguinem nostrum Deus noster.* Tum, inquit c Augustinus, tyrannum compellans: *Herodes, quid putas, acturus eris, quando contra te tantorum classes infantium, judiciale cœperint exercere litigium? invenies claram linguam, magnam vocem, mensuram perfectam, omnes juvenes candidatos, in mensuram ætatis plenitudinis Christi fulgentes. Cum stare cœperint ante eum, quem putaveras occidendum, pro quo fuderunt sanguinem pretiosum, ipsum videbis throno igneo præsidentem, illos solium Dominicum circumdantes, candore rubeo splendentes propter candidam ætatem & sanguinem Passionis. Quid acturus es, quid dicturus? tacebis reus, dum tantus cantabit exercitus Sanctorum: Vindica sanguinem servorum tuorum qui effusus est*

a S. Innocentius Dom. 2. post Pasch. ferm 4.

b H Vincent. ferm. de SS. Innocent. c Aug. ser 2. festo SS. Innocent.

In

Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Quid tu calumniator acturus es, quando contra te tot innocentes linguæ clamabunt: Vindica Domine ignominiam, infamiam vitæ immaculatæ turpissimè inustam?

Quid tu causidice, senator acturus es, quando contra te tot pupilli ac Viduæ innocenter oppressæ vociferabuntur: Vindica, Domine, injuriam, miseriam, pauperiem quam injuste passæ sumus? Quid tu Iudex acturus es, quando contra te tot innocentum voces resonabunt, quos temere ad torturam, & equuleum rapuisti & per vim scelus quod non commiserant expressisti? quod severissime, sed & verissime exaggerat Augustinus a, dicens: a *Cum quæritur utrum sit nocens, cruciatur, &* INNOCENS *luit pro incerto scelere certissimas pœnas: non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur; ac per hoc ignorantia judicis, plerumque est calamitas* INNOCENTIS. *Et quod est intollerabilius, magisque plangendum, rigandumque si fieri posset fontibus lachrimarum, cum propterea judex torqueat accusatum, ne occidat nesciens* INNOCENTEM, *ut per ignorantiam miseriam, ut & tortum &* INNOCENTEM *occidat, quem ne innocentem occideret, torserat.*

b Hi omnes vindictam clamabunt, & impetrabunt, jamque coronati, Agno immaculato *Innocentes & recti in* æternum adhærebunt.

a Aug. l. 19. de civit. c. 6. d Ps. 24.

FESTUM
SANCTI SILVESTRI PONTIFICIS.

Constitui te ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes: & ædifices, & plantes. Ierem. 1.



Necdum sua forma recessit. Vig. l. XI.

ARGVMENTVM.

OMnem curam, solertiam, quam lectissimis hortis, amœnissimisque viridariis, Mortales impendere consueverunt, Sanctissimus Ponfex *Silvester*, ad agrum Domini, hortumque Ecclesiæ impensius excolendum, con-

convertit; hoc insuper salubri nobis documento relicto, ut quidquid socordia, aut somnolentiâ nostrâ, in interiori animæ horto, zizaniorum excrevit: quidquid veprium, aut spinarum pullulavit, evellere, destruere, ac dissipare: omnes denique luxuriantes ramos, & inutilia sarmenta rescindere studeamus. Illud etenim hic usuvenit, quod statuis, opere topiario ex herbis, aut racemis concinnè flexis; ac plexis: quæ nisi identidem tondeantur, & superflua sarmenta amputentur, omnis brevi elegantia, ac forma recedet. Quare si quisq; ad se reflectat, facile advertet, quia a *tempus putationis advenit*, ac plurima esse, quę putanda sunt: *Quis enim ita ad unguem omnia superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Crede mihi*, inquit b Bernardus, *putata repullulant: semperque nobis putationis est tempus.* Quod ipsum S. Silvester, etiam in Ecclesiæ horto observavit: cessante porro jam sub Constantino, sævâ tyrannorum persecutione, hyems abiit, & recessit, flores veræ Religionis, & cultus divini apparuerunt: tempus putationis advenit, quo eversis dæmonum delubris, omnes Idolorum ritus, infames Arii errores, ac magicæ superstitiones amputarentur. Sed & tempus advenit, *ut ædificet, & plantet*; quod suasu *Silvestri*, Constantinus luculenter præstitit, augustissima summo Numini templa exstruendo, eaque sacris vasis ex auro, & argento, Regiâ munificentia locupletando. Vbi obiter illos perstrictos velim, qui illud Iudæ maligni jactitant, c *ut quid perditio hæc?*

a Cant. 2. b Bernard. 58. in Cant. c Matth. 26. Iohann. cap. 12.

§. I. *Constitui te ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes.* Ierem. 1.

§. II. Silvester positus quoque *ut ædificet, & plantet.* Ibid.

FESTUM SANCTI SILVESTRI PONTIFICIS.

Constitui te ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes: & ædifices, & plantes. Ierem. 1.

PRimus qui unquam in orbe extitit Hortulanus, primus hortorum cultor, ac summus arborum, & frugum amator, ipse rerum omnium Conditor Deus fuisse perhibetur: qui longè amœnissimum, supra omnia Tempe, & Pæsti roseta, hortosque Hesperidum, viridarium creavit, & sua ipse manu complantavit, ut Genesi 2. diserte legitur: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis*, Hortulani munere ipse perfunctus, teste a Athanasio Sinaita: *Deus*, inquit, *fuit* HORTULANUS, *& suæ creaturæ administer.* Verum, post lapsum primi hominsis, omnes horti maledicto subjecti, peccati lolium, & scelerum zizania protulerunt, & terra juxta divinam comminationem, b *spinas & tribulos* germinavit, totusque mundus in horridam errorum, ac flagitiorum silvam luxurianter excrevit: donec Redemptor noster, cælestis Agricolæ, & divni Hortulani formam indutus, ad nos descendit, ac suæ gratiæ fulgore, & calore, pigrum hiemis frigus discussit: *Hyemem,* inquit c Ambrosius, *non temporis, sed infirmitatis, quæ agrum animæ omni flore dispoliat. est enim hiems terreni solis, est hiems mentis, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi evanescit, quando solvitur rigor sensus, quando nimius humor exsudat, & mentem gravat, quando interior caligat aspectus. Hæc autem omnia depulit vernum tempus, quod nobis attulit Christus. Tunc* d *flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.*

Quin & Hortulani specie benignissimus Redemptor noster, sese Magdalenæ exhibuit Ioan. 20. v. 15. quo habitu cum B. Guarricus in spiritu contemplatus, ait: e *O Domine Iesu, tu verus es* HORTULANUS, *idem creator, qui cultor, vel custos horti tui: qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das.*

Vnde nemini mirum videbitur, si sancto *Silvestro*, Christi Vicario, summo Ecclesiæ Principi, ac Pontifici maximo, easdem partes, & functiones Hortulani tribuero, cum & inter mortales, Reges ac Imperatores, Agricolæ ac Hortulani munere functi perhibeatur. Aureus f Chrysostomus hæc ad mores referens:

a Athan. Sinaita in Gen. c. 2. b Gen. c. 3.

c Amb. in priori Apolog. Davi. c. 17. d Cant. 2. e Guarricus serm. de SS. Scripturarum utilitate. f Chrysost. hom. 15. in 2. ad Cor.

Princi-

Princeps inquit, *quidam plantarum cultor, alia quidem amputans & prohibens, alia vero fovens, & crescere faciens: sicut & optimi Principes, malos quidem, & multos damnosos plectunt, ac puniunt; bonos vero, & frugi, ad majora provehunt.* Talem se præbuisse *S. Silvestrum*, ex hoc Ieremiæ patebit vaticinio.

§. I.

Posui te ut evellas, & destruas, & dissipes. Ierem. I.

Cornelius in hunc locum: *Nota*, inquit, *hic esse metaphoram ab* HORTULANIS, qui priusquam utiles, ac salubres herbas, frutices aut flores, in viridario quopiam plantare solent, infelix lolium, urticas, ac sentes evellere conantur.

Viderat Sanctissimus, ac solertissimus Ecclesiæ cultor *Silvester*, agrum illum jam Idololatriæ, hæreseos, omniumque flagitiorum urticas replevisse, & *quod non poterant ædificari bona*, *b* ut loquitur Hugo Cardinalis, *nisi destructa essent mala: nec plantari optima, nisi evellerentur pessima: Omnis enim plantatio, quam non plantavit Pater cælestis, eradicabitur.*

Quare ad hoc, omne studium, operam, laborem, sudorem contulit. Ac primum quidem inimicum hominem, qui spargebat zizania, *c* Tarquinium tyrannum sustulit: ad tribunal quippe ab eo vocatus, novo more, mortem judici reus dixit. Dictum, factum, piscem dum cœnat, spinam forte ex hoc gutture receptam, Tarquinius hamum mortis esse sentit. Eo orbis probro sublato, ardentius S. Pontifex noxia evellere, destruere, disperdere, dissipare perrexit, Idolorum simulachra evertendo, fana destruendo, hæreses evellendo: jam enim Cacodæmon aliud ab Orco monstrum, Arium excitarat, qui in medio tritici, zizania seminaret; novisque erroribus adeo jam omnia latè infecerat, ut universus prope orbis Christianus ingemisceret, se esse Arianum. At *Silvester*, qui positus ut evellat, & destruat, & disperdat, & dissipet, illud tam subtile malum inter ὁμούσιον & ὁμοιούσιον, Filium esse ejusdem, non similis substantiæ, radicitus evulsit, & in concilio Niceno 318. Episcoporum, quo Legatum suum, Osium, Cordubensem Episcopum præmiserat, Arii hæresis damnata; Atque in altero Romano. 284. Episcoporum, *S. Silvester*, acta Niceni confirmavit, eamque pestem penitus exstirpavit.

Quin & id muneris, animarum cultoribes, Confessariis, Pastoribus, divini verbi Præconibus demandatū est: *Hinc est*, ut docet magnus *d* Gregorius, scribens de Pastorali cura, *quod Ieremiæ misso ad prædicationem dicitur: Ecce constitui te ut evellas &c. quia nisi prius perversa destrueret, ædificare utiliter electa non posset: quia nisi ab Auditorum suorum cordibus, spinas vani amoris evelleret, frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret.*

a Cornel. in Ierem. c. 1. b Hugo Card in Ierem. c. 1. c Ribadin. in vita S. Vincent. serm. de S. Silvestrô, fasti Mariani. c Baron. a. Chri 324 n. 126. & n 161. a. 325 n. 19. n. 199 d S. Greg. Pastoralis cura part. 2. c. 35.

Æmu-

Æmulari porro hic Hortulanum juvat, qui dum surculum arbori inserit, quo melius crescat, omnes luxuriantes, ac silvescentes ramos amputat. Haud aliter, ut a *verbum insitum* in animis radices agat, evanescentes, & longius evagantes: *vani amoris* cogitationes rescandæ sunt; atque ita quis mutatur in virum alterum:

b *Miraturque novas frondes, & non sua poma.*

Pastores animarum, missi sunt ut è diœcesi sua hæreses evellant, adulteria destruant, dissidia dissipent.

Patres familias suum quoque agrum, seu hortum habent, quem excolant, quem à zizaniis, & lolio expurgent: nam si in agro Ecclesiæ, illa in medio tritici excrescant, quantæ magis inter delicias, ac divitias, quæ à Christo spinæ vocitantur assurgent. Quapropter libet quemque vestrum, iis verbis quibus olim c S. Bernardus Eugenium Pontificem, compellare: *Putasne & tu invenias aliquid elaborandum in agro Domini?* respondet, *Plurimum: non planè totum qui vere emundare Propheta, aliquid filiis suis Apostolis quod agerent reliquerunt; aliquid* IPSI PARENTES *tui tibi.*

Vos igitur parentes, putatisne quod aliquid invenietis elaborandum in agro Domini, in viridario familiæ vestræ? imo plurimum; zizania vobis evellenda, id est, teste d Hugone Cardin. *peccata mortalia.*

a Iacobi 1. 12. b Virg. 2. Georg. c Bern. d Eugen. de Considerat. lib. 2. d Hugo Card. in Ierem. c. 1.

Evellenda in famulis & ancillis perfidia, pigritia, contumacitas, lubricitas, familiaritas nimia.

Evellenda in filiabus vestris lascivia, luxus meretricius ornatus, &c. In filiis evellenda temulentia, nimia licentia, verba procacia, perjuri, blasphema, & quidquid in illis vitiosum est: discipuli quippe expositionem parabolæ zizanorum à Christo poscentes, hoc responsum acceperunt: e *Zizania autem sunt filii nequam.* Hinc perappositè f S. Vincentius, Parentes Hortulanis comparat, dicens: *Culpa est* HORTULANI, *si arbores sunt tortuosæ, quia parvæ poterant dirigi; ita vos parentes estis* HORTULANI.

Ad quod plurimum conferet, si ipsi Parentes, pravo suo exemplo in agro familiæ suæ non seminent zizania, ut rectè monet g Hieronymus: *Omnia autem scandala referuntur ad zizania.*

Denique non ad parentes dumtaxat, sed ad quemque vestrûm spectat hoc documentum, ut ex horto animæ suæ *evellat herbas inutiles, scilicet cogitationes malas per contritionem: & destruat nocivas delectationes munda confessione, & disperdat peccata competenti satisfactione, & dissipet colligationem malæ consuetudinis per bonam assuefactionem.* Vel paucis: *Evellat actum peccandi, destruat consuetudinem, dissipet occasionem.*

Putasne tu, quisquis es, h *in-*

e Matth. 13. f S. Vincent. serm. 2. fest. Pentec. g Hieronym. tom. 9. super illud, Qui seminat bonum semen. S. Thom. in Matth. 13. Hugo Card. in Ierem. c. 2. h Bern. cit.

venias

...nias *aliquid elaborandum* in a... cordis tui? Audi Salomonicum oraculum: a *Transivi per agrum hominis pigri, transivi & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ.* Idem Eminentissimus Doctrinâ & Sanctimonia b Cardinalis: *Ager, hortus, vinea, Spiritualiter idem sunt, scilicet mens, vel conscientia cujusque hominis.* Tum exponit, quid cuique evellendum, dissipandum, ac destruendum sit: *Per urticas*, inquit, *designantur prurientia desideria terrenorum, & incentiva libidinum: per spinas intelliguntur punctiones spiritualium vitiorum.*

Hausit hæc credo, ex magno Gregorio, qui lib. 30. mor. c. 20. sic verba Sapientis exponit: *Per agrum hominis pigri, atque per vineam stulti transire, est cujuslibet vitam negligentis inspicere, ejusque opera considerare, quam urticæ vel spinæ replent: quia in corde negligentium, prurientia terrena desideria, & punctiones pullulant vitiorum; quia scriptum est: In desideriis est omnis otiosus.*

Somnium hic vobis non vanum Advocati Fiscalis, Magistri Simonis van Vee, proponam.

c Hic in aula Hollandiæ somniarat (quemadmodum ipse filiis suis, aliisque domesticis experrectus retulit) se versari in horto Jurisperiti Parisiensis, apud quem Juvenis commoratus fuerat, eumque se incultum, vepribus, & urticis oppletum cernere, quem olim cultissimum, & rectissimis floribus ornatum viderat. Hoc somnium, ostentum ratus, ad interiorem animæ suæ hortum retulit, eumque prorsus incultum, peccatorum spinis, ac vepribus refertum, jamque longo temporis intervallo, nulla exhomologesi expurgatum advertens, statuit, quidquid zizaniorum, quidquid lolii succreverat, quam primum salutari confessione evellere, penitusque eradicare. Ita oculos quiq; suos, ad interiorem illum hortum reflectat, & advertat quid evellendum sit, qui luxuriantes palmites, & silvescentes rami amputandi sint. Ad quod salubriter hortatur d S. Ambrosius: *Rescindatur luxuries, deliciæ resecentur, & si quis fuit luxuriosus, valedicat superioribus: rescissa enim vinea fructum affert, semiputata frondescit; neglecta luxuriat. Castigemus ergo corpus nostrum, redigamus in servitutem*, omnia in nobis superflua rescindamus.

Monet divinus Salomon cœlestem sponsam, quia e *tempus putationis advenit.* Ubi mellifluo suo more, rore & ore Bernardus: f *Ad vineas ergo excolendas ducitur, quæ ut possint uberioribus fructibus respondere colonis, ante necesse est, sarmenta sterilia projici, succidi noxia,* PUTARI SUPERFLUA. *Has autem vineas, animas esse audistis.* Quas ut digne excolatis, superflui cincinni, superflua syrmata terram verrentia, superflua convivia, superflua colloquia, superfluæ deliciæ, superfluæ divitiæ, in usus optimos, amputandæ sunt, quia *superflua divitis*, inquit Chrysostomus, *necessaria sunt pauperi.*

a Prov. 24. v 31. b Hugo Card. in Prov. 24 v. 31. c P. Teylingen Parad. l. 2. c. 24. pag. 256.

d Amb. l. 2 epist. 7. ad Simplician. e. Cant. 2. f Bern. serm. 58. in Cant.

Nec eſt quod quis hic ſeſe palpet, aut adblandiatur, quaſi nihil in ſe putandum putet, Quod putare amputandum docet idem *a* Bernardus: *Quis enim ita ad unguem omnia ſuperflua reſcavit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum* (*credite mihi*, *&* PUTATA REPULLULANT, *& effugata redeunt, & reaccenduntur exſtincta, & ſopita denuo excitantur.* Nonne hoc indies videre eſt in amœniſſimis viridariis, ubi opere topiario ex flexilibus herbis, ex plexilibus racemis ſtatuæ effictæ, *putatæ repullulant?* quæ niſi frequenti putatione reſecentur, totæ ſilveſcunt, omniſque elegantia, ac *forma* recedit: Contra ac in pictis, aut fictis imaginibus, aut ſtatuis marmoreis fieri aſſolet, in quibus efformandis, etſi multum operæ, ac laboris inſumatur, eam tamen quam ſemel adepta ſunt formam, conſtanter retinent. At nos ſtatuæ vivæ, aſſiduò purandæ ſumus. Vnde *b* concludit: *Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpe putandum eſt; imo ſi fieri poſſit, ſemper: quia ſemper quod putari oporteat, ſi non diſſimulas, invenis.*

Quod ſi Sanctiſſimus hic Archimandrita in ſuis Religioſis, primitias Spiritus habentibus, & continua mortificationis falce utentibus, aliquid ſemper putandum inveniat, dicens: *Nobis, fratres, ſemper putationis eſt tempus*, quanto verius, quotquot eſtis, dicere poteſtis: *Nobis ſemper putationis eſt tempus*; nobis qui per tot peccandi occaſiones, per tantū licentioris vitæ ſpatium, tot inanium verborum, cogitationum vitiorum ſarmenta produximus, *ſemper putationis eſt tempus.*

Quæ *c* Ludovicus de Ponte, Doctiſſimus & diviniſſimus interpres, per Sacramenta, facillime & commodiſſime putari docet: Ipſi, inquit, Sacramentorum Miniſtri, maxime cum baptizant, abſolvunt, ac infirmos ungunt, etiam inter Putatores computantur: lingua enim, & vox „ Sacerdotum dicentium: *Ego te* „ *abſolvo à peccatis tuis*, eſt velut „ falx acutiſſima, & velut gladius utraque parte acutus, „ & maxime penetrativus, „ qui putat, ſecat, & ſeparat ab anima, & ab intimis „ cordis penetralibus, cuncta „ quantumvis enormia; dum tamen per confeſſionem rite ſunt „ propalata. Nec ad hoc particulare tempus aſſignatum eſt, „ extra quod fieri non liceat: non „ enim hæc putatio fit tantum „ ſemel in anno, ſicut in vitibus, & arboibus: ſed quoties „ opus fuerit, verum eſt dicere: „ *Tempus putationis advenit.* „

Alteram Metaphoram ab inanimatis ad animata, à plantis ad homines inducit *d* Gregorius, dū ait; militiam vitam noſtram vocitari, *quæ ex ipſamet naſcitur, unde premitur: quæ etſi ſemper ex virtute ſuccidat, quod ex infirmitate generat; ſemper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute ſuccidat.* Quod ipſum ſimilitudine pilorum eleganter explicat, *e* de quibus dicitur: *Levitæ radant omnes pilos carnis ſuæ: pilo*

a Bern. cit. b Bern. cit.

c De ponte in Cat. l. c. exhort. 19. § 3.
d S. Greg. l. 8. m. c. 5. e Num. 8.

enim

... enim carnis, inquit, *sunt quælibet superflua humanæ corruptionis; qui radi præcipiuntur, non velli: rasis enim capillis, in carne radices remanent, & crescunt, ut iterum radantur: quia magno quidem studio superflua cogitationes, & affectiones amputandæ sunt; sed tamen amputari funditus nequaquam possunt: semper enim caro superflua generat, quæ semper Spiritus, ferro solicitudinis recidat. Levita autem assumptus dicitur, id est, divinis officiis mancipatus. Quantalibet autem quempiam virtus sanctæ conversationis erexerit, adhuc tamen de vetustate vitæ nascitur, quod rescindatur.* Subeat animum, Auditores, quantum viri & fœminæ, formæ ac pulchritudinis amantes, curent ut barba, cincinni, supercilia, capilli in frontem concinnè promissi, quot mensibus, hebdomadis, imo diebus tondeantur, putentur, radantur, ne pilus exerret, atque eam curam, ac diligentiam, ad animæ formam, & venustatem conferamus.

Iam extinctis tyrannis, hyems persecutionis Romæ abierat; sic tamen ut subConstantino, etiamdum gentili, rem Christianam remissius curante, ager Domini totus silvesceret. Quare a *tempus putationis advenit*, dumque barbaram, impiam, immanem Constantinus putationem, in tenellulis, ac frugiferis plantulis meditatur, b *Silvester* eam in sarmenta inutilia, in infames Idolorum truncos, eos evertendo, deturbando, destruendo, salubriter converti fecit. c Etenim imperatatis suæ fœditatem, ut videret Imperator, c leprâ inficitur; sacrificuli, lepram ut abluat, balneas ex trium millium parvulorum sanguine, suadent. Ingemuêre ad hujus crudelissimæ putationis consilium omnes Matronæ Romanæ, cum audirent sanguini, quo vel manum adspergere scelus semper non expiandum habitum est, totum velle Imperatorem innatare. Certe innatare rectius tot matrum lachrimis jam poterat. Interea Principum Apostolorum species dormienti oblata, vocare *Silvestrum* jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet vocavit, & Christianis undis lotus, Idola detestatus, lepram corporis, animique exuit. Hoc itaque Imperatore è tenebris, in lucem fidei educto, nova lux Ecclesiæ oriri visa; Sol serenior illuxit, jamque non tempus putandi, sed ædificandi & plantandi, quæ erat altera pars hujus panegyricæ, advenit.

a Cant 2. b Baron. Ribadin.
c Vincent. serm de S. Silvest.

§. 2.

S. SILVESTER *positus ut* ÆDIFICET, ET PLANTET. Ierem. 1.

REfert d Suetonius de Vespasiano Imperatore, *quod ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit.* At longe gloriosius sibi duxit Constantinus, qui à Vespasiano genus ducit, pro cultu veræ Religionis præstare, quod

d Sueton. in Vesp. c.8.

ipse

ipse pro superstitione avita officium exhibuerat; sic porro habent acta Silvestri: *a* Constantinus *octava die à recepto baptismo, processit albis depositis, totus mundus & salvus: & veniens ad confessionem B. Petri Apostoli, ablatoq; diademate capitis, exuens se chlamyde, & accipiens bidentem, terram primus aperuit, ad fundamenta basilicæ construendæ. Dehinc ob numerum duodecim Apostolorum, duodecim cophinos terra plenos, suppositis humeris bajulans asportavit.* Atque ut vobis manifestum sit, fanis idolorum destructis, sanctorum venerationi templa exædificata, hanc splendidissimam molem, Apostolorum *b* Principi dicatam, everso Apollinis delubro exstruxit, ac regiis donis locupletavit. Sic enim in iisdem Actis legitur: *Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Petro Apostolo, in templo Apollinis.* Ubi corpus Sancti Petri reconditum, & *exornavit super columnas porphyreticas: fecit autem Cameram Basilicæ ex crimno auri fulgentem.*

Addit *c* Sanctus Gregorius, ad quindecim pedes, extra Petri sepulchrum, fuisse desuper locum illum argento contectum. *Super os, quo conclusit sepulchrum, fecit Crucem auream purissimam, pensantem libras centum quinquaginta.* Longum autem esset enumerare, quot candelabra, calices, vasa aurea, argentea, gemmea eidem Basilicæ, aliisque donavit.

Sed pergit *Silvester*, ut magis ac magis *ædificet, & plantet,* Constantinum urgere. Unde subditur: d *Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Paulo Apostolo,* EX SUGGESTIONE SANCTI SILVESTRI, *cujus corpus Sanctum, ita recondidit, & conclusit, sicut Beati Petri & dona obtulit. Nam omnia vasa sacra aurea, vel argentea, ita posuit, sicut in Basilica Beati Petri Apostoli. Sed & Crucem auream super loculum Beati Pauli Apostoli posuit, pensantem libras centum quinquaginta.*

Insistit ulterius destruere, dissipare idola, & ædificare, ac plantare vero Numini sacraria: nam in Palatio Sessoriano, *e* apud Veneris & Cupidinis templum, eo diruto, nobilem erexit Ecclesiam Sanctæ Cruci dicatam, ac ejusdem insigni parte, ab Helena matre Hierosolymis submissa, condecoravit. Mitto Basilicas alias splendidissimas, Lateranensem, Sanctæ Agnetis, Sancti Laurentii, aliasq; complures, incredibili munificentia locupletatas.

Obiter hic illos perstrictos velim qui cultum templorum, splendorem Ecclesiarum, ornatum vero Numini Sanctorumq; venerationi exhibitum, cum Iuda carpunt, & sugillant, dicentes: *f Vt quid perditio hæc?* ut quid illæ amplæ substructiones, ut quid aræ marmoreæ, statuæ alabastrinæ, candelabra, calices, aliaq; vasa divino sacrificio dicata, argentea, & aurea? ut quid thecæ Sanctorum, auro & gemmis distincta? Cum ipsi interim mortales, & ejusmodi cavillatores plerumque scelerati, carnis dæmonumque mancipia, in domibus Regum habitent, mar-

a Acta Silvestri. Baron. an. Chr. 324. n. 61. b Baron ib n. 63. c S. Greg epist. 30. l. 3. ad Constantiam Aug.

d Baron. cit n. 64. 65. 66 e Baron. cit. n. 105. f Matt. 26. Ioan. 12.

mor

more & alabastro vel ipsi camini resplendeant, omnia vasa etiam abjectissimo usui servientia, ex argento, & auro possideant. Cum interim filiæ eorum, a *circumornatæ ut similitudo templi*, longe pretiosius, fœtidum corpus induant quam sacra divorum Lypsana, ac sanctissimum Christi corpus obveletur; sæpius illæ suas pallas, quam in templis aræ frontale, commutare soleant: plus in pastillis, suffitu, cerussis, pigmentis, unguentis, quam Deo nostro thuris, insumatur. Hic exclamandum: b *Ut quid perditio hæc?* Hic inculcandum ut evellant, & destruant vanitates illas, & insanias falsas. Hic exoptandum, ad os obturandum, ut illi Iudæ æmulatores, oculos in augustissimum illud templum Salomonis, cui Deus Idæam præscripsit, intendant: ad cujus amplitudinem, opulentiam, magnificentiam, omnes Regum Basilicæ, Imperatorum curiæ, septem orbis miracula, Ephesiæ Dianæ templum, aurea domus Neronis, Palatia alibi, & ædificia prorsus admiranda, mapalia fuerunt & tuguria.

Operarii templi tot fuerunt, ut nisi eorum numerum distinctissime dicerent divini annales, vix quisquam narranti fidem haberet. Et c Hierosolymis quidem in exstruendo templo laborarunt hominum supra centum millia, sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti: Proselytorum in monte onera portantium, septuaginta millia Latomorum, & saxa templo parantium octoginta millia. Ita Chronicon Regum 2. Paral. 2.

Porro Sacerdotes pæne innumeri d Quatuor millia Ianitores, totidem Psaltes canentes Domino in organis quæ fecerat ad canendum sumptus à David huic collati incredibiles, & immensi. e Cornelius numerat duo millia millionum auri & quadringentos. Locupletior testis non erit quam ipse Rex David, qui de his ipsis sumptibus: f *Ecce ego*, inquit, *in paupertate mea, præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum.*

Nunc populi, aliorumque potentum, profusam in templi fabricam, liberalitatem attendite. Populus, inquit, Pineda, tantum ferri, æris, argenti, auri contulit, ut id Hispanicæ monetæ efficiat, mille ducentos, & octo milliones, centum & nonaginta sex millia ducatorum Hispanicorum. Hoc è computatione diligentissima Villalpandi sumptum.

Neque vero solus populus, sed & omnes, ac singuli g Principes rogati, pronissimis manibus opes contulerunt: apud quemcumque inventi sunt lapides pretiosi, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Iohiel Gersonitis. Quid mirum si argentum illis diebus ut h *lutum platearum*, atq; ipsum templum, omniaque vasa sacra, auro radiarent.

a Psal. 143. b Matt. 26. c Drex. Salomon. Saijan, tom. 3. Vilalpand.

d 1. Paral. 23. e Cornel. in Exod. f 1. Paral. 22. g 1. Paral. c ult. Bellarm. controv. tom. 1. p. 1583. de cultu Sanct. c. 6. h 2. Reg. 22.

At-

Atque hæc omnia, ut arca fœderis, in qua Virga Moysis & aliquid Manna repositum, illic asservaretur. Eum in finem Sancta Sanctorum operuit Salomon, atque a *vestivit auro purissimo.* Texit quoque Cherubim auro, nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur; sed & totum altare oraculi texit auro. Quod si supellectilem spectemus, argenteorum vasorum tam grandis multitudo, ut ea in numerum cogi non potuerit. b Solum igitur numeremus vasa è puro puto auro confecta. Primo, fuerunt decem candelabra majora ex auro purissimo, decem millia mensarum minorum, totidemque minora candelabra, omnia ex auro purissimo. Mensuræ, tubæ, thuribula, phialæ, litatoria viginti millia ex auro. Instrumenta ex electro quadraginta millia: Crateræ aureæ ad subigendam similam sexaginta millia. Canthari vinarii, & lances aureæ octoginta millia, phialarum aurearum centum millia. Summa vasorum aureorum quadringenta & viginti millia. Ita Iosephus testis oculatus templi.

Deus summe, quam immensa vis auri, & pœne incredibilis! Omnis Europa & Asia hanc auri molem hodie non repræsentet. Hæc tamen omnia, in templi fabricam, ubi rudis umbra divinissimæ humanitatis, quæ in templis nostris adoratur, reconderetur. Unde solidissime cum Bellarmino argumentari licet, nullum satis splendidum ornatum, nullam satis augustam Basilicam Deo nostro, qui corporaliter nobiscum habitat, exædificari posse, ipsamque Salomonis æmulandam, & exsuperandam videri. Quod pio conatu olim Angli, dum moribus, & vita Angeli, opere mirabili exsequi studuerunt: templum quippe Salisberiense exstruxerunt ea magnificentia, inquit c Spondanus, quæ cunctis aliarum omnium Ecclesiarum splendorem facile superasse censenda sit. Habuit hoc templum tot fenestras, quot dies in anno: tot columnas, quot annus continet horas: tot portas, quot menses, ut ingeniosi versificatoris carmine celebratur:

Mira canam soles quot contine
annus, in una
Tam numerosa (ferunt) æde,
fenestra micat.
Marmoreasque capit fusas to
ab arte columnas,
Comprensas horas quot vagu
annus habet.
Totque patent portæ, quot men-
sibus annus abundat;
Res mira; at vera res cele-
brata fide.

Ad ejusmodi egregia, & regi opera, vero Numini erigenda Principibus viris, ac potentibu sæculi, stimulo esse possunt ip Turcæ, qui inter amplissima Mosquæas (quas nos Ecclesia dicimus) celeberrimam colun Meccavam, quæ teterrimo Pseudo-Prophetæ Mohometi tumulo est erecta. In ea Sace lum interius supernè totum aur collucet. Est qui recenseat i eo lampades argenteas ad tri

a 3. Reg. 6, 2. Paral. 3. b Drex. cit. c. 10.

c Spondanus Annal. Eccl. tom 1. an Chr. 1237. n x. d Radzivil Itin. Hiero folym. Lobbet. de cultu templ.

mil

millia : atque ex auro solido, sex supra triginta ; præter candelabra auro, argentoque fusa, quæ uti & lampades diu noctuque collucent exuviis ac sepulchro impiiMahometis, luxu sane perquam damnando; qui satis arguit Christianorum multis in locis parsimoniam, sordidamque tenacitatem, qua fit ut neque Sanctorum reliquiis vel una appendatur, ardeatque lampas, neque quod deplorandum magis, ipsi venerabili Eucharistiæ Sacramento.

In *Cayro*, Ægypti hodie Metropoli, Mosqueææ visuntur sexies mille, supra octingentas. In urbe *Sessa*, plures septingentis ; earum Princeps a *Carannem* dicta, nongentis lampadibus collucet, & (sic recenti historico fides) ducentis aureis in dies singulos dives est. Mitto alias aliis in locis ædificatas : neque enim hic animus fuit longius in eo argumento stylum figere; sed paucis dumtaxat judicare, ut Christianis animos facerem majores, ad Dei, divorumque in Ecclesiis cultum, ornatumque sacrationem ; ne in eos quoque cadant antiquæ illæ de Iudæis querelæ, e quibus sic ad Aggæum Prophetam : b *Dominus exercituum, populus iste dicit : Nondum venit tempus, domus Domini ædificande. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis; & domus ista deserta ?*

Ad immanes illas Mosquæarum substructiones, adjiciam unum è cæca Indorum gentilitate, ex quo de reliquis facilis erit conjectura.

In c Ceilano regno exstructum ab incolis & mole, & opere visendum fanum, quale hactenus non tulerat India ; *Pagodem* ipsi vocabant. In eo colebatur Deus Simii candidi, auro & gemmis inclusus. Cultus autem illius dentis, eo usque invaluerat, ut illius adorandi causa, à quingentis circumquaque milliaribus, ingenti numero peregrini concurrerent : quæ superstitio non tantum plebeculæ animos occuparat; sed quod mirere, etiam Principum ac Regum corda, sensusque ita dementarat, ut ex iis nemo unus esset, qui non quot annis legatum eo destinaret, & religionis (verius superstitionis atque insaniæ) ergo, dentis illius imaginem ceræ impressiam, magnoq; emptam reportaret. Dumque impurus ille Deus ; cum suo fano venit in Lusitanorum potestatem, oblato septingentorum millium aureorum lytro, eum repetierunt ; quem tamen nec eo pretio redimi passi sunt Lusitani, ne cæcæ gentilitati, superstitionis aut idololatriæ occasio restituta videretur. Huc velim oculum, animumque flectant, ævi nostri non modo hæretici, sed quod indignius, sacrorum irrisores Christiani, ut à paganis aliquid in pios usus, moresque deducant, admittantque, sacratioribus illis magnarum mentium exuviis, & aurum & gemmas etjam totius orientis laudabiliter impendi.

Nunc ut ad propositum revertamus, scitè observavit Gregor. Turo-

a Estats & Empires tom.2. b Cap.1.

c Iarric. hist. Ind.

a Turonensis, Constantinum rectè Clodovaeo Francorum Regi, ac *S. Silvestrum*, Remigio comparari: *erat enim*, inquit, *S. Remigius Episcopus egregiæ scientiæ, & Rhetoricis apprime imbutus studiis; sed & sanctitate ita præclarus*, UT SILVESTRI VIRTUTIBUS ÆQUARETUR. Atq; alterū altero componendo, dum Clodovæus jam ad baptismi fontem pergeret, sic scribit: *Procedit novus Constantinus ad lavacrum*, deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas ge-„storum antiquorum, recenti „latice deleturus. Cui ingresso „ad baptismum, sanctus Dei „(Remigius) sic infit ore fœcun-„do: *Mitis depone colla Si-„camber: adora quod incen-„disti, incende quod adorasti*, curaverat quippe S. Remigius ex una parte fontis collocari imaginem crucifixi, Deiparæ, ac Sanctorum, aliaque Ecclesiastico ritui sacra vasa adhiberi solita; ex altera vero parte, idola, & signa superstitionum; quibus fidem habuerat: hæc everti, destrui, incendi; illa coli, & adorari mandat, dicens: *incende quod adorasti, adora quod incendisti.*

Si adorasti Iovem, Mercurium, aliosque Deos, eos destrue, & in ignem conjice; Christi in Crucem suffixi, aliorumque Sanctorum imagines destruxisti, combussisti, illas cole, illam adora. Fecit, atque omnem idolorum cultum, ad veram religionem convertit.

Tu Plutum, tu Bacchum, tu Venerem veneraris, & adoras: *incende quod adorasti.* Quin & verus Constantinus, suadente *Silvestro*, evertit, destruxit, incendit, quod adoravit; erexit, ædificavit, adoravit quod incenderat; b *omnia plane contraria persecutoribus Imperatoribus officia explens*, quod & mille prope argumentis apertissimè demonstravit: illi Christi famulos domiciliis, & laribus orbatos, in exilium ejicere: hic eos omnes domum revocare, & propriis sedibus restituere. Illi eos i-„gnominiis appetere: hic, „honoratos & in omni con-„spectu illustres reddere. Il-„li piis viris vitam eripien-„tes, inique eorum bona pu-„blicare: hic illos pluribus „muneribus benignè & libera-„liter excipiens, ad pristinum „statum reducere.

Illi delubra dæmonibus magnificè exornare jusserunt: hic eadem ipsa suis quibus nitebantur fundamentis, deturbare. Quin etiam in tabulâ depictâ, quam in sublime ante palatii vestibula suspenderat, salutare passionis insigne expressum, omnium oculis contemplandum proposuit: inimicam autem illam, & hostilem belluam, quæ Ecclesiam Dei impiorum tyrannide oppugnasset, in altum demersam draconis specie, & figurâ describendum curavit: sacra enim oracula, eum draconem, & tortuosum serpentem nuncupant. Et propterea Imperator quo occultum humani generis hostem Diabolum suorum pedibus conculcatum per-

a Gregorius Turon. de gestis Franc, l. 2. c. 31, Baron. a. Chri. 499. n. 21.

b Baron. a. Chri. 324 n. 131. Euseb. vita Constant. l. 3. c. 3.

,, spicuè significaret, draconem
,, medio ventre transfixum, &
,, in profundum maris præcipi-
,, tatum, subtili & artificiosa pi-
,, ctura, sub omnium aspectum
,, contemplandum subjecit.

Quam imaginem, quis ambigat depictam, in memoriam stupendi illius prodigii, quod *S. Silvester* perpetravit, dum de tartareo monstro triumphavit? draco quippe ingens Romæ in specu subterraneo repertus, qui Cerbereo suo halitu, *a* ita urbem infecerat, ut ad trecenta indies funera numerarentur, quam plagam sacrificuli ob eversa idola immissam jactitabant. Sed S. Silvester cœlitus à S. Petro monitus, in cryptam facile per 180. gradus, cum Cruce, & tunc descendit; & draconem ligavit, juxta illud Ioannis vaticinium: b *Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas, & ligavit eum, & misit eum in abyssum.*

Is etiam vobis animus esse debet, ut apprehendatis draconem, & serpentem antiquum pœnitentiæ catenâ alligetis: c *Dum enim contritioni confessio, confessioni satisfactio, satisfactioni dilectio proximi* (velut annulis) *concatenatur, fit maxima catena, qua quis ligat dæmonem, serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas. In dracone notatur Spiritus superbiæ in serpente cogitatio venenosæ luxuriæ: in Diabolo malitia discordiæ. Hæc omnia vir justus ligat, dum draconem superbiæ, coërcet cordis contritione: serpentem luxuriæ, confessione: Diabolum avaritiæ, satisfactione, & eleemosynarum largitione.* Vel ut brevius Victorinus: d *Qui decalogi fideliter præcepta impleverit, & contra impuros mores, vel impuras cogitationes intra cordis cubiculum vigilaverit, ne dominentur ei; apud illum recte* LIGATUS EST DIABOLUS.

Denique ut aliquando finem imponam, si sanctissimo huic Pontifici, pro modulo quisque suo assimilari, eumque æmulari voluerit, omnia in horto animæ vitiorum zizania evellat: prava desideria dissipet: omnem affectum creaturarum, quas hic instar Idoli perditè amavit, destruat: omnesque nudas tabulas, & fœdas imagines domo sua deturbet; jamque mutatus in virum alterum, virtutum flores menti inserat: suo omnes probitatis ac pietatis exemplo ædificet: domumque suam interiorem & exteriorem Imaginibus Sanctorum, quos toto hujus anni decursu celebravimus, exornet; ut vel conspectu suo, vos ad sui imitationem accendant atque inflamment: nam ut aurea sua eloquentia Chrysostomus: e *Possumus nos quoque esse, quod sunt, si faciamus ipsi quod faciunt.*

Sic legimus apud Lacedæmonios in senatu, aulaque nobiliore appensas imagines, & statuas eorum omnium collocatas, qui vel in togâ, vel in pulvere Martio,* de Republica

a S. Vincent. ferm. de S Silvestro Baron. an. Christ 324 n.97 & 102
b Apoc. 20. c S Anton. fragment. in Apocal. La Haye in Apoc.c.20. n.21.

d Victorin. in Apoc cit. e Chrysost. ferm.3. de Martyrib. tom.3.

essent quam optimè meriti, adjecta etiam, transmissaque ad posteros omnes hac epigraphe:

Si fueritis sicut illi, eritis sicut illi.

Quæ illi quondam recepto inter suos, probatoque more, hæc ego apud vos, fecisse mihi videor, dum invictissimos Christianæ militiæ duces, fortissimos Heroes, generosissimas Amazones, leviore quidem penicillo, sed nativo tamen colore, velut animata quædam virtutum omnium simulacra hoc opere depinxi, quibus & subjici poterit hoc lemma, & oculis, animisque vestris objici:

Si fueritis sicut illi, eritis sicut illi.

Quod si ita annum concluseritis, cum illis in æternum vivetis, *a*

Et mage principio grata coronis erit.

a Martial. l. 10

D E

DE COMMUNI SANCTORVM MARTYRUM.

Sicut fragmen mali punici. Cant. 4. v. 3.



Frangat oportet.

ARGUMENTUM.

MAlum Punicum, purpuratorum Martyrum verum ac vivum ſymbolum eſſe, punicea quæ fiſſo cortice renident grana, ſatis teſtantur: quæ ut fœcundo germine in mille millia ubertim pullulare conſueve-

ſueverunt, haud aliter *ſanguis Martyrum*, qui, magno teſte Tertulliano, a *ſemen eſt Chriſtianorum*, in eam multitudinem excrevit, ut cum Propheta *b* exclamare liceat *Generationem ejus quis enarrabit ?* Hoc tamen maximè deplorandum, ac deteſtandum occurrit, non pauciores mundi, carnis, ac diaboli Martyres numerari, qui longè atrociora, quàm plures Chriſti Martyres perpeſſi ſunt. Hos inter, gentiles, Hæretici, quin imò ex Orthodoxis, avari, temulenti, laſcivi, invidi, iracundi cenſendi ſunt; quos omnes miſeranda hic carnis tyrannide divexatos, ut Cyprianus loquitur, in magno illo die Revelationis, ad ruborem noſtrum diabolus inducet, in æternum cruciandos. Quin potius vos, heroica ſanctorum Martyrum facinora ad ſui æmulationem inflamment, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Nec eſt, quòd quiſquam veſtrûm dicat, c *quod temporibus noſtris Martyrum certamina eſſe non poſſint: habet enim & pax noſtra Martyres ſuos*; Religioſos cumprimis viros, ac fœminas, qui per quotidianam corporis afflictationem, paupertatem, caſtitatem, obedientiam, non ſemel Chriſto morientes, quadam ratione Martyres nuncupari, atque inter illos numerari poſſunt. Ipſos etiam homines ſæculares, qui Martyres eſſe, & dici queant, illud irrefragabilis Doctoris probat teſtimonium: d *Tota Chriſtiani hominis vita, ſi ſecundùm Euangelium vivat, crux eſt, atque* MARTYRIUM.

a Tertull. In Apol. c. ult. b Iſa. 53. c Aug. ſerm. 250. de temp. d Auguſt. ſerm. 32. de Sanctis.

§. I. *Martyres Chriſti, multitudine innumerabiles, pe[r] fragmen mali Punici deſignantur.*

§. II. *Qui, quamque innumeri* Martyres *ſæculi, ac Satanæ*

§. III. *Novum genus Martyrii, quod ſine ſanguine omne[s] adipiſci valemus.*

D[E]

DE COMMUNI SANCTORVM MARTYRUM.

Sicut fragmen mali Punici. Cant. 4. v. 3.

MALUM Punicum inter omnia ligna silvarum, & florum decore, & frugum dulcore, jure meritissimo ceteris præcellere, manifesto vel ipsa natura indicio declaravit: dum quod nullis aliis plantis concessum est, fructus ejus, qui purpurea grana, *sanguini*, ut Pausanias loquitur, *simillima*, cortice cælant, insigni corona condecoravit. Unde in illo divini amoris Epithalamio, cælestis sponsus, non incongruè, malo Punico comparatur, ut disertè docet *a* Richardus à S. Victore: *Christus*, inquit, *in patiendo*, MALO PUNICO *potest assimilari, qui totus in pœna rubuit.* Ubi fractum est malum Punicum, & tanquam *mustum mali granati*, profluxit sanguis ejus pretiosus, & rubicundus, quo animæ dulciter reficiuntur. *Totus in pœna rubuit*, dum flagellis, spinis, clavis, lancea concisus, toto corpore pretiosus ille succus redemptionis nostræ promanavit, ut acutè observat *b* Liranus qui crucis arborem, malo granato conferre non dubitavit; sic etenim exponit illud Cant. 8. *Sub arbore malo suscitavi te. Dicitur autem hic sancta crux*, MALOGRANATUM, *quæ est arbor frugifera, ad designandum fructum crucis, qui est innumerabilis.*

Si ergo crux est arbor malogranatorum, apposite Christus malum granatum, & primus fructus, qui ex hac arbore pependit, nuncupabitur, cujus fructus, vel ex eo innumerabilis exstitit, quod ipse caput Martyrum, Rex Martyrum, & corona confitentium, innumera Martyrum grana germinarit, quod scite expressit celeberrimus Antistes Aresius, dum malo Punico, innumeris granis vermiculato, hoc breve lemma subjecit: *c Generationem ejus quis enarrabit?*

§. I.

Martyres Christi, multitudine innumerabiles, per fragmen mali Punici designantur.

DArius potentissimus *d* Persarum Rex, cum forte malum Punicum manu versaret, ejusque cortice inciso, gratissimo rubore conferta istic grana inter se constipata attentius contemplaretur, à fratre Artabano rogatus, quid ex rerum natura, tanta copia

a Richard. à S. Victore in Cant. part. 2. c. 2. Cant. 8. b Liran. in Cant. c. 8.

c Isa. 53. d Plutarch. Apopht. Herodot.

pia habere exoptaret? respondit, *tot Zopyros*, id est, tot fortissimos ac fidissimos Duces, qui pro se sanguinem fundere comparati essent, ut Zopyrus fecerat, qui sibi nares, & aures præsciderat, totumque corpus flagris cruentârat, ut his argumentis, Babyloniis fidem faceret, se à Dario profugum, à quo tam immaniter esset acceptus; atque hoc stratagemate, Babylonem ingressus, eam Dario tradidit.

Non aliud supremi militiæ Christianæ Imperatoris votum, ac desiderium est, quam in hac mortalis vitæ palæstrâ, tot quot malo Punico grana, invictissimos pugiles, ac fidelissimos Heroës numerare, qui pro ejus gloria propaganda, & Babylone omnis perfidiæ, ac gentilitatis evertenda, ad sanguinem usque decertarent. Horum multitudinem in Ecclesia (quæ ut infra videbimus, malo Punico rectè confertur) sancti Patres, aliique Ecclesiastici Historici demirantur. *a* Primi hujus malogranati flores, quos adversitatis turbo discussit, fuêre Innocentes parvuli, ab Herode occisi, qui ad quatuordecim millia, aut, ut alii ad 100. quadraginta millia numerantur, ut apud Deaponte videre est. Nonne verissimè solertissimus naturæ observator *b* Plinius: *Brevissima vita est punicis.* Unde Martialis *c* ea rosis comparat:

Aut imitata breves, PUNICA MALA *rosas.*

a Deaponte in Matth. cap. 2. vers. 17. Cornel. in Apoc. cap. [illegible] b Plinius lib. 16. cap. 44. c Mart. lib. 3. epig. 4[illegible].

Christi & Ecclesiæ *Generationem quis enarrabit?*

d Thomas Bozius Scriptor doctissimus, in suo immensæ eruditionis opere, de signis Ecclesiæ, statuit ex historiis, & actis Martyrum, *in una urbe Romana numerari plusquam trecenta millia Martyrum,* quos inter, recenset viginti septem summos Pontifices, in quorum cervices gladius persecutionis desævìit. De hac ingenti Martyrum multitudine, Romæ quiescentium, loquitur *e* B. Virgo ad Sanctam Brigittam: Si mensurares terram centum pedum in longitudine ,, & totidem in latitudine, & se- ,, minares eam plenam puris gra- ,, nis tritici, ita compressè, quod ,, non esset distantia inter gra- ,, num, & granum, nisi quasi ,, articulus digiti unius; quod ,, libet verò granum daret fru- ,, ctum centuplum; adhuc essent ,, plures Martyres, & Confesso- ,, res Romæ, à tempore illo, quo ,, Petrus venit Romam, usque ,, quo Cælestinus discessit. *Ge-* ,, *nerationem ejus quis enarrabit?* ,, Acutissimâ mentis acie, & infallibili fidei oculo, Joannes immensum hunc purpuratorum militum exercitum contemplatus, exclamat: *Vidi turbam f magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Ecquis numero comprehendere posset, quot in dira illa Diocletiani persecutione occubuerint, de qua Baronius *g* refert singulis mensibus, septemdecim millia Christianorum cæsa [illegible]

d Bozius de signis Eccl. l. 7. [illegible] c. 5. [illegible] 8. [illegible] c. 3. e Revel. S. Brigit. [illegible] f Apoc. 7. g Baron. ann. [illegible] 2.

se; multiplica hunc numerum, ait *a* Cornelius, per decem annos, quibus ea persecutio duravit, invenies vicies centena millia, sive duos milliones Martyrum, non Romæ dumtaxat, sed in variis Provinciis, ac Insulis, ubicumque gentium deprehenderentur. Vt fidem *b* non excedere videatur, quod affirmat Hieronymus, quovis die ad decem millia celebrari posse; Genebrardus *c* verò, ad sua usque tempora, non levi calculo, triginta millia Martyrum in dies singulos honorari posse. Quod nemo mirabitur, qui uno die, quandoque sex millia, sexaginta sex, totam legionem Thebæorum; quandoque undecim millia Virginum deleta legerit: *Possibile non est*, inquit *d* Euseb. *numero comprehendi, quanti quotidie pene per singulas quasque urbes & Provincias, Martyres efficiantur.* O quot exstant nostræ Catholicæ Religionis testes integerrimi, & omni exceptione majores! Magnus Gregorius *e* eos super arenam maris multiplicatos asseruit: ***Totum mundum fratres aspicite, Martyribus plenus est. Iam pene tot qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, super arenam multiplicati sunt: quia quanti sunt, à nobis comprehendi non potest.***

Hanc Martyrum multitudinem, profusumque ubertim cruorem, S. Bruno tradit designari immensis in veteri lege Deo mactatis victimis crebrò & studiosè instauratis sacrificiis innumerabilibus: f *Et has quidem sanctorum Martyrum passiones, eorum tantam sanguinis effusionem, illa holocausta, & illæ hostiæ significabant, quas quotidie sancti Patres sine numero immolabant. Vide modo, quantus animalium sanguis effusus est, quando templum Salomonis dedicatum est: ad centum enim & viginti duo millia mactata referuntur, in illius templi dedicatione.* g Iosephus scribit, uno die Paschæ, tempore Cestii Præsidis, agnos immolatos ad ducenta, quinquaginta sex millia, quingentos. Tum subdit: h *Non tantùm illo animalium sanguine delectatur Deus, quantum sanctorum Martyrum passione, quæ illis sacrificiis significabatur.* Ex quibus rectè concludes, cum Carthaginiensi Præsule: i *Illic Martyrum innumerabilem populum* & lib. de exhortat. Martyrii: *Martyrum populum non posse numerari.* Causam tantæ fertilitatis, ac fœcunditatis affert * Tertullianus, dum sic Iudices, & Tyrannos alloquitur: *Hoc agite boni Præsides, meliores multo apud populū, si illi Christianos immolaveritis. Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiæ nostræ, iniquitas vestra. Ideo hæc nos pati Deus patitur: nam & proximè ad lenonem damnando Christianum, potius quem ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ, & omni morte reputari. Nec quidquam tamen proficit exquisitior qualibet crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties*

a Cornel. in Apoc. c. 7. b Beierlinc theat. tit. Martyrium. c Genebrard. in psal. 78. A. i. p. de i... ratione Ch. i l. l. 3. c. 55. d Eusebius l. 8. hist. c. 4. e Gregor. hom. 27. in Euang.

f S. Bruno serm. 3. de Mart. g Ioseph. lib. 7. belli c. 17. h Bruno cit. i Cypri. l. de mortal. * Tertul. in Apolog. c. ult.

metimur à vobis : SEMEN EST SANGUIS CHRISTIANORUM. Ut enim semen, aut granum frumenti, ac longe uberius granum mali Punici, centesimum, ac millesimum reddit cum fœnore, sic & Martyrum sanguis, dum in terram effluit, ad instar fœcundissimi seminis sese multiplicat, & effundit in gentem magnam, quam denunciare nemo poterit.

Ita Hispania Malogranatum, Hermenegildum protulit, cujus sanguis fisso corpore, ceu cortice, à Patre Leovigildo, Rege Ariano fusus, & fratrem Recaredum, & totam Visigothorum gentem, ab Arianismo, ad Christianam fidem convertit, ut magnifice de illo Gregorius: a *Unus in gente illa mortuus est, ut multi viverent : & dum unum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem animarum, seges multa surrexit.*

b Philo Carpatius hos gloriosos pugiles, qui tot grana germinarunt, quot infideles suo sanguine, Christo pepererunt, *Paradisum malorum Punicorum, cum pomorum fructibus intelligit: quia veluti deliciarum horti, lavacrum sacri fontis habentes, & tanquam mala punica, foris rubentes, in laboribus, & ærumnis, ac demum sanguine Martyrii, complures homines, Christi fidei, veluti grana pepererunt, hisce tanquam parvulis fructus suavissimos arborum cal[...]ium ad fidei incrementum, & charitatis opera præbuerunt.*

Hoc super argumento non minus ingeniose, quam religiose disserit P. Ludovicus de Ponte, in illud c Cant. *Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ*: d Martyres, inquit, fortissimi Christi milites, pulchrè vocantur genæ Ecclesiæ, quæ Latinè *mala* vocantur, allusione facta ad malum Punicum, cum quo magnam habent similitudinem. Duæ autem rubicundæ genæ Ecclesiæ, sunt Martyres, in duplici sexu, virili ac muliebri; quia Deus inter omnipotentiæ suæ miracula, etiam in sexu fragili, victoriam Marty[r]ii conferre dignatus est, vel ob tuendam fidem, vel ob castitatem servandam. Rubent vero, tum ab eximia, qua flagrant charitate, tum à proprio sanguine, quem propter ipsum fundunt, innumeris tormentis confracti, ac conscissi.

Vultis ex infirmiori sexu, nobilissimum germen mali Punici, è quo plura grana in Ecclesiæ agro pullularunt?

Samaritana illa, ad quam verbum Patris, efficacissimam orationem habuit, postea *Photina* dicta, exquisitis tormentis excarnificata duos filios ac quinque fratres, præter alios complures Samaritanos Christo peperit, ut de ea Martyrologium Romanum 20. Martii, hisce verbis: *Eodem die sanctorum Photinæ Samaritanæ, Ioseph, & Victoris filiorum, &c. qui omnes Christum confessi, Martyrium sunt consecuti.* Ubi Baronius: *Agunt de ea* (Photina) Græci *hác die in menologio, feruntque eandem fuisse Samaritanam, de qua Ioannes Euange-*

a S. Greg. l. 3. dialog. c. 31. b Philo Carpat. in Cant. 4.

c Cant. 4.
d Lud. de Ponte in Cant. l. 7. exhort. 10. §. 2.

lista

lista c. 4. Cujus caput Romæ asservatur in Basilica S. Pauli, ubi inter alias Sanctorum Reliquias, illud sibi ostensum scribit *a* Cornelius noster.

Porrò Franciscus Bivarius, in commentarioChroniciL.Dextri, ad annum Christi 60. pag. 117. ex actis Martyrum Italicensium, quæ Ieremias Patriarcha Constantinopol. a. Christi. 1580. è Græco in Latinum transtulit, narrat Samaritanam hanc, apud Carthaginem in Africa prædicâsse Euangelium Christi, ideoque cum duobus filiis, Victore, & Ioseph, ac quinque sororibus, Anatolia, Photio, Photide, Parasceve, & Cyriaca, sub Nerone illustre obiisse Martyrium: nam primò in carcerem teterrimum detrusi, inde in ardentem clibanum totis tribus diebus missi. A quo indemnes extracti, semel & iterum veneno potati fuere: plumbo etiam & resinâ in liquorem redactis, in ore Photinæ, & in auribus ceterorum, sine detrimento susceptis, sæpius bovinis nervis cæsi, pectinibus quoque ferreis à capite in sublime suspensi, excarnificati, atque facibus ignitis ad Martyrum latera applicatis exusti; oculis demum erutis, iterum in carcerem venenosis animalibus scatentem reducti: quo tandem sine cibo, & medicamine miserabiliter interirent; sed cùm illuc Christi luce, ac visione perfunderentur, in pristinam sanitatem reducti, & oculorum beneficio restituti, ac miraculoso cibo tribus mensibus, ac diebus totidem refocillati, rursus ad novum adducti certamen, denuò flagris sævissime laniati, ad ultimum pelle detracta, frustatim cæsi, & capite amputato, illustrissimam Martyrii palmam perceperunt. Vna dempta Photina, quæ in veterem cisternam missa, indeque detracta, flexis genibus, impollutum Deo spiritum reddidit 20. die Martii, qui tum à Latinis, tum à Græcis, ejus memoria anniversaria celebritate colitur. His adstipulatur menologium Græcorum ad diem 20. Martii, quod sic habet: *Eadem die certamen S. Martyris Photinæ Samaritanæ, cum qua Christus locutus est, & Ioseph, & Victoris filiorum: nec non Sebastiani Ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves, & Cyriacæ germanarum sororum, qui omnes Christi fidem confessi, martyrij palmam consecuti sunt.* Concludit Cornelius: Videtur ergo „ Samaritana hæc suos filios, item fratres, ac sorores ad Christum, „ convertisse, ac cum iis Martyrii palmam accepisse.

Concludo & ego, cum venerabili Beda, in illud Canticorum: *Sicut fragmen mali Punici, ita gena tua.* abditam mysterii rationem enucleatiùs in fragmine expendendam, dum mali Punici grana, nemini comperta asserit, nisi eorum dissecto cortice; quo integro, atque illæso, abdita semper delitescere; Tum subjicit: *Sic sancta Ecclesia, quo eam amplius frangi adversis contigerit, eo clarius, quot virtutum grana, unius fidei tegmine complectatur, referat.*

a Illustre Martyrium Samaritanæ ejusque filiorum & sororum.

b Beda in Cant.

Unum hic maximè deplorandum, ac detestandum occurrit, Cacodæmonem mundi mancipia, suos Martyres, per longè duriora, ac diuturniora tormenta excarnificatos, non pauciores numerare, & Christo Iudici, ad ruborem nostrum exprobrare, ut pro rei indignitate, *a* S. Cyprianus severissimè exaggerat, dicens: *Ponat unusquisque ante oculos Diabolum cum servis suis, id est cum populo perditionis, ac mortis, in medium prosilire, dicentem: Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli nec sanguinem fudi; sed nec Regnum cœleste illis promitto, & munera mihi quàm pretiosa, quam grandia, quam nimio & longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant. Tuos tales Munerarios, Christe, demonstra. Quid ad hæc respondebimus, fratres charissimi.*

Dum Diabolus inducet, qui se, & filios, ac filias sibi immolarunt: dum eos inducet, qui crapulâ, ebrietate, Venere, vires & valetudinem insumpserunt: qui invidiâ, livore, irâ, carnem & ossa exederunt: qui in duello sanguinem, vitam, corpus, & animam prostituerunt: *Quid ad hæc respondebimus*, Auditores? miserandum horum infelicium Martyrum lanienam, vobis ob oculos proponam, ut non pigeat, ac pudeat nos ea pro benignissimo Redemptore, qui nos sanguine suo emit, & redemit, subire, ut in æternum vivamus: quæ filii tenebrarum, pro atrocissimo humani generis hoste exantlare non dubitant, ut in æternum pereant.

a Cyprian. serm. de Eleemosyn.

§. 2.

Qui, quamque innumer[i] Martyres sæculi, ac Satanæ?

1. Diabolus *b* inter suos Martyres in arenam prod[ucet] ... cet Lanistas illos Roman[os] ... super quemvis rigorem m[ona]sticum, ab omnibus se abstine[bant], insuper nullos labores, quamtumvis arduos recusare, vitam & sanguinem in apertum discrimen vocare non reformidabant. Sub uno Trajano, ut *c* Lipsius commemorat, gladiatorum decem millia, immani lanienâ sibi invicem carnifices Satanæ Martyres, occubuère. De his *d* Seneca: *Nihil habent, quo tegantur, totis corporibus ad i[ctum] expositi, numquam frustra manum mittunt.* Pergit porrò, eorumque carnificinam sævientis populi barbaro applausu accendi describit: *Occide, ure, verbera; quare parum audacter occi[dit]: quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis, & obviis pectoribus excipiunt.* In has leges ferreas jurabant, & cacodæmoni sacramentum dicebant: *e In ultionem, verbera & necem.* Acron in Horatium: *Gladiatores ita s[e] vendunt & cautiores faciunt ur[i] flammis, virgis secari, ferroque necari.*

Diabolus inter suos Martyres inducet Socratem, quem Philosophus Romanus omnibus i[n] exemplum fortitudinis propo[nit]

b Martyres diaboli gentiles ac id[o]lolatræ. c Lipsius Saturnal lib. 1. c. 11. d Seneca epist. 76. e Lipsius cit. l. 2. c. 5.

nit

nit: a *Si exemplum desideritis, accipite Socratem perpessitium senem, per omnia aspera jactatum, invictum fame, & paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant: & laboribus, quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus, sive uxorem ejus spectes, moribus feram, lingua petulantem; sive liberos indociles, & matri quàm patri similiores, &c. post hæc carcer, & venenum.* Ceterum ut *b* Tertullianus loquitur, *gloriæ animal*, enormibus flagitiis deditum, victima fuit non miserantis Orci: Socratem quippe in amoris fœcibus defixum, & impuro amore occupatum, fœdæ rei honestam larvam prætexuisse, & qui reipsa esset sparcissimus, affectâsse externa specie, animorum non corporum amatorem videri, fusè docet Reynaudus, in naturali Theolog. dist. 5. n. 157. Copiosissimè Theodoretus lib. 12. contra Græcos, post præmissam ex Platone Socratis temperantiam, quâ etiam esurientibus abstinentiam indicebat & devitationem obtutuum, aliaq; ejus monita, in speciem sanctæ, & solidæ virtutis ementita signa, hæc Socrate verus sanctimoniâ subjicit: mera verba hæc sunt, „ rebus factisque carentia: Socrates enim pulchrorum adolescentium causa, frequens gymnasia obibat, flagitiosoque „ spectaculo pascebat oculos. Id „ enim & Phædrus, & Charmides, & alii Platonis Dialogi testantur. Quæ verò Alcibiades de eodem Socrate loquatur, „ Plato quidem scribit; ego autem, ut Socrati parcam, potius obticebo: tantam ii Dialogi, Socratis ineptiam, ac petulantiam narrant: tantumq; „ incitamentum præbent lubricis ad peccandum hominibus. Interim hanc *Martyrem* „ *diaboli, & carnis mancipium*, „ ita suspexit Erasmus, ut jam „ more suo potus; & hilarior, exclamaret: b *Vix mihi tempero, quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis.*

c Sic & Catonem, sic Epictetum, sic Diogenem, in cujus demortui pera, duæ tesseræ, & effigies Amasiæ reperta, diabolus inducet.

Sed parum hoc, integras inter suos Martyres gentes, & nationes censebit. Quæ hodie apud Lacedæmonas solennitas maxima est, διαμαστίγωσις, id est, flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram *Nobiles quique Adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus parentibus, & propinquis, & uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabitur, majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus.*

Atque ut noveritis, quam miseri, ac verè miserandi hi Martyres, futilem ac inanem peritura gloriolæ fumum illos incitâsse asserit *d* Tertullianus, nobisque ad paria exantlanda, æternæ gloriæ laude exstimulat: *Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis, & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnat sub præmio lau-*

a Seneca epist. 104.

b Lib. cui titulus Quinti Euangelii professores c. 1. c Reynaud. de virt. & vitiis l. 1. n. 14. d Tertull. lib. ad Martyr. c. 4.

dis humanæ : possum dicere , modicæ sunt istæ passiones , ad consecutionem gloriæ cœlestis & divinæ mercedis.

a In Armuzia, ubi Pagoden Idolum adorant, cultris ac novaculis se incidunt, donec ex curru, in quo vehuntur, mortui decidant; qui verò de populo sub rotas curruum sese ultro conjiciunt, ac prosternunt, ut comminuantur, maximè glorioso mortis genere occumbere, nobilissimas Diis victimas sese exhibuisse jactantur.

Sed quæ hactenus adduximus, multum exsuperare videntur, *b* quæ Joannes de Sumarraga Minorita, primus Archiepiscopus Mexicanæ urbis, inde præscripsit, in epistola ad sui Ordinis congregationem collectam Tolosæ 1532. quod in sola illa civitate Mexicana, ubi diabolus colebatur, quotannis plusquam viginti millia corculorum, quæ puellorum, ac puellarum corpusculis evulsa, solita erant illi offerri; quibus congruit illud Psaltis regii: c *Immolaverunt filios, & filias suas dæmoniis.*

Quid ad hæc respondebitis, Auditores, qui ægriùs fertis filios, ac filias Deo vero, in Religione, ac virginitatis voto consecrari, quàm mundo, carni, & diabolo immolari?

2. Diabolus *d* inter suos Martyres inducet Hæreticos, qui ex merito flammis, aliisque atrocibus pœnis addicti, diabolicâ pertinaciâ omnia perpeti, quam errores suos, & falsa dogmata revocare maluerunt. Quorum constantiam sectarii frustra deprædicant; nam *si de passione gloriandum est*, inquit *e* Augustinus, *potest & ipse diabolus gloriari.* Et alibi propositis Christianorum vexationibus, subdit f *Non ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine, non solùm æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici, nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur; sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantùm: Beati, qui persecutionem patiuntur; sed additum est, propter justitiam. Ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia, quia justus ex fide vivit.*

Ejusmodi, quos Hæretici suo Martyrum albo inscripsêre, vocat Bernardus g *perfidiæ Martyres*, eorumque constantiam refert ad dæmonem, eorum animos possidentem; sic enim disserit: *Mirabantur aliqui, quod non modò patienter, sed & læti, ut videbantur, ducerentur ad mortem. Sed qui minùs advertunt quanta sit potestas diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. Nonne plus est sibimet hominem injicere manus, quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt. Denique Iudas suspendit seipsum, diabolo sine dubio immittente. Nihil ergo simile habet constantia Martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur.*

Quid? quod plerique Hæreticorum

a Histor. Soc. p. 1. lib. 9. n. 156.
b La Nuza tract. 7. §. 38. c Psal. 105.
d Martyres diaboli hæretici.

e Augustin. serm. 117. de diversis c.
f August. l. 1. de serm. domin. in mont. c. 9. g Bern. serm. 66. in Cant.

eorum, non ob falsa dogmata, sed gravissima, & maximè enormia flagitia; ob promiscuam inter quorumvis uxores Venerem, ob Sodomiam, quo Calvinus Genevæ turpiter notatus, ob occultas fornicationes, & horrendas in Deum ac Divos blasphemias, diaboli Martyres effecti sunt. Tales extitêre infames illi *Lolhardi*; de quibus *a* Spondanus: Ann. 1315. vigebat in Austria, & vicinis regionibus impia Hæresis, auctore *Lolhardo* quodam *Waltero*, multa continens ex inferno eruta capita, quæ *b* Trithemius recenset: videlicet, Luciferum „ cum ceteris dæmonibus inju„ stè cœlo pulsos fuisse, foreque „ aliquando restituendos; Mi„ chaelem autem, ceterosque „ Angelos, æternis cruciatibus „ deputandos: Beatissimam „ Mariam post partum non „ mansisse virginem: Domini„ cum corpus in sacramento esse „ Deum fictitium: Matrimo„ nium esse juratum meretri„ cium: perjurium non esse „ peccatum: Deum nescire, aut „ certe non punire mala, quæ „ sub terra fierent; unde & „ fornicabantur promiscue in „ locis subterraneis: ob quæ, „ aliaque abominanda, crema„ tum Coloniæ Anno millesi„ mo, trecentesimo, vigesimo „ secundo. *c* Suo quoque Martyrologio sectarii inserere possunt Pateros, & Bugares, quos Meyerus *Sodomiticos* appellat, & Anno 1235. multos ex iis obstinatos igne crematos, inter illustriores commemorant. His accenseri debet *secta impurorum*, *d* quæ Ann. 1340. detecta, & ortum habuit à quadam Adolescentula Cremonensis agri. Hæc externo cultu, jejuniisque & austeritatibus, sanctimoniæ exemplo cunctis prælucens, secreto sacrilegio cujusdam impurissimi Sacerdotis flagitiosam vitam agebat. Quousque sumpta audacia in publicum prodeundi, compositi ad omnem severitatis imaginem, vitæ sanctioris auctores videri voluerunt; Concionantesque passim fecêre assectarum ad decem millia: qui turpem privatim vitam agentes, in hominum conspectu verberabant sese, ac seminudi incedebant. Late pervagati, demum Mediolani detecti, Archiepiscopi monitu, Auctores scitæ ab Episcopo Cremonensi comprehensi sunt, & igni damnati: *e* Nec minùs commiseratione digni *flagellantium*, seu *cruciferorum* cœtus; quòd & præeuntibus crucibus procederent, & cruces singuli manibus gestarent, crucibusque rubris insignirentur in vestibus. Viri pariter ac mulieres, nudis umbilico tenus corporibus, bis palàm de die, sed fere histrionice, semel clam de nocte, nodosis & aculeatis funiculis ad sanguinem usque flagellantes sese, & invicem, divinamq; clementiam miserabilibus vocibus sua quiq; lingua implorantes, seseque in terram in modum crucifixi prosternentes; epistola quadam divinitus missa.

a Spondanus annal. Eccl. ann 1315. n. 5 b Trithem. In Chron. hoc anno. c Spondanus annal. Eccl. ann. 1235. n. 1, d Meyerus ann. 1236.

e Spond. ann. 1340 n. 4. f Chronicon. Belg. Walsingam in Eduard. III. Meyer. 13. g Spondanus ann. 1349. n. 11. & 3.

missa, adhæc se invitatos jactantes. In Belgio se illis sociarunt sectæ *Lolhardorum*, *Cellanorum*, *& Begardorum* ; *a* quin imò & perditissimi quique, fugitivi, decoctores, adulteri, seditiosi, homicidæ, latrones, omnium denique criminum rei. Ita Spondanus. Addit *b* Gerson, Cancellarius Parisiensis, istos flagellantes, sui carnifices, non curâsse de sacramentis Confessionis, vel pœnitentiæ ; potiorem ad delenda peccata hanc flagellationem jactantes, quin imò *eam* MARTYRIO *æquantes, vel etiam præferentes*, quòd ipsi ultro propriũ sanguinẽ funderent, cùm id Martyres ab aliis pati cogerẽtur.

Infinitus sim, si Sectas c *condormientium*, stupra nomine charitatis committentium, Hussitorum, Waldensium, Fratricellorum, Fanaticorum, inducere voluero ; qui Martyrologium Romanum prope adæquarent, miserrima carnis mancipia, sui tortores, & diaboli Martyres. De ejusmodi præclarè concludit Divus Cyprianus : d *Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est : ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit.* & paulò pòst : *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ : nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.*

3. Inter suos e Martyres, quod numquam satis, etiam sanguineis lachrimis deflendum, inducet diabolus etiam Catholicos, fidei ac gratiæ luce collustratos. Hic primum agmen ducunt avari Lucliones, qui opes in immensum congestas, habent pro Numine : nam avaritiam esse simulachrorum servitutem, Apostolus auctor est. Huic ergo falso Numini, ut obsequium irreligiosum exhibeant mortalium plerique, Vitam in ærumnis & cruciatibus multis, miserè prodigunt. Sanè *f* Petrus Blesensis, avarum quendam plusquam Martyrem describit verbis illis : *In habitatione terrena, nihil est nisi labor, & dolor, & quædam imago miseriæ infernalis. In vita & operibus tuis, tota fere facies inferni depingitur : Nec enim deest tibi unda Tantali, Titii jecur, rota Ixionis, urna Danaidum, saxum Sisyphi, dum inter divitias esuris, dum solicitudinibus anxiaris, dum cupiditate torqueris, dum ad illicita raperis, dum in saccum pertusum congregas, dum congregando divitias, labore continuo, & supervacuo, te affligis.* Quis autem Martyrum Christi, ea pertulit, quæ inferi ? sed & Augustinus avari tormenta, gravissimis Martyrum nostrorum rectè comparavit : g *Avarus dicit in corde suo, quia fortè non audit linguam suam; quis nos separabit à cupiditate auri? tribulatio, an angustia, an persecutio? Possunt & avari dicere auro : Propter te occidimur tota die. Optimè ergo dicunt sancti Martyres in Psalmo : Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Discerne,* inquit, *tribula-*

a Spond. cit. b Gerson tom. 1. operis, ubi quædam dubia reperies, quæ tibi solvet Gretzer. lib. 2. de descript. cap. 5. c De his vide Spond. tom. 1. in laudate tit. Hæresis aliosque quos citat d Cyprian. lib. de unitate Eccl. e 3 Martyres diaboli inter Catholicos avari.

f Pet. Blesens. ep. 91. g Aug ser. 10. de Sanctis

bulationem meam; tribulantur & avari. Discerne angustias meas; patiuntur angustias & avari. Discerne persecutiones meas, patiuntur & avari. Discerne famem meam pro auro acquirendo, esuriunt & avari. Discerne nuditatem meam; pro auro despoliantur & avari. Discerne mortem meam, pro auro moriuntur & avari. Quid est discerne causam meam? propter te mortificamur tota die; ille propter aurum, nos propter te. Similes pœnæ, sed discreta causa. Unum ex his, alterumve, *a* Tollenarius, in Ecclesiaste suo nobis proponit: Novi ego, inquit, in Belgio virum, qui cum heredi futuro, centena aureorum millia congregasset, ipse Seniculus, frusto panis, & casei onustus, supra viginti milliaria Italica pedes conficeret. Cumque meridie refectionis causa, ad hospitium divertisset, prolatis illis suis frustulis, hoc solum in sumptum adjici voluit, ut caupo medium cerevisiæ poculum sibi promeret. Tum caupo: hoc saltem, ô bone, genio tuo indulge, ut integrum promam poculum: nam filius tuus ante octiduum rheda magnificè vectus, cum hac iter haberet, in se, suosque (liberaliter vino refectus) decem aureos uno prandio expendit; tu saltem sesqui assis sumptum facere ne verêre. At ille: filius meus, qui mundi fastum sequitur, faciat, quod se decet, mihi mea sobrietas sufficit. *b* Hermocratem etjam ferunt ex morbo decumbentem, subduxisse rationes, quantum sibi in morbum, ac medicos esset erogandum, si convalesceret; cumque nimius illi sumptus videretur:

Nunc mihi mors votum, dixit, & obriguit.

Miserrimus verò fui, & diaboli *c* Martyr, Diuarchus Phidon exstitisse scribitur, qui cùm sibi laqueo vitam esset erepturus, quia sex chalcos funis constare dicebatur, abstinuit, & aliud vilius mortis genus quæsivit; tandemque moriturus, lachrimatus est, non quòd moreretur, sed quod minis quinque sarcophagus emendus esset. His consimiles Mercatores falsarii, usurarii, qui animam, quàm pecuniam perdere malunt; quorum miserrimam sortem, dum expendit Hipponensis Antistes, exclamat: d *Quid miramini fratres, si amatores Dei Martyres tanta pertulerunt, ut acquirerent Deum; Amatores auri, videte, quanta patiantur.*

4. Quarta classis Martyrum, quos diabolus exhibebit, erunt Helluones, erunt temulenti, Bacchi nepotes, quos chiragra, podagra, paralysis, apoplexia, atque omne morborum genus acerrimè divexat, pluresque crapula, quàm gladius, hujusmodi Martyres occidit, ac Baccho immolat. Eorum cruciatus graphicè depingit Chrysostomus: f *Resoluta*, inquit, *circumferunt corpora atque agmine quodam infirmitatum repleta, quibus ad cumulum malorum, podagræ, tremor, & immatura senectus accidit: & est eis*

a Tollenar. in Eccl. c. 2. sect. 6. prosa.
b Stobæus serm. 10.

c Idem ibid. Tollenar. cit. p. 294. d Aug. ser. 100. de diversis c. 6. e 4 Helluones & ebriosi. f Chrysost. homil. nemo læditur nisi à seipso.

vita

vita semper tum medicis, & medicamentis; sensus autem ipsi, tardi, graves, obtusi, & quodammodo jam sepulti. Nec pluribus hîc opus est, cùm ipsi medici, velut quotidiani carnifices, ut novas secando, urendo pœnas inferant, dolores illos podagricos nedum lenire se posse fateantur.

5. His a multo atrocius, per intima viscera tabe Venerea serpente, libidinosi excruciantur: qui fœdis, & illicitis ignibus ardentes; impurarum flammarum condignam mercedem, recipientes, putri & infami lue, florem ætatis depascente, imò medullas omnes, & universam substantiam, quæ vitæ pabulum est exedente, cum ingentibus cruciatibus, fœdis ulceribus obsiti, diu noctuque conflictantur, & superaddita, dum frustra levamen quæritur, immitis Chirurgi carnificina, nondum aditis vitæ metis, quas naturalis temperies præfigebat, præcoci obitu marcescunt, in summis angoribus, ac vivacissimis doloribus: confirmantes experimento suo, & muto saltem suffragio, verissime de impudicitia à Cyprian. pronunciatum: b *Obscœnum ludibrium reddens ministris suis nec corporibus parcens, nec animis.* Addit alia peregregie in hanc; ut vocat, *ruinam melioris ætatis, blandam prius, ut plus noceat, dum placet.* Testes hic scriptores medici ad manum sunt, Mercurialis, Fernelius, Fracastorius, lib. 2. de morb. contag. 11. & fuse in opere Syphilidis, l. 1. subjicit luculentum atrocis hujus Martyrii exemplum Juvenis Cœnomani, in quo naturæ, & fortunæ, & artis munera summa, miserrime, & inter acerrimos dolores, per hunc nequitiæ fructum absumpta, ita decantat:

Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Disperiit, vis illa animi: tum squallida tabes,
Artus (horrendum) miseros obduxit, & altè:
Grandia turgebant, fœdis abscessibus ossa.
Ulcera (proh divûm pietatem) informia pulcros
Pascebant oculos, & diæ lucis amorem,
Pascebantque acri corrosas vulnere nares.
Quo tandem infelix fato, post tempore parvo,
Ætheris invisas auras, lucemque reliquit.

An non jure Boëtius, fœdas has voluptates, c *intolerabiles dolores, quasi quendam fructum nequitiæ, fruentium referre corporibus.* Habet itaque maxime in illos locum, quod d Joannes Gerson contra luxuriam disputans, & retundens vanam quorundam excusationem in peccato, ob difficultatem penandi carnem, sanctè contestatur: esse quidem aliquid laboris in carne domanda, & ne illicitis ardeat

a 5. Libidines. b Cyprian. lib. de bono pudic.

c Boëtius l. 3. de consolat. prosa 7. d Gerson p. 4. Alphab. 23. litt. O sive sermo in dom. 4. Advent.

ignibus tempetando, sed multo acerbiores pœnas, & acutiores dolores existere à spurco amore, quo habenæ carni laxantur: tantosque esse agnoscit cruciatus illos, ut ad diaboli Martyrium possint sufficere. Unde concludit: Avarus *mercator, & stultus amator*, MARTYRES SUNT DIABOLI; & hi quidem adeò frequentes, ut Hieronymus Capivaccius Medicus *a* Patavinus lib. de lue Venerea c. 2. narret ab iis, qui hac fœtidissima lue infecti, ejus se curæ commiserant, plusquam octodecim millia coronatorum se consecutum fuisse.

6. Nec *b* pauciores, ira, invidia, ambitione exstimulante, MARTYRES SUNT *diaboli*. *c* Uno Galliæ regno, decennii spatio, ad octodecim millia, in duello, corpore & animo periêre, omnes nisi intra mortis & vitæ confinia, quibusdam lucis divinæ gratia affulserit, *Martyres diaboli*, in æternum excarnificandi.

d O sortem horum infelicium Martyrum miserandam! qua & Aulicos complures, & conjugatos, sæculi & carnis mancipia involvi, multis prosequitur Raynaudus, apud quem, qui volet, longum eorum Martyrium, per exquisitos cruciatus, legere poterit.

Ex quibus omnibus hactenus enarratis, nemo non sanæ mentis, facile dispiciet, multo satius pro Christo hîc quosvis dolores, & cruciatus æquanimiter, & patienter tolerare, imò ultro expetere, & amplecti, ut inter sanctos Martyres annumerari valeamus quàm longe atrociora hîc, & in æternum perpeti, ac inter Martyres mundi, carnis, ac diaboli, inferni ignibus sine fine torqueri.

Quare id unum hodierna luce agam, & pro viribus satagam, ut qua ratione viri Religiosi ac mulieres, conjugati, cœlibes, nobiles, ignobiles, vos omnes, quotquot estis, felici beatorum Martyrum catalogo adscribi, atque inter Christi Martyres numerari & coronari possitis, ostendam.

§. 3.

Novum genus Martyrii, quod sine sanguine, omnes adipisci valemus.

VT sanctorum Martyrum solennia condignis celebremus obsequiis, & debitis prosequamur honoribus; nihil aptius dici posset, quàm illud Oratoris *d* aurei: *Nemo est, qui nesciat, Martyrum glorias, ad hoc divino consilio à populis frequentari, ut & illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla, favente Christo, monstrentur, ut dum hac ita celebrari perspicimus, cognoscamus, quanta eos gloria maneat in cœlis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris: quo possimus etiam ipsi talibus provocari exemplis, virtute pari, devotione consimili, ac fide, ut Christo præstante, dimicare, & vincere hostem possimus.*

a Pontani Attica Bell. p. 1. mira cap. 4. b 6. Iracundi invidi ambitiosi. Gerson cit. à Burgundia de vanitate. tit. optata vindicta. c Raynaud. de Marytrio per pestem part. 1. c. 6, n. 5. 6. 18.

d Chrys. ser. 1. de Martyribus.

Vt

Vt parta victoria cum iisdem Sanctis, in regnis cælestibus triumphemus.

Verùm hoc in nostra potestate non est, laurea cruenti Martyrii coronari: nam neque nos nobis manus afferre possumus, nec alios lacessere, ut ipsi afferant: tum quia id nimiæ esset præfidentiæ, tum etiam, ut ait *a* S. Thomas, quia alteri causa daretur impiè agendi, quod repugnat charitati. Aliud itaque, illudque incruentum *b* D. Augustinus omnibus proponit Martyrium: *Non putemus*, inquit, *tantum in effusione sanguinis esse Martyrium: semper Martyrium est Christianis, & Religiosis.*

Ac primùm quidem *c* Religiosos Martyres nuncupari, disertissimè tradit *d* Hieronymus, ad illud Psalmi: *Dirupisti, Domine, vincula mea.* Ubi sic habet: *Catenis suorum peccatorum unusquisque constringitur; sed in Martyrio meo, dirupisti vincula peccatorum meorum. & de vinculis plicasti mihi coronam victoriæ. Itaque tibi sacrificabo hostiam laudis. Post Martyrium ubi sacrificat? in regione vivorum. Sacrificabo*, inquit, *tibi sacrificium. Quale sacrificium? nunquid hircum, aut vitulum? illa Iudaica erant, & transierunt. Sacrificabo tibi hostiam laudis. Hæc est laus Martyrum: sicut enim Martyres laudant Dominum purè in regione vivorum, ita & Monachi, qui die, & nocte psallunt Domino, debent eandem puritatem habere Martyrum,* SI QUIDEM IPSI MARTYRES SUNT. Expressiùs *e* Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus, hoc Religios[æ] vitæ Martyrium ita depingit: *S[o]litariam ducunt vitam, Cœnobi[o]rum custodiunt regulas,* MARTY[R]IIQUE SPIRITUALIS I[N]AT[…]GANTUR AGONE. *Nam et si per[]sonalis minimè persecutor appare[]at, non tamen deficiunt à diabolo[…] hominibus, nec à sensualitate illa[…]tæ molestiæ. Ab his nemo justu[s] liber existit; adeò ut verum es[se] probetur, quod ait Apostolus: Om[]nes, qui piè vivere volunt in Chris[to] Iesu, persecutiones patiuntur. E[t] quidem tentationibus variis inse[]quitur diabolus Sanctos, ut eos a[…]vertat à Christo. Porrò ab homini[…]bus inferuntur rerum damna, ho[…]micidia, detractiones, atque con[…]vitia. Cupiditatibus, ac voluptati[…]bus blanditur caro, ut sæculi s[e]ctentur illecebras, quod est diru[…] persecutionis genus.* OMNIBU[S] QUIPPE HIS: PRO AMORE DI[…]VINITATIS REPUGNARE VIR[I]LITER, MARTYRII PERDUC[…] AD PALMAM.

Ex omnibus Christianis ope[…]ribus nullum præstantius, null[…] præcellentius Martyrio? nam c[…] charitas, à qua illud opus proce[…]dit, maxima virtutum est, & in[…]ter omnia charitatis opera, h[…] maximum: & malum, quod in e[…] perfertur, omnium acerbissimu[m] nempe mors: & bonum, quod re[…]linquitur, quod est ipsa vita, om[…]nium gratissimum. Sed hæc ta[n]ta, si cum Religioso statu conf[e]rantur, ut in quibusdam exsup[e]rent, in multis tamen adæqua[…] imò & exsuperari SS. Patres co[n]tendunt. in Martyrio e[…] grandior est alea, majusque [p]er[i]culum, quia multos audivim[…] fortes, & alacres, sese tyrann[…] stitiss[…]

a S. Thom. 22. q. 124. a. 1 b S. Aug. serm. 60. ad frat. in Erem. c Religiosi Martyres Christi. d Hieron. in Psal. 155. e Laur. Iust. opusc. de contemp. mundi, cap. 6.

iriffe; adhibitis tandem acerrimis tormentis, turpiter naufragium fecisse, ut ille ex Pacomii familia, qui cùm importunis precibus à Pacomio extorsisset, in occasionem quandam Martyrii captandi dimitteretur, cecidit miserè & ad monasterium reversus, donum illud ingens, religionis disciplinæ restauravit. *a* Cyprianus quoque complures luget, qui turpiter victi, ac prostrati, Christo terga dedere. Contrà vero Religio, tanto discrimini exposita non est, cùm tota ejus ratio magis ad naturam humanam accommodata sit: & quæ dura & molesta sunt, quibusdam condimentis soleat emollire. Alterum est, Martyrium quidem majores & acerbiores inferre cruciatus; Religio autem per longiora & diuturniora tormenta eos consumat: *Genus quippe* MARTYRII, inquit *b* Bernardus, *spiritu facta carnis mortificare: eo nimirum, quo membra cædunter ferro, horrore quidem* MITIVS, SED DIVTVRNITATE MOLESTIUS. Ipsa tria Religionis vota singula, ut alias quotidianæ austeritates, & molestias missas facimus, Religiosum Martyrem faciunt. De paupertate cumprimis idem illi Doctor mellifluus pronuntiavit: *c Quid sibi vult, quòd idem promissio facta est pauperibus, & Martyribus? nisi quia verè* MARTYRII GENVS PAVPERTAS VOLVNTARIA EST. Quod Martyrii genus illustrius, quam prædiis, ac nobiles filios & filias spretis mundi facultatibus egere, refectis lautis epulis, variisque cupediis esurire: se positis pretiosis vestibus, omnique corporis ornatu, algere? *d Quid mirabilius, aut quod* MARTYRIUM *gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi, inter divitias, quas affert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ille appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit? e* Quod alibi, paupertatis commoda & molestias enarrans, pluribus comprobat. Dorotheus *f* quoque Religiosæ paupertati, tribuit rationem Martyrii. Nec injuria, cum Isaias g *paupertatis caminum*, in quo excoquantur homines, agnoscat. Nec dubitavit *h* Chrysostomus pauperes, cum pueris in Babylonicam fornacem conjectis conferre, quia fornacem, & flammam tolerant utrique; & pauperes quidem multo ardentiorem, in qua si non cremantur corpora, qui eam voluntariè ad Numinis cultum excipiunt, divinæ potentiæ opus est, quale circa Babylonios pueros est proditum, non autem humanæ virtutis, aut restinctæ flammarum acrimoniæ argumentum.

Castitati quoque nomen, & prærogativa Martyrii, non semel adscribitur, ut fusè *i* supra demonstravimus.

* Obedientia denique, qua voluntatem propriam immolamus, ut durissimum, sic & illustrissimum Martyrii cujusdam nomen, ac decus sibi vindicavit. Porro si innumeros Ecclesia Martyres

a Cyprianus serm. de lapsis. b Bern. serm. 2. in cœna Domini. c Bern serm. 1. [illegible] Sanctis.

d Bern. cit. e Bern. serm. 20. in Cant. f Doroth. doct. [illegible] g Isa. 48. h Chrysost. hom. 18. in 2. Cor. i Vide [illegible] S. [illegible] § 3. * Raynaud. Martyrium per pestem P. 1. c. 4.

cele-

celebret, quos carnificis gladius capite plexit, quin & ii jure optimo, martyrii palmâ decorandi, quibus obedientia propriam voluntatem decollavit? de qua sic S. Bonaventura: [a] Obedientia *palma triumphalis est, & nobile genus martyrii, quæ decollat propriæ voluntatis caput*; Nec minus apposite ad rem præsentem Doctor religiosissimus [b] Thomas Kempensis, sic suos Novitios affatur: O dilecti fratres; „ qui in Religione sub obedien- „ tia statis! si fideliter imple- „ tis, quod vovistis, *Martyres e-* „ *stis*, aut adhuc quotidie patien- „ do fieri potestis: nam toties „ novas coronas, & margaritas „ pretiosas pro certamine vestro „ accipietis, quoties singula „ membra vestri corporis, quo- „ tidianis laboribus pro Christo exponitis. Omnis Religiosus in obedientia vivens, paratus suam voluntatem frangere, atque Prælato suo nitens obedire, *iste veraciter in spiritu Martyr efficitur, quamvis materiali gladio in collo non feriatur.* Vbi & illud Martyribus proprium expendit, quòd sibi certos cruciatus, aut mortem non elegerint; sed illatam libenter exceperint: legimus [c] „ etiam de sanctis Martyribus, „ quòd per diversa tormentorum „ genera transierunt ad regna „ cælorum: qui non elegerunt „ pro sua voluntate, qualem pœ- „ nam, aut mortem paterentur; „ sed totaliter divinæ ordi- „ nationi se commiserunt, & „ corpus & animam creatori „ suo, ad omnia sustinenda constanter obtulerunt. Quando igitur aliquis vestrûm audit præceptum sibi contrarium à Prælato imponi, & tamen paratus est obedire, si tunc etiam vim sibi ipsi inferre conatur, atque murmurationem insurgentem compescit & necat, tunc gratissimum Deo sacrificium in ara cordis immolat, *& cum Martyribus*, de hoste victor sui ipsius factus, strenue *triumphat*. Hos autem non semel; ut ali[i] gladio percussi, sed toties Martyres fieri; quoties obedienti[æ] colla submittunt, idem ali[bi] testatur, dicens: Modo compelluntur ad sui custodiam introire; nunc huc, illucque discurrere; nunc etiam quieti consistere; modo paulo plus vigilare: & paulò pòst, vigilias non protrahere; nunc quodlibet protinus abiicere etiam, quod horrent, sine mora perficere. *Si est aliquod genu[s] supplicii, quod Martyres faci[t], tunc maximè illi Martyres [f]unt, qui toties verbo Dei, ta[m] quam gladio submissi plectuntur quoties sibi ipsis per obedientia[m] moriuntur.* Sic è priscis illis A[]nachoretis Abbas Pambo ce[r]suit, ad quem dum quatuo[r] Monachi viserent, è quibus un[us] jejuniis, alter paupertate, terti[us] charitate in proximos insigni[s] quartus, sub obedientia duos [&] viginti annos se vitam traduxi[sse] se commemoraret, postremu[m] ceteris prætulit, & Marty[ri] comparavit.

Quæ omnia si in compendiu[m] conferantur, non unum sed plur[a] in Religione Martyria, aut cu[m] S. Hi[...]

[a] Cit. Velasques in Philip. tom. 2 pag. 194 [b] Thomas Kempen. serm. 11. ad Novitios. [c] Idem.

S. *a* Hilario *quotidianum Martyrium*, esse comperiemus. Quod reipsâ Paphnutius, insignis ex Monacho Martyr ostendit, qui non mitius modò, aut æquale, sed durius etiam & acerbius, cruento martyrio, esse quotidianum hoc Religiosorum martyrium, palàm contestatus est: nàm Ariano Ægypti Præside universum exprimendæ in ipsum crudelitatis apparatum, equuleos, sartagines, secures, scorpiones, aliaque feralia instrumenta ostentante, ut sancti viri animum emolliret, & ad impura sacrificia traduceret, intrepidè respondit in hæc verba: Putasné tua hæc tormenta adeò mihi horribilia videri, ut propterea Deum verum negandum putem? quin *imò hoc scito, nostras monasticas constitutiones, multo plura in se tormenta continere*; quoniam in multis exercitationibus assiduè tentamur. Sed Salvator noster ita nos corroborat, ut omnia perferre, & superare possimus. Quare idem etiam nunc corroborabit ad tuam hanc sævitiam exsuperandam.

Jucunde hoc ipsum, & festive declaravit Bernardus, *b* qui cum in Theobaldi Principis viri itione, magnæ turbæ occurrisset, quæ insignem latronem, ac sicarium, ad patibulum deducebat, ad eum in medio agmine accedens, dedi sibi hominem postulavit, velle eum se propriis manibus suspendere. Inter quæ Theobaldus, ipse de sancti viri adventu certior factus cùm ac curisset, ratus eum ignorare quis esset, ingentia ejus crimina commemorare, & magnopere contestari cœpit, eum esse capitali supplicio dignissimum. Tum verò Bernardus: Novi, inquit, novi hæc omnia: atque ob hanc ipsam causam, quia non una mors, ejus sceleribus sufficit, plures ei mortes inferre statui. Sic igitur solutum ac liberum, ad suum perduxit monasterium: in quo Monachus effectus, per triginta annos quotidie, ut ait Apostolus; moriens, supplicium quod semel & simul, brevi compendio subiisset, multiplici in cælis laurea à se indies longe truculentius exegit.

Subnecto his, ad Religiosos viros breve, sed efficax S. Bernardi protrepticon, in eos qui cruces, rotas, sartagines, & truculentum spirant martyrium, interim non ad verbera, sed ad verba, ad minimam acûs puncturam concidunt penitus, & exanimantur. Hic itaque festo S. *c* Clementis, sic quodam miro zelo accensos perstringit: *Vt quid ergo? non possumus & nos cum Beato Clemente, Christi bibere Calicem? sed fortè respondent aliqui: Possemus, si opportunitas non deesset; sed persecutionis tempus cessavit. At ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? in minimis probate conflictib9, quàm viriliter in majori certamine stare possitis.* Molles, ac teneri, urticas contrectare non audemus, quæ à virginibus Martyribus confricatæ non doluerunt. In

a S. Hilar. orat. de S. Honorato. Metaphrast. Surius 28. April. b Platus de bono status Relig l. 2. c. 12. in fine.

c Bern. serm. de S. Clem.

his ergo parvis, & exiguis carnis molestiis nos frangi non oportet: *Ecce enim vobis* (ô Religiosi) *non dicitur, sacrificate idolis, & vivite; aut si hoc non vultis, oportet vos diversis suppliciis interire. Novit Dominus figmentum nostrum, nec dat nobis tam forte certamen, &c.* a Quæ prolixiùs ibidem pertractat. Sed ad Sæculares festinat sermo noster, ut quemadmodum & ipsi inter SS. Martyres censeri possint, videamus. Luculentum extat D. Augustini testimonium: b *Tota Christiani hominis vita, si secundùm Euangelium vivat, crux est, atque* MARTYRIUM. Idque ex eo probatur, quòd si Christianus ita constitutus sit, ut mori malit, quam Dei præcepta violare, verus ille Christi testis, id est, Martyr existat. Vnde Clemens Alexandrinus: c *Quicumque Servatoris mandata exequuntur, in unaquaque actione* SUNT MARTYRES, *id est testes; facientes quidem quod vult, consequenter autem nominantes Dominum, & reipsâ testantes ei, cui credunt, esse carnem, cum eam cruci affixerint cum vitiis & concupiscentiis.* Tales innumeri, & quotidie inter vos Martyres esse possunt, testante Ambrosio, cùm dixit: d *Quotidie testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum judicium, temerandam mentis, & corporis castimoniam non putasti;* MARTYR ES CHRISTI. *Tentatus es spiritu avaritiæ, ut possessionem minoris invaderes, indefensa viduæ jura temerares; & tamen contemplatione cælestium præceptorū opem magis ferendam quàm inferendam injuriam judicasti, testis es Christi. Tentatus spiritu superbiæ; sed videns inopem atque egenum, pia mente compassus es: humilitatem magis quàm arrogantiam dilexisti, testis Christi. Ille ergo testis est Christi, qui adstipulantibus factis, Domini Iesu præcepta testatur. Quanti ergo* QUOTIDIE IN OCCULTO MARTYRES *Christi* SUNT, *& Iesum Dominum confitentur:* sunt & alii, qui non modò præcepta servando, sed & passiones frenando, sublimius quoddam genus Martyrii sectantur: nec minorem in pace cum hisce animi monstris, quàm olim in persecutionibus cum belluis Martyres, depugnando, luctam sentiunt. Hinc non est, quod quis sibi occasionem jactet deesse Martyrii: e *Nemo dicat, quod temporibus nostris Martyrum certamina esse non possunt: habet enim & pax nostra* MARTYRES suos. *Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, Iustitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare magna pars Martyrii est.* Quisquis vestrûm pauperiem, famem, calumniam filiorum, fortunarum jacturam, morborum ac dolorum carnificinam patienter tolerat, Martyrio coronatur: non eo, quo funditur, sanguis & animus tormentorum vi exprimitur (sed alio, quod vobis erit à longiore, invictaque in malis patientia & tale fuit patientis Iobi, de quo elatè D. f Chrysostomus: *Non solùm in ligno suspendi Martyrem facit:* Iob enim

a Sæculares Martyres Christi. b Augustin. serm. 32. de Sanctis. c Clem. Alexand. lib. 4. Strom. d Ambr. serm. 20, in Psal. 118.

e Aug. Serm. 250. de Temp. f Chrysost, hom. 25. ad popul.

im nec carnificem widit, neo [s]penſus in ligno, nec circa [v]era laniatus eſt; attamen [M]ULTIS MARTYRIBUS [G]RAVIORA PASSUS EST. *Ete-[ni]m per omnia pugnabat, & per [o]mnia coronabatur: per pecunias, [pe]r filios, per corpus, per uxorem, [pe]r amicos, per inimicos, per ſer-[vos], per famem, per cibos, per do-[lor]es, per fœtorem, per hæc, in-[qu]am, non uni, vel duobus ſed* [PL]URIBUS ERAT MARTYRIBUS [com]*parandus*. Ecce ut, teſte Chry-[ſo]ſtomo, imò & cœlo judice, [qui] quoque à patientia fuit, erit-[qu]e Martyrii corona.

[T]andem ut concludam, unde [o]rtus ſum, juvat *a* Richardum [Vi]ctorinum audire, qui ſuper il-[lud] Cant. *Sicut fragmen mali Pu-[ni]ci*, &c. ſic ait: *Ubi frangitur ma-[lum g]ranatum, ibi grana videntur: [i]n anima perfecta latent virtu-[tes]; ſed dum pulſatur adverſis, [cogn]oſc[i]tur.*

[E]t paulò pòſt: *Fragmini mali [pu]nici comparantur genæ devotæ [ani]mæ, quæ intrinſecus habet di-[ver]ſa merita, perfectionem amoris*, & DESIDERIUM PRO ILLO [MO]RIENDI; *quod ſi non concedi-[tur] in corpore, facit ſibi* MARTY-[RIU]M *in* MENTE. *Mortificat [carn]ales appetitus, propriam vo-[lun]tatem; vitia cordis, pravos mo-[res]. Luctatur cum propria carne, [c]um inimico indeſinenter, eam [imp]ugnante.* MARTYRI-[UM] *quoque paſſiones obtinet, [dum] affligitur pro peccanti-[bus], dum compatitur infirmanti-[bus], dum condeſcendit quâcumque [nece]ſſitate laborantibus.*

[E]x quibus omnibus, unum [dun]taxat ſeligo *b* genus Marty-rii, quod conſiſtit *in deſiderio pro illo moriendi*, QUI DILEXIT ME, *& tradidit* SEMETIPSUM PRO ME, quo ſanctiſſimæ mentes accenſæ, nos quoque valent inflammare.

c Sanctiſſimum Patriarcham noſtrum Ignatium, & Seraphicum Franciſcum ardor ille in terram ſanctam, in Turcas, in Barbaros egit; hujus illa divini amoris jacula: *Abſorbeat, quæſo, Domine, mentem meam ignita ac melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore, amoris mei dignatus es mori.*

S. Antonius, celebris ille eremi incola, incenſus miro Martyrii deſiderio, horrenda illa ſæviente Maximini tyrannide, è deſerto Alexandriam profectus eſt, eo animo, ut ſolando, viſitando, animando, exhortando Martyres, eandem palmam conſequeretur. Edicto publico ut omnes Monachi urbe excederent, veſte candidâ, velut nuptiali ſeſe induit, ut inter purpuratos candidatos illuſtrior emineret. *Sed clementiſſimus Deus*, ut loquitur *d* Chryſoſtomus, DESIDERANTIBUS *Martyrium præbet, aut ſine Martyrio cum Sanctis præmia divina retribuit.*

Alter Antonius Paduanus hoc pio inſtinctu, monaſticam diſciplinam amplexus eſt, ut hac occaſione, voto hoc ſuo potiretur.

Ne longior ſim, *S*. Honoratus ex monacho Præſul Arelatenſis, etiam in ſomnis ardens ſuum Martyrii deſiderium loquebatur, ut obſervavit S. Hilarius *e* dicens:

[a] Richard. à S. Vict. In in Cant. part. 23. b Rich, cit. ad Gal. 2. 10.

c Deſiderium Martyrii. d Chryſoſt. ſerm. 1. de Martyrib. e S. Hilarius Ser. de S. Honorato.

Habet

Habet & pax Martyres suos: Christi enim tu, quamdiu in corpore moratus es, testis fuisti. Illud enim stupendum quondam adolescentiæ tuæ robur, perpetuo abstinentiæ rigore tenuatum, & in illam, quam vidimus (aspectus licet decore servato) exilitatem redactum, CRUX *utique* QUOTIDIANA *consumpsit.* Ac tandem subjungit: *Tuis in tantum medullis Christus insederat, ut interdum (quod expertus loquor) membris tuis placido sopore devinctis, illum etiam in somnis officio solito tua lingua resonaret. Quam alacer, quam sæpe referebas somnia non aliquid præsagientia, neque aliqua in futurum anxietate solicita; sed inquietis animæ desideriis excitata!* MARTYRIUM *scilicet, quod semper meditatione gestab (credo interdum alludente, & pro vocante cupiditatem tuam domi no) tanquam excitata in fidem tu am persecutione peragebas.* Ve in somnis ardentissimum suum Martyrii desiderium testatus. Quod, quam Deo gratum sit, a D Chrysostomus diserte pronun tiavit: *Sæpe numerò dixi vo bis Martyrem facere non mor tem tantum, sed animi quoqu propositum: non enim eventu solo sed etiam voluntate Martyrii co rona comparatur.* Hac vos omnes dum ardenter, patienter, constanter pro Christo pati desideratis frui potestis, quia coronat Deu voluntatem, ubi non invenit fa cultatem.

a Chrys. Orat. de S. Eustachio.

DE COMMUNI DOCTORIS PONTIFICIS.

Sic luceat Lux veſtra. Matth. c. 5.



Fuliginis expers.

ARGUMENTUM.

DIſceptent alii, utrum Pontificali, an Doctorali dignitate excellere illuſtrius ſit; ego ſanctiſſimum virumNN. cujus hodiernâ luce feſtivitatem celebramus, à Doctoratûs laureâ maximè commendandum ſuſcepi. Ac primum quidem ſplen-

didiffima Doctorum elogia à *luce*, cui Servator noster eos comparavit, mutuabo; atque adeò illos *coruſcantia fulgura*, non inania tonitrua, ut clamoſi quidam Oratores: *Lucidiſſimas* in hoc turbido Mundi Oceano Pharos: *ſtellas* firmamenti ac Sole ipſo lucidiores: *Lampades* omni fuligine inanis gloriæ expertes comprobabò. Tum vanos illos, & inſanos Magiſtros prurientes auribus coarguam, qui verâ ſcientiâ deſtituti, inani Doctoratûs titulo ſtolidè gloriantur. Quos inter cenſendi, ac perſtringendi Medici, Cauſidici, Iudices, Confeſſarii, qui debita officio ſuo peritiâ minimè inſtructi, graviſſimam Reipublicæ, fortunis, corporibus, animiſque jacturam faciunt. Illud quippe Sancti Thomæ, omniumque Theologorum commune judicium eſt: Quòd *quiſque tenetur ſcire ea, quæ ad eorum ſtatum, & officium ſpectant*. Vnde & omnis damni emergentis, rei ſunt. Quare norint hi ſibi incumbere, ut aſſiduo ſe ſtudio aptos reddant, nec diſcere erubeſcant, cùm Doctores graviſſimi de ſe ipſi fateantur, ſibi ſemper ſupereſſe, quod diſcerent.

a S. Thom. 12.q. 76. a. 2.

§. I. *Eccleſiæ Doctor ut aliis ſplendidis titulis præfulgeat, propriiſſimè tamen* LUX MUNDI *vocitatur.*

§. II. *Doctores vani ac inſani, quos* SCIENTIA INFLAT, *inanis gloriæ fuligine expurgandi.*

§. III. *Sanus ac ſanctus Doctor, ſemper ſe diſcere profitetur.*

D

DE COMMUNI
DOCTORIS PONTIFICIS.

Sic luceat Lux vestra. Matth. c. 5.

CUm de Sanctissimi hujus Pontificis N. N. ac subtilissimi Doctoris excellentiâ dicturus sim, anceps hæreo, utrâ dignitate, an mitra Pontificiâ, an Doctoratus Laureâ illustrior exstiterit; nec levis dubitatio, utro ex officio, Pontificatu an Doctoratu major in Ecclesiam utilitas redundarit?

Pro Pontificatu faciunt & Sanctorum oracula, & rationum momenta. In primis Redemptor noster ostensurus, quantam mundo utilitatem contulerit: a *Ego*, inquit, *sum Pastor bonus*. Non autem dixit, ego sum Doctor Sapiens; quasi major ex illo munere, quàm ex hoc utilitas oriatur. Unde b D. Bernardus ad Papam Eugenium, nihil Ecclesiæ utilius esse sentit, quàm bonum Pastorem: *Si rebus*, inquit, *raritas pretium facit, nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius bono, utilique Pastore.* Proinde sicubi talis reperiatur, confestim injiciendæ sunt manus, & totis viribus satagendum, ne quâ vi, ne quâ arte malitiæ fructuosa promotio valeat præpediri. Ita Bernardus. Comparari possunt hi Ecclesiæ Pontifices, ac Pastores, cum arborum radicibus, juxta illud Davidicum: c *Plantasti radices ejus*, hoc est, Principes, ac Pastores hujus populi elegisti. Nam quemadmodum ex radicibus haurit tota arbor succum illum vitalem, quo nutritur, ita & tota Respublica à bono Præsule spiritualia accipit alimenta, quibus proficit & vegetatur. Unde Chrysostomus: d *Quemadmodum*, inquit, *videns arborem foliis pallentibus, marcidam intelligis, quòd aliquam culpam habeat circa radicem. Ita cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quod sacerdotium ejus non est sanum.* Sic juvat contrario modo Philosophari: Quemadmodum qui videt arborem florentem & vernantem, sanam ac vegetam, non dubitat esse radicem, ex qua tota illa arboris amœnitas pullulat, ita & qui videt Rempublicam, clerum, populum, bonis moribus instructum, optimos ei præesse non dubitat Pastores, à quibus tota illa virtutum seges oriatur.

e Summus Pontifex olim, & in humeris, & in pectore, nomina filiorum Israel gestabat, utrumque sanè optima ratione: *Nam in humeris portabat*, inquit f Arnobius tract. de verbis Domini in cruce, *ut per hoc intelligatur, quomodo in portandis fratrum*

a Ioan. 10. b Bern. Ep. st. 248. ad Eugen. c Psalm 79. d Chrysost. in tractat. de symbolo. e Exodi 28 f Arnobius.

oneribus, officium illud se habere debeat; quantaque ei ex debito regiminis, solicitudo incumbat, ut proprijs humeris ovem perditam ad ovile reportet. Ita ille. *In pectore verò gestabat*, inquit idem Arnobius, *quia pectus eorum, qui sunt in regimine, aliud occupare non debet, quàm animarum zelus.* Itaque boni Pastores in salutem subditorum toto pectore incumbunt; & si quos laborum pondere pressos reprehendunt, humeris suis impositos, in cælum portant.

Demum ratione sic argumentor: quia Doctor solùm vitam monstrat, illuminando intellectum; at verò Pastor in viam deducit, trahendo voluntatem, per leges, per supplicia, per præmia. Vnde est illud Ieremiæ I. ad Pastorem Israël: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Quanto igitur facta verbis præstant, tanto Pastores vtiliores Reipublicæ, quàm Doctores. Vnde plane sanctissimus Doctor N. N. cujus hodie festivitatem celebramus, videtur majorem utilitatem præstitisse Ecclesiæ, præsidendo, statuendo decreta, jubendo leges, ferendo censuras, bonis præmia, malis supplicia dividendo: quàm præstiterit docendo, prædicando, scribendo: cùm per hæc viam virtutis solùm ostenderit, per illa ad viam salutis impulerit.

Verùm enim verò, pro Doctoratu non minora se offerunt rationum præsidia, & sanctorum Patrum testimonia. Primum ex sacris literis, quanta sit eorum utilitas, apertissimè demonstratur. Facit inprimis locus iste Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël; omnes tenentes gladios: & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Quid enim lectulus Salomonis, nisi Christi Ecclesiam adumbrat: quid illi sexaginta fortes gladio armati, nisi Ecclesiæ doctores, verbo Dei instructos, munitosque designant? Ut enim Salomonis lectulum præsidiarii milites tuebantur, ne qua vis hostilis in eum irrumperet: ita Ecclesiæ doctores ipsam Ecclesiam muniunt, & defendunt; ne qua Hæreticorum, sive inferorum pestis in eam irruat & grassetur, ut a D. Augustinus interpretatur. Non minor Doctorum utilitas colligitur ex capite 7. Cant. ubi Christus suam Ecclesiam allocutus: *Collum*, inquit, *tuum sicut turris eburnea.* In quem locum b S. Isidorus: *In collo*, inquit, DOCTORES *designati sunt, qui turri eburneæ propter firmitatem, & pulchritudinem comparantur, qui civitati Dei, & robur præstant, & decus.*

Accedit illud oraculum c Danielis 12. in quo viros probos ac justos, cum splendore firmamenti comparavit, Doctores tamen, & qui *ad justitiam erudiunt multos*, cum ipsis astrorum luminibus. In quem locum D. Hieronymus: d *Vides*, inquit, *quantum inter se distent justa rusticitas & docta justitia? al-*

a Aug. l. 2. contra Iulian. c. 10. b Isidorus in Cant. c. 7. c Daniel 12. d Hieron. l. de optimo genere interpret. d.

stellis

stellis, alii cælo comparantur. Quasi diceret, quanto astra ceteris cæli partibus clariora splendescunt: tanto Ecclesiæ Doctores ceteris hominum generibus utiliores in terris commorantur.

Quibus hactenus in utramque partem disceptatis erit forte, qui litem dirimat, dum divinum hunc virum utraque dignitate æque eximium fuisse atque duo hæc ornamenta Pontificatus, & doctoratus ita inter se conjuncta, ut ab invicem in Episcopo separari non posse, contendat, ut patet ex illo a Pauli: *Oportet Episcopum* DOCTOREM *esse*; quasi qui Doctor non sit, neque aptus esse possit, ut Episcopali munere fungatur. Et propterea Apostolus cum alia Ecclesiastica officia distinxerit, hæc duo copulavit, dicens: b *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios vero Euangelistas: alios autem* PASTORES ET DOCTORES. Disjunxit quidem alios Ecclesiæ Ministros; sed hos duos, Pastores & Doctores penitus conjunxit. Ut c D. Augustinus ad Paulinum exponit, dicens, Paulum hic *Pastores & Doctores* simul complexum fuisse, *ut intelligerent Pastores, ad officium suum pertinere doctrinam.*

Ego interim brevitatis memor, cum utramque excellentiam pro dignitate deprædicare non valeam, eum hodierna luce (de Pontificali ac Pastorali munere aliàs dicturus) à Doctoratu dumtaxat extollam.

a 1 Timot 3. b Ephes 4. c August. Epist. 59. ad Paulin.

§. I.

Ecclesiæ Doctor ut aliis splendidis titulis præfulgeat, propriissime tamen LUX MUNDI *vocitatur.*

GEntiles olim insanientis Sapientiæ studiosi, universum terrarum orbem peragrarunt, & ad ultimos mundi cardines penetrarunt, ut insignem aliquem sublimioris scientiæ d Doctorem nanciscerentur. Sic Pythagoras divinos Memphiticos, Plato Ægyptios sapientes, & Architam Tarentinum audituri, magna & laboriosa itinera emensi sunt. *Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus, quosdam venisse nobiles legimus quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Apollonius Philosophus intravit Persas, penetravit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit, &c. Ut Hierarchiam in throno sedentem aureo & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura & motibus, ac siderum cursu audiret docentem.* Edicto caverant Athenienses, ne Megarenses venirent Athenas: Euclides sub noctem tunica muliebri tectus Megaris clam Athenas irrepebat, ut vel noctis aliquo tempore, doctrinam Socratis audiret; rursumq; sub lucem millia passuum paulò amplius 20. eadem veste tectus redibat. Tantus eos ardor sciendi, tantũ etiam vanæ ac pro-

d Hieron. ep. ad Paulin. e Aul. Gellius. l. 6 c. 1.

fanæ fapientiæ defiderium eos tenebat, tanta peritioris alicujus Magiftri ac Doctoris admiratio exiftimatioq;eos rapiebat. At *a* Clemens Alexand. : *Iam certe*, inquit, *quoniam ipſum* VERBUM *venit ad nos cælitus, non eſt nobis ampliùs eundum ad humanam doctrinam Athenas, & reliquam Græciam, vel etiam Ioniam, ad inquirendum curiosè : ſi eſt enim nobis ille Magiſter, qui implevit omnia ſanctis poteſtatibus, opificio, ſalute, beneficio, prophetia, doctrina : omnia nunc inſtruit Magiſter, & univerſum jam Athenæ & Græcia factum eſt* VERBO. *b* Divinus hic è cælo Magifter fedentibus in tenebris, & umbra mor-„tis apparuit, ac doctrinæ fuæ „radiis, tenebras difpulit, errores „detexit diaboli fraudes, & tyrannidem aperuit, mundum illuminavit: De fe etenim ipfe teftatur : c *Ego ſum* LUX MUNDI: Ubi Thomas: d *Advertendum eſt, quia non ait, ego ſum lux Angelorum, vel cæli; ſed* LUX MUNDI, *id eſt hominum in tenebris commorantium*: quam quorundam animis tam copiosè communicavit, ut eos velut totidem foles ad alios illuminandos plenè colluftrârit. Nam cùm in mundi conftitutione luminare unum majus divinè fuiffet molitus, & æthereos deinde orbes magnâ luminum varietate exornâffet, poft curfum perennem fæculorum, Ecclefiam fuam aggreffus, ut novum cælum exquifito artificio diftingueret, Zodiacum effecit mirabilem : in quo non taurum, Arietem, aut Leonem pofuit, aut reliquas duodecim fignifieri orbis imagines, fed duodecim Apoftolos, ut totidem foles, divinâ luce formofos, jubare pleniffimo radiantes. Præclarè Arnobius : e *Cæli*, inquit, *facti ſunt Apoſtoli, habentes in ſe ſolem juſtitiæ, & merita in modum ſtellarum, pro varietate diverſo ſplendore radiantia*. Hos foles poftea fecuti funt alii Ecclefiæ Doctores, quos D. Cyrillus f *Luminaria mundi* vocavit ; Doctrina quippe lumen eft animi, à qua & luminiofi, cœleftis doctrinæ Magiftri, & *lumina*, & *ſoles* appellantur. Ita Paulum Doctorem gentium, *communem ſolem* nuncupavit g D. Dionyfius, & hoc ob præfulgidos fapientiæ fuæ radios, quos per orbem univerfum, & linguâ, & calamo evibravit. Ita *h* Gregorius Nazianzenus Magnum Bafiliũ ob mirabilem divinarũ rerum, & humanarum cognitionẽ, cum fole componit, in quo notat pulchritudinẽ, magnitudinẽ, curfum, potentiam, quæ *i* David præconio fuo in fole commendavit. Et illi quidem pulchritudinem ait fuiffe virtutem: magnitudinem, Theologiam : curfum, perpetuam virtutis agitationem, per quotidianos afcenfus ad Deum ferentem : denique potentiam, doctrinæ partitionem, & communionem. * Pari modo Salvianus S. Honoratum foli æquiparabat. Tales *l* Ifidorus Ægyptius defcribit par illud geminum clariffimorum Doctorum

a Clem. Alexand. adm. ad Gent. b Leffius de perfect. divin. l. 12. c. 8. n. 6. c Joann. 8. d S. Thomas in Joann. c. 8.

e Arnobius in Pfalm. 18 f Cyril. l. 3 c. 21. g Dionyf. de divin. nom. c. 7. h Gregor. Nazianz. orat. 20 pag. 362. i Pfalm. 18 * Hilar. Arel. de vita Honorati. l Ifidor. l. 1. epift. 158.

Bafi-

Basilium & Gregorium Nazianzenum, qui inquit vitæ suæ, ac præceptionum lumine, *orbis terræ finibus præluxerunt*. Ex hac autem luminum varietate, quæ non lacteum, nescio quem circulum, sed clarissimum & splendidissimum orbem efficiunt; quantam pulchritudinem, quot & quantas mortalium mentibus utilitates oriri necesse sit, plenius deducemus.

1. Ac primum quidem in doctorem nostrum N. N. illustre illud aptissimè quadrat encomium, quod S. Paulinus notæ Antistes de Augustino, densas Hæreticorum tenebras, doctrinæ suæ luce dissipanti pronuntiavit; cujus cygneam vocem in tanti Doctoris admiratione obstupefactam juvat audire: a *O lucerna dignè super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ, lumen effundens, densas licet Hæreticorum caligines discutis & lucem virtutis à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas.* Haud aliter, de quo nunc agimus N.N. quà stilo, quà verbo, virtutumque exemplo, errorum nebulas latè disjecit, ac dissipavit.

Nec minus aptè Doctores vocantur etiam in sacris Scripturis b *fulgura coruscantia*, ob vim quandam in agendo mirificam. Sic purpureus Psaltes Deum alloquens: *Fulgura coruscationes*, hoc est, ait S. Hilarius, *Apostolicas prædicationes, & splendorem doctrinæ Dei*, quæ condensam illam, & malignam dæmonum virtutem, coruscationis luce dispergret. Idipsum hoc perversissimo sæculo, dum sacer Ecclesiastes, divini verbi Præco suggestum conscendit, altè inculcandum est: *Fulgura coruscationem.* Multos quidem meles reperire est, inani vocis sono, & clara variæ eloquentiæ clamore, tonantes; sed paucos ignitis verborum jaculis fulgurantes. Hos rectè c Hector Pintus militibus comparavit, qui frustra turbem oppugnant nullo sulphureo pulvere, si machinæ Bellicæ ac Bombardæ non habeant pilas, quas projiciant, quibus muros contundant & evertant, & hostes interficiant: quia tunc nihil aliud efficiunt, quàm consumere pulverem frustra, & aërem sonitu implere. Sic Concionatores nec muros superbiæ auditorum, nec turres vanitatis certum, evertunt, nec animi hostes, vulnerant, qui ex inani cerebro, & pectore omni virtute vacuo, vanum populi plausum captantes deblaterant d MAGISTRI *prurientes auribus*, qui toti sunt in comenda & struenda oratione, quam puerilibus pigmentis referciunt, atque in eo decus positum, gloriamque dicentis putant, non ut prosint audientibus, sed ut plausibiliter omnia dicant venustè, concinnè, & numerosè. Itaque pauca è divinis oraculis solidè ab illis promuntur, quæ fabellarum, & ludicrarum historiarum admixtione, quas veluti pavonis plumis, ad insignem varietatem expingunt, & propriè exoticarum rerum amplificatione dedeco-

a S. Paulin. epist. 41. b Doctores fulgura.

c Hector Pintus in Isai. cap. 3[?]. d 2 Timoth. 4. v. 3.

 rum

rant. Id contigisse temporibus suis mœrebat S. Hieronymus, quod dimissis Apostolorum scriptis, tanquam in Athenæo, & auditorio Sophistico vanissimam pompam instruerent divini verbi Doctores, id studerent unum, a *ut oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procederet in publicum, non tam eruditura populum, quàm favorem populi quæsitura.* Nimia certè & fucata illa concinnitas frangit omnem auctoritatem & dicentis, & divinarum rerum quæ exponuntur, adeò ut inanis vel ridicula illa sit futura concio. Quare *b* Isidorus Pelusiota adhibendum esse dicit, *vivum sermonem*, non eum qui titillet tantum aures, animum nil commoveat. Hinc *c* D. Basilius *ampullas in oratione sophisticas* respuit, ut S. Hieronymus *cothurnatam eloquentiam*, S. Prosper *phaleratam*. Illa modulamenta, & peniculo artis colorata, lenocinium illud picturatæ eloquentiæ, & calamistri dictionis, bracteæque pueriles; ferri possent in juvenum cætu, & declamatione scholastica; divinorum vero mysteriorum explicationem, & sacrum locum, & Ecclesiæ Doctorem dedecent. Sed alia symbola videamus; quibus divini Scriptores, sacros Doctores depingunt. Sunt, qui velint eos in Ecclesia tanquam d *Pharos* positos, ad animos, calamitoso è naufragio subducendos, placidumque omnibus ac securum salutis portum aperiendum. Viderunt hoc clarissimi viri, & suis scriptis prædicaverunt. *e* Cassianus Piamonem Sacerdotem, vocat *sublimissimam Pharum.* Quemadmodum *Paulinum* Nolanum Episcopum, splendidissimæ vitæ virum, f *sanctitate & scientia præditum, quasi* PHARUM *lucidissimam* erexit, & posuit Dungalus author non ignobilis. De S. Paulo N... scenus: *Cum veluti fax media per mare, Ecclesiæ bono apparuisset, omnes ad rectam viam convertit.* Crederes clarissimum Doctorem nostrum N.N. in hoc mundo, ceu turbulento mari, doctrina conspicuum quasi *Pharum sublimissimam* constitutam ad dirigendos hominum animos, & subducendos è calamitosissimo vitæ, salutisque naufragio: quod certè fecit & doctrinæ sanctioris luce, & exemplo vitæ purioris, quæ & ipsa lux est: illa ignorantiam, errorem que ex hominum mentibus depellit: hæc autem vitiorum caliginem, noctemque dissipat, itaque in salutis æternæ portum feliciter deducit.

g Clemens Alexandrinus meminit cujusdam Thrasybuli, qui cum exules in Atticam reduceret, hiberna, obscuraque nocte, clarus ignis præcedens apparuit, qui incolumes duxit omnes, unde illic aram *Luciferæ* posuerunt. An illud fictum ad hominis illius commendationem, an verum, non dispuio: hoc tantum adstruo, in densis obscurisque ignorantiæ tenebris, vitiorumque nubibus, ac procellis, quibus sæpe sæpius involvuntur hominum animi, divino beneficio hanc nobis Pharum, ac salu-

a Hieron. præfat. l. 3. in epist. ad Galat. b Isidor. Pelus. l. 1 ep. 158. c Basil. de humil. d 2 Doctores Pharos.

e Cassian. coll. 18 c 1. f Tom. 2. Biblioth. SS. Patrum. g Clem. Alexand. l. 1. Strom.

tares

tares ignes præluxisse, qui Andabatis & in alta illa scelerum nocte cœcutientibus præirent. Idq; eo magis necessarium, atq; utilius populo Christiano, quod Hæretici tenebriones, infidum ac fatuum lumen ementiti, ut olim dolosus Vlysses, è sua caligine fumantia busta ostentant; ut decipiant incautos: piscatores æmulati consceleratos, qui nocturnum lumen perfidiosè attollunt, ut prædâ potiantur. Quos Imperatoris leges damnant & coërcent, & memini in Iure scriptum esse in hunc modum: a *Ne piscatores lumine ostenso fallant navigantes, quasi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves, & qui in eis sunt, deducant, sibique execrandam prædam parent, Præsidis provinciæ religiosa constantia efficiat.* Id quidem politico Magistratui curæ est; sed multo religiosius curandum est, ne hominum impiorum ac falsorum doctorum facibus illecti Catholici, & fatuo igne falsi textus, ac Scripturarum (quam facem Heterodoxi passim prætulerunt) decepti, in Syrtes hæreseon impingant, & naufragium patiantur; quodque gravius detestandum, diligentiùs curandum, ac longè studiosius cavendum, ne Ecclesiastici Doctores, qui sanâ doctrinâ, ac sanctâ vita omnibus Pharos esse debent, dum ficto quodam probitatis, ac sanctitatis fulgore ad se oculos, animosque pertrahunt, morum interim pravitate, ac turpi consuetudine, suos luctuosissimo animarum naufragio in Syrtes, & Charybdes allidant. Quare, qui vita & corruptis moribus dehonestat verbi Dei prædicationem, audetque in publicam lucem venire, auditores suos publico præconio testes advocat impudentiæ suæ & temeritatis. Neque vero est, ut ab ejusmodi hominibus exspectemus insignem aliquem fructum ad animos commovendos, & amplificandam numinis gloriam, quos verè Isidorus Pelusiota ajebat b *divinam prædicationem avertere*, quod dictis contraria faciant. Quod D. Hieronymus gravissimè monet Nepotianum: c *Non confundant opera tua sermonem tuum. Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque consentiat.*

Magnificum semper mihi visum fuit, ut Doctores, *stellæ* nominentur, neque enim à ratione alienum est, ut cùm illos Dei filius, mundi lucem dixisset, ad eam explicandam, sempiterni illi ignes adhiberentur, qui cerulеos illos orbis tholos mirabili varietate, & exquisita pulchritudine venustant. Ita Gregorius Nyssen. Miletium Episcopum rebus gestis, scientiaque clarum, vocat *Stellam*, quod ad imitationem cœlestis magistri proximè accederet, quem Ioannes vocavit d *Stellam matutinam.* Præclarissimè Daniel Propheta: e *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut* STELLÆ *in perpetuas æternitates.* Has stellas

a D. de incend. l. ne pisc.

b Isidor. Pelus. l. 2. ep. 141. c Hieronym. epist. 2. ad Nepotian. d 3. Doctores Stellæ e Greg. Nyss. in funere Miletii. f Apoc. 22. g Daniel. 12.

potentissimis suis digitis, & Dædalà manu, rerum omnium Architectus effecit, & in firmamento Ecclesiæ posuit, ad incredibiles hominum utilitates, ut Rex pius claro vaticinio prosecutus est: ***Lunam***, inquit, a *& stellas, quæ fundasti.* Cassiodorus hoc loco b *Stellas* interpretatur *Religiosos*, vitâ, moribus, & Religione collucentes. Gregorius Magnus, ***Sanctos.*** Theologiæ Princeps S. Thomas, ***Doctores.*** Hoc autem cœlestibus illis luminaribus proprium est, quòd æquè uni ac millibus luceant. At stellæ plures, quæ hoc sæculo fulgent splendorem suum, ac radios contrahunt, nisi mundo luceant. Si pauci Auditores, ***Rari nantes in gurgite vasto***, tenebras sibi, si ad eos dicant, affundi sentiunt. Quasi unam animam lucrari, non esset luculentum operæ, & eloquentiæ pretium. Cicero *de claris Oratoribus*, refert de Antimacho, celebri Poeta, quem dum recitantem omnes Auditores desererent præter unum Platonem: *Legam*, inquit, ***Plato enim mihi unus, instar est omnium.*** Sic Seneca c refert Democritum dixisse: ***Unus mihi pro populo est. Bene & ille quisquis fuit, cùm quæreretur ab illo, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventuræ? Satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est unus.*** Quare qui hoc non agunt, irati numinis voce percelluntur, ut in Apocalypsi Deus reprehendit Angelum Ephesi, qui fuit Timotheus beatissimi Pauli discipulus, quod fervorem primæ charitatis reliquisset. Nam cum esset animo ardens, & quotidianis concionibus invitaret omnes ad fidem & salutem, videns numerum eorum esse exiguum, qui doctrinam Christi exciperent, cœpit despondere animum, & conciones suas omittere. Illum ergo amator hominum Deus coarguit, quod id munus, quod Ecclesiæ Doctori, ac Præsuli est proprium, animi quadam imbecillitate omitteret, ut notavit Hugo Cardinalis; parum attendens, Christum supremum Magistrum etiam ad unam muliérculam, disertam concionem instituisse.

Alterum est Stellas non lucere dumtaxat per noctem, cælique luminaria non ad eum finem tam excelsa in arce plantata, ut splendorem suum vanè ac curiosè ostentarent; sed ut efficaci influxu, & arcana virtute, rebus sublunaribus vim ac vigorem elargirentur. Quod ad mores traducens Pererius: d Sanè, inquit, si ex astris cælestibus multa & magna commoda in terram defluunt, non minora ex doctis, sanctisque Magistris in Ecclesiam, populumque Christianum redundant. Quod efficacissimè fit, dum hunc duplicem Scopum, Ecclesiæ Doctor præ oculis habet, divinam gloriam, & salutem animarum. Qui primum non spectant, honori tantùm suo velificantur, & fidem prædicant, ***non ut illa, sed ipsi laudentur***, e ait Ambrosius. Qui secundū non intuentur, contenti sunt volubilitate linguæ, & curioso rerum novarum apparatu,

a Psal. 8. b Cassiod. in Psalm. 8. c Seneca. epist. 7.

d Pererius in Danielem c. 12. (Sicut stellæ) e Ambr. in 1. ad Cor. 1.

ut sibi

ut sibi nomen eruditionis comparent. Sed non ita viri Apostolici & inclyti sanctimoniâ, qui se divinæ mentis instrumenta, & donatos eo talento meminerunt, ut Dei gloriam amplificent, & prosint quam plurimis. Quis illam mihi vim sermonis concedet, inquit *a* S. Gregorius Nyssenus, *Cujus finis Auditorum est salus*. Itaque non sufficit præclarè tantum, atque subtiliter disputare de Deo ut explere concionis horam videaris: nam mirum est, quod notavit *b* S. Athanasius, dæmonem primum fuisse, qui Dei nomen à condito mundo inter homines usurpaverit, qui tamen eo nomine nullam meruit commendationem. Non œstrum Poëticum, non plausum populi, sed planctum, & lachrimas spectandas monet *c* Hieronymus. Sic enim ad Nepotianum: *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitentur: Lachrimæ Auditorum, laudes tuæ sint.* Eâ laude sanè quæ fuit S. Fulgentius, *d* quē duas habuisse dotes in concionando [illegible], omnium præconiō celebratas: nam singulari orationis præconio, *omnium animos demulcebat*, & in iisdem, *compunctionem cordis ingenerabat.* Quod exemplo suo Bonifacius docuit Episcopus Carthaginiensis, qui [illegible] sic illum audivit de rebus divinis differentem, ut continuis prope lachrimis terram pertunderet. Hoc est verbis suis dare pondus, hoc est habere vocem virtutis, hoc est non se, sed Christum prædicare.

4. Audio postremò Ecclesiæ *e* Doctores, lucidissimas *lampades* nuncupari, quæ luminis copiam longè lateque spargant, ac aureum Minervæ lychnum plurimum antecellant, quem profani Scriptores magnis clamoribus in cœlum extulerunt. Quantus & qualis vir fuit S. Ephrem? quam undique radiantem eximiæ vitæ, doctrinæque fulgorem sparsit? ut jure meritissimo *f* Nyssenus Antistes, à quo ejus vita literis commendata est, illum asserat à Deo orbi datum *velut illustrem & splendidiorem sole ipso* LAMPADEM. Quantum Ecclesiæ lumen fuit B. Hieronymus, qui mirificam eruditionem, & religiosi animi virtutem pulcherrimè conjunxit? de quo verum illud, & illustre S. Augustini *g* exstat elogium, cùm adversùs Julianum disputat: *Cujus nobis eloquium ab Oriente usque in Occidentem, ad instar* LAMPADIS *resplenduit.* Trahunt hæ lampades pabulum suum è cœlo, oleo gratiæ nutriuntur, flamma charitatis ardescunt, atque ab omni inanis gloriæ, & propriæ existimationis fuligine prorsus alienæ sunt.

§. 2.

Doctores veri ac insani, quos SCIENTIA INFLAT, *inanis gloriæ fuligine expurgandi.*

VEntosi apud Priscos Thrasones reperti, quibus frequens erat illud ab Origene in Celso Epicureo, tantopere derisum,

a Greg. Nyss. orat. de Ord. sui. b S. Athan. q. 46 ad Ant. c Hieron. [illegible] epist. 2. ad Nepotian. d Vita S. Fulgent. c. 29

e 4. Doctores lampades. f Greg. Nyss. in vita. g August. lib. 1. contra Julian.

jacta-

jactare : *Omnia novimus* : nam id de se professos non paucos habemus ex Dione orat. 33. Platone in Sophista, & Nazianzeno orat. 33. Et idcirco ex eo grege Euthydemum quendam insolentissimâ vanitate, & ambitionis immensitate, diligentissimè cavisse, ne videretur à quoquam aliquid discere, *a* Xenophon disertè prodidit; quin & hoc sæculo ex Medicis, Iurisperitis, Theologis, Politicis, consimiles reperire est, qui de se idem sentiunt: *Omnia novimus.* Horum fuliginem dexterrimè emungit Gregorius Nyssenus contra Eunomium, in ipso vestibulo increpans vecordis illius fatuitatem sua scientia rerum quarumcumvis altissimarum, ipsiusque etiam Dei jactanda, convincens ignorari ab eo animalium minutissimam formicam : b *Qui gloriatur jactabundus se eorum, quæ sunt, scientiam adeptum esse, quod minimum est eorum, quæ nobis ante oculos apparent, quæ sit ejus natura, explanet, ut ex eo, quod notum est, de eo etiam, quod occultum est, & incognitum, fidem faciat. Et quænam sit formicæ natura, sermone explicet : utrum spiritu & halitu ejus vita contineatur; utrum visceribus distendatur, similiter aliis animalibus : utrum ossibus corpus constructum est, utrum medullâ, ossium cavitates intus plenæ sunt : an nervis & vinculis compages contenta est : an musculorum amictibus & adenum sive glandularum, nervorum situs continetur. An complexu nervosæ membranæ membris, quæ moventur, vim impultricē inserit. An in ipsa est jecur & folliculus fellis, id est, expurgatæ à jecore flavæ bilis receptaculum : renesque, & cor, & arteriæ & venæ, membranæque, & præcordia, sive septum transversum. Utrum glabra, & pilis obducta : in qua parte corporis vim videndi insit : an odorandi sensu prædita est. An unam habeat ungulam, vel multifidas : Quandiu vivit, &c. qui igitur se jactat eorum, quæ sunt, naturam adeptum esse nobis primum formicæ naturam declaret.* Idem argumentum prosequitur c Theodoretus l. 4. adversus Græcos sub initium, non pudere Philosophos passim gloriari, compertam sibi esse aëris, ætherisque mensuram, qui maris tamen profunditatem ignorent, quam cominus, ac submissis funibus, & bolide explorare nituntur. Quin potius quo quis rerum naturæ peritior videtur, eo de se sentit demissius, quod nórit, quam non intrò subeat, & pro rerum penetralibus, ac naturæ intimis recessibus, sola vestibula teneat. Socrates certè cæciorem se agnoscit in pervidendis naturæ rebus, ex quo Philosophiæ dedisset operam : unde de eo *d* Lactantius : Cùm esset omnium Philosophorum doctissimus; tamen ut ceterorum arguerei inscitiam, qui se aliquid tenere arbitrabantur, ait; *Se nihil scire, nisi unum quod nihil sciret.* Intellexit enim doctrinam illam nihil habere in se certi; nihil veri, neque ut putabant quidam, dissimulavit ipsam doctrinam, ut alios refelleret; sed vidit ex parte aliquam veritatem. Testatus

a Xenophon l. 5. memorab Sacrat. dict & fact. b Greg. Nyss. orat. 9. contra Eunom.

c Theodoret. l. 1. adversus Græcos
d Lactant. l. de ira c. 1.

est

„ est etiam in judicio (sicut tra-
„ ditur à Platone) quòd nulla es-
„ set humana sapientia : adeo-
„ que doctrinam, quâ tum Phi-
„ losophi gloriabantur, contem-
„ psit, derisit, abjecit, ut id ipsum
„ pro summa doctrina profiteretur, quòd nihil scire didicisset. Agnovit nimirum tenebras nostras, & quantopere ad rerum omnium notitiam cœcutiamus; Quas minimè vident illi in summo vertice ridiculorum locati, qui gloriam venantur ex gradu literario, quem gratiæ, vel quod frequentius est, marsupio, infrequentissimè eruditioni ac solidæ scientiæ delatum possident, vano ac inani titulo gloriantes. Hac de re Themistium audiamus: a *At ego minimè absurdam quandam gloriam, opinionemque assequi velim. Et utique, primus ego ridere illos soleo, qui eo morbo detineantur, nec multum Carbonarii alicujus, aut fabri ferrarii dissimiles esse arbitror, qui fumo atque fuligine respersus; tamen carbonarium se appellari nolit: quin & iis, qui appellent, succenseat: Vatis autem, aut Medici, aut alterius honestioris artificis nomen appetat. Nam nec asinum Æsopicum probo, audiens hunc, qui asinus esset pelle nihilominus Leonis indutum. Atque idcirco concurrentes pueruli, eum & fustibus cædunt, & pellem juxta atque audaces illos spiritus eripiunt.* b Talis ille de quo Iuris-Consultus relatum habeo, inquit, in partibus Franciæ Iuvenem, quem ejus pater ad officium evehere intendebat, requirens Licentiæ vel Doctoratûs in Iure gradum, promotum fuisse solo præmisso examine super prius (ad instar psittaci) edoctis responsionibus, ad interrogata: *Quid est Ius? quotuplex? quid Canonicum, & quid Civile?* eundemque post ita adeptum in utroque jure Doctoratum, venisse Duacum, ut ibidem humanioribus se applicaret studiis (Latinam enim ignorabat) ac tum nonnisi ad Grammaticam idoneum repertum fuisse. In ejusmodi nescio quis Satyricus:

Se doctum simulat stolidus, quem crassa Minerva
Nutrivit: qui ubi vix didicit tria verba Latina,
Vixque manum ferulæ subduxit, protinus ille
Alter delapsus cœlo Cato prodit, & esse
Credas, tanta oculos torquet gravitate, severus
Est adeò Censor Musis. Sed scamna reclamant
Nostra, atque esse asinum purum putrum dubitare
Esse nefas ajunt.

Historia nota est c de eo, qui existens eques, & expertus facilem ad Doctoratum gradum; quem ipse non argutis disputationibus, non etiam scientiæ laureatis coronis, sed aureis Franciæ coronatis acquisiverat, interrogabat Professores, an non etiam equum suum ad eundem gradum admittere vellent, mediantibus juribus consuetis; illosque respondisse, quòd sic: *Nam cùm creaverimus Asinum Doctorem, cur non & equum?* Nunquid de istis dici potest quòd

a Themist. orat. 1. b Iuris justitiæque usus per And. Bouvvens pag. 347.

c Idem cit.

In Institutis *magis muti estis brutis.*
In Codice *didicistis modicè,*
In Novellis *similes estis Asellis.*
In Digestis *nihil potestis.*
Et tamen Doctores *estis.*

Hos suo ævo graphicè depingit Franciscus Petrarcha, cui laurea tanto concertantium ubiqueAcademiarum studio, vel potius æmulatione delata est. Is post confutatam inanem apud antiquos, septem dumtaxat sapientum enumerationem: a *Felicior*, inquit, *ætas nostra, quæ non unum, duosvè vel septem: sed in singulis urbibus, ceu pecudum greges numerat Sapientum. Nec mirum sanè multos esse qui tam facilè fiant. Venit Iuvenis stultus ad templum: Præceptores illum sui prædicant, celebrant seu amore, seu errore. Tumet ille, vulgus stupet, plaudunt affines & amici. Ipse jussus in cathedram scandit, cuncta jam ex alto despiciens & nescio quid confusum murmurans. Tunc majores certatim, ceu divina locutum, laudibus ad cœlum tollunt. Tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, vertici rotundus & niger pannus imprimitur. His peractis descendit Sapiens, qui* stultus *ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Nasoni cognita. Sic fiunt hodie Sapientes. Verus Sapiens fit aliter.*

Terrori omnibus esse debet severa; sed vera gravissimorum Doctorum censura: b *Eos Academicos peccare mortaliter, qui gradibus, & titulis insigniunt indignos, adeoque velut publico testimonio tribunalibus, at Dei Ecclesiis imponunt.* Ita Sylvester de Doctorib. §.4. Navarrus de pec. Mag. & Doct. c.25 Arm Alvar. Pelag. l.2. de planctu Eccl. Sa in Aphorism. Idem sentiendum est de iis, qui ad alia Reipublicæ officia dignissimos quosque d[illegible] re debent, de quibus p[illegible] Lessius: c Dico p[illegible], qui „ assumunt ad officia sæcularia „ (idem est de Ecclesiasticis) [illegible] „ ad officium Gubernatoris [illegible] „ pidi vel arcis, Prætoris, Iud[illegible] „ Capitanei, Secretarii, C[illegible] „ sarii, Quæstori, &c. [illegible] „ aut qui malè putantur ad[illegible] „ straturi, peccare mortiferè, & teneri Reipublicæ ad fa[illegible]da damna inde secuta. Est communis sententia Doctorum.

Libet hic pro rei indignitate exaggerare, quanta fortunar[illegible], Reipublicæ, corporum, animorumque jactura, Medici, Causidici, Consiliarii, Confessarii ex[illegible]nantur, qui debita offici[illegible] nere suo scientia instructi non sunt, cùm ea sit Principis Doctorum, omniumque judicium: d *Quisque tenetur scire ea, quæ ad eorum statum, & officium spectant.* Hinc M[illegible]dici e peccāt mor[illegible], qui ex notabili ig[illegible] nocent infirmis, etiam[illegible] [illegible] ex morbo, quia ex[illegible]runt, adhibendo remedia periculosa.

Q[illegible] si per imperi[illegible] moriatur infirmus, puniri possunt arbitrio judicis *L. qua actione* in fine.

Sic Causidicus, qui suâ inscitia, in causa est, quod Cliens [illegible] sua excidat, peccat, & ad [illegible] [illegible] tenetur. Idem Se-

a Petrarch l.1. de remed. di[illegible].12.
b Vide Contzen politica l.4 c 16 § 10.

[illegible] l.2 c.32 d[illegible] 3[illegible] q 76. a 2. [illegible] tom. 1. pag 708.

natoi

nator Iudex imperitus, reus est vitæ & sanguinis innocenter effusi. Unde Augustinus: *Ignorantia Iudicis, plerumque est calamitas innocentis.* Confessarius quoque reus damni est, si ex inscitia suadeat restitutionem, ubi non debet; vel non suadeat, ubi debet. Reus scelerum ac flagitiorum, quæ ex crassa ignorantia in pœnitentibus suis, culpâ graviori vacare putavit.

Qua censura & illi notantur, qui ejusmodi imperitos Confessarios studiosè quærunt, sibique adsciscunt. Cum in eo tantum momenti ponendum sit, ut Sancta Theresia, sapientissima virorum ac mulierum Magistra, virum à Confessionibus potius minùs pium, quam minùs peritum adhibendum existimarit.

§. III.

Sanus ac sanctus Doctor, semper se discere profitetur.

Divinus ille omnium Doctorum Doctor, Christus Iesus, sapientiæ cælestis sectatorem, discipulum simul esse debere atque Magistrum, exemplo suo docere visus est, cùm duodecim annorum in Hierosolymitano templo, circumfusâ Doctorum corona, eos tanquam auditor erudiendus interrogavit, & simul tanquam Doctor instruxit, difficultatesque gravissimas, tanta facilitate declaravit, ut admiratione defixi obstupuerint, quotquot aderant. Unde Lucæ 2. *Invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Vide discipulum discendi cupidum, & eundem venerare Magistrum celeberrimum: *Stupebant omnes, qui eum audiebant super prudentia, & responsis ejus: & videntes admirati sunt.* Eadem de causa, nisi fallor ibidem ab Euangelista v. 52. dicitur: *Iesus proficiebat sapientia.* Is scilicet, qui summi Patris sapientia est incomprehensibilis, usque ad annum ætatis trigesimum nil aliud dicitur perfecisse, nisi sapientia proficere. Docebat siquidem Doctorem omnem, sublato omnis arrogantiæ ac propriæ excellentiæ fumo, simul Magistri & discipuli partes explere debere. Paulus Apostolus agnovit tanti hoc momenti esse, ut Episcopi formam traditurus, & quasi optimi Prælati ideam expressurus, sic scripserit ad Timotheum: a *Oportet Episcopum* DOCTOREM *esse.* Rursus ad eundem epist. 2. c. 2. *Oportet Episcopum* DOCIBILEM *esse.* Atqui Doctor est, qui docet; docibilis, qui docetur: ergo si idem Doctor & docibilis esse debet, profecto idem promptus esse debet, ut doceat pariter, ac doceatur. Huc facit illud Augustini contra Donatistas: b *Ille Episcopus melius docet, qui quotidie crescit, & proficit* DISCENDO *meliora.*

Deinde ille Regum omnium sapientissimus Salomon, postulaturus à Deo sapientiam, ut posset judicare populum, & discernere inter bonum & malum, postulavit docilitatem: *Dabis,*

a 1. ad Tim. c. 3. v. 2. b August. l. 5. contra Donatist. c. 76.

in-

inquit, *servo tuo cor* DOCILE; hoc est, cor facile ut doceatur. Quasi ille animus omnium sapientissimus judicetur, qui non minus possit docere, quàm velit doceri: & ille, qui ad discendum promptissimus sit, idem planè ad docendum sapientissimus habeatur. Nam ut bene D. Ambrosius; a *Quantumlibet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non egeat, dum vivit.* Vtinam id sibi persuadeant vani illi scioli, qui nihil se latere, nihil ignorare in animum inducunt, nec quidquam sibi discendum ampliùs arbitrantur. Sacros Ecclesiastas ad agrestes, ad rudes, ad famulos & ancillas, atque imperitas mulierculas aptè dicere; ceterum nil illas proferre, quod ipsi non calleant. Audiant hi, quid Doctor gravissimus b Iacobus Laynes, qui in consilio Tridentino inter Theologos primum locum tenuit, senserit, dum ingenuè confessus est, nullâ personæ ratione habitâ, se ex cujusvis fraterculi concione, semper doctiorem decedere. Quid, quod magnus ille Theologus, Ioannes Euangelista, qui Christi Domini lateri incumbens, divinæ sapientiæ fontes epotavit, mysteria Resurrectionis libens ab una fœmina didicerit; & ingenuo pudore confessus fuerit, per quam profecerit, dicens: *Et hæc dixit mihi.* Vbi D. Chrysostomus: e *Euangelista, inquit, tanta laude mulierem non fraudavit, neque sibi dedecori arbitratus est, ut ab ea hæc intelligeret.* Iam vero Divus Paulus raptus in tertium cælum, & in cælesti academia Doctor gentium declaratus, ne quid fuliginis ex hac arcana scientia contraheret, in terris Apostolorum se discipulum exhibuit: e *Ascendi*, inquit, f *Hierosolymam secundùm revelationem, & contuli cum illis*, id est cum Apostolis, *Euangelium, quod prædico in gentibus. Veritus*, ut S. Hieronymus interpretatur, *ne munus* DOCTORIS, *& prædicatoris quodammodo evanesceret, nisi sæpius interrogando, ac* DISCIPULI *munus exercendo renovaretur.* Hanc doctrinam secutus S. Augustinus: g *Ego*, inquit, *senex à Iuvene, Episcopus tot annorum, à Collega nondum anniculo, paratus sum doceri.* Et alibi: *Si posses me docere, quod ignoro, libentissimè te sufferrem, non solùm verbis increpantem, sed etiam verberibus castigantem.*

a S. Ambr. l. 1. offic. c. 1. b In Bibliot. script. Soc. c Negron. reg. 2. d Ioan. 20. e Chrysost. hom. 84.

Alter eximius Ecclesiæ Doctor Ambrosius quam plurimis in locis, discipuli munus se obire profitetur, præsertim lib. 6. epist. ad Sabinum 40. ad quem mittit suos quosdam libellos, & summis precibus contendit, ut diligenter eosdem discutiat, & quæ corrigenda decreverit, arbitrii sui judicio castiget, ac corrigat. Nôrat hic Mediolanensis Antistes non absque singulari emphasi, Apostolum duo quædam combinâsse, dum dixit: h *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas: alios autem* PASTORES ET DOCTORES; i ubi duo insinuâsse videtur, *ut studio docendi possim discere.*

Hâc laude præ ceteris excelluit

f Ad Galat. 2. g Aug. epist. 25. h Ephes. 4. i Ambr. l. 1. offic. c. 1.

ut Magnus ille *super æthera notus* Hieronymus, qui totâ vitâ non solum docuerit, tanquam Doctor maximus, sed etiam didicerit, tanquam discipulus minimus, ut ipse de se testatur: a *Iam*, inquit, *canis spargebatur caput, & Magistrum potius, quàm discipulum decebat: perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum; in multis ei gratias ago, quod nescivi, didici, quod sciebam, ille docente, non perdidi. Putabant me homines finem fecisse discendi: veni rursus Hierosolymam, & Bethleem; quo labore, quo pretio Barranum, nocturnum habui Præceptorem? timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Vbi videre est ejus studium in discendo, qui non solùm incolas, sed etiam externos inquirebat Præceptores. Quod si nocturnum habuit Hebræi sermonis Magistrum, non fuit, quod ipse Hieronymus diurno tempore discere erubesceret; sed quod ipse Præceptor diurno docere propter Iudæos formidaret. Mitto plures alios non solùm viros, sed etiam fœminas, à quibus D. Hieronymus, summus Ecclesiæ Doctor, ingenue fatetur, se libenter, quæ ignorabat, didicisse. Reprehensus itaque à Ruffino, quòd jam senex ab homine Hebræo Hebræas literas acceperit, festiviter respondet: b *Quod ille Demosthenes in una litera fecit exprimenda, ut à cane Philosopho diceret, tu in me criminaris, quod [illegible] ab homine Hebræas literas didicerim?* Inde est, quòd quidam inerudite sapientes remanent, qui, dum sibi omniscii videntur, nolunt discere, quod ignorant, nec Horatium audiunt commonentem: c

Cur nescire pudens pravo, quàm discere malo?

Quadrat hoc loco monitum Senecæ Philosophi d dicentis: *Tuto multos ad sapientiam pervenire potuisse, nisi putassent se pervenisse.*

Illud quippe doctorum virorum verum ac sincerum de se sentientium judicium est, quo plus sciunt, plura superasse quæ nesciunt. Sic Baldum, Iurisprudentiæ commendatione celeberrimum, sensisse accepimus; qui cum septem supra quadraginta annos jus civile docuisset, cum feudales libros commentariis illustraret, in præfatione operis sic scripsit: *Quod si ex parte aliquid didicerim; tamen in comparatione latitudinis intellectus, profecto nihil me intellexisse agnosco.*

Consimile alterius non ignobilis Iurisperiti Salvii Iuliani judicium est, qui multorum Principum amicitia clarus dicere solitus: *Etsi alterum pedem in cymba Charontis haberem, adhuc discere vellem.*

Quis vestrûm Auditores, caussarum Procuratores, Causidicos, Syndicos, Senatores, Iudices, fori externi & interni compello, quis vestrum cum Baldo, cum Salvio sentit?

Quis indies sibi non novas tricas, & implexos casus objici sentit? unde in curia sæculari quandoque, ubi de fortuna, fama, vita agitur: in interiori curia conscientiæ, ubi quæ & quanta per peccata aliena, consilio, jussione con-

a Hieronym. epist. ad Pammach.
b Hieron. in Apolog. ad Ruffin.
c Horat. de arte. d Senec. de tranquil.

consensu, conniventia &c. in Deum & proximum injuria; quæ restituendi aliena, occasiones peccati devitandi obligatio, ii minime dubitant, qui omnia ignorant.

Sapienter Seneca: a *Tamdiu discendum est, quamdiu nescias, & si Proverbio credimus, quamdiu vivimus &c. Ego tamen hic & aliquid doceo. Quæris quid doceam? & seni esse discendum.* Ardor discendi in viris etiam maxime sapientibus, non nisi exacto vitæ curriculo extinctus fuit. Solon certe gravissimo laborans morbo, mox exspiraturus, audiens in circumfusa amicorum corona aliquos inter se disceptantes, caput è pulvinari extulit, vegeta adhuc aliquid de novo discendi cupiditate, in summo naturæ deficientis discrimine; quemadmodum his verbis scribit Valerius Maximus: b *Solon assidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis jam pressum caput erexit. Interrogatusque, quapropter hoc fecisset? respondit, ut cum istud quidquid est, de quo disputatis, percepero, moriar.* Intelligebas ô Solon, sapientiæ sectatori eundem finem esse discendi, atque vivendi. Pudeat Christianos, hoc est cœlestis sapientiæ studiosos, profanæ sapientiæ Doctores inveniri, qui ardore discendi ad extremum usque spiritum profitentur se esse discipulos; cum nos vix primis imbuti institutionibus sanctioris vitæ, quasi jam rude donati, dedignemur erudiri.

Hæc omnia pluribus complexus Hieronymus tandem subjungit: c *Plato Ægyptum, & magnam Græciam laboriosissime peragravit, ut qui Athenis Magister erat & parens, cujusque doctrinam Academiæ, & gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus; malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere. Apollonius Philosophus, qui innumeras terras lustravit: invenit vir ille ubique quod disceret & semper proficiens, semper se melior fieret.* Quin & nos sublimioris scientiæ candidati, in virtutum schola discere & proficere studeamus, si aliquando doctoratus laurea in cœlis condecorari velimus.

a Seneca epist. 76. b Valer. Max. l. 8. c. 7.

c S. Hieron. ad Paulin.

D E

DE COMMUNI SANCTORUM CONFESSORUM.

Erat LUCERNA *ardens & lucens.* Ioan.5.v.35.



LVCET ET ARDET.

ARGVMENTVM.

ILluſtres olim apud Gentiles *Lucernæ*, maximo in pretio & ſumma in veneratione fuere; è quibus nihilominus parum Lucis, multum fumi trahebant. At quam hodierna luce, omnium non oculis, ſed mentibus

bus *Lucernam* proponam, hæc & fervore charitatis, & cœleſtium rerum contemplatione *ardens*: Tum illuſtri Apoſtolicorum operum ſplendore *lucens* præclare denique utriuſque vitæ, Contemplativæ & activæ commercio, *Lucens* & *ardens*, maxime vobis venerationi, & imitationi erit. Ubi pro argumento mihi deſumpſi illud Doctoris melliflui: a *Ardere parum*: *Lucere tantum, vanum eſt*: *Ardere & Lucere, perfectum*; quo triplicis vitæ, Activæ, contemplativæ, & Mixtæ perfectio declaratur. Quam vel ipſe ſolitudinis Author & fautor, de Martha & Maria agens probavit ac prædicavit, dicens: b *Quod ſi utramque ſimul potes imitari, utrimque omnino ſalutis fructum reportabis.* Etenim ut in rerum natura videre eſt nec facem inaccenſam, lumen communicare, nec calorem alteri quempiam conferre, qui non ardeat: haud aliter, quaſi è pelvi fulgor erit, niſi ex ferventi pectore, & ardenti in Deum charitate procedat, ut in proximum flammam & lucem ſpargat.

a Bernard. ſerm. in nativit. S. Ioan. Bapt.
b Baſil. in conſtit. monaſt. c. 5.

§. I. *Erat Lucerna ardens.*
§. II. *Erat Lucerna Lucens.*
§. III. *Erat Lucerna ardens & Lucens.*

D E

DE COMMUNI SANCTORUM CONFESSORUM.

LUCERNÆ *ardentes in manibus vestris.* Luc. 12.

Celeberrimæ *a* olim fuere Epicteti, Aristophanis, Cleanthis, & Callimachi lucernæ, vel ab operis elegantia omnibus admirationi; vel ab eruditis viris ad eas lucubrantibus, venerationi. Sic summo in pretio habita est aurea Minervæ lucerna, à peritissimo artifice Callimacho effecta, & à materia, & opere posteris commendata. Altera vero Epicteti, gravissimi Philosophi lucerna fictilis (hoc ejus domesticum omne instrumentum & tota supellex) ad quam divinas suas lucubrationes exarârat, *b* à morte mille, seu, ut alii, ter mille drachmis vendita est, cum interim ex ea nihil lucis, nihil eruditionis Emptor in animum posset derivare.

Plus fortasse apud vos æstimationis lucerna habitura est, quæ ad mille & amplius, nullo olei fovento inextinguibilis permansit; qualem describit Hipponensis Præsul *c* in fano Veneris repertam. In quem locum Augustini, ait *d Vives*, erutum sepulchrum memoria Patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, ut ex inscriptione apparebat supra annum mellesimum & quingentesimum. Fabulæ, aut ut Augustinus, dæmonum præstigiæ.

Alium hodierna luce vobis omnibus lucernam maximæ admirationi, & venerationi futuram, nullo pretio digne æstimandam, nullis temporum spatiis consumendam, nullis ventorum turbinibus extinguendam, sed hic in vita, & in omnem æternitatem, lucentem & ardentem, non tam oculis, quam animis proponam.

Ac primum quidem Sanctissimum NN. de quo agimus Confessorem, spiritus fervore, igne charitatis, qui in meditatione, ac rerum divinarum contemplatione potissimum exarsit, *Lucernam ardentem*; tum illustri eruditione, sanctorum operum splendore, virtutumque exemplo, in vita activa, *lucentem*: utraque demum mixta, contemplativa & activa vita, *ardentem & lucentem* exstitisse declarabo.

a Raderus in Mart. lib. 8 epig. 3. b Lipsius manuductio ad Stoicam Philosoph. 1. in fine. Lucian. adv. indoctum. c Aug l.21. de civit. c 6. d Vives in August. de civit. l. 21. c. 6.

§. 1.

Erat lucerna ardens. Ioann. 5.

Doctor mellifluus, è cujus calamo nil nisi lac, & mel fluxit, hoc insuper oleum lucernæ

cernæ affudit, cum de Ioanne Baptiſta omnium Confeſſorum principe, ita ſcripſit: a *Erat* LUCERNA ARDENS ET LUCENS. *Magnum teſtimonium, fratres mei; magnus enim eſt cui perhibetur; ſed major eſt ipſe, qui perhibet. Ille inquit, erat* LUCERNA ARDENS ET LUCENS: *eſt enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum, ardere & lucere perfectum.*

Ardere prius & potius quam lucere tantum, hoc autem præſtat vitæ ſpiritualis ea pars, quæ vocatur *Contemplativa*, cujus munus eſt mentem rebus terrenis, & curis ſæculi exemptam, choris Angelorum inſerere, & in amorem illius infinitæ bonitatis, & incomprehenſibilis pulchritudinis omnino inflammare. Iſtius vitæ contemplativæ duos modos, ſeu rationes reperiri, nemo eſt qui ambigat: Altera eſt illorum, qui eremi ſecreta petentes, ſine Prælato, ſine ejuſdem propoſiti ſociis, imo ſine teſte, in antris atque ſpeluncis delitescentes, aſſiduæ meditationi, & contemplationi vacabant.

Quales fuerunt Pauli, Antonii, Hilariones, Pachonii, Macharii, Arſenii, Simeones, & alii quam plurimi, qui à Spiritu ſancto in deſertum ducti, hoc inſtitutum, ac vitæ genus aggreſſi ſunt A quo nec fragilis mulierum ſexus abhorruit, cum legamus Mariam Ægyptiacam, Pelagiam, Theocliſtem, & alias non paucas fœminas in eremi abdita ſeceſſiſſe, & noctes ac dies in contemplatione, Dei charitate ardentes perſtitiſſe.

Altera illorum qui in cœnobiis, ſub cura Prælati, conſortioque multorum in cellulis ſuis commorantes, & omnibus externis occupationibus ſequeſtrati, oratione & contemplatione ſpiritu ferventes velut oleo, paſcuntur. Cujuſmodi fuerunt Baſilii, Benedicti, Brunones, Bernardi, Hieronymi, Auguſtini, & univerſi, qui iſtorum genus vitæ ſequentes, vitam quietam, ac omnibus mundi curis ſolutam, aut coluerunt, aut colunt. Quam vivendi rationem, *anachoreticam* hanc, hanc vero poſteriorem *Cœnobiticam* vocavit Antiquitas.

Vita contemplativa quæ in ſolitudine ſine Prælato, ſine ſocio, ſine teſte tranſigitur pauciſſimorum eſt, & magnis periculis ac luſionibus expoſita, atq; iis duntaxat convenit, qui vitiis ſubactis, & longa virtutum diſciplina in carne mortali Angelorum vitam imitentur. Vnde callidus hoſtis quandoque Religioſis viris, & fœminis inſidiatur, qui nec quietem cellæ, nec ſocios, aut ſuperiores minus commodos ferre valentes, in Religione ſpiritum intepeſcere, nec contemplationi vacare ſe dictitant, unicam ſolitudinem ſibi perfectionis ſcholam ſtatuentes. Quas fraudes D. Bernardus detegit dicens: b *Quantos ex monaſteriis* SPIRITU FERVENTES, *eremi ſolitudo ſuſcepit, & aut tepefactos evomuit, aut tenuit contra eremi leges, non modo remiſſos, ſed etiam diſſolutos, Sicque apparuit vulpeculam affuiſſe, ubi tanta facta eſt vaſtatio vineæ, id eſt vitæ, & conſcientiæ*

a Bern. ſerm. In nat. S. Ioan. Bapt.

b Bern. in Cant. ſerm. 64.

hominis

hominis detrimentum. Cogitabat si solus degeret, multo se copiosiores fructus Spiritus percepturũ, quippe qui in communi vita tantum spiritualis gratiæ fuisset expertus. Et bona visa est sua cogitatio sibi; sed rei exitus indicavit, magis eandẽ illi cogitationem vulpem demolientem fuisse. Profectò carbo quantumvis ignitus si ab igne semotus, sensim extinguitur; qui etiam non accensus, ab aliis ignibus ignem concipiet, & stipes quantumvis viridis, arido fasci insertus, una inflammabitur. Verum ut institutum nostrum prosequamur, Magnus Gregorius non tam per actiones intellectus quam per charitatis affectus voluit Contemplativam vitam describere, ut Dei naturam, pulchritudinem, atque innumerabiles perfectionum divitias contemplando, mentem rebus terrenis exutam, ad desiderium, & amorem infinitæ bonitatis efferat, & ad quærendam divinam unionem inflammet.

Ipsum *a* audite: *Contemplativa vita est, charitatem quidem Dei & proximi tota mente retinere; sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, ut nihil jam agere debeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cũ mœrore portare: totisque desideriis tere: illis hymnidicis Angelorum choris interesse, admisceri cælestibus civibus, de æterna inconspectu Dei incorruptione gaudere. Sic profectò ille dicit, non quod ab hac vita considerationem excludat, sed ut Dei amorem, & cælestes affectus, finem & scopum astruat.*

Quia omnis consideratio, non propter seipsam suscipitur, sed ut ea tanquam flabello, voluntas ad amorem supernorum exardescat. Unde subdit: *Defectiva namque, & manca est cognitio, quæ affectum non excitat, & odium mali, atque amorem boni non generat: & parum Deo placet si cognoscamus, dum ex cognitione non assurgimus ut mala detestemur, & bona quæramus, & diligamus.*

Quid, quod hæc Vita Contemplativa non solum Anachoretis, cœnobitis, ac Monialibus; sed & iis potissimum, qui Vitæ Activæ, ac proximo vacant perutilis, & necessaria est: ut ex oratione, & rerum divinarum contemplatione velut è fornace ignem concipiant, & ex familiaritate cum Deo, velut Moyses, radios hauriant, quos in populum spargant: nulla etenim lucerna quæ non ardet, lucere potest, nec in alios ardorem derivare, quem in se non habet. Quod perspectum habuere viri Apostolici, qui ut maximis occupationibus distenti, omnibus suis actionibus ignem, quem in proximum spargerent, ab hac face, aut fornace potius, mutuarunt: Quo in studio, ut alios aliorum Ordinum, quod longum esset, aliis relinquam, è Societate nostra excelluerunt: *b* P. Franciscus Onufrius media surgens nocte septem continenter horas in oratione perstabat. Similiter Pater Gonsalvus de Lyra, duas aut tres duntaxat horas quieti indulgebat, reliquum usq; in mane tempus, flexis genibus in oratione pernoctabat.

a Greg. hom. 14 in Ezech.

b Nierenb. ascetica l. 1. doct. 8. c. 81.

Lu-

Lucerna ardens quoque exstitit P. Ferdinandus de Monoroy, qui nocte intempesta assurgens, ad auroram quinque aut sex horis divinis commentationibus animum iuflammabat, meruitque à Christo doceri orare, & ignem in meditatione concipere. Ferventissimus ille Indiæ Apostolus P. Didacus Martinez, cum inter Barbaros illos occupatissimus esset, noctes transigebat sub dio in oratione. Ubi quandoque visus Indis & Hispanis super cacumina ingentium arborum elatus, medioque in aëre detentus, ac mira circumfusus luce, ignitusque huic illis se collustrantibus columnis: LUCERNÆ quippe *lux*; ut ait D. Maximus, *est oratio, & contemplatio*, qua ita totus in flammas abiit, ut quotidie actus ardentissimi amoris Dei, ad tria millia è fornace pectoris ejacularetur. P. Ludovicus de Ponte, corpusculo ad instar Punicæ lucernæ extenuato, ingentes flammas aluit, fuitque lucerna ardens, quæ etiam de nocte non exstinguebatur; illud enim vero illi familiare erat, ut à religiosis excubiis observatum fuit, ut quaque noctis hora orare in templo conspectus sit, quo factum ut medulla cerebri, multum temporis à morte incorrupta reperta sit.

Consimili ratione fratres laici, qui domestici operis ministeriis occupantur, in amore, & contemplatione Dei, assiduo possunt exardescere. *a* Frater Alphonsus Rodericus, totos dies, & ubique orabat. Similiter & Frater Alphonsus Carillus qui numquam ab amabili De[illegible] respectu essabat, sic orationi as[illegible] fuerat, ut Medicis consulentibu[s] aliquantuum distrahi, ne capu[t] affligeret responderit, laborio[illegible] sius sibi ore à consideration[e] divina mentem avocare, ita u[t] in Societae ageret sicut Paulu[s] in eremo. Demum ut alter Paulus Anachoreta, & Joannes Abbas, inventus est genibus flexi[s] orans obiisse. Unde monet & suos fratres S. Bernardus, ut quamvi[s] operi exteno, orationi tamē vacare non essent: b *Sicut*, inquit, *laborantibus manibus, nec oculus propterea cauditur, nec auris abstinet ab auditu : sic, imo multo melius, laborante corpore, mens quoque ipsi suo intenta operi, ut non vacet.*

Quemamodum legimus S. Isidorum agricolam, etiam post stivam in amorem Dei totum deflagrasse, & Catharinam Virginem Seensem inter culinæ ministeria cellam sibi in intimo animi recessu apparasse, ubi se sibi furabaur, Deoque fruebatur.

Quæ & famulis, & ancillis, & mæchanio cuivis opifici exempio, a stimulo esse possunt. Quid, qud nec ipsi sæculares negotiis maximis impliciti, ut sunt Mercatores, causidici, Senatores, Nobiles, tempus sibi orationis, in qua ignem concipiant, ut toti familiæ luceant, jure conquerantur. Porro David in tanta mole regni, & summo bellorum molimine, non c *septies* dumaxat *de die*, sed & quot noctius assurgebat divinæ contemplaioni intentus, totusque

a Nierenb. cit.

b Bern. ser., de altit. & castit. cordis.
c Psal. 118.

que incensus, ut jure LUCERNA a *Israel* dictus sit. Carolus V. ille Europæus Alexander inter assidua bella, & prælia versatus, quotidie duas horas primo mane Deo vacabat, preces insuper Canonicas persolvebat: duas itidem horas à cœna, plerumque flexis genibus orationi dabat.

Quis vestrùm tot, tantisque curis, ac rerum maximarum momentis oppressus, prætexere potest; tempus sibi, otiumque tam negotiosum non suppetere? De *b* B. Francisco Borgia Gandiæ duce legimus, dum Madriti rhedâ cum viris quibusdam Principibus Hispaniæ veheretur, turbatos, & territos casu equos, præcipitem cursum arripuisse, & ceteris inde prosilientibus, solum B. Franciscum resedisse immotum, totius rei ignarum, sic etiam in urbe regia & Principum virorum consuetudine sibi solitudinem, & secessum pararat, quo totus instar ignis in Deum ferebatur.

Hinc nemo quisquam studia, negotia, curas, impedimenta adducat, quo minus Deo vacare valeat, cum horum se Regum, Principum atque aliorum innumeris, quæ Drexelius in Rhetorica cœlesti commemorat, exemplis, edoctum videat.

§. 2.
Erat lucerna lucens.

VT quis verbis, opere, variarumque virtutum exemplo, suis præluceat, priùs ardeat, ut diximus, necesse est; est enim *c* *tantùm lucere, vanum.* Religiosum in choro, exteriori dumtaxat vocis sono quantumvis arguto, *tantum lucere, vanum est.* Virum Apostolicum in laboribus, in sudoribus, in carceribus, &c. *tantùm lucere, vanum est.* Christianum jejuniis, eleëmosynis, templorum frequentatione, *tantùm lucere, vanum est.* Unde iis interminandū illud Væ, quod aliquando *d* D. Bernardus suis intentavit: *Væ nobis, fratres, si* LUX ERIMUS TANTUM: *Nam lucemus quidem, & magnificamur ab hominibus; sed mihi pro minimo est, ut ab humano judicer die; qui enim judicat me, Dominus est, qui fervorem ab omnibus exigit; splendorem verò non ita.*

Severam hanc melliflui Doctoris comminationem complures experti sunt, qui dum alios velut specula ustoria inflammant, ipsi frigidi remaneant: vel potiùs eos æmulantur, qui facem, aut lucernam aliis præferunt, ipsi interim in tenebris, & luto ambulent. Ita dum lucere solùm studuit, propè cum Lucifero, Adolescens quidam cœlo, & Religione excidit.

Societatem Romæ is ingressus fuerat, nomine *e* *Iacobus Tyrius*, natione Scotus, præstantis sanè ingenii. In tyrocinio probatus, ad Collegium Romanum transiit studiorum causâ: quibus dum vacat impensiùs, ita illis captus est, ut dum speculativæ scientiæ capitur illecebris, omnem, quem priùs ab oratione, rerumque cœlestium meditatione ignem conceperat,

a 2 Reg. 24. b Nierenb. cit. c Bern. serm. in nat. S. Joann. Bapt.

d Bernard. cit. e Daniel Bartolus in vita S. Ignatii. l. 5. n. 8.

sensim extingui permiserit. Et hinc alterum malum tempus prope omne, quod à Regula præscriptum vel orationi, vel lectioni sacræ, vel etiam excutiendæ conscientiæ, ad studia detorsit, atque excolendum iis ingenium. Et inde aliud quoque damnum, quantum in literis proficiebat, ac ceteris præcellebat, tantum deficiebat in Spiritu; ac fervore prius concepto acquirendæ Religiosæ Sanctitatis; quo sane destitutus, dum à maligno genio tentatur, resistendo vix fuit, parumque abfuit ab exitio: adeo periculosæ plenum opus aleæ, ingenio ac scientia lucere velle, cum jactura Spiritus, fervoris, ardentisque in Deum charitatis; quam dum in se restinctam advertit, eò devenit, ut de salute propè conclamatum videretur. Verum quæ Dei clementia fuit, aliqua adhuc bonæ mentis, aliqua salutis cura, ceu scintilla, media illa in nocte promicuit. Ad orationis arcem & præsidium confugit, Deique, ac S. Ignatii opem imploravit in arduo illo & periculoso, cui imminebat lapsu. Nec in vanum: adfuit enim periclitanti Ignatius, qui à decennio jam obierat, adfuit, inquam, ceu indulgens Pater, ceu severus monitor, ceu etiam oportunus ægro animo medicus, & sese *Tirio* nostro spectandum obtulit; sed oculis iram spirantibus, contracta, severaque fronte, ad quam etiam accessit vox paterna, sed gravis illa, & acrior. Sic enim ad eum: Credisne profanis illis lucubrationibus tuis, ac scientiæ splendore in Societate mea promoveri, ac proficere? Falleris enimvero, falleris. Non is Societati, non is mihi, non is Deo finis propositus. Tum addit illud, seu extremum monitum, seu etiam oraculum: *Minus litterarum & plus Spiritus.* Minus lucis, & plus fervoris: dixit, & evanuit at oculis, non animo *Tirii*: huic enim adeo infixa mansit vel Ignatii species oculis hausta, vel admissa vox auribus, ut ilico dissipata sit mali dæmonis suggestio (ceu vento leviuscula nebula) & reddita quies animo, & tranquillitas: & primus qui in tirocinio fuerat orationis æstus, rerumque cœlestium ardor: quem deinde reliquâ vita dum fovit, in virum alium abiit, magnis in Societate ad Dei gloriam, animarumque lucrum, muniis luxit, ac deinde Germaniæ assistens fuit, quo munere dum fungitur, & vita quoque defungitur. Relicto posteris illustri & ardoris & lucis testimonio. Ac suam præstantissimarum virtutum odore: longe gratiori quam è lucernis olim in aula a Heliogabali pro oleo, flagrantissimum balsamum exhalantibus. Habent hic, qui *lucere tantum* gestiunt, quod timeant, ne flamma in fumum evanescente tenebras, tetrumque odorem in Ecclesiam, in Religionem inducant. Scite ut omnia Divus Augustinus: *b* LUCERNÆ *quæ ardebant, & extinctæ sunt, etiam putent.* Eoque fœdius, quo celsiori in loco, hæc lucernæ positæ fuerint.

Paucis rem omnem comple-

a Lamprid. b Aug. tract. 32. in Ioan.

xus

xus a Hugo Cardinalis: *doctrina sine vita* LUCERNA *est sine oleo*, quam extingui necesse est. At ubi oleum est probæ vitæ, oleum flagrantissimæ charitatis, illa lucerna lucet omnibus quæ in domo sunt. Sic maritus lucet uxori, Pater filiis, Dominus servis, superior subditis. Vim ac virtutem istiusmodi lucernæ, quæ oleo charitatis flagrabat, & boni exempli ac ædificationis luce splendebat, attendite, ut vel aciem pertinacis Hæretici potenter perstrinxerit, & ad fidei lucem perduxerit. Adolescens è Transalpinis locis, Romam venerat, egregiis à natura muneribus, ac donis instructus: sed eo usque Lutheranæ pestis contagione corruptus, ut suo non contentus exitio, alios etiam quamplurimos in eandem fraudem conaretur inducere. Sed dum spargendis longe lateque venenis, pervertendisque sanis mentibus totus incendit, ad sacros Magistratus re delata, in custodiam abripitur. Magistratus eum & ipsi per se frustra, & per idoneos Theologiæ Magistros, ut perversæ mentis Adolescentem ad sanitatem reducerent, laborassent, ad extremum ne quid intentatum relinquerent, ætatis florem, & spectatam indolem miserati, sanandum Ignatio tradunt domique nostræ custodiendum. Blande illum cum suis accepit Ignatius, & placidis manibus tempestivas admovebat identidem curationes. Tantumque seu prudentis curatio Medici, seu Patrum consuetudo valuit, ut eorum moribus curiosius inspectandis callidus Adolescens sensim & ipse commutatus animo sit, pestem evomuerit, virus ejecerit, & voluntaria quadam detestatione animi, pravis dogmatibus ejuratis, Ecclesiam sibi reconciliarit. Is deinde rogatus, cur qui tam obfirmato fuisset animo, ut de suscepta mente depelli nullo terrore, periculovè posset, ita tandem se flecti ac deliniri passus sit? Respondit, ita secum disputasse: fieri haudquaquam posse, ut à tam integra, innocentique vita, tam Sanctis, commodisque moribus, tanta animorum conjunctione & pace, quantā inter eos adspexisset, vera ac germana fides abesset. Hactenus Orlandinus. Nihil hæresi hæret pertinacius, & tamen hac ædificationis luce, ejus tenebræ depulsæ, & velut *à montibus æternis* à tot piorum virorum exemplis *illuminatæ* sunt.

Quæ porro, & unde huic Adolescenti lux oborta, idem auctor exponit. Erant, inquit c, tum domi præter sex Professos, duodecim ferè alii, qui se nuper cum Societate conjunxerant. *Flagrabant* apud eos studia priscæ pietatis, paupertatis, & Crucis Christi: Cumque essent ex tanta morum, nationum, ætatum varietate permixti; inter se tamen velut unum corpus, & unus Spiritus concordissimè vivebant: ut non tam hominum in terris degentium, quam Angelorum cœtus, in humanis corporibus viderentur. Ac tandem illud Epiphonematis loco sub-

a Hugo Card. in Matth. cap. 5. b Orlandin. in histor. Societ. p. 1. l. 3. n. 13.

c Orland. cit.

necTit: *Nulla virtutis disciplina præstantior, illorum vel consuetudine, vel* EXEMPLO, *aptis etiam ad permutandos, perditos, & profligatos mores.* Hæc Adolescentem illum à perfidia ad Religionem, exempla quotidiano, usu conspecta perduxerunt. Digna quæ nos etiam; meique similes, à tepidiore vita, ad ardorem illum virtutis excitent imitandum. Tum enim & illuminati esse dicemur *à montibus æternis*; primorum nostrorum parentum, inquam, exemplis: & ipsi inter *montes æternos* annumerabimur, per quos Deus mirabiliter mundum illuminet. Idipsum mirifico Ezechieli symbolo in illis sanctis animalibus significatum est, de quibus Propheta ait: a *Similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Vbi opera, & exempla justorum, ardentibus carbonibus, & lucentibus lampadibus, seu lucernis, comparantur: quoniam tanquam carbones accendunt in amorem virtutis & sicut lampadas illuminant, ut alii ex virtutis splendore resplendeant. Quod egregiè Magnus Gregorius expressit, dum dixit: b *Quisquis enim carbonem tangit, accenditur: quia qui Sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis, accipiet ut accendatur in amorem veritatis.* De lampadum verò comparatione, sic scribit: *Longe, latéque justus ut lampas lucet, & qui bona ejus audiunt, quia per hæc ad amorem cœlestium surgunt, in eo quod se per bona exhibent, quasi ex lampadis lumine resplendent.*

Vultis alias lampades, seu lucernas in caliginoso loco, in tetro carcere, constantiæ ac fortitudinis c Christianæ exemplo lucentes? Paulo & Syla in custodia vinctis, repente terræ motus factus est magnus, ita ut commoverentur fundamenta carceris; apertæ autem sunt statim omnes januæ, & omnium vincula soluta. Experrectus ad fragorem custos carceris, videns apertas januas, arrepto gladio seipsum conficere meditabatur, putans effugisse vinctos. Clamavit autem voce magna Paulus, dicens: Nihil mali tibi feceris: universi enim hic sumus. Admiratus hic humanitatem Pauli, animique constantiam, tremefactus procidit ante Paulum & Sylam, & dixit: Domine, quid me oportet facere, u[t] salvus fiam? & assumptis illi eadem hora noctis, lavit à pla[gis], & baptizatus est ipse, & o[m]nes qui illius erant continuò & cum perduxisset illos in do[mum], apposuit mensam, & exu[l]tavit cum tota domo, creden[s] Deo. Subjungit Chrysostomus d *Non ob hoc diligebat Paulum quia servatus erat, sed quia virtu[tem] obstupescebat.* Illa enim cha[ritatis], & fortitudinis exempla quæ in Paulo cernebat, fulgo[re] suo animum ejus ita everbera[ru]nt, ut omnem caliginem dis[si]parint. Ex quo colligi potest non minus congruè ab eode[m] Chrysostomo, exponi illud pu[...]

a Ezech. 1. b Greg. hom. 5. in Ezech.

c Chrysost. hom. 36. in Acta. d Chr[y]sost. hom. 9. ad popu.

pu[...]

parati vatis : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Vbi ait : *Cœli, id est Sancti enarrant, non dicentes tantum, sed tacentes, & VITÆ CLARITATE in admirationem adducentes.* Tales cœlos vos in familiis vestris, in foro, in curia, in templo exhibebitis, dum *vitæ claritate*, & virtutum splendore, tot veluti sideribus, quot bonis operibus collucetis.

§. 4.

Erat lucerna ardens, & lucens.

THeologorum Aquila Aquinas, ubi acri quo pollebat ingenii acumine expendit, utrum perfectius sit, per vitam contemplativam ardere, an vero per Activam lucere, præclare concludit, utrumque longe perfectissimum : a *Sicut enim majus illuminare, quam lucere solum; ita majus est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari.* Quam vitæ mixtæ rationem; alterutri præferendam, communis omnium Doctorum sententia est, ut apud Suarem b videre est. Vt si quis, inquit, nunc exerceatur in amore Dei; alter vero simul æqualem Dei amorem exercendo, actu prædicet : sine dubio hic posterior magis merebitur, quia habet totum meritum amoris, & ultra prædicationis.

Et patet comprimis ipso Salvatoris nostri exemplo, ut docet Sanctus Isidorus : c *Quibusdam ait, sola contemplatio proficit; aliis vero sola activa est consolatio : his MEDIA utrisque composita VTILIOR EST. Nam quod Salvator per diem signis & miraculis, in urbibus CORUSCABAT, Activam nobis commendabat vitam; quod vero in nocte per orationes tamdiu pernoctabat, vitam contemplationis significabat. Idcirco Dei servus, juxta imitationem Christi, nec actualem vitam omittit, & contemplationem agit. Aliter enim incedens offendit : sicut enim per contemplationem amandus est Deus; ita per actualem vitã ornandus est proximus, ac per hoc sic non possum esse sine utraque vita, sicut sine utraque dilectione.*

Fuitque hæc utraque non Salvatoris nostri dumtaxat, sed & omnium Apostolorum, eorumque sectatorum vita : ad quam nos incitare potest brevis sed efficax d Divi Basilii adhortatio: *Quid Apostoli, nonne ipsi quoque Dominum suum imitati, nonne assidui in laboribus erant? animadverte Paulum indefessè laborantem, contentq; itinera facientem, navigantem, pericula adeuntem.* Interim etiam *sine intermissione orantem, cum lachrimis & gemitibus* Deum obsecrantem. Et infra concludit : *Quamobrem præclare is facere existimandus est; qui cum Domini & discipulorum, atque adeo Apostolorum ipsius, & animi virtutem & corporis exercitationem sibi imitandam proposuerit, haud quaquam otio marcere corpus sinit, sed in optimis assiduè officiis illud continet*

In quo Ioannem Baptistam, qui oraculo divino *Lucerna ardens, & lucens* appellatus, etiam imitandum proponit : *qui cum aliquando ex arcano quodam Dei consilio se in solitudine illa* tenuis-

a S. Tho. 2. 2. ad 22. q. 88. a. 6. b Suarez. de Relig. tom 4. l. 1. c. 6. n. 8. u. 9. c S. Isid. lib. differentiarum in 29. apud Suar. citat.

d Basil. in const. Monast. cap. 5.

tenuisset, in loca culta postea egressus est, ibique prædicando, & baptizando, quæ munera ipsametiam rerum actionem attingunt: illa sua demum apud Herodem intrepida animi libertate, certaminis sui finem invenit. Habet Ecclesia etiamnum baptistas suos, qui ex orationis, & vitæ arctioris deserto, quasi ex umbra in Solem ad prædicationem procedunt: quorum typum per umbram, aut somnium non vanum, vidit olim Iacob, in mystica illa scala, per quam Angelos ascendentes, & descendentes intuebatur, & mirabatur. Mysterium exponit Gregorius: a *Jacob Prædicatores signat, qui non solum caput Ecclesiæ, id est, Christum contemplando appetunt; sed ad membra ejus miserando descendunt, quod Angeli ascendentes, descendentesque demonstrant.*

Tales Angeli, viri Apostolici sunt, qui ab oratione, & rerum cœlestium contemplatione, ad ea quæ proximi sunt descendunt, atque inde rursus labores suos, ad Deum, per orationem ascendendo, referunt. *Sic beati illi Spiritus*, inquit Bernardus, *ascendunt per contemplationem Dei, descendunt per compassionem tui.* Tales Angeli & vos Patresfamilias, vos superiores, vos mercatores, opifices, existere debetis, ascendentes mane per contemplationem ad Deum, & dein descendentes per compassionem ad liberos, ad subditos, ad clientes, ad opera manuum vestrarum.

Obvia & nota omnibus parœmia, navim *velis & remis* celerrimè ferri. Ita & animus dum per contemplationem, divini Spiritus, & cœlestis gratiæ auram captat; per operationem vero, quasi hic remigando, proximo desudat, *velis & remis* in portum salutis brevissime fertur? Quod Iovianus c in volucre adumbrari dicit: coturnix cum mare trajicit, super undas natitans (volans enim nequit) alam alteram elevat in aërem, & instar veli expandit; alteram qua pro remo utitur, deprimit in aquas, atque ita *velis & remis* in portum appellit.

d *Ætherius* sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

Has viri Ascetici, & sacri interpretes sorores duas, easque per filias Saul adumbrari voluerunt, quarum una Merob, altera Michol vocitabatur: e *Si quis autem velit*, inquit Gregorius, *per primogenitam filiam, contemplativam vitam; per minorem, activam, potest accipere.* Hæ duæ sorores sunt, quia ab eisdem parentibus genitæ, quia moribus similes, quia operibus, & voluntate concordes. Vnum patrem, & unam matrem agnoscunt, quia à Deo inspiratæ, & à bona voluntate, Spiritu gratiæ fœcundatæ generantur. Similes sunt, quoniam idem habent principium, scilicet divinum præsidium, & radicem charitatis; in eundem tendunt finem, nam in vitam æternam dirigun-

a 1. Greg. in Past. 2. p. cap. 5. b Bernard. serm. 11. in psalm. Qui habitat.

c Iovian l. 4. c. 88. Labauta tom. 1. p. 927. d Horat. de arte. e SS. Greg. l. 5. in 1. Reg. c. 14. sub finem.

tur.

tur. Idem quodammodo opus exercent, quia altera operando, altera contemplando, non aliud quam Deo placere, & obsequi student; Magnâ pollent operum, voluntatumque concordiâ, quoniam mutuo se juvant: contemplativa activam dirigit, & activa contemplativam accendit. Ista vitam humanam conservat: illa vitæ Spiritualis meritum, atque fervorem: nam sine bonis operibus humana vita in ferinam & belluinam vertitur: & sine contemplatione futurorum, Spiritualis vita in mundanam, & carnalem commutatur. Illa facit, si decepta non est, ut activi contemplativos honorent: ista efficit, si non est illusa, ut contemplativi activos suspiciant. Quorum idem est Pater, eadem est mater, quorum tanta est similitudo, tanta concordia, merito sorores nuncupantur? Filiæ quoque Regis sunt, quia Deum Regem Regum, *patrem* appellant: sive quia Cultores suos in hac vita super cordis affectus regnare faciunt, & in futura, regalibus sertis coronant: sive quia Regios, & plane cœlestes filios parturiunt: a *Nam illa* (inquit Gregorius) *parit multitudinem bonorum operum; ista vero internorum pulchritudinem gaudiorum.*

Binæ hæ sorores conjunctissimæ sint, & sub uno tecto habitent, necesse est, sicut Martha & Maria, quæ mutuo egent auxilio: *Maria etenim*, ut ait b D. Richardus Victorinus, *Martham adjuvat, quæ divinum adjutorium illi implorat: Quia frustra laborem impenderet, plantaret, atque rigaret, nisi Deus incrementum daret.* Martha quoque se ab ea destitui non posse expostulat: tantum abest ut sororem suam Mariam contemnat, ejusque opus pro nihilo ducat. Hinc c Bernardus Monachos suos soli contemplationi vacantes, ad humilitatem hac consideratione adhortatur: *Longe* (inquit) *supra vos virtutem eorum suspicientes, & admirantes gloriam, qui ambidextri fortissimi (sicut Ahod ille fortissimus Judex Israel, qui utraque manu utebatur pro dextra) & quamdiu licet, devotissime intus vacare amant charitati contemplandæ veritatis, & cum necessitas vocat, vel officium trahit, promptissime se foras mittunt pro veritate adimplendæ charitatis.* Et serm. 57. in Cant. egregie ad hanc rem, exponit illud Cant. 2. *Surge, propera amica mea*, ubi primum ait, animæ contemplanti, dari interdum latitudinem mentis insolitam, & infusionem luminis illuminantis, *vel ad scientiam scripturarum: vel ad ministeriorum notitiam; quorum alterum* (ait) *propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari.* Et infra: *Post hunc tantæ dignationis, ac miserationis respectum, sequitur vox blandè, & leniter divinam insinuans voluntatem, quæ non est aliud quam ipse amor, qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt sollicitans, & suadens. Hoc siquidem vera, & casta contemplatio habet, ut mentem quam divino*

a Greg. c cit. b Rich. in Cant. c. 8.

c Bern. serm. ad Pat. de monte Dei.

igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deum, qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis, pro studio prædicationis libentissime intermittat, & rursum potita votis, aliquantulum in hac parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quanto fructuosius intermisisse meminerit: & iterum sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra, solita alacritate recurrat.

Non sine peculiari divini Spiritus instinctu, in Ecclesia receptum est, ut celeberrima Virginis Assumptæ solennitate, Maria & Martha inducatur, rationem reddit Eusebius Emissenus: *Merito*, inquit, *Sancti Patres constituerunt, ut in hac solennitate B. Virginis Mariæ, hoc Evangelium legeretur, quæ specialiter per has mulieres significatur. Ipsa enim inter omnes creaturas, utriusque vitæ, Activæ scilicet & contemplativæ, plus ceteris omnibus, privilegia custodivit.* Illa ut intus à cœlesti sponso vocem audivit, *surge, propera amica mea*, ab alta & sublimi contemplatione, ad Elizabetham descendit, ad infima domesticæ rei opera se submisit. Martha semel iterumque Christo ministravit; at Maria quam sæpissime, ab ipsa scilicet infantia, adusque virilem ætatem, imo & mortem. Magdalena ad pedes Domini considens audiebat verbum illius: at Maria non audiebat tantum, sed & in corde suo alte reconditum conservabat, & tam hoc quam illo vitæ activæ & contemplativæ, velut virtutum omnium compendio, quoad vixit, excelluit.

Quod clare patet ex ipsa occupationis serie, quam sibi statuerat Virgo Mater, teste Ignatio, & Hieronymo epistola ad Chromatium, & Helvidium: surgebat è lectulo summo mane, & ad auroram usque orationi vacabat: ab aurora recolebat animo, quæ de filio suo olim oculis usurparat: Mysteria scilicet Conceptionis, Nativitatis, Baptismi, Jejunii, Passionis, Sepulturæ, Resurrectionis, Ascensionis: & inter ea, ardensque divini in homines amoris, Æterno Patri gratias agebat, gratias & Filio & Spiritui Sancto, de tam profusa charitate. Die vero illucescente usque ad tertiam, loca quæ Mysteriis illis olim consecrata erant, singulari pietatis sensu revisebat.

Tum ut Martha suas partes haberet, à tertia ad nonam textrino vacabat operi, aut fila ducebat, ut alibi *a* prolixius diximus: ubi Moniales, & filiæ Deo dicatæ, perfectam vitæ activæ, & contemplativæ normam, sibi vident exhiberi; ne existiment ita sibi orationi piæ, lectioni, ac rerum cœlestium contemplationi vacandum, ut externa manuum opera, ac domestica ministeria, quæ superiorum aut parentum obedientia exigit, minime à se peragenda arbitrentur; [illegible] est gravissima. Norint hæ cœlestem sponsum non frustra postulasse à sponsa sua: b *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

a V. Lux Evang. p. 2. Dom. Sept. § 1
b Cant. 8.

Ubi

Ubi Gr-regorius: in corde, inquit, *sunt cogitationes, & in brachio operationes. Super cor ergo & super brauchium sponsæ dilectus ut signaculdum ponitur, quia in Sancta anima quantum ab eo diligatur, & voluntate, & actione designatur. Signum quippe sancta mens interius & exterius Christum portat: quia dum in ejus meditationibus assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo ejus dilecta esse dubitari non debeat.*

DE COMMUNI SANCTARVM VIRGINVM.

Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.
2. Cor. 4.



Nulla reparabilis arte. Ovid. epist. Oenone Paridi.

ARGUMENTUM.

VIrginitas adeò in se præstans, & præcellens est virtus, ac supra omne quod mortale est transcendens, ut vel Ethnici eam summè suspexerint, Virgines Deas finxerint, & propè adorarint. Ut in Vestalibus videre

re fuit, quæ quantum à nostris Virginibus, quæ Christo sponso, non ad annos aliquot, sed in æternum fidem dixere: quantum ab iis, quæ non corpore dumtaxat, sed & mente incontaminatæ, usque ad sanguinem pro Virginitate decertarunt, discreparint, liquidò comprobabimus.

Quod si vobis is ardor, hoc robur pectoris non sit, ut sanguinem fundatis; illud certè curæ, ac cordi esse velim, ut hoc lilium castitatis, quod spinis undique obseptum est, summa cautela illæsum, ac illibatum servare nitamini: a *Lilium* etenim *inter spinas*, juxta Hugonem Cardinalem, *est Virginitas in tentationibus; quæ aliquando sunt circa te, aliquando juxta te, aliquando intra te.* Unde sapienter, & salubriter idem monet: *In medio nationis pravæ & perversæ, sitis lilia candida, & illæsa inter spinas.*

Nec minorem custodiam, ac vigilantiam Apostolus adhibendam putavit, dum dixit: b *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*; ubi Virginitatem, ut in proposito symbolo videre est, vitro comparavit, quod ut est pulcherrimum, sic & tenerrimum est, & *si tangas, frangas.* Unde Theologicis rationibus & præclaris similitudinibus cuique innotescet, nullam in delectatione morosa deliberatè quæsita culpam exiguam censeri, nec ullam hîc dari materiam parvam. Accedit, thesaurum hunc castimoniæ semel deperditum, per divinam potentiam recuperari non posse: quod alterum efficacissimum motivum est, ut omni solertia custodiatur.

a Hugo Card. in Cant. 2. v. 2. b 2 Cor. 4.

§. I. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant. 2.

§. II. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* 2. Cor. 4. v. 7.

§. III. *Nulla reparabilis arte.* Ovid. epist.

DE COMMUNI SANCTARUM VIRGINUM.

O quam pulchra est casta generatio. Sap. 4.

DE pulcherrimo omnium virtutum cœtu, deque præstantissimo cœlestium Nympharum choro, nescio an ulla plus admirationis, æstimationis, ac venerationis apud Mortales habuerit, quàm animi, corporisque Castimonia: quam jam inde à primis mundi incunabulis, totus orbis terrarum suspexit, & prope dicam, adoravit: sacra enim res semper habita fuit, & superis, Deoque digna, juxta illud gentilis *a* Vatis oraculum:

Casta placent Superis.

Ipsi etiam profani Sapientes, etsi augustam ejus speciem mirabiliùs fulgurantem, nonnisi per nebulam videre possent; eam tamen longè supra se positam, tanto in honore, & claritudine habuerunt, ut maximè excelso, ac conspicuo*b*loco, *inter duodecim signa cœli, quibus mundum volvi putant*, VIRGINEM *collocarint.* Licet porrò tantum animi ornamentum assequi se posse diffidebant; nihilominus ipsam in se virtutis hujus pulchritudinem, penitiùs contemplantes, planè divinam, & cœlestem profitebantur.

Quare vetustissimi, in Italia Oratores, qui Latinam linguam exornarunt, & nomina rebus imposuerunt, castos *c* appellarunt *cælibes*, quasi cælites & cælestes; quòd vitam in terris imitentur cœlestium, ut divinus Plato *d* asserere non dubitarit: *Si sine uxoribus mundus esse posset, vitam nostram futuram esse, qualis est Deorum cœlestium.*

Præ his, maxime luculenter propositum prosequitur Hieronymus, qui cùm Iovinianum pudicitiæ hostem, eruditâ & triumphali oratione confutat, & stratum ad pedes, solum ipsum mordere cogit, hominem à dæmone subornatum, ad candidum Virginitatis florem infringendum, & turpitudine maculandum; probat consensu omnium Nationum quæ honestatis & humanitatis sensum habuere, d *Virginitatem* summo in honore, & veneratione semper fuisse, ac *tenuisse pudicitiæ principatum.* Hinc Græci gemmam illam virtutum, supra stelliferos orbes, usque ad Numinum domicilium evexerunt, cùm Dianam & Minervam, e *quas Deas Virgines finxit error Gentilium*, in choro Beatorum esse dixerunt, æterna pudicitia venerandas.

a Catul. l. 2. eleg. 1 b Hieron. l. 1. adversus Iovinian. n. 37.

c Quintil. l. 1. c. 10. d S. Hieron. l. cit. e Hieron. ibid.

In terris autem Sibyllas castimonia insignes, ut divinæ mentis interpretes, & Deo plenas honoravere; de quibus idem Hieronymus: *Sibyllarum insigne Virginitas est, & Virginitatis præmium, divinatio.* At ne hæc peregrina dumtaxat sectemur, certè a *Romanus populus, quanto honore Virgines semper habuerit,* Vestales satis testantur: quibus nostræ Virgines, Christi sponsæ, quantum antistent, liquido patebit. *b* Plutarchus ait, honores magnos à Numa Vestalibus habitos: *Lictor præcedit exeuntes.* Causam addit Dio Cassius; quod una aliqua vesperi, à cœna rediens, & incognita, malè habita esset. Tutela igitur, & decus lictor additus. Confirmat *c* Seneca: *Procedente hac, lictor submovere jubebitur*, quasi Principi aut Reginæ aditum patefacturus. Alibi vero *d* sic unam earum compellat: *Tibi Magistratus suos fasces submittunt; tibi Consules, Prætoresque via cedunt. numquid exigua mercede Virgo es?* Atque hunc honorem, ut Hieronymus observat, non in privato congressu, sed in publicis triumphis etiam deferebant. *Consules*, inquit, *& Imperatores in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus*: adeo magnifice de Virginitate sentientes, ut hac publica honoris significatione, virtutes omnes alias, uni pudicitiæ, honoris causa deferre debere declararent.

Ea insuper dignitate, & auctoritate pollebant Vestales, ut *e* si reo, ad supplicium qui ducitur, fortuitu factæ sint obviæ, is capitis absolvatur; qui vero lecticam earum, aut sellam qua vehuntur, subit morte id luit. Nec quidquam in precibus, aut alia re, ulli earum repudiandum videbatur. Quod cum probe nosset Cicero, pro Fontejo causam dicturus, sororis ejus Vestalis intercessione usus: f *Superbum sit*, inquit, *ejus obsecrationem repudiare, cujus preces, si Dii aspernarentur, hæc salva esse non possent.*

Addo præter hæc honoris ornamenta, & laudum insignia, res & fructus accepisse, id est stipendia, & opes. Livius de ipso Numa: *His stipendium de publico statuit*; ut vacuæ scilicet ab aliis curis, Deæ Palladi, & sacris operarentur. Contestatur ipse Ambrosius, *privilegia maxima, lucra ingentia* iis fuisse collata.

Incredibile propè est quod Tacitus g enarrat, & Lipsius verissimum affirmat: *Corneliæ Virgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur, Tiberius H. S. vicies dedit; quæ sunt nobis*, inquit Lipsius, h *quinquaginta Philippæorum millia. Hem uni Virgini! sic fuit.*

Denique quàm supremo Numini, vel in ipsis Gentilibus placeret Virginitas, non semel divino prodigio comprobavit. h *Claudia Virgo Vestalis, cum in suspicionem venisset stupri, & simulacrum Matris Idæ, in vado Tiberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam, fertur cingulo duxisse navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant.* Nec minus stupen-

a Hiero. cit. b Plut. in Numa. Lipsius de Vesta c. XI c Seneca l 2. Controv. d Idem lib. 6. Controv. cap. ult.

e Plut. apud Lips. cit. f Lips. cit. c. XXI. g Tacitus in Tiberio Lips. XII. h Hier. cit.

dum quod D.Augustinus *a* commemorat de altera, quæ cribro aquam hausit. *Virgo Vestalis* (Tuccia nomine) *de cujus corruptione quæstio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi, neque profluente, abstudit controversiam.*

Mitto innumeras alias Gentiles Virgines, ex omni prope gente, & natione, quæ sub cœlo est; quas ubi *b* Hieronymus induxit, concludit: *Hæc de Virginibus sæculi, currens per multiplices historias, & properans sermo perstrinxit.*

Vt ex his quisque vestrûm dispiciat, & in animum deducat, si apud Ethnicos, Gentiles, Idololatras, in crassa errorum nocte cæcutientes, tantus honos & veneratio iis Virginibus habita est, quæ ad certum tempus sese continebant, & postea matrimonio jungebantur: iis, quæ externam dumtaxat speciem Virginitatis servantes, sæpe animo fornicabantur: iis quæ de cælestibus nuptiis Agni, ne vel levissimam cognitionem hauserant, quanto majori in pretio & æstimatione apud *c* Catholicos perpetua Virginitas, *quæ principalis est virtus*, habenda sit? quam Rex Virginum, è Virgine natus, *Deus Castitatis*, ut Cyrillus *d* illum nuncupat, vel ut Augustinus e *Castitatis Magister*, è cœlo in terras deduxit, ejusque pulchritudinem primus in lege gratiæ aperuit, inque ejus amorem suo verbo & exemplo omnes inflammavit. Sic etenim de hoc primo Virginitatis doctore, attingens illud Psalmi 83. *Passer invenit sibi domum, & turtur nidum*, eleganter differit *f* Hipponensis Antistes: *Passer perparva avis est, turtur pudicissima: & ideo Salvator noster Passer dicitur, quia docuit primus humilitatem: Turtur dictus est, quia docuit primus Castitatem.* Vnde olim in Canticis *g* dicitur: *Vox turturis audita est in terra nostra. Vox turturis, doctrina intelligitur Salvatoris, audire cœpit, puritatem adamavit.*

Hanc turturis vocem non sex, aut septem Vestales, sed millenæ & millenæ, ac innumerus Virginum chorus audivit: *Vix septem Vestales*, inquit *h* Ambr. *capiuntur puellæ, en totus numerus.* Componit cum his Christianarum Virginum Parthenones, innumeras Christi sponsas complectentes, atque ita exclamat: *Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium Virginitatis.* Hæ sese Christo sponso, qui pascitur inter lilia, non brevi tempore, aut annis aliquot, ut Romanæ illæ, sed ad extremum spiritum, & omnem æternitatem perpetuo Sacramento consecrarunt. Vnde idem ille *i* Mediolanensis Præsul: *Quis mihi prætendit Vestæ Virgines, & Palladis Sacerdotes? qualis ista est non morum pudicitia sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? petulantior est talis integritas, cujus corruptela seniori servatur ætati. Ipsi docent Virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui Virginitati finem dederunt. Qualis autem est illa Religio,*

a Aug. l. 10. de civit. c. 16. Valer. Max. l. 8. b Hiero cit. c Ambr. l. 1. de Virg. d Cyril. Hierosol. Catech. 12 e Aug. ser. 17 de temp.

f Aug. hom. 33. ex 50. g Cant. 2. h Amb. l. 2. epist. 2. respons. Symmach. i Ibid.

ubi pudica Adolescentes jubentur esse, impudica anus? Virginitas ut virtus sit, perpetuo in vigore & virore suo, omnino illibata servanda est: hæc quippe, teste Doctore a Angelico, *à virore sumpta videtur. Et sicut illud dicitur virens, & in suo* VIRORE PERSISTERE, *quod non est adustionem expertum: ita & Virginitas, quæ immunis à concupiscentia adustione.* Quæ adustio fit, inquit b Lessius, cum homo illius motibus consentit. Qui viror, & vigor ne unquammarcescat, subdit: *Dicendum quod Virginitas, secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis* PERPETUO *servandæ: dicit enim Augustinus, quod Virginitas carnis, ipsi Creatori carnis & animæ vovetur, consecratur, servatur.* Quod alibi confirmat, dicens: *Virginitas est in carne corruptibili, incorruptionis* PERPETUÆ *meditatio.* Itaque hæc virtus forma-„liter in eo sita est, quid integri-„tatem carnis, & immunitatem „à contagio libidinis, perpetuo „tueri intendat, omnia illi con-„traria vitando. Meditationem vero vocas, quia est propositum, multam curam, & meditationem postulans, ut illum thesaurum conservet: nullam quoque custodiam, & cautelam exigens, ut candidissimum Castitatis lilium intactum, & illæsum tueatur.

c S. Thomas de hac virtute Angelicè sensit ac scripsit: *Virginitati*, inquit, *tribuitur excellentissima pulchritudo*; quam pluribus depingit Ambrosius *Pulchritudinem quis potest majorem æstimare, decore Virginis, quæ amatur à Rege, probatur à Iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo?*

a. S. Thom 22. q. 152 a. 1. b Lessius de jure. l. 4. c. 2. dub. 14. n. 96. S. Thom. cit. art. 3. ad 4. August. de Virgin. c. 8 in fine. Idem c. 3. Less. cit. b S. Thom. cit. art. 5. c Amb. lib. 1. de Virg.

Verum enim verò hæc pulchritudo, ut pulcherrima, sic & tenerrima est, & omni diligentiâ servanda, non secus ac lilium inter spinas, ne minimo aculeo; aut levissimo attactu lædatur, qui in hoc maximus, & plane lethalis est; ut non frustra à gravissimis Theologis adstruatur, in hac materiâ castitatis, omne delictum delectationis morosæ deliberatè commissum, esse peccatum mortale, nec ullam hic dari materiam parvam; quod aptis similitudinibus, SS. Patrum testimoniis, ac Theologicis argumentis fusius deducemus.

§. I.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cant. 2.

QVam variæ, quam densæ, quam multiplices, quam omni ex parte castam animam spinæ cingant, ambiant, & undique circumdent, scite expressit Hugo Cardinalis, dicens: *Lilium inter spinas est Virginitas in tentationibus. Has autem spinas sentit aliquando circa se, aliquando juxta se, aliquando intra se, &c.*

Quæ ut paulo enucleatius pertractemus, primo 1. considerandum est, quod *spinæ circa te sint falsi fratres, & perversi*, cognati, affines, & amici, qui filiæ, Virginitatis votum, aut Religiosum

d Hugo Card. in Cant. 2. v. 2.

clau-

clauſtrũ meditanti, conſortia, choreas, convivia ſuadent, ubi oculis laſcivis, verbis impudoratis, geſtibus obſcœnis, velut tot ſpinis hoc illium circumdatur, & à petulantibus procis implicatur. De his Nahum c. 1. Sicut SPINAE, inquit, *ſe invicem complectuntur*, *ſic convivium eorum pariter compotantium*; unde hæc efficax ejuſdem eminentiſſimi Doctoris commonitio: *In medio nationis pravæ, & perverſæ, ſitis lilia candida, & illæſa inter ſpinas.*

2. Secundo inquit, *ſpina juxta te*, *ſunt carnales voluptates*, illecebræ, deliciæ, cupediæ, quæ ſtimulis & aculeis, ſpinarum inſtar, caſtimoniam non raro vulnerant.

3. *Spinæ* denique *intra te, ſunt malæ cogitationes, & prava deſideria, lilium autem hic ſentit ſpinas tentationum*, niſi ſumma cautela ſeſe tueatur, Sic inter tentationum ſpinas candidiſſima lilia prorſus intacta, ac illæſa perſtiterunt: Catharina Virgo Senenſis dæmonum in turpiſſimas quaſque ſpecies ſe transformantium pugnam ſuſtinens, vix ullo loco ne ſacro quidem potuit conſiſtere, quin fœda illa monſtra, obſcœnos geſtus oculis, impuras voces auribus ingererent, exoſaſque nuptias, & deteſtanda flagitia ſuaderent, hocque illibatum caſtitatis lilium impeterent. At illa aliis aculeis obarmabat, ac novis ſuppliciis corpus afficere non ceſſabat; atque ita ſupra omnes tentationum ſpinas, hoc lilium caput exerebat: nam ut veriſſime idem Cardinalis ait, *ſupra ſpinas lilium eſt Virginitas, ſuperans tentationis impugnationem.*

c S. Hugo niveum in Carthuſienſi ſepto lilium, Virgineæ puritatis amantiſſimus fuit; ſed tanto magis illi cacodæmon inſidiatus ſeque diu noctuque inter tentationum ſpinas verſari animadvertens, has diaboli oppugnationes, vigiliis, precibus, jejuniis, flagellis ciliciis, inſigniter expreſſit. Panis aridus in cibum, fontana in potum. Quadraginta diali jejunio ter quavis hebdomade, ſolo pane, & aqua contentus victitavit. Sic *ſupra ſpinas lilium eſt Virginitas, ſuperans tentationis impugnationem.*

S. Macarius, teſte Palladio, ut membrorum, & carnis rebellionem refrenaret, atque ab hiſce tentationum aculeis illæſus abiret, veſtibus rejectis, ſex menſes nudum ſeſe culicum morſibus expoſuit: qui eum tam immaniter, & fœde confixerunt, ut omnibus leproſus videretur. Sic *ſupra ſpinas lilium eſt Virginitas, ſuperans Tentationis impugnationem.*

Sic, ut Hilariones, Hieronymos, Franciſcos, Bernardos miſſos faciam, Benedictus inter ſpinas ſeſe totum volutans ac cruentans, animum illæſum ſervavit; atque ita *ſupra ſpinas lilium eſt Virginitas, ſuperans tentationis inpugnationem.*

Quod ſi vos caſtæ mentes, candidiſſimæ animæ, integerrimæ Chriſti ſponſæ, inter tentationum ſpinas intactæ, illæſæ, illibatæ perſiſtere velitis, horum generoſiſſimorum Pugilum ro-

a Hugo cit, b Surius 2 9. April,

c Hugo cit. d Drex. tom. 1. pag. 732 Lippeloo. 17. nov.

...e, vigiliis, solicitudine, fortitudine utendum est, ut Claravallensis Abbas pastorali cura fortiter juxta ac suaviter monet, dicens: a *Donec ergo in carne est anima, inter spinas profectò, versatur, & necesse est ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos: quod si lilium est ipsa, juxta sponsi verbum, videat, quam vigilem, solicitamque esse oporteat super custodiam sui, septa undique spinis, hinc inde aculeos intendentibus.* Rationem petit ab hujus præstantissimi floris teneritudine: *Nec enim vel levissimam spinæ sustinet nullatenus punctionem, floris teneritudo.*

Quod si in quibusdam animis albicans lilium, Deo dicatum, & vigor ille pudoris, spinis confixus emarcuit, hac die, qua integerrimam Virginem N. N. celebramus, revirescat omnino & reflorescat. Narrat *b* Gregorius Turonensis, de S. Severo stupendum illud, ac perenne miraculum, quod scilicet lilium, ab illo quondam templo oblatum, cum anno toto aridum fuerit, ipso die anniversario, quot annis revirescere ac reflorescere. Quod illi lilio, hoc & nobis anniversaria integerrimæ Virginis luce obveniat, & si fortè (quod avertant superi) flaccidum, exsuccum, aridum in animis corporibusque nostris fuerit castitatis lilium, hac ipsa die revirescat, ac refloreseat, & quidem ea mente, eâ constantiâ, ea vigilantia, ut imposterum nec flaccescat, nec arescat unquam. Ad quod conducet hæc ingeniosa & nervosi Bernardi *c* adhortatio: *O candens lilium! O tener, & delicate flos! increduli & subversores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt.*

Ex quibus omnibus hactenus dictis manifestum est, levissimam puncturam tenerrimo flori inflictam, gravissimam; minimam maculam candidæ menti inustam, turpissimam censeri.

Hoc aureum Principis Philosophorum *d* pronuntiatum est: *In veste candida, atque munda, vel minima macula, perspicua est.* Hinc Domicellæ, quæ ejusmodi candidâ cyclade ex niveo holoserico induuntur, summâ curâ, & cautelâ observant, ne propius ad sordes aliquas accedendo, vel levi etiam per transennam affrictu, aut attractu, minima labecula adhærescat. Ita anima curet, *e ut sit sancta, & immaculata*, id est juxta Symmach. *Ut sit sancta, & ABSQUE NÆVO.* Cum miserum, & maximè miserandum urbis Hierosolymitanæ excidium, durissimam Christianorum servitutem, acerbissima nobilium virorum funera, lugubri carmine prosequeretur vates Ieremias, de Virginibus in templo enutritis (ut inquit vetus Auctor in catena Græca) satis duxit ultimo loco dicere: *f Virgines ejus squallidæ*, id est, non præditæ eo ornatu, splendore, ac decore, qui

a S Bern. serm. 48. in Cant. b Greg. Turon. l. 1. de gloria conf. c. 106.

c Bern. serm. 48. in Cant. d Arist. l. 5. c. 1 de generat. animal. e ad Eph. 5. f Thren. c. 1. v. 4

Virgines, Dei sponsas deceret. Vbi jure dubites, quid tanti fiat Virginum squallor, præ crudelissima tot illustrium virorum morte? Respondet Nazianzenus oratioue de fuco, Virginem alloquens: *Illud velim non ignores, rugam tibi unam turpiorem esse, quam maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt: nec enim tam notabilem, ac conspicuam in sordidis, quam in puris unius coloris* (& candoris) *vestibus, labes aliqua fœditatem habet.*

Non minus venustam, non à veste candida sed ab elegantissimâ hominis formâ, *b* Bernardus similitudinem inducit, dicens: *Displicet in pulchro corpore, non solum morbus, sed etiam nævus.* Displicet in aurea Cæsarie vel unicus pilus canus, in nigris oculis exigua albugo, in eburneâ fronte vel minima verruca; adeo ut repertæ, quæ cum summo cruciatu, ac præsenti vitæ discrimine hunc nævum, perita chirurgi, aut medici manu tollere, conatæ sint.

Hic exoptem, divini Ecclesiastæ sermo, ut facula exardescat, potenter suos inflammando, ut non minori curâ, ac cautelâ cœlestem illam castimoniæ formam, & divinam Virginitatis speciem, ab omni verrucâ, ac maculâ conservent; sitque, juxta Apostoli *c* monitum, *Virgo Sancta,* non solum *corpore*, sed *& Spiritu*, & mente, quam vel fœda cogitatio etiam manente deliberatè admissâ, maculâ turpissimâ, lethali noxâ inficere potest. Vnde perstringit illas in habitu, gestu, sermone, aspectu minus circumspectas filias *d* B. Petrus Damiani, quæ de Virginitate corporis gloriantur, sibiq; præfidentes liberius evagantur: *Vbi sunt illæ,* inquit, *quæ dicunt, ego sum Virgo, ego sum Virgo, verbosæ, contentiosæ suspectuosæ, superfluosæ, veste compositæ, moribus dissipatæ. Ego sum Virgo, nescio enim virum, ignoro conjugium; O Virgo quam felix esses, si quod habes in carne, servares in mente, custodires in actione! Quid enim prodest solius carnis integritatem servare, & malignorum Spirituum stupris, mentis interiora corrumpere? Virgo carne, non animo, Virginitatis præmio non potitur. Aliud quippe est tentationum fortiter illecebris contraire, aliud eisdem blandè irrepentibus, etsi non corpore, mente tamen enerviter cedere.*

Nunc ad alia, quæ minima, in hac materia maximi facienda dictitant, transeamus.

§. 2.

Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. 2. Cor. 4. v. 7.

VItro materia maximè fragili; quia poris caret, pretiosissimos liquores recondimus: sic *e* *vasis fictilibus*, id est, *corporibus fragilibus* Castitatis thesaurus, & Virginitatis balsamum, quod omnem corruptionem tollit, ut loquitur *f* Bernardus, asservatur. Ipsum audite: *Vas interim fragile quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet Castitas (ut monet g Apostolus) in sanctificationem, & instar odoriferi*

a Nazian. orat. de fuco. b Bern. serm. de triplici custod. c 1. Cor. 7.

d Damian sermon. 3. in Nativit. B. Virg. e Hugo Card. 2 Cor. 4 f Bern. epist. 42. g 1. Thess. 4.

BAL-

BALSAMI, *quo condita cadavera, incorrupta servantur. Sensus ipsa & artus continet, & constringit, ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant, quemadmodū legitur de quibusdam; quia computruerunt ut jumenta in stercore suo.* Rem scite expressit qui pudicitiam vitro comparavit, hoc lemate adjecto: *Si tangis, frangis*: minimo enim talitro, ut in præfixo Emblemate videre est, collisum, frangitur. Quare rectè monet Apostolus, a *ut cautè ambuletis.* In quotidianis congressibus *cautè ambuletis*, in festivis conviviis, *cautè ambulatis*: domi, foris, in plateis, in templis *cautè ambuletis*; atque illud sibi quisque potius, quam olim Bernardus persuadeat: b *Habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, quibus multo plura quàm vitreis imminere pericula videantur.* Quare parenti pro filiis & filiabus, marito pro uxore, superiori pro subditis, omnibus denique juvenibus & puellabus, cuique pro se timendum: c quia *sub casibus quotidianis fragiles ambulamus.*

S. Ægidius, intimus Seraphico Patri socius, à fragili vitro aliam similitudinem inducit, dum castitatem nitidissimo speculo comparavit: nam quemadmodum hoc flatu, & anhelitu levissimo inficitur, suumque nitorem ac fulgorem deperdit; ita etiam castæ mentes, rebus levissimis decus, & pulchritudinem amittunt.

Norat hoc ex eadem D. Francisci familia F. Rogerius, qui cum Castitatis dono emineret, mirâ tamen in minimis occasionibus diligentiâ sibi invigilabat, lubricas cogitationes in ipso exortu, velut vulpeculas parvas elidendo, oculos, linguam, omnesque motus corporis, ab omni vel levissimâ licentiâ refrenando. Quod cum fratres admirarentur, atque ex eo sciscitarentur: Pater, cur tantopere formidas, cùm Castitatis dono te ita Deus Optimus Maximus communierit, & circumvallârit? respondit vir Sanctus: Ecce, ait, fratres mei, si ego facio quod ex mea parte, in his rebus parvis, & minutis facere necesse est, mihi aderit, & auxiliabitur Deus, ne unquam in majora prolabar, at si negligens sim, & minima non reformidem, timeo ne & peculiari ejus auxiliatrice gratia destituar.

Sic Angelus in humano corpore Thomas Aquinas, etsi dono Castitatis cælitus condecoratus, atque à beatis Geniis Virginitatis zona præcinctus, ne minimam carnis titillationem persentisceret; summa tamen oculos cautione, tum in mulieribus contuendis, tum alia in re qualibet, quæ puritati officere posset, custodiebat: à levi ne ullæ fœdæ imagines vel obiter objectæ, in candidissima mente, velut nitidissimo speculo, relucerent.

Castæ animæ, Virgineæ mentes, mundo corde, merito speculis comparantur: quia in iis velut in speculis divina essentia,

a Ad Ephes. 5. b Bern. serm. 3. advent. c Aug. hom. 28. & 50.

e In Chron. Ordin. pag. 26.

refu-

refulget : illis enim promissum, quod Deum videbunt, ut jure usurpare possint illud *a* Apostoli : *Nos autem Gloriam Domini* SPECULANTES. Vbi textus Græcus, ut communiter omnes observant, *speculantes* vertit, *speculi vicem gerentes*. Vnde rectè inferas, candidis illis mentibus, minimos peccati nævos, sedulò devitandos : qui ut tersa, specula, vel leni afflatu, aut attactu inficiuntur; uti *b* Aristoteles doctè & disertè affirmat: *Nam specula non secus ac mundissimæ vestes, notam aliquam contrahunt : quod enim mundum est atque purum, exactè commonstrat quidquid excepit, & potissimum minimos motus : etenim quod læve, tersumque sit, qualemcumque tactum, maxime sentit.*

Dicet aliquis, pueri mentum mulcere, puellæ manum arripere, effusius garrire, liberius jocari, levia sunt, & integritati minimè noxia. Quisquis is est, suum irrefragabili *c* Hieronymi subdat judicio, qui docet *tactum, & jocos, & nutus, esse moritura Virginitatis principia.* Atque adeo quàm gravi pœnâ digni, qui Virginem petulanti oculo, lascivo contactu violare ausi, declarat, dicens eos, plus mereri repentina morte puniri, quam olim Oza arcam testamenti contingens, percussus sit I. *Obtestor te,* inquit ad Eustochium, *coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis ejus, ne vasa templi facilè in publicum proferas : ne sacrarium Dei quisquam profanus inspiciat. Oza arcam, quam non licebat tangere, attingens, morte subita prostratus est : neque enim vas aureum, & argenteum tam charum Deo fuit, quàm templum corporis Virginalis. Præcessit umbra, nunc veritas est.*

Obtestor hic Matres coram domino, & Angelis Dei, quæ filias suas, præstantissimas arcas, pretiosissima vasa templi, non solum in publicum proferunt, sed quasi venales omnium oculis (atque utinam tantum) prostituunt.

Speculum naturæ, Plinius peracutè oculum vocitavit, lucidissimum symbolum virginitatis, quæ ut pupilla oculi servanda est, ne vel minima festuca vel atomo infestetur.

Castissimæ Christi Sponsæ, non semel cervis componuntur, circa ullam rei domesticæ, ac liberorum remoram perniciter ad perfectionis juga contendentes, ut illud *e* quævis earum usurpare possit : *Qui perfecit pedes meos quasi cervorum.* Vbi in mentem venit, quod de Cervis scribit Plinius, afferens eos, agi præcipites, & dari pessum ab adversaria Aquila, injecto oculis pulvere; *Pulverem,* inquit, *f volatu collectum, insidens ipsorum cornibus, excutit in oculos, ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet.* Præpeti cursu, ut cervum decet; sponsa Christi superat ardua, difficultatum, carnis & mundi juga : bene est, sed ut prosternatur ab infesta Aquila (hoc est à malo Dæmone juxta oraculum Iob. 30. n. 27. & Ierem. 4. n. 13.) non obruetur lapidibus, non unguibus dilacerabitur, id est, non errorum aliquo flagitio proruet, sed pulveris exigui

a 2. Cor. 3. b Arist. l. de insomniis. c Hierony. in vita Hilarion. d Hierony. ad Eustochium c. 19.

e Psal. 17. f Plin. 20. c. 4.

sangui jactu, oculis orbata, in præceps rueet. Appositè *a* Salvianus : *Salvator iussit cautissime etiã minima vitari, scilicet ut quam pura est pupilla oculi, tam pura essent*, (non solum Virginis Deo dicata anima, sed) *Christiani hominis vita : & sicut salva intuitus incolumitate, pulveris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra* LABEM *in se penitus* IMPUDICITIÆ *non haberet.*

Eidem similitudini pupillæ insistens Ambrosius, b ait : *Perspiciendum est, ne eam vexet ulla festuca peccati*. Cavendum, videndum, perspiciendum est, ne eam vexet ulla festuca nudæ tabulæ, aut infamis picturæ, ne eam vexet ulla festuca codicis obscœni, ne eam vexet ulla festuca gestus, aut nutus lascivi: Pupillæ vocantur, quibus vos ipsi tutores, numquam satis magnam tutelam adhibueritis. A levi & brevi aspectu, fortissimus Sampson, sapientissimus Salomon, sanctissimus David, quantum discriminis, & criminis, ut alibi *c* diximus incurrerunt? Atque utinam quisque vestrûm serio expendant, quid sint oculi emissitii : Platoni *principium sunt amoris*, sed *impudici.*

Husseo *d* sunt *fenestræ mortis.* D. Petro *e* Apostolorum principi : *Pleni adulterio.* D. Basilio : *f Libidinis pronubi, & quasi lenæ*, Magno Greg. : g *Raptores ad culpam*. Antonio *h* Paduano: *Latrunculi sunt, qui furantur animam*, S. Cypriano *i destructores castitatis*; nimirum ex suo genio malus *Dæmon offert oculis formas illices, ut visu destruat castitatem.* Nec semel compertum est, lumina per unicum objectum turpe, in ictu oculi, menti candidæ impressum, flumina lachrymarum ad expiandum concitasse, animumque prius instar limpidissimi laticis tranquillum, per omnem vitæ cursum, deinceps peturbationibus variis concitatum fuisse; non secus ac parvus lapillus limpidissimo fonti, aut fluvio injectus, mille jaculis, ac Mæandris eundem conturbat.

Iuvat hic etiam gentilem Philosophum, Christianè monentem obaudire: *Nulla*, inquit * Seneca, *debent esse non parva. nam si ulla sint, crescent, & interim impedient : quomodo si oculos major & perfecta suffusio excæcat, si modica turbat.*

Vel minima Leonis umbra, candidam mentis aciem perturbat. Ambrosius exponens illud Luc. 1. *quæ cum audisset, turbata est*, ait, *trepidare virginum est*, & instar columbæ, non ungues tantum, sed & umbram accipitris reformidare. Vt rectè monet *l* Cyrillus Alexandrinus, sponsæ pulchritudinem describens, & ab oculis columbinis depingens: *Ferunt hoc genus avis, cum ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum, volantis umbra in aquis inspecta, deprehendere, & oculorum perspicacia fraudem periculi imminentis evadere.* Nec hic timor imbecillitatis, aut pusillanimitatis; sed ut D. Fulgentius *m* ad Monimum :

a Salviann. l 3. de provid. b Amb. in Ps. 16 Custodi me ut pupill. c V. Lux Euang. p. 1 Dom. 4. quad. d Ieb. c 2. Pet. 2. v. 4. f Basil. de vera virg. g Greg. l. 21. h Ant. Paduan. dom. 2. quad. i Cyprian. de zelo & invidia.

* Seneca epist. 85. l Cyril. Alex. l 3. in Levit. m S. Fulg. in præfat. l. ad Monim.

Etiam illa quæ tuta sunt, metuis: times non timido more, sed casto: non enim times formidine criminis, sed robore puritatis, & firmitate virtutis.

Tandem ne longior sim, Carthaginiensis Antistes, monet gravissimum è parva scintilla incendium, è levi flatu, summam tempestatem, & naufragium exortum: a *Dominus prudentes nos esse jussit, & tanta solicitudine vigilare præcepit, ne adversarius vigilans semper, & semper insidians, aliquando in pectus obrepat, de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret: & dum remissis & incautis leviore aura, & flatu molliore blandiatur, procellis ac turbinibus excitatis, salutis ac vitæ naufragia moliatur.*

Teipsum compello, quoties subit mentem levis aliquis blandæ tentationis flatus, ac titillationis motus, Favonium credis, & ecce ilico ingens turbo totam corporis, animique navem jactat, susque deque præcipitat. Luculentius in scintilla argumentum est, quam velut in fomite, ilico experimur in apertum erumpere incendium.

Ea propter ne minimam in hoc præsentissimo periculo scintillam, parvi ducas, recole quod *b* Gregorius scribit de Ursino Presbytero: Uxoris suæ omni familiaritate annos jam quadraginta abstinuerat, quod tempus in Ecclesiæ ministeriis, & rerum divinarum consideratione collocaverat, summa cum laude castitatis, & asperitatis. In morbum incidit, qui fuit illi lethalis. Languescebat æger, omni penè calore, ac motu destitutus; aderat uxor, quæ inter longos emorientis mariti gemitus anceps, num viveret adhuc exploratura, vestigium animæ extremis in labris hærentis, spirantis etiamnum vivi cadaveris ori forte manum admovit, cum ilico Ursinus, viribus corpusculo deficientis collectis: *Crede*, inquit, *mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.*

Nemo itaque fidat sibi, viribusque suis, aut ætati, quæ senio proxima juvenilem animi calorem, ignemque sanguineum temperasse videatur. Cœca libido nec honoratam inter homines senectutem, nec capitis canos reveretur. c *Patitur quidem*, ait Hieronymus, *& senectus, nonnumquam incentiva vitiorum.*

Duo illi senes Hebræorum, qui Susannæ pudicitiam tentaverant, in effœtis, & emortuis membris vivum ignem, & concupiscentiæ ardorem aluerunt.

Itaque *d* Zeno Veronensis eleganter, cum de profano Cupidine loquitur: *Ideo*, inquit, *lineamento puerili depingitur, quia ejus lasciva lubricitas nec annis senilibus temperatur.*

Cæci ergo sint oportet, atque improvidi, qui pudicitiæ periculum nullum esse putant, & piorum acerrimam illam de qua diximus, custodiam, & soliciti animi excubias illudunt. Audiant hi gravissimum *e* Eusebii Emisseni, Monachos suos ad-

a Cyprian. serm. 2. de zelo, & livore.
b S. Greg. l. 4. Dial. c. 11.

c S. Hieronym. procem. l. 2. Amos.
d Zeno Veron. serm. de carit. e Emissen. hom. 6. ad Monach.

hortantis

hortantis monitum, non sat esse austeritates monasticas sectari, nisi etiam minutas negligentias devitent: *Quid prodest*, inquit, *quod nos preciosis vigiliis, laboribusque conficimus, & ea quæ maximè Deus noster desiderat, non habemus? hoc est, cor mundum, & liberum ab istis minutiis negligentiarum.*

Hæc fortè alicui exaggeratè nimis, magisque Religiose, ac scrupulosè dicta videri possent; verum examines velim judicium Sanctissimorum æque ac sapientissimorum virorum. Volvatur cumprimis acutissima *a* Hieronymi ad Sabinianum Diaconum Epistola. In cœnum fœdissimæ libidinis devolutus erat Sabinianus, quem sic perstringit: *Plures Virgines stuprasse narraris, per te violata nobilium matrimonia, impurus & belluo per lupanaria cucurristi.* Tam miseri, planeque lachrimis potius, quam vocibus enarrandi lapsus, si causam quæras, triplicem sed levem omnino, & exiguam in specie adfert Hieronymus: *Nimirum Virginem in Ecclesia videras, sudariolum accepisti, & per fenestras palatii tantum fuerat facultas colloquendi.*

Quid hoc portenti est? tam enorme flagitium, quale est Deo perpetuum integritatis, ac fidelitatis Sacramentum, sacrilegè fregisse? Virginem per summam injuriam violasse, nulla sanctitate loci, nulla publici muneris dignitate coërceri potuisse? totum hoc, inquam, quantum quantum est, quod certe est gravissimum, ducit originem ab unico intuitu, ab exiguo munusculo, à perbrevi è fenestra colloquio. Et quisquam mirabitur gravissimorum Theologorum, sanctorumque Patrum doctrinam esse: *Delectationem in re Venerea deliberatè quæsitam, semper esse peccatum mortale, nec ullam hic materiam parvam assignari*: Quemadmodum, inquit *b* Diana, non datur parva materia in hæresi, in Blasphemiis, in fractione sigilli, solicitatione facta in confessione: non in jejunio naturali, requisito ad communionem, non in ætate debita ad professionem, aut omissione alicujus essentialis in forma Sacramentorum. Quæ dum uberius probare aggredior, sacros Oratores monitos velim, hæc rudibus, anxiis, scrupulosis, aut è suggestu omni concioni exponenda non esse; sed cum delectu rationum, ac sententiarum, apud eos qui capaces sunt pertractari posse.

c Dicendum ergo primo, in materia luxuriæ, nullam esse delectationem, deliberate quæsitam in solutis hominibus, quæ ex levitate materiæ excusetur à mortali. Ita Vasques disp. 109. cap. 3. Salas tract. 3. disput. 6. Sec. 4. nu. 45. Castropalao operis mor. de virt. & vitiis tract. 2. disp. 2. puncto 10. §. 11. Sanchez (qui priorem retractavit) in summa tom. 2. l. 5. c. 6. nu. 12. Escobar Theol. mor. tract. 1. exam. 8. c. 3. Lessius de jure & just. l. 4. c. 3. dub. 15. n. 109.

Ratio est quia delectatio de obje-

a Hier. epist. 48. ad Sabiniam.

b Diana part. 3. tract. 5. Resolut. 1. & tom. XI tit. materia Levis. n. 4.
c V. Castropalao operis moral. de virtut. & vitiis part. 1. tract. 2. disp. 2. puncto 10. §. 11. n. 4.

objecto Venereo, est causa per se, & suapte natura, *a* commovendo appetitum sensitivum, & Spiritus vitales, principium præbet operi externo, ut patet in somno, non minus quam oscula, tactus, & amplexus libidinosi ut recte Navarr. juxta doctrinam D. Thomæ Ergo per se est mala, & prohibita. Probat 2. Lessius *b* illa delectatio quæ hoc modo ex imaginatione rei turpis existit, est plane similis ei, quæ ex rei ipsius præsentia, & usu nascitur: cujus signum est, quod simili modo corpus immutet, & ad illicita concitet; atqui delectatio quæ ex usu talis rei percipitur, est mortifera, ergo etiam illa quæ ex imaginatione.

Probat. 3. Qui ex imaginatione occisi inimici, vel crudelis tractationis, ita delectatur, & interius afficitur, sicut affici solet is, qui inimicum reipsa in potestate habet, & malè tractat, peccat mortifere contra charitatem: quia placet illi malum inimici: illa enim delectatio oritur ex affectu odii, seu complacentia erga malum inimici: Ergo similiter, qui cogitatione turpi, ita sensibiliter delectatur? sicut is qui ipsi operi incumbit, peccat mortiferè contra castitatem: quia habet complacentiam circa opus, quod castitati repugnat.

Neque dici potest hoc esse peccatum veniale, quia versatur in materia gravi contra castitatem. Cum enim nulla *c* sit tam exigua fornicatio, quin sit peccatum mortale, & delectatio sequatur naturam actus, omnis delectatio in hac materia erit mortalis.

Vnde intelligi potest, *d* cur is qui imaginatione rei Venereæ delectatur, potius mortiferè peccat, quam Carthusianus imaginario carnium esu; supposito neutrum velle ad opus externum procedere. Ratio enim est, quia ille consentit in Venerem imaginariam, & phantasticam fornicationem (ut D. August. l. 12 de Trinit. c. 9. loquitur) & consequenter in corporis commotionem, quæ ex tali imaginatione naturaliter sequi solet, estq; principium operis externi, quæ per se illicita sunt!

Carthusianus vero solum consentit in imaginarias carnium epulas, & in voluptatem hinc resultantem quorum nihil illi est prohibitum; sola enim actio externa illi vetita.

Itaque satisfacit præcepto, exterius abstinendo, & volendo nō comedere, quantumvis imaginario esu, & sapore delectetur. Nec obstat quod videatur consentire in affectum erga carnes, quia hic affectus malus non est; sicut nec affect9 comedendi tempore jejunii, qui potius cruciet, quam oblectet.

Ex dictis sequitur 1. Sponsos de futuro non posse se oblectare imaginatione operis conjugalis futuri quasi præsentis, quia corporis immutatio inde sequi solita, illis in hoc statu illicita 2. nec viduam posse delectari actu conjugii præterito, tanquam præsenti, &c.

a Castropal. cit. Pontius de matrim. l. 10. c. 16. §. 2. n. 8. b Lessius de jure l. 4 c. 3 dub. 15. n. 110. c Escobar. cit. Rebell. p. 2. l. 3. q. 19. sec. 3.

d Less. cit. n. 113.

Deniqu

Deniq; non est quod hanc doctrinam Societati propriam, & censura à R.P.Claudio Aquaviva *a* contrariam perstrictam, adeoque nostros Doctores hic nimis anxios, scrupulosos ac severos sugillent, cum eam profiteantur Principes Ecclesiæ Theologi, atque omnes prope ordinis Scholastici. S. Thomas 1. 2 q. 74. a. 8. Cajetanus ibid. Magister sent. in 2 dist. 24. ex D. Augustino, qui docet: *Nec sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen, & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum*; idque ut bene Lessius *b* observat mortale; subdit enim: *Totus homo damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi; sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.*

Et *c* Sermone 250. de tempore: *Quomodo enim*, inquit, *si aliquis carbones ignis apprehenderit; si cito projecerit, nihil nocebunt ei, si vero eos diutius tenere voluerit, sine vulnere eos jactare non poterit; ita ille qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde suscipiens, moras in suis cogitationibus habere permiserit, excutere eas se sine animi occisione, aut plaga non poterit.*

Accedit Bonaventura cum *d* Scoto, & Scotistis Minoritis, Pontius Augustinianus Diana *e* Eruditissimus ille clericorum Rex, qui contrariam opinionem omnino improbabilem, falsam, erroneam, temerariam, periculosam, ac scandalosam, & forte graviori censura dignam existimat: Docetque diserte, tangere manum fœminæ, vel vellicare ipsam, vel digitum intorquere, vel pedem premere, vel brachium restringere, ad capiendam delectationem Veneream inde surgentem, quamvis absit intentio ulterius progrediendi, non sunt materia parva peccati.

Quibus positis concludere quisque vestrûm, non ex meo, sed tantorum Patrum Doctorumque judicio, facile potest, quanta cura, custodia ac cautela virginitas conservanda sit: qua semel amissa, quandoquidem nulla ratione recuperari queat, hoc pluris æstimanda, ac cautius custodienda est.

§. 3.

Nulla reparabilis arte. Ovid. epist.

Tria *f* sunt, quæ semel amissa, recuperari non possunt: tempus perditum, quia ut inquit Poeta:

> *g* *Fugit irreparabile tempus*
> *h* *Nec quæ præterijt rursum revocabitur unda,*
> *Nec quæ præterijt unda redire potest.*

2. Verbum prolatum, quod impudenter, aut imprudenter

a Claudius Aquav. [illegible] 24. Aprilis 1612. b Diana. p. 2. tract. 5. R. [illegible] l. 1. [illegible] Less. [illegible] c. 9. Aug. l. 12. [illegible] Trinit. c. 12. c Aug. [illegible] serm. 250. de temp. d Scot. in 2. dist. 42. q. e Diana tom xi. tit. materia levis.

f Tympi alcedonia c. 55. g Virg. 3. Georg. h Ovid, 3. de arte.

aliquando elapsum, mille quis aureis revocaret, si posset; sed
Volat irrevocabile verbum.

3. Virginitas violata, quæ
a *Nulla reparabilis arte.*

Atque ideo damnum ejus, omni opinione majus pronuntiat b Petrus Blesensis, dicens: *Jactura ejus non recipit æstimationem.*

Domus collapsa est, reædificari potest; vestis discissa est, resarciri potest; lis abjudicata est, appellari potest; Exercitus cæsus est, restaurari potest; pecunia deperdita est, recuperari potest; at Virginitas semel amissa, nec resarciri, nec restaurari, nec recuperari potest.

c *Lapsa pudicitia est, deperit illa semel,*

inquit Poeta, & semper.

Hic ille Thesaurus, de quo Hieronymus ad Demetriadem: *Divitiæ tuæ, virginitas tua, thesaurus tuus est: Thesaurus* IRRECUPERABILIS, *postquam amissus est.*

In vasis fictilibus illum circumferimus, sed ut calix vitreus confractus,

Nulla reparabilis arte;

Ita & Virginitas.

d Lessius de Jure & Just. si violatio integritatis, vel puritatis carnis, fuit voluntaria, amittitur Virginitas *irrecuperabiliter.* Est communis sententia Dd. S. Thomas 1. p. quæst. 25. a. 4. disputans; *utrum Deus possit facere quod præterita non fuerint?* Respondet: *Sub omnipotentia Dei non cadit, quod contradictionem implicat.* Cui impossibili confert Virginitatem amissam, dicens: e *Hoc ab ea removeri non poterit, quod corrupta non fuerit; sicut etiam ab aliquo peccatore auferri non poterit, quod non peccarit.* Ratio est, quia sicut Innocentia denotat animam, numquam peccato mortifero fuisse contaminatam: ita Virginitas includit, vel connotat, carnem nunquam voluntarie esse violatam, aut libidine pollutam.

f Unde sicut unico peccato mortifero, irrecuperabiliter perit Innocentia; ita Virginitas uno actu libidinis, etiam pollutione, aut tactu ad illam excitanti, ut docet cum communi Theologorum Lessius.

Pomum rubicundum ubi semel decorticatum fuerit, nunquam ultra ruborem induet; Haud aliter:

g *Lapsa pudicitia, deperit illa illa semel.*

Et alius: h

Nescit redire qui semel perit pudor.

Quod argumentum potenter pertractans Hieronymus, ad illa verba Amos: i *Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam,* sic *Eustochium suam hortatur: *Cave ne quando de te dicat Deus, Virgo Israel cecidit, & non est qui suscitet eam. Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest, post ruinam, valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam.*

Fuit qui Virginitatem, avicu-

a Ovid. epist. Oenone ad Parid. b Petr. Blesensis epist. 35. c Ovid. cit. d Less. de jure l. 4. c. 2. dub. 16. n. 116.

e S. Thom. cit. ad 3. f Less. cit. n. 117. g Ovid. cit. h Seneca. i Amos 5. * Hiero. epist. 22. ad Eustoch. de custod. virg.

Ia

læ inclusæ pixidi, aut caveæ, assimilavit, unde ubi semel avolavit, revocari non potest.

Eandem impossibilitatem expressit *a* D. Basilius: *Ceterum*, inquit, *si hoc amittas patrimonium integerrimæ castitatis, quamvis illa omnia facit, quæ dixi, cœlumque ac terras, maria & abyssos, immensumque acrem pervagata fueris, nulla omnino ratione hoc recuperare jam poteris.*

Quo enim pacto, quod corruptum semel, incorruptum fiet? qua ratione, quæ cognovit virum, quasi non agnoverit, existimabitur?

Jactura itaque Virginitatis, quæ quandoque brevi tempore, & levi voluptate incurritur, æterna est, nec ulla prece, aut pretio recuperabilis, sed perpetuis lachrimis deplorabilis, ut efficaci sua parænesi ad Virginem lapsam probat *b* Ambrosius, cujus ruinam ad terrorem omnium sui exaggerat: *Unde incipiam? quid primum, quid ultimum dicam? bona commemorem quæ perdidisti, an mala defleam quæ invenisti? Eras Virgo in paradiso Dei; utique inter flores Ecclesiæ, eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti; & quoties dico eras, necesse est ut toties ingemiscas, quia non es, quod fuisti: Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est, Pennæ columbæ deargentatæ, &c. Splendebas ut argentum, fulgebes ut aurum, eras tanquam stella radians in manu Domini. Quæ est ista subitanea conversio? quæ est ista repentina mutatio? de Dei Virgine, facta es corruptio Sathanæ: De sponsa Christi, scortum execrabile: De templo Dei, fanum immunditiæ: de habitaculo Spiritus sancti, tugurium Diaboli.*

a Basil. lib. de vera virg.
b Ambr. ad Virginem lapsam c. 2.

Quam nullis sat lachrimis deplorandam ruinam, quam exsecrandam metamorphosim, quam Diabolicam catastrophen, ne quis vestrûm incurrat, & sero defleat thesaurum, quem portamus in vasis fictilibus, irrecuperabiliter amissum, ad eum solicite ac solerter custodiendum, hos Virginitatis Tutelares mecum indies, ac identidem invocet.

Castissima mea mater Maria, *c* *Mater pulchræ dilectionis*, purissime mi custos Angele, Castissime Ioseph, S. Ioannes, S. Thoma Aquin. S. Benedicte, S. Bernarde, S. Dominice, S. Francisce, S. Ignati, S. Xaveri, B. Aloysi, S. Casimire; omnes sanctæ Virgines, castitatis præsides ac tutelares Divi, nobis in cœno ac luto hujus vitæ, ac corruptibilis carnis versantibus adeste. Statis vos quidem supra montem Sion, habentes nomen Agni in frontibus vestris, cantantes Canticum novum, quod nemo potest discere præter vos; denique vos soli sequimini Agnum, quocumque ierit.

Nos miseri mortales, hæremus in lubrico: impetrate nobis à dilectissimo Sponso vestro, firmum & constans adversus omnes fœdas impugnationes præsidium.

Deus meus, *d* *dux Virginitatis meæ*, speciose præ filiis hominum, qui pascens inter lilia, scio quia continens esse non possum, nisi tu dederis, quæso per frumentum electorum, & vinum

c Eccles. 24. d Ierem. 4.

germinans Virgines, per Virgineum corpus & ſanguinem tuum, quo Virgines emptæ ſunt, per caſtiſſima Matris ubera, per lac Virginis puriſſimum, per conceptionem Virginis immaculatam, per omnium Sanctorum, qui peculiariter caſtitatem coluerunt interceſſionem & merita. O Amor qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, continentiam jubes, da quod jubes. Cor mundum crea in me, dixiſti enim, & ita eſt firmiter credo: Beati *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Atque nunc coram te, Virgine Matre, Sanctis caſtimoniæ Tutelaribus, voluntatem meam declaro, atque proteſtor: potius malo millies mori, quam ſemel fœdari: dehiſcat mihi terra potius, milleque reſerat inferos, quam ut vel uni turpi cogitationi volens conſentiam. Da Deus meus, ut ita mihi ſemper conſtem, & tibi caſto corpore & mundo corde, placeam, utque poſt miſerrimæ hujus vitæ brevem luctam, & felicem victoriam, reſervata in cœlo Virginibus præmia in æternum conſequi queam. Amen.

FE-

FESTUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

DEDICAVERUNT *templum Domini Rex, & filii Israel.* 3. Reg. 8.



Morem, ritusque Sacrorum Adjiciam. Virg. 12. Æneid,

ARGUMENTUM.

NOn recens, aut novitium inventum, ut Hæretici fabulantur, vero numini dicare Ecclesias; cum id & in statu naturæ, & legis veteris, ac novæ, eam inde ab Ecclesiæ

 incu-

incunabulis usurpatum sit: Nostrasque ceremonias frustra sugillant, quas cœlesti prodigio Deus non semel comprobavit; nisi forte ipsi inter templum & tabernam, inter aram & haram nil velint esse discriminis. Nos interim sacros Dedicationis ritus eminentiori quadam ratione in templo animæ exerceri ostendemus. Ac primo per baptismum, cujusque animæ Templum Deo consecrari: Quod perfectiori modo per vota in Religiosis fieri, *a* Bernardus demonstravit serm. 1. in dedicatione Eccl. ubi omnia quæ in templi materialis Dedicatione fieri consueverunt, spirituali templo proprissimè Religiosis accommodat: in quorum consecratione, *& aspersio, & inscriptio, & illuminatio, & inunctio ac benedictio* reperitur; moraliter vero excurrit, cruces in Dedicatione oleo inungi, quod omnis religiosa Crux, & austeritas, *sit amaritudo quædam dulcissima: Quia nec sine Cruce sequi Christum, & sine unctione, Crucis asperitatem ferre quis possit?*

Hoc igitur solicite curandum, ne quis *b* TEMPLUM *Dei sanctum, quod estis vos*, in Baptismo, aut etiam in Religione peculiariter Deo dicatum, per lethalem noxam contaminet, violet, ac destruat: hujus enim templi violatio, ac destructio, longe illam Salomonic templi eversionem ac ruinam excedit, quam Iudæ identidem *c* luxerunt, ingeminantes:

O Solyma! ô adyta! ô sacri penetralia templi!
Ullane vos animo deleat hora meo!

a Bern. serm. 1. in dedic. b 2. Cor. 6. c Hier. in c. 1. Sophon.

§. I. *Contra impugnantes ceremonias dedicationis Eccl- siasticas.*

§. II. *Nescitis quia* TEMPLUM *Dei estis, & sp- ritus Dei habitat in vobis.* 1. Cor. 3.

§. III. *Si quis autem* TEMPLUM *Dei violaveri disperdet illum Deus.* 1. Cor. 3.

FESTUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

DEDICAVERUNT *templum Domini Rex & filii Israel.* 3. Reg. 8.

NOn ab heri, aut nudius tertius est, quod petulans juventus venerandam rideat canitiem: id enim non hisce dumtaxat temporibus fieri assolet; *a* sed & olim factitatum comperimus. Elisæus Propheta multa canitie & sanctitate venerandus argumento est, cui in Bethel pergenti, pueri idololatræ de urbe egressi, illudere ausi sunt: quam injuriam Dominus per Ursos è saltu proruentes, putavit morte piandam. Ecquid aliud hodierna die Novatores nostri, & novæ sectæ parvuli malitia, & pueri sensibus agunt, dum Ecclesiæ Romanæ non minus antiquitate, quam sanctimonia venerandæ, nusquam non illudere, ejusque sacra ac ritus ridere, & subsannare non verentur, *b* Libere clamitantes Christiana templa ritè consecrata, non plus ad orandum quam tabernas & stabula porcorum valere: ac nihilo melius Deum, ac Sanctos in templis, quam in silvis coli atque honorari. Ita de Thaboritis *c* refertur: *Ecclesiarum* CONSECRATIONES *derident, & in omnibus locis passim conficiunt Sacramentum.*

Petrobrusiani vero, de quibus *d* Petrus Cluniacensis, *blasphemantes ajebant: nihil differre templum à taberna, & aram ab hara.* Atque hæc, aliaque non dicta modo, sed facta infanda ab *e* Heterodoxis in Dei domum passim intentata fuisse comperio, quos sacrarum literarum, sanctorumque Patrum auctoritate, & oratione confutare aggredior.

§. I.

Contra impugnantes ceremonias DEDICATIONIS Ecclesiasticas.

AC primum quidem consecrationum templi, vel altaris, habemus in statu naturæ, legis, & gratiæ. *f In statu naturæ* Jacob, erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eumque consecravit, fundens oleum desuper, & inde eum locum appellavit *Bethel*, id est, domum Dei, & cap. 35. monitus à Deo ut faceret altare, rursus ibidem erexit lapidem, eumque inungendo consecravit, & libavit super eum libamina.

a 4 Reg. c. 2. b V. Canisium de dup. l. 5. c. 23. c Æneas Silvius epist. 130.

d Pet. Cluniac. epist. contr. Petrobrusian. e V. Cotton. Institution Catholique l. 2. c. 48. f Gen. 28.

Quæ cum non ſpectent cæremonias legis, quæ adhuc data non fuerat,, cur nobis non liceat idem æmulari?

Deinde in *ſtatu legis*, videmus Moyſen *a* conſecraſſe oleo ſacro, aliiſque cæremoniis tabernaculum, altare, & omnia ejus vaſa.

Quæ ceremoniæ, ut doctè *b* Bellarminus, nō erant propriè legis, ſed in ratione fundatæ. Vnde nihil obſtat à nobis uſurpari poſſe.

Omnium inſta eſt celebris illa, & maxime ſolennis, Auguſtisſimi templi Salomonis dedicatio, quam qui volet apud *c* Salianum noſtrum non tam calamo ſcriptam, quam peniculo pictam inveniet. Interim quam hæc æterno Numini conſecratio grata acciderit, cæleſti prodigio comprobavit: *Implevit enim majeſtas Domini, templum Domini*. Secundo, *ignis quoque deſcendit de cælo, & devoravit holocauſta & victimas*. Addit *d* Ioſephus: *Neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus laſſitudo oborta eſt*.

Deinde fores templi, accedente arca divinitus apertæ, facilem præbuerunt aditum, ut tradunt Hebræi & approbant [illegible]ranus, & Carthuſianus, apud [illegible]nedam, *e* ut eo attente adumbraretur, & approbaretur Eccleſiæ ritus, quo templi conſecrādi fores primum clauduntur, & dum ter ab Epiſcopo ſunt pedo paſtorali percuſſæ, aperiuntur.

Mitto alio è cælo prodigia, dum *f* Machabæi *fecerunt dedicationem altaris diebus octo & obtulerunt holocauſta cum lætitia &c*

a Exod. c. 40. numer 7. b Bell. tom 1. de cultu Sanctorum. l. 3, c. 5. c V Salianum an. mundi. 3030. d & Ioſeph. l 8. antiq. c. 2. par. 7. Ioſeph. l. 8. c. 2. e ePineda l. 5. de rebus Salom. c. 5. n 16. f L. 1. Mach c. 4 v. 56.

Demum *in Lege nova* Paulus *g* Corinthios coarguit, tanquam Eccleſiæ contemptores, quia in Eccleſiâ comedebant, idque bene advertit Cardinalis *h* Bellarminus *ob loci ejus* CONSECRATIONEM. Alterum eſt Redemptorem noſtrum, encœnia, & annuam templi Dedicationem ſua cohoneſtaſſe & approbaſſe præſentia: quem Felix IV. in epiſt. ad Epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos, imitandum omnibus proponit: i *Solennitates enim* DEDICATIONUM *Eccleſiarum, & ſacerdotum, per ſingulos annos ſolenniter ſunt celebrandæ, ipſo Domino exempla dante, qui ad* FESTUM DEDICATIONIS TEMPLI, *omnibus, id faciendo, dans formam, cum reliquis populis eandem feſtivitatem celebraturus venit, ſicut ſcriptum eſt; Encœnia erant: & ambulavit Ieſus in templo, in porticu Salomonis*.

Idem confirmat * S. Cyrillus lib. 7. in Ioannem cap. 9. *à Iuda Machabæo* inquit, *ſpecialiter conſtitutum eſt, ut ſingulis annis* TEMPLI DEDICATIO *ſolemnibus frequentaretur officiis. Quæ planè conſtitutio uſque ad tempus Salvatoris ſervata eſt, ſicut præſens Euangelii lectio declarat. Sane Chriſtus, ut exemplo nobis eſſet in ſolennitatibus magis frequentanda eſſe templa divino cultui dedicata, & amplius iis inſiſtendum, quæ ad Dei honorem, & proximi ſalutem ſpectant, aderat huic* ENCOENIORUM SOLENNITATI, *ut populo ſalutaris ſuæ doctrinæ dona elargiretur, & divinitatis ſuæ myſteria patefaceret*.

Quid, quod frequentiori ac mirabi-

g 1. Cor. 11. h Bellar. cit. i Felix IV. Pont. * S. Cyrill. l. 7. in Ioan. c. 9.

rabiliori prodigio quam olim dedicationem templi approbavit. Præ ceteris, illuſtris fuit illa Caroli Magni, occidentis Imperatoris, qua *a* Baſilicam Aquiſgranenſem Immaculatæ Mariæ ſacram eſſe voluit. Vt enim illius columnas marmoreas, ac Porphyreticas, multas ac pretioſas, ut etiam portas & aræ ſepta ex ære ſolido, ut rectum plumbo faſtigium miſſum faciam, non paucas è Palæſtina ſacras reliquias, ædis ornamento intulerat, atq; alias inter, ejuſdem Deiparæ induſium, quod thecæ argento deaurato conflatæ incluſerat. Inſuper Leo IV. ſummus Pontifex, ut conſec r andi templi ritum perageret, rogatus aderat: & cum eo aula Imperialis univerſa, totque Præſules, ſive Epiſcopi, ſive Archiepiſcopi. quot dies in anno, id eſt, trecenti ſexaginta quinque, cui numero, cum duo initio deeſſent, mirum dictu! ad eum explendum, emerſere è tumulis Sancti, Monulphus & Gondulphus, Trajectenſes Epiſcopi genere, & virtute clariſſimi: & conſecratione peracta, acceptaque à Leone benedictione, ad tumbas reverſi ſunt.

Porro Imperator ex eo tempore morem induxit, qui hodieque ſervatur, ut in ea coram ara D. Virginis, Romanorum Reges primum coronentur.

Sed potiſſimum ad propoſitum facit, Chriſtum Redemptorem noſtrum, ſummi Pontificis munere functum, templa conſecraſſe. Sic graviſſimi Auctores referunt, Chriſtum ipſum dedicaſſe Baſilicam S. Dionyſii prope Lutetiam: per id tempus (verba ſunt *b* Guagini) Epiſcopi ad divum Dionyſium dicandæ Eccleſiæ gratia, à Dagoberto convocatis, dum ſexto Kalendas Martii myſterium abſolvere ſtatuiſſent, homo lepra admodum deformis, ab æditutis impetrat in æde pernoctare: ubi dum vigil in oratione perſeverat, videt perſpicue Chriſtum, comitantibus Petro & Paulo una cum Divis Martyribus Dionyſio, & Ruſtico, & Eleutherio in Baſilicam adventare, qui candida veſte amictus dedicationis ſacrum munus abſolvit: indeque ad leprâ contaminatum progreſſus Chriſtus: Tu, inquit homo, dicito Pontificibus, cum craſtina luce ad hanc ædam ſe conferent, eam à me conſecratam eſſe. Cujus rei fidem fecit infirmi hominis cura. Quo miraculo attoniti Præſules; dedicatione abſtinuerunt. De aliis Baſilicis, ab aliis Sanctis conſecratis, vide *c* Redanum.

Nunc ad objectionem Hæreticorum, fruſtra conſecrari templa & altaria, cum res illæ inanimatæ, non ſint ſuſceptivæ gratiæ, vel ſpiritualis virtutis iis reſpondet *d* S. Thomas, *Ad tertium dicendum quod Eccleſia, & altare, & alia hujuſmodi inanimata, conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſuſceptiva, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quan-*

a Legia Catholica Hautin. de V. ſacram. pag. 668.

b Guaginus c. 3 de geſtis Francorum in Dagoberto Vincent. Bellovac. in ſpeculo l. 28 c. 36 & 37 Mag. [illegible] Yepes in [illegible] S. Bene[illegible] tom. 2. Cent. 2 Epiſ. [illegible] c. 4. [illegible] l. 1. [illegible] 4 Redanus [illegible] Machin [illegible] n. 164 d S. Thomas. 3. p. q. 8 . a. 3 d 3.

dam *dam*

dam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui. Vnde & quidam probabiliter dicunt, quod PER INGRESSUM ECCLESIÆ CONSECRATÆ, HOMO CONSEQUITUR REMISSIONEM PECCATORUM VENIALIUM, *sicut & per aspersionem aquæ benedictæ juxta illud Psalmi* 84. *Benedixisti Domine terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ. Hinc* 2. *Machabæorum* 3. *dicitur: Vere Dei virtus quædam est in loco, nam ipse qui habet in cælis habitationem, visitator & adjutor est loci illius.* Quo fit, ut licet Deus ubique sit, quibusdam tamen locis, virtutis, præsentiæ, gratiæque suæ clariora præbeat testimonia, donaque conferat uberiora, & præsertim in sacris templis potentius, & clementius operetur.

Vnde Christus *a* domum suam, & domum Patris sui, domumq; orationis, id est, divini cultus exercendi propriam officinam, Templum appellat, & in eo Deum habitare verbis illis ostendit: *quicumque juraverit in templo, & in eo qui* HABITAT *in ipso.* Atque hæc hactenus ad perversos confutandum, & nutantes confirmandum.

Iam ad fideles me converto, quorum animas per hos ritus æterno Numini consecrandas comprobabo, non meo sed magni *b* Augustini nixus suffragio, qui ait *Quotiescumque, fratres charissimi, altaris, vel templi festivitatem colimus, si fideliter & diligenter attendimus, & sanctè ac juste vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali ædificatione completur: Non enim mentitus est qui dixit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos.*

a Matt. 21. Ioan. 2. Isaiæ. 56. Mat. 23.
b Aug. serm. 252. de temp. in dedicat.

§. 2.

Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 1. *Cor.* 3.

IMmensam summi Numinis majestatem, ubique & in omnibus rebus, esse per essentiam, præsentiam, & potentiam; at longe alia ratione in anima justi, velut in templo magnifico, in quo colitur & adoratur, per gratiam inhabitare, Doctor gentium non semel declaravit.

Nam sicut Rex potentissimus, præsens quidem est omni loco, ad quem se contulerit; at modo quodam speciali est in palatio, atq; in throno suæ potestatis, ubi à subditis princeps agnoscitur, & tanquam Rex & Dominus colitur: ibi famuli ei serviunt, amici diligunt, satellites circumsistunt, extranei venerantur, & in eo tandem loco omnia latè gubernat, & justa decernit.

Ita Deus, Rex Regum omnibus quidem rebus, & locis necessario intime præsens est; at in Justorum mentibus, est tanquam in regia Basilica, in templo sancto suo. Vbi à justis Deus & Princeps cognoscitur, ut Pater & sponsus diligitur, ut Dominus puris obsequiis ac cultibus adoratur.

Ibi arcanam illam humanæ mentis Rempublicam sapientis-

c 2. Cor. 6.

simè

ſimè gubernat, affectus pravos in officio continet, omnibus ſenſibus juſta decernit. Vnde perappoſitè *a* Auguſtinus: *Fatendum eſt ubiq; eſſe Deum per divinitatis præſentiam; ſed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi procul dubio gratia ejus dilectionis agnoſcitur, non dicimus: Pater noſter qui es ubique, cum & hoc verum ſit; ſed pater noſter qui es in cælis, ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod & nos ipſi eſſe debemus.*

b Hujus ſpiritualis templi dedicatio in Sacramento baptiſmi rite peragitur, quo interior illa domus, non profana dumtaxat, ſed à maligno ſpiritu polluta, & fœdè contaminata, per ceremonias Eccleſiaſticas expiatur, & Deo vero conſecratur; quod expendens *c* S. Maximus, exclamat: *Qualis honos homini eſt, ex terrena habitatione fieri cæleſte collegium & divinum palatium!* Conſimili ſacro ſtupore attonitus *d* S. Bernardus: *Quanta dignitas*, inquit, *& quanta gloria animarum, ut Dominus univerſorum ſibi jubeat in illis fieri* TEMPLUM? unde longe majori reverentia, veneratione, exultatione, patrimis, propinquis, amicis, aſſiſtendum eſt, dum parvuli anima Deo conſecratur, quam in Eccleſiæ dedicatione. Quia non hæc mortua, aut materialia, ſed viva templa Deo dicantur: *omnes* inquit Auguſtinus, *e qui ad ſalutare baptiſma conſequendum offeruntur Eccleſiæ, & Chriſma & oleum benedictionis accipiunt*, (ut in dedicatione fieri aſſolet) *hoc agunt ut jam non vaſa vacua, ſed Deo plena, &* DEI TEMPLA *eſſe mereantur.*

Inſuper luminaria adhibentur, cruce ſignantur, aqua tinguntur. Chriſmate unguntur, aliæq; dedicationis ceremoniæ uſurpantur, atque ita, inquit *f* Clemens Alexandrinus, *tincti illuminantur, illuminati in filios adoptati perficiuntur, perfecti immortales redduntur*, & in perpetuum æterno Numini conſecrantur.

Longe adhuc perfectiori, ac ſublimiori modo, Religioſæ animæ per vota Deo dicantur, ac conſecrantur. ſic enim *g* S. Thomas: *ſolennitas voti attenditur ſecundum aliquod ſpirituale, quod ad Deum pertineat, id eſt ſecundũ aliquam ſpiritalem benedictionem, vel* CONSECRATIONEM. Idem confirmat S. Auguſtinus, *h* votorũ vi fieri; *ut ſimus templum Dei.* Et S. Baſilius *i* eum qui ſæculo nuncium remiſit, jam ait divinum quoddam vas effectum eſſe, idq; ei cavendum, ne vitioſo uſu polluatur, ſeque ipſum cuſtodire debere tanquam rem dicatam, ne in ſacrilegii ſcelus incurrat, ſi corpus, animumque Deo ſacratum, rurſum miniſterio ſæcularis vitæ contaminet. Sacrilegium dictitans non modo ſi Religioſus ſe peccato commaculet, ſed etiam, ſi ad profanum, & communem uſum iterum convertatur.

Suaviſſimè vero Doctor mellifluus *de templi dedicatione diſſerit: quam totam celebritatem ad Religioſi hominis conſecrationem transfert: *Noſtra eſt*, in-

a Aug. epiſt. 57. *b* Homo per baptiſmum Deo ... templum fit Spiritus S. *c* S. Maximus ſer. de ... *d* Ber. ſer. 2. de dedica. *e* Aug. ſerm. 206. de temp.

f Clemens Alex. Pæd. ... c. 7. ... qui Deo conſecrantur ... templum Dei *g* S. Tho. 22. q. 88. a. 7. *h* Aug. in Pſ. 121. ... de ... inſtit. * S. Bern. ſer. 1. de dedicat. Eccl.

quit, *fratres charissimi, vestra est hodierna festivitas.* Vos DEDICATI ESTIS DOMINO, *vos elegit, & assumpsit in proprios. Quam bene commutastis dilectissimi, quidquid habere potuistis à sæculo, quando nunc relinquendo ea, proprij esse meruistis Auctoris sæculi.*

Post hæc, pergit etiam totam ceremoniam, quæ templis consecrandis adhibetur, Religiosis ipsis applicare, ubi quinque observanda occurrunt: a *Aspersio, inscriptio, illuminatio, inunctio & benedictio.* Quæ in Religiosi anima excellentiori modo peraguntur; nam & *aspersio* nostra, id est peccatorum abstersio, confessione, lachrimarum imbre, pœnitentiæ sudore efficitur. *Inscriptio* autem fit non in tabulis lapideis, sed in corde novo, quod ipse dat contritum, & humiliatum. *Illuminatio* fit per opera, quæ ex Religione prodeunt, & lucent coram hominibus, ut glorificent Patrem qui in cælis est. *Vnctio* vero adhibetur, ut cruces in pariete expressæ, oleo liniantur. Atque hoc insigne mysterium observat S. Bernardus: *Quia nec sine Cruce sequi Christum, & sine unctione Crucis asperitatem ferre quis posset?* Hinc error multorum sæcularium est, qui vident in Religione externa, punctionem, sed non vident internam unctionem; cum econtra, in illis videre sit unctionem, & non punctionem: *Hinc est*, inquit, *quod multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, Crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem.* Deus pungit & ungit, & omnis Religiosorum austeritas, & Martyrum cruciatus, suavissimo gratiæ, & cælestis consolationis oleo solet lenire.

a Bern. cit.

Dominus promittit Moysi, fore ut populus Israeliticus mellis dulcedinem ab asperrima petræ duritie excipiat, & suavitatem olei saxo hauriat: *Constituit eum* (verba sunt Moysis b vaticinantis) *super excelsam terram, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Monet c Gregorius hoc oraculum nequaquam fuisse completum tempore antiquæ legis: Nunquam enim Iudæi, ne in terra quidem promissionis, aut de petra mel, aut oleum de saxo perceperunt. Id autem quod Iudæis negatum est, Religiosis in Lege gratiæ concessum gratulamur: hi quippe Christo duce experiuntur inter saxeos labores, internæ suavitatis dulcedinem, & unctionis internæ, super omne mel, dulcissimam suavitatem. Vnde idem Doctor de illis agens: an non *d montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac, & mel?* Hujus veritatis pauca è multis petam testimonia. e S. Franciscus cum fratre Masseo proficiscens, cum super lapidem frustulo panis, & haustu frigidæ refectus esset, narravit sæpius Masseus, tanta se dulcedine delibutum, quantam antea nunquam in vita sua gustasset. Ita f Ribaudo, viro principi, postquam sæculo renuntiasset, cibi duri, ac insipidi, à quibus prius abhorruerat, sapidissimi ac suavissimi redditi sunt. Vbi illud completur: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

b Deutero. 32. c Greg hom 26. in Euang. d Ber. ep. 100 e Platus. l. 3. de bo u Relig. c. 8, Ide, c. 16. Psal. 67.

Tandem ne hic longior ſim, declaravit hoc aliquando *a* Reginaldus ex illuſtri Dominicanorum familia, atque ex ipſius S. Dominici ſociis inter primos ac præcipuos. Hic enim cum in ſæculo dives & opulentus eſſet, vitæque molli ac delicatæ aſſuetus poſtea laborioſum illud, & grave inſtitutum ſuſcepiſſet, qui eum prius cognoverant, ſæpe cum admiratione quærebant ab eo, num magna afficeretur moleſtia? num punctiones illas & Cruces ferre poſſet? quibus ille, & animo, & vultu alacri reſpondere ſolebat: Atqui ſcitote, ita mihi hæc omnia jucunda, & ſuavia videri, & tanta unctione internæ dulcedinis deliniri, ut ſæpe ex animo doluerim, quod nimis molliter viverem, & certe nullum me in hac vita meritum conſequi arbitrarer.

Quod ille, hoc & plures experti ſunt; ſuoſque teſtes compellat *b* Bernardus: *Vos qui experti eſtis, & ſcitis quia vere Crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam ſpiritus adjuvantis, ſuavis & delectabilis eſt pœnitentia noſtra, & ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima.*

Idem experti ſunt Martyres, fortiſſimi illi leones, à tyrannis dilaniati, de quibus *c* Baronius agens, dicit: Favum mellis a ſanctis Martyribus in perſecutorum rabie coagmentandum, favus ille mellis ex ore leonis depromptus typice præmonſtravit. Hinc illius problematis ſolutio: *Quid dulcius melle? quid fortius leone?* Sed de his alias dicturi.

Poſtrema dedicationis ceremonia, eſt *d* BENEDICTIO: *nam in Benedictione tota complebitur gratia ſanctificationis, quando jam in domum tranſibimus non manufactam, æternam in cælis. Ipſa eſt quæ conſtruitur vivis ex lapidibus, Angelis ſcilicet, & hominibus: ſimul enim ædificatio, &* DEDICATIO *complebitur.*

Cum igitur templi hujus materialis conſecratio, Religioſæ cujuſque animæ conſecrationem tam expreſſe repræſentet, licet ex eadem templi ſimilitudine, animæ dignitatem conjicere. Videmus enim quantum interſit ejuſmodi domum divino cultui dicatam, & domum profanam, quam homines inhabitant; materia quidem utriuſque eadem, iidem lapides, cæmenta, trabes; uſus autem maxime diverſus: nam in profana illa & edere, & bibere, & ludere, & dormire licet; licet etiam & pecudes inducere: quæ omnia loci ſacri dignitati ac ſanctitati repugnant. Idem eſt in calice ſacro, qui ſi non dicam luto, aut cœno inquinetur, ſed ad bibendum in communi menſa adhibetur, piaculum perpetrari creditur: quod apparuit in Rege Babyloniæ, cum templi vaſis in convivio illatis, intra paucas horas & regno & vita orbatus eſt.

Quantum igitur inter ſacram ædem, & profanam intereſt, quantum ſacer calix communem cyathum ſuperat dignitate, tantum inquit Platus, anima

a Platus l. 3. c. 4. b Bern. ſer. 1. de dedic. c Baron in præloq. Martyrol. gii c. 10.

d Bernhard. cit.

anima Dei obsequio consecrata sæcularem & laicam animam sine dubio antecellit.

Reliquum est, ut supra omne templum manu factum, & sacris ritibus, ac ceremoniis Ecclesiasticis Deo sacrum, *templum Domini quod estis vos*, semper Sanctum, impollutum, ac inviolatum servetis. Illa enimvero supra omnem templi Salomonici destructionem, ruina, expilatio, profanatio, sacrilegium gravissimum est, ut quis vestrûm, animæ templum in baptismo tot ritibus Deo consecratum, *ubi Spiritus Dei habitat:* a quodque longe enormius est, ut Religiosi corpore, & animo per vota Deo dedicati, aliquando vertant, domum Dei, in speluncam latronum. Inde ut nos deterreat illa gravissima Pauli commonitio, & comminatio est.

§. 3.

Si quis autem TEMPLUM *Dei violaverit, disperdet illum Deus.* 1. Cor. 4.

QUia hominum plerique plus carnis habent, quam animi, plus molis quam mentis: ideo fere tantum ea capiunt, quæ vel oculos, vel aures, aliumve sensum feriunt: altiora & ea quæ Spiritus sunt, vix cogitatione usurpare solent, nisi ad ea, mentem in terrena pronam, opportuna aliqua similitudine duxeris. Quod in aliis, hoc in eo argumento, quod tractamus, usuvenit. Ingens dicimus esse, & portentosum malum, templum animæ, vita Dei appretiatum, divina gratiæ luce collustratum; tot virtutibus exornatum, supremo Numini tam sanctè dicatum, per lethalem noxam profanari, violari, expilari: vix illud capiet animus corpori immersus, nisi eo sensus ipse, oculisque vocet: ut porro vocet ab iis quæ in foro tum Civili, tum Ecclesiastico accidere solent, argumenti materiam petemus, ut in alienâ miseriâ, suam quoque peccatrix anima spectare discat.

Sancitum illud à Majoribus nostris, & sacris Canonibus ab Ecclesia constitutum: ut si Sacerdos aliquis enorme flagitium patrarit, quod ipsa morte, extremoque supplicio plectendum videatur; primum ut solenni ritu Sacerdotio exuatur, &, quod ajunt, degradetur; quæ degradatio tantum habet in se ignominiæ, tantum horroris, ut oculi contuentium sine lachrimis, & commiseratione spectare non possint.

In primis enim ad templi fores, misera substructione erigitur fatale theatrum, ut scelus in publico fit. Deinde in eo statuitur mensa, candente mappula cooperta: supra quam visitur Calix cum patena, & hostia, ampulla tum vini, tum aquæ: libri quatuor Euangeliorum, Epistolarum, Exorcismorum, Lectionum, candelabrum cum candela extincta, forfices, cultellus, seu petra vitrea: tum etiam casula, & ceteræ, quæ sacrationi Mystæ, ac sacrificio solent apparari.

a 1. Cor. 3.

In

In eodem deinde theatro eminet sedile altius, quod Episcopum, sacrorum Præsulem capiat; & humilius quod Iudicem, aliosque Administros. Hoc futuræ tragœdiæ aperitur proscenium, quod spectatores suspensos teneat, feriatque infelicis, ultimique actus exspectatione.

Ubi sic parata scenæ facies, stata hora prodit è carcere reus Sacerdos, revinctis manibus, abjectis oculis, lurida deformique facie, & inter frementem ac tumultuantem turbam, à satellitibus trahitur, emergitque tandem in theatrum ignominiæ suæ destinatum. Quid illi tum animi sit, vos ipsi perpendite. Ubi in oculos venit, hinc Episcopus pede, infulaque venerandus; inde Iudex gladio formidandus: illinc instrumenta omnia publicæ infamiæ designata: istinc totius populi, & confertæ multitudinis conspectus, mœstaque acclamatio. Dum hic oculo, ille manu, voce alius, & insigni probro ac scommate indignum suo sacro ordine Sacerdotem indigitat, notatque vehementius. Quam vellet è vivis potius exemptus esse, quam in publico illo, ac patenti ignominiæ proscenio versari. Verum ut id animo, votisque exoptet ardentius, non dabitur tamen, nisi peracta infelici tragœdia, cujus actum ultimum mors occupabit.

Solvitur ergo primum, & suis ipse vinculis eximitur, deinde à Clericis ad id deputatis, vestibus sacris induitur, eique in manus calix cum vino & aqua, patena & hostia porrigitur. Postquam in eo habitu conspicuus stetit, tum ad Præsulis genua, pedesque accidere cogitur, hanc è Cathedra sententiam auditurus: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: quia nos hunc hominem de enormi flagitio, legitimis testibus convictum, constrictumq; tenemus, idcirco eum nos omni officio, beneficioque sacro indignum censemus, publicaque nunc sententia privamus.*

Hæc ubi dixit Spiritu elatiore, tum sacro quodam irarum æstu percitus, arripit ex ejus manibus calicem, hostiamque cum patena, quam reus Sacerdos acclinis ad genua tenet, verbaque illa fulminat: *Amovemus a te, quin potius amotam esse ostendimus potestatem offerendi Deo sacrificium, Missamque celebrandi.*

Deinde cultello, vitrove pollices, & indices utriusque manus, qui oleo sacro olim delibuti, abradit, dicens: *Potestatem sacrificandi, consecrandi, & benedicendi, quam in unctione manuum, & pollicum recepisti, tibi tollimus hac rasura.*

Tum Casula hominem exuit, dicens: *Veste Sacerdotali charitatem signante, te merito exspoliamus, quia ipsam, & omnem innocentiam exuisti.*

Tum etiam stolam eripit, dicens: *Signum Domini per hanc stolam turpiter abjecisti, ideoque ipsam à te amovemus, quem inhabilem reddimus ad omne Sacerdotale officium exercendum.*

Ubi his verbis sese explicuit justa Præsulis ira, tum Sacerdos reus, omnibus his sacris exutus, velut homo profanus, ad secularem turpiter detruditur non jam Epi-

Episcopi manibus, sed carnificis gladio vel igne perimendus.

Hæc Auditores quæ omnibus pudori, dolori, stupori, horrori sunt, multo luctuosiori tragœdia in anima peraguntur. Quid enim reus Sacerdos? Præsulis ille sui, Iudicisque oculos perhorrescit: tu nimium quantum infelix anima, in Dei tui, severissimi Judicis conspectum venis. Ille popello, & imperitæ multitudini ad spectaculum, & ignominiam objicitur: tu coram innumerabili Angelorum exercitu, confessuque beatarum mentium, cœlo, soleque teste in crimen vocaris, dedecusque æternum.

Ille vestibus exuitur, & sacra illa supellectile, qua mysta Deo dicatus ad aram nitet, privatur; tu vero gratiam, & charitatem, candidamque innocentiæ vestem, quam in Baptismo induisti, abjicis ac fœde prostituis, omnique virtutum ornamento spoliaris.

Ille de sacrorum Ordinum gradu deponitur; tu vero Christianus cum esses & unctus Domini, Deo sacratus, desinis esse Christi, ut sis totus Antichristi, maligni dæmonis.

Eras ut ille sacratioribus Ecclesiæ festis, omnique ordine ac statu Ecclesiastico indignus, brachio sæculari traditur excarnificandus; tu vero deletus de libro vitæ, de serie Sanctorum, Tartareis tortoribus in omnem æternitatem ad. immanissimos cruciatus tradendus es.

Non minus fortasse horroris ac commiserationis vobis moveret, si oculis cernere contingeret Augustissimum illud Salomonis templum, tanta magnificentia, ac sacrorum rituum apparatu, ut *a* Iosephus describit, Deo dicatū, à militibus infringi, contaminari, expilari, incendi, & flammis penitus absumi. At longe graviori jactura, amarioribus dignum lachrimis, dū templum animæ violatur, destruitur, incenditur. ***Quoties***, inquit *b* Augustinus, ***aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus***, TEMPLUM *Dei destruimus*, violamus, incendimus. Si princeps urbis Basilica, si templum aliquot multis & magnificis operibus instructum, casu inflammetur, accurrunt omnes, & per medios ignium globos magna contentione penetrant, fumum oculis, atque ore toto, crepitantesque favillas excipiunt, & præclarè positam operam putant, si evolent semiustulati ab incendio, dum eximium artis opus, ac splendidam molem servare possint. Et tamen agitur in ea re tantum de columnis, de laqueari forte inaurato, de marmorum crustis, de vetustis tabulis, de templo denique, quo in cineres abeunte, potest rerum varietate longe ornatius, opulentia ditius, magnificentia splendidius, atque nobilius exædificari: Anima autem divini Spiritus templum, gratiæ tabernaculum, Numinis sacrarium tam augustum, quod suas esse delicias magnus Deus pronunciavit, non auro litum, sed purpureo IESV cruore, non marmore stratum sed fide: non suggestu, acroateriisque illustre,

a Iosephus l. 8 antiq cap. 2. b August. serm. 219. de temp.

sed

ſed faſtigio ocharitatis inſigne: hoc, inquam Sanctiſſimæ, Triadis opus, quo in hac univerſitate nihil ab ea factum eſt præſtantius, nos ſine gravi animi dolore quati, deſerique patiemur? In hoc nos ipſi infames buſtuarii faces injiciemus? quin potius hoc tam enorme ſacrilegium deteſtemur, & ſi quod ejuſmodi incendium exortum eſt, aquam lachrimarum affundamus: atque illum hac feſta Eccleſiæ dedicatione fructum referamus, *ut omnes* DEI TEMPLUM *ſimus*, *illato in nos*, *&* CONSERVATO SPIRITU SANCTO.

a Tertull. lib. de cultu fœminarum.

I N-

I N D E X
FESTORUM ET PARAGRAPHORUM
in hac ſecunda Parte Cæleſtis Panthei.

custodiant te, in omnibus viis Tuis, per omnem vitam.

§. 3. Signifer *S. Michael* animas in morte suscipit, & repræsentat eas Iudici.

Festum S. Lucæ Evangelist. p. 236

Bonorum laborum gloriosus est fructus. *Sap.* 3.

EMBLEMA XXXVI

Cornu, quod laboris symbolum, floribus ac fructibus impletum.

Prædivite cornu. *Ovid. lib.* 9. *Metam.*

§. 1. Divus Lucas ab Ezechiele, sub *Bovis* specie visus, qui abundantius *Omnibus laboravit.* 1. *Cor.* 15

§. 2. Bonorum *Laborum gloriosus* est fructus. *Sap.* 3.

§. 3. Non alligabis *os Bovi* Trituranti. 1. *Cor.* 9.

Festum Sanctæ Vrsulæ. p. 265

Adducentur Regi Virgines post eam. *Psalm.* 44.

EMBLEMA XXXVII.

Palma in innumeras coronas attonsa.

Vrsula Anagramma Laurus.

Plures parit Illa Coronas.

§. 1. Mundi delicias, ac carnis illecebras cum *Vrsula* fugere, Christianæ fortitudinis est.

§. 2. In acie contra omnes adversitatis incursus, & sævissimos Tyrannorum insultus, cum *Vrsula* standum, & pro Virginitate ad mortem dimicandum.

§. 3. Qua ratione Virgines, Martyres esse queant.

Festum Simonis & Iudæ Apostolorum. p. 289.

Fac tibi duas tubas argenteas. *Num.* 10.

EMBLEMA XXXVIII.

Duæ tubæ quæ inflantur.

Spiritus intus agit. *Virg.* 6. *Æneid.*

§. 1. Fac tibi duas tubas argenteas. *Num* 10.

§ 2. SS. Simon & Iudas concinuerunt Domino *in Tubis Ductilibus* *Psalm.* 97.

§. 3. Spiritus intus agit, *quando in adversis Deo laudes concinunt.*

Solennitas Omnium Sanctorum. p. 305

Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est 1. *Joann.* 3.

EMBLEMA XXXIX.

Sol in medio astrorum, ac planetarum qui undique illuminat.

Solemque suum sua sidera norunt. *Virg.* 6. *Æneid.*

§. 1. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum, Deum verum. *Ioan.* 17.

§. 2. Deum semel vidisse, omnia didicisse est.

§. 3. Deum videre, omne bonum possidere est.

Commemoratio Fidelium defunctorum. p. 324

Festina, suscita amicum tuum. *Prov.* 6.

EMBLEMA XL.

Fax recens exstincta, facilè reaccenditur.

Festina, extinctos reddere luci.

§. 1. Utrum præstet, & quo potius adnitendum, ut peccator è cœno vitiorum: an ut animæ, fidelium defunctæ è piaculari carcere, eripiantur?

§. 2. Festina, exstinctos reddere luci.

Festum Sancti Martini Pontificis & Confessoris. p. 343

Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. *Luc.* 11.

EMBLEMA XLI.

Sagittarius uno oculo in scopum collimans.

Est aliquid quo *Tendis,* & in quod dirigis arcum? *Persius Sat.* 3.

§. 1. *Oculus simplex, intentio* est, quæ totum corpus, id est opus, lucidum facit

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,
quæ in hac secunda Parte ad amussim & mentem Sanctorum Patrum exactius elucidantur.

JUDI-

Cap. Ver. pag.

JVDICVM.

RVTH.

LIB. I. REGVM.

LIB. II. REGVM.

LIB. III. REGVM.

LIB. IV. REGVM.

LIB. I. PARALIP.

TOBIAS.

IVDITH.

13 De-

PSALMI.

MARCUS.

Cap. Ver. pag.

LUCAS.

IOANNES.

I N-

INDEX
ALPHABETICUS
Rerum Notabilium:

Quæ in hac Secunda Parte continentur, & ubertim explicantur.

A.

B.

Tripli-

C.

D.

E.

Danda

B. Hen-

I.

He-

Qui-

R.

S.

Cori

Tun-

I N-

INDEX

VTRIUSQUE PARTIS IN DOminicas totius Anni.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu quis es? Ioan. 1.

Elias es tu? Et dixit: non sum.

Propheta es tu? & respondit: non.

Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ. Luc. 3.

DOMINICA INFRA OCT. NAT. CHRISTI.

Erant Ioseph & Maria Mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur. Luc. 2.

Erat Anna Prophetissa.

Puer autem crescebat plenus sapientia, & Gratia Dei erat in illo.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

INVE

Invenerunt eum in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem. Luc. 2.

Christus hic se Doctorem simul & discipulum exhibuit, ut superbiam quorundã confundat, qui se omnia scire arbitrantur. *De communi Doctoris Pontif.*

Quantumvis Docti, usque ad finem vitæ, semper discere voluerunt. *ibidem.* ET ERAT SUBDITUS ILLIS, omnemque suam potestatem Mariæ Matri, & Iosepho tradidit. *Festo S. Iosephi* §. 3.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT. Ioan. 2.

Nusquam nec unquam tales nuptiæ celebratæ sicut inter Mariam & Ioseph. *Festo S. Ioseph.* §. 1.

Illud Geneseos 2. *Fecit ei adjutorium simile sibi.* Aptissime utrique huic conjugi convenit. *ibidem.*

Nuptiæ nullum impedimentum aut excusationem ad sanctitatem & perfectionem adferunt, ut multi prætexunt. *ibidem.* §. 1.

Gustavit Architriclinus aquam vinum factum. Hoc primum signum, figura fuit aliquando vinum in sanguinem Christi convertendum. *Oct. SS. Sacramenti* §. 2.

Crediderunt in eum discipuli ejus. Cur & Hæretici non credunt, qui aquam in vinum, & illud indies in sanguinem nostrum convertit, quique non solum unam substantiam in aliam, sed ex nihilo omnia creavit, posse panem & vinum in carnem & sanguinem suum convertere? *ibidem.*

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Vade, ostende te Sacerdoti. Matth. 8.

Peccatores dum se sistunt Sacerdoti in sede confessionali, qui porcus, corvus, leo intrarat, ovis, cygnus, agnus egreditur. *Festo Conversionis S. Pauli* §. 2.

Qui sistit se per pœnitentiam Sacerdoti, longe mundior & sanctior recedit, quam unquam ante fuerit. *Festo S. Thomæ* §. 2.

Domine, puer meus (id est servus) *jacet in domo Paralyticus, & male torquetur.*

Cura ancillarum & famulorum, dum ægrotans habenda. Iacet hic servus Centurionis, hominis militaris non in Nosocomio, non sub dio, sed in domo. Ipse Dominus cum omnia humana media tentasset, apud Christum pro eo intercedit. *Festo S. Lucæ* §. 3.

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Ecce motus magnus factus est in Mari. Matth. 8.

Vbique motus, & inquies, in anchora Crucis sola quies. *Festo Cathedræ S. Petri* §. 3.

Motus magnus in conscientia

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA VI. POST EPIPHAN.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Voca operarios, & redde eis mercedem.

Dignus est operarius mercede sua, quæ solatium est laboris, in quo gravissime peccant qui operarios, servos & ancillas justa sua mercede defraudant, *& alligant os bovi trituranti.* Quod inter peccata in cœlum clamantia numeratur. *Festo S. Lucæ §. 2. & 3.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Fructum adferunt in patientia. Luc. 8.

Si quis Cruces & adversitates quas Deus immittit, patienter toleret, ingentem fructum & thesaurum ex iis referet. *Festo inventionis S. Crucis §. 2.*

Quinam ingentem fructum patientiæ retulerint, morbos & adversitates ab amica Dei manu accipiendo. *Festo S. Iacobi Minoris §. 3.*

Magnum patientiæ fructum refert, qui in adversis Deo gratias agit. *Festo SS. Simonis & Iudæ §. 3.*

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Tradetur gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Luc. 18.

Hisce Bacchanalium Lupercalium diebus populo exponendum, quam horrenda Redemptor noster passus est & attritus propter scelera nostra, ut totus consumptus sit pro nobis. Sic Deus dilexit nos. *Festo 2. Pentecostes per totum.*

Tormenta tam atrocia usque ad ultimam guttam sanguinis subiit, ut amore suo tam prodigaliter prodigo nos sibi devinciret. *Festo 3. Pentecostes per totum.*

Etiamnum Christo illuditur, conspuitur, & indignissimè tractatur in SS. Sacramento à Iudæis, Hæreticis, sacrilegis. *Octava SS. Sacramenti. §. 5.*

Et tertia die resurget.

Inter omnia fidei mysteria Resurrectio multis maxime incredibilis. *In solemnitate Resurrectionis Domini sub initium.*

Resurget Christus primogenitus mortuorum, uti & omnes Sancti, cum 4. dotibus corporis gloriosi. *ibidem per totum.*

Cæcus quidam sedebat secus viam. Hoc potissimum tempore deploranda mortalium cæcitas, quam per peccata incurrunt: nam, ut SS. Patres tradunt, cœca est avaritia, cœca ambitio, cœca libido &c. *Festo S. Ioannis Euang. §. 2.*

Illudque magis deplorandum quod cæcitatem suam non agnoscant & qui lyncei sunt in alienis vitiis perspiciendis, in suis talpæ sunt. *ibid.*

Domine ut videam. Quemadmodum multi Sancti qui aciem mentis tam perspicacem habuere, ut minimos etiam imperfectionum atomos viderent & flerent. *ibidem §. 1.*

Insuper & Patresfamilias & Superiores toti oculati esse debent ut suos observent, iisque invigilent. §. 3.

non diuturna variis scripturis & rationibus probatur.

Quare singulos dies singulas vitas puta, atque omnem crede diem, tibi diluxisse supremum. Quod si feceris, quisquis es, sancte vitam instítues. *Festo Epiphaniæ per totum.*

Plorabitis & flebitis vos.

Quam salubre sit hic flere, quandoquidem lachrymæ sint spongia peccatorum. *Festo S. Magdalenæ* §. 1.

Non tantum semel sed & per omnem vitam peccata deflenda. *ibidem* §. 2.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum qui misit me Ioan. 16.

Id est ad Patrem ubi pro nobis potenter intercedet; exhibendo Patri sacratissima vulnera, per quæ quasi tot ora, causæ nostræ patrocinabitur. hinc addit: *Expedit vobis ut ego vadam. Festo Ascensionis Domini.* §. 2.

Arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.

Ubi potissimum arguitur incredulitas Iudæorum, Hæreticorum, qui cum pertinacia tuentur errorem, maxime circa mysterium SS. Sacramenti, quod nisi crediderint non intelligent. *Festo SS. Sacramenti sub initium & §. 2. 3. & 1.*

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Nam ubi Spiritus Sanctus Magister est, facile discitur quod docetur, ille linguas infantium facit disertas. *V. Festo S. Catharinæ* §. 1.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Vt gaudium vestrum sit plenum. Ioan. 16.

Quod non fit, nisi quis possideat omne bonum, idque fit per visionem beatificam. *Festo omnium Sanctorum* §. 3. & 1.

Vado ad Patrem, ut apud eum pro nobis potenter interpellet exhibendo vulnera. *Festo Ascensionis Domini* §. 2.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Ioan. 16.

Parentes parricidæ & Herode crudeliores, qui parvulis & domesticis suis scandalo sunt, eorumque animas pravo suo exemplo occidunt. *Festo SS. Innocentium* §. 1.

Non oportet scandalizari lapsu unius, eamque notam toti corpori adspergere, in quo sæpe gravissimè peccatur. *Festo S. Matthiæ* §. 3. & *Festo Cathedræ S. Petri* §. 1.

Quinam noxia sua consuetudine aliis scandalo sunt.

Festo Visitationis B. V. §. 3.

SOLENNITAS PENTECOSTES.

Vide loco proprio. 1. *pag.* 296.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Vide loco proprio. pag. 292. part. 1.

DOMINICA I. POST PENTECOST.

Quid vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras. Luc. 16.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Hic peccatores recipit. Luc. 15.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Per totam noctem laborantes. Luc. 5.

Filii tenebrarum, hic in alta nocte coecutiunt. *Festo S. Matthaei* §. 1.

Ex hoc jam eris homines capiens: gratia Spiritus Sancti Piscatores fecit Apostolos & Praedicatores. *Solennit. Pentecostes* §. 1.

Stupor circumdederat eum.

Id est ingens timor, qualem S. Spiritus adveniens incussit Discipulis non ad terrorem, sed amorem. *ibidem sub initium.*

Relictis omnibus secuti sunt eum.

Quod & Matthaeus, alii Sancti fecerunt, sanguinolentis Christi vestigiis insistentes. Ad hoc passus est nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. *Festo S. Matthai per totum.*

Qui non accipit Crucem suam & sequitur me, non est me dignus, quod qua ratione Heterodoxi inimici Crucis Christi & omnis austeritatis intelligant, habes, *ibidem* §. 2.

Quam pauci Christum, quam multi mundum & carnem & daemonem sequantur. §. 3.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in Regnum Coelorum. Luc. 5.

Producet Diabolus in judicio, teste Cypriano, Martyres suos, mancipia mundi & carnis qui plura perpessi ut in aeternum pereant, quam alii ut in aeternum vivant. Idque ad confusionem nostram. *V. de Communi Martyrum* §. *Martyres Diaboli.*

Non occides.

Parentes parricidae & Herode crudeliores qui suo malo exemplo animas suorum trucidant. *Festo SS. Innocentium* §. 1.

Si offers munus tuum ad Altare, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliare fratri tuo.

Indignum imo sacrilegium cum felle & amaritudine ad tremendum sacrificium accedere, ut Lupi fiamus Agnum comedentes. *V. Octava Sanctissimi Sacramenti* §. 5.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Manducaverunt & saturati sunt. Marci 8.

Hoc nulli cibi praestant, nisi Eucharisticus qui indeficiens, & sumptus non consumitur. *Oct. Sanctissimi Sacramenti* §. 4.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7.

Illis similes homines versipelles, qui accurate in omni hominum genere describuntur. *Festo S. Bartholomai* §. 1.

His pellis ovina, & vulpina detrahenda. *ibidem.*

2. Attendite à falsis Prophetis, id est ab Haereticis & infamis Doctoribus. *Festo Cathedrae S. Petri* §. 1. *& Festo S. Catharinae.* Ubi eleganter exponitur, ne te lactaverint peccatores. §. 3. *& de Communi Doctoris Pontif.* §. 2.

A fructibus eorum cognoscetis eos.

Parentes à liberis optime dignoscuntur.

linguiss ut Apostoli: multi maligne, && linguis accensis à gehenna lloquantur. *Solennit. Pentecostess* §. 3.

DOMINICA XII. POSST PENSECOSTEN.

Beaati oculi qui vident quæ vios videtis. Luc. 10.

De visione beatifica, an oculis etiam corporeis Deus videndus. Deeum semel vidisse, omnia didicisse est.

Deum videre, hoc est omne bonum possidere. *Festo omnium Sanctorum per totum.*

Quo... odo legis?

Quantus fructus ex lectione librorum spiritualium, quantum animarum incendium ex libris lascivis.. *Festo S. Ignatii* §. 1.

Quis eest meus proximus?

Liberri, proximi sunt parentibus, famuli & ancillæ heris, subditi superioribus. *Festo S. Ioan. Evang.* §§ 3 *Festo S. Lucæ* §. 3.

Incidit in Latrones, qui despoliaverunt eum.

Hæc spoliatio longe gravior& calamitosior fit in anima, quæ gratia, meritis, & omnium virtutum ornamentis spoliatur. *V. de dedicattione Ecclesiæ* §. 2.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN

Steteirunt à longe. Luc. 17.

Longe à periculis recedendum, si enim Iudas, in schola mitis humilisque Magistri, in tam sancto Discippulorum contubernio, tam turpiiter apostatavit, quis sibi, inter quotidiana pericula, & peccandi occasiones, satis confidat? Apostolo monente, qui stat, videat, ne cadat. *Festo S. Matthiæ.* §. 2.

Consuetudines & visitationes noxiæ maxime cavendæ. *Festo Visitationis B. Virg.* §. 3.

Ite, ostendite vos Sacertibus.

Peccatores cum se sistunt Sacerdotibus in sede confessionali, qui porcus, Leo, corvus intrarat, ovis, agnus, cygnus egreditur. *Festo Conversionis S. Pauli.* §. 2.

Qui sistit se per pœnitentiam Sacerdotii longe mundior & sanctior recedit, quam unquam ante fuerit. *Festo S. Thomæ* §. 2.

Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

Hic pro sanitate corporis sibi restituta gratias agit, nos ne quidem, pro innumeris aliis beneficiis corporis & animæ; cum Deus, pro omnibus, quæ nobis tam liberaliter contulit, pro vita & sanguine, quem pro nobis effudit, nil aliud spectes, quam gratitudinem, quam amorem. *Festo* §. 2. *post Pentecosten.* & 3. *per totum.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6.

Cum Deus totus consumptus sit in usus nostros, indignum est non totos nos sed ex parte, & parte modica Deo servire, eumque diligere. *Festo* 2. *Pentecostes per totum.*

quo minus ad cœlestes nuptias accedant, ac frustra illud prætexunt: Uxorem duxi, non possum venire. *ibidem.*

Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

Hæc supra nivem candide induenda, dum quis ad has nuptias accedit. Quod si vel ipsum hoc fatale sit, atratum aliquem ad Imperatorem Turcarum accedere, longe atrocius plectendum, si quis mensam Domini, habitum peccatoris indutus accedere non vereatur. *Festo Nativitatis B. V.* §. 2.

DOMIN. XX. POST PENT.

Erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur. Ioan. 4.

Omnes Reges & Regum filii quantumvis potentes hic diurnum, non diuturnum habent Regnum, quia vita nostra velut unius diei est. *Festo Epiphaniæ per totum.*

Incipiebat enim mori.

Ex quo momento homo vivere, eodem mori incipit. Quod si quisque cujuscunque conditionis sibi persuaderet, omnem diem sibi diluxisse supremum, sanctè omnino vitam institueret. Ut luculentis exemplis comprobatur. *ibidem* §. 2. *& Festo Nativitatis* B. *V. sub initium.*

DOMINI. XXI. POST PENT.

Oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia Talenta. Mat. 18.

Omnes sumus debitores, & ad minimum quadrantem omnia debita in rationes divinas relata; sed spongia lachrimarum omnia delentur. *Festo S. Magdalenæ.* §. 1.

DOMIN. XXII. POST PENT.

Filia mea modo defuncta est. Matth. 9.

Modo, dum adhuc calet, illam luci restitui petit. Quam ipse hic curam adhibet, quas hic preces fundit ut quamprimum vita corpori restituatur, majorem nos curam & longe ferventiores preces impendere debemus, ut animæ vita functæ, æternæ luci quam primum restituantur. *V. Commemoratio Fidelium* §. 2.

Non est mortua Puella sed dormit.

Hoc de Deipara, aliisque Sanctis qui amore Dei extincti obdormierunt. *Festo Assumptæ Virg.* §. 2.

Suavissime quis obdormiscit qui moritur super lectulo securæ conscientiæ. *Festo 3. Paschæ* §. 3.

DOMIN. XXIII. POST PENT.

Qui legit, intelligat. Matt. 24.

Quinam sacros codices legendo & intelligendo ad meliorem frugem converti. *Festo S. Ignatii* §. 1.

Ubicumque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ.

Austriaci velut Aquilæ ad SS. Christi Corpus in Eucharistia convolant. *Octava SS. Sacramenti* §. 6. *in fine.*

Stellæ cadent de cælo. Hanc desolationem deplorat Augustinus; dum è Religione viri eruditione & sanctimonia prius insignes decidunt. *Festo S. Matthiæ.* §. 2.

Videbunt filium Hominis venientem in nubibus cœli.

Videbunt peccatores in quem confixerunt, & vulnera quæ infixerunt, ad summum terrorem, & æternam damnationem. *Festo Ascensionis Dom.* §. 2.

Videbunt Iusti eadem in Iudice vulnera, quibus velut per tot ora, eorum causæ patrocinetur. *ibidem.*

INDEX

UTRIUSQUE PARTIS IN QUADRAGESIMAM.

FERIA IV. CINERUM.

Memento homo, *quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3.

Utinam homo indies recogitet se in pulverem reversurum, omnemq; diem sibi diluxisse supremum, quod vel gentilis Seneca monuit, dicens: *Singulos dies, singulas vitas puta.*

Quam sanctè quisque vitam institueret, ut luculentis exemplis comprobatur. *Festo Epiphaniæ per totum.*

Pater tuus qui videt in absconditio, reddet tibi. Mat. 6

Jejunia, eleemosynæ, aliaque bona opera in abscondito facienda. *V. Festo S. Nicolai per totum.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

Quemadmodum multi Reges, & Principes fecere, quorum thesauri ab aliis effossi.

Sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, quos per Cruces, & adversitates coacervare potestis.

Festo Inventionis, S. Crucis per totum & Festo S. Andreæ, per totum.

FERIA V.

Domine, puer meus (id est servus) *jacet in domo paralyticus.* Matt. 8.

Cura famulorum, & ancillarum, dum ægrotant, habenda. Jacet hic servus Centurionis, hominis militaris, non in nosocomio, non sub dio, sed in domo. Ipse Dominus, cum omnia humana tentasset remedia, apud Christum pro eo intercedit. *Festo S. Lucæ.* §. 3.

FERIA VI.

Ego, dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Mat. 5.

Sic S. Ignatius, velut ignis consumens, aliique sancti, igne charitatis omnes sibi illatas injurias consumpserunt. *Festo S. Ignatii* §. 3.

Te autem faciente Eleemosynam, noli tuba canere. Eleemosyna *in abscondito* facienda est, quod pluribus rationibus, & exemplis probatur. *Festo S. Nicolai : per totum.*

SABBATO.

Cum sero esset. Marci 6.

Dum mundus jam quinque millibus annorum, quasi scelerum diluvio obrutus esset, tum venit Iesus instar columbæ, olivam

vam pacis portans. *Festo 3. Paschæ sub initium.*

Erat navis in medio mari.

Omnes ſumus quaſi in navi, in medio hujus mundi mari, in qua etiam comedentes, bibentes, dormientes, velut peregrini, pergimus. *Festo 2. Paſchæ* §. 1.

Videns eos laborantes.

Viri Apoſtolici in aſſiduis laboribus. *V. Festo S. Lucæ* §. 1.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Vt tentaretur à Diabolo Matt. 4.

Nos in palæſtra ſumus, ubi aſſiduo contra tentationes Diaboli, uſque ad ſanguinem, ut innumeræ Virgines fecerunt, depugnandum. *Festo S. Vrſulæ ſub initium,* & §. 2.

Aſſumpſit eum Diabolus.

Unde argumentum contra ſtupidos Hæreticos, qui arguebant, ſi ſacerdos in SS. Sacramento Chriſtum Deum portaret, quod univerſum ſimul orbem geſtaret. *Octava SS. Sacramenti.* §. 3. *pag.* 381.

Angelis ſuis mandavit de te.

Cuſtodia Angelorum tutelarium, ſcutum inexpugnabile eſt. Quod variis SS. Patrum teſtimoniis, & hiſtoriis illuſtratur. *Festo S. Michaelis per totum.*

FERIA II.

Venite Benedicti Patris mei &c. eſurivi enim & dediſtis mihi manducare. Matt. 25.

Hoc audituri, qui eleemoſynis pauperes aluerunt. Idque excellentiori modo præſtitit S. Ioſeph, qui Chriſtum, domeſticum ſuum hoſpitem tot annis aluit. *Festo S. Nicolai.* §. 4. & *Festo S. Ioſephi* §. 2. *pag.* 58.

In carcere eram & veniſtis ad me: quia quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Ubi pietas in animas fidelium, purgatorii carcere detentas, excitanda eſt, ut quantocius eripiantur. *Commemoratio fidelium defunct.* §. 2.

FERIA III.

Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Matt. 21.

Indignum quidem eſt, templum, domum orationis profanari, at longe majus ſacrilegium, templum animæ, *de dedicatione Eccleſiæ.* §. 2.

FERIA IV.

Magiſter volumus à te ſignum videri Matt. 12.

Maximum omnium ſignorum, eſt converſio peccatoris, quæ omnia miracula quantumvis illuſtria excedit. Urgendum ut & hoc ſignum, cum Dei gratia, à nobis perpetretur. *Festo Converſionis S. Pauli* §. 1.

Ecce pluſquam Salomon hic;

Quem ſemel vidiſſe, omnia di-

Amant primos recubitus in cœnis & primas Cathedras in Synagogis.

Atque utinam hæ Cathedræ Pestilentiæ ab Ecclesiasticis quandoque elata ambitione non expeterentur. *Festo Cathedræ S. Petri* §. 2.

Nec vocemini magistri, unus est enim magister vester.

Quam multi se Magistros jactant, dum inanem Doctoratus titulum, non scientia sed pecunia sibi compararunt. *De communi Doctoris Pont.* §. 2.

Qui se humiliaverit, exaltabitur.

Deipara nunquam major, quam dum peccatoris personam, exemplo filii, assumpsit. Nec unquam homo etiam apud homines illustrior, quam in umbra humilitatis, ut in Carolo V. aliisque videre fuit. *Festo Purificationis B. V.* §. 1. & 2.

Deipara supra omnes creaturas exaltata, & in Dei matrem electa, dum se per humilitatem velut exinanivit. *Festo Annunciationis.* §. 1.

S. Ioannes Baptista, quo non surrexit major, tantus per humilitatem evasit *Festo S. Ioan. Bapt.* §. 1.

FERIA IV.

Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.

Hanc sacrilegam lanienam Iudæi, Hæretici, aliique nefarii adhuc exercent; dum Sanctissimum ejus corpus in Sacramento mirabili, diris, blasphemiis, pugionibus configunt. *Octava SS: Sacramenti* §. 5.

Tertia die resurget.

Inter omnia fidei mysteria, Resurrectio multis maxime incredibilis visa est, quando corpora in partes dissecta, ab avibus vorata, in cineres redacta, rediviva resurgent. *Solennitas Resurectionis sub initium.*

Resurget Christus primogenitus mortuorum, uti & omnes sancti, cum 4. dotibus corporis gloriosi. *ibidem per totum.*

Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad sinistram in Regno tuo.

Hic quæritur requies in Cathedra honoris, ubi non reperitur, sed in Passione, in Cathedra Crucis unde petit: *Potestis bibere calicem? Festo Cathedræ S. Petri.* §. 2. & 3.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?

Christus calicem Passionis propinat maximè sibi dilectis, suntq; Cruces & adversitates certissimum amoris Dei testimonium, estque ille Christo Benjamin, apud quem calix, seu scyphus Passionis reperitur. *Festo S. Iacobi minoris* §. 2. & 3. *fuse.*

Quinam tribulationes, adversitates, morbos, Cruces, ab amica Dei manu, ut summa beneficia acceperint? *ibid.* §. 3.

Sede-

Si-

Signum quod omnia miracula excedit, est conversio peccatoris. *Festo Conversionis S. Pauli.* §. 1.

Quærens requiem, & non invenit.

Complures huic inquieto spiritui similes, quærunt requiem in Cathedris honoris, in divitiis &c.. hæc autem solum reperitur in lectulo Crucis, & in secura conscientia. *Festo Cathedræ S. Petri* §. 2. *&* 3. *& Festo* 3. *Paschæ* §. 3.

FERIA II.

Transiens per medium illorum ibat. Luc. 4.

Dotem subtilitatis cum vellet, corpori communicabat, qua & corpora Beatorum aliquando donanda; secus ac corpora damnatorum, quæ fuse habe, *Solennit. Resurrect.* §. 4.

FERIA II.

Cæci sunt, & duces cæcorum. Matt. 15.

Ejusmodi innumeri hodierna die reperiuntur, qui utinam cœcitatem suam agnoscant, & clament: *Domine ut videam*, non aliena, sed mea vitia, in quibus perspiciendis sancti toti Lyncei erant. *Festo S. Joan. Euang. per totum.*

FERIA V.

Continuo surgens, ministrabat illis. Luc. 4.

Sicut Christus corpora subito sanat, nullo languore, aut morbi vestigio relicto, sic & animos dum justificat. *Festo Conversionis S. Pauli* §. 1.

FERIA VI.

Mulier da mihi bibere. Ioan. 4.

Nostis quid Iesus sitiat? sitit lachrimas nostras, sitit salutem nostram, sitit plura pro nobis pati. Hæc sitis ardentissima. *Festo* 3. *Pentecostes.* §. 1.

Mirabantur, quia cum muliere loquebatur.

Et nos non mirabimur eos qui vitæ non modo licentioris, sed prorsus prostitutæ, si cum muliere loquantur, ejusque visitationes sectentur? *Festo Visitationis B. V.* §. 3.

Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris Testimonium perhibentis.

Hæc Samaritana facta Apostola, & crudeli dein pro fide Martyrio, cum suis affecta. De *Communi SS. Martyrum* §. 1.

SABBATHO.

Diluculo venit in templum. Ioan. 6.

Et nos exemplo Christi, ac Deiparæ, diluculo, à prima ætate in templum, ad Deum recurrere debemus. *Festo S. Annæ* §. 2.

Sub auroram. *Festo Nativitatis B. V.* §. 1.

DO-

DOMINICA VI. QUADRAGESIMÆ.

FERIA IV.

FERIA V.

FERIA VI.

Diligebat Iesus Martham & Sororem ejus Mariam Ioan. 11.

Hæ duæ sorores vitam activam & contemplativam referunt, quam ut fuse exponitur *de Communi Confess. per totum.*

SABBATO.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Ioann. 8.

Christus venit in mundum, nobis relinquens exemplum, quo prælucerer, ut sequamur vestigia ejus. Quam pauci Christum sequantur, quam multi carnem, mundum, & diabolum, quinam accipientes Crucem suam, Christum secuti sint. *Festo S. Matthiæ per totum.*

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Io. 8.

Hæc verba securam conscientiam indicant. quæ quale bonum sit vide *Festo 3. Paschæ §. 3.*

Ego non quæro gloriam meam.

In hoc Cristum nos imitari oportet, ne faciamus opera nostra ut videamur ab hominibus, vanam gloriam sectantes, ut omnes illi, qui nomen & famam hic celebrari voluerunt. *Festo Circumcisionis §. 1. Festo S. Nicolai. §. 3.*

FERIA IV.

Facta sunt encænia Ioan. 10.

Id est annua templi dedicatio cui Christus interfuit, quo confutandi Hæretici, qui ceremonias dedicationis rident. Hæc templo spirituali animæ scite à Bernardo accommodantur. *De dedicatione templi per totum.*

Ego dixi; Dii estis.

Qua ratione Sancti, Dii appellentur. *Vide præfat. ad Lectorem.*

FERIA V.

Lachrimis cœpit rigare pedes ejus Luc. 7.

Cœpit, nec unquam destitit, sed tota vita sua flevit, quo docemur etiam peccata remissa fleri posse, ut omnem simul reatum delere, & super nivem dealbari possimus. *Festo S. Magdalenæ §. 1. 2. 3.*

Vade in pace.

Hæc pax quæ oritur à conscientia, jam peccato mundata, exsuperat omnem sensum, ut pluribus ostenditur. *Festo 3. Paschæ §. 3.*

DOMINICA PALMARUM.

Passio Domini nostri Iesu Christi.

Hæc compendio, & quodam excessu divini amoris exprimitur *Festo 2. Pentecostes §. 2. Sic Deus dilexit mundum.*

Et Festo 3. Pentecostes per totum, ubi modus diligendi nos, sine modo fuisse describitur, cumque nos redimere potuisset gutta, fecit undâ.

FE-

FERIA II.

Dixit Iudas Iscariotes: quare hoc unguentum non vænnit trecentis denariis, & datum est egenis? Ioan. 12.

Ita, inquit Abulensis, Hæretici, atque utinam soli, frustraneos sumptus, templorum ornatum jactitant, eosque melius pauperibus impendendos, cum interim filiæ eorum sint circumornatæ, ut similitudo templi, atque ipsi etiam ad sordidos usus, argentea vasa habeant. *Festo S. Silvestri.* §. 2.

FERIA III. IV. & VI.

De Passione Domini vide Dominicam Palmarum.

FERIA V.

Sciens Iesus quia venit hora ejus. Ioan. 13.

In illa ultima hora tam formidanda, tam tremenda, Deipara cultoribus suis adest. *Festo Assumpt. B. V.* §. 3.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.

Non tantum dando omnia sua, sed & se totum, ut fuse probatur. *Festo 2. Pentecostes per totum. & Festo 3. Pentec.*

Et cœna facta.

Hæc vere cœna magna, quæ omnes Regum ac magnatum epulas longe exsuperavit. Octava V. Sacramenti §. 4.

I N-

INDEX

UTRIUSQUE PARTIS CONTRO-versiarum contra Heterodoxos.

I. *De Pontifice ejusque successore.*

Pontifex sedet in Cathedra Petri, quæ est æternæ & primæ veritatis.

Hæreticorum in hanc Cathedram scommata.

Hæc tamen nequidquam frendentibus Ecclesiæ hostibus, ab omnibus Christi fidelibus una & sola Cathedra infallibilis veritatis agnoscitur. ***V. Festo Cathedræ S. Petri*** §.1.

De continua successione Romanorum Pontificum. *ibidem.*

Beza convincitur suo ipse testimonio hanc successionem apud ipsos non reperiri. *ibidem.*

Hæreticos habere Cathedram pestilentiæ.

Nusquam veram vel stabilem ostendere queunt nisi forte in stramine. *Eodem Festo* §.2.

Divina providentia cautum, ut ubi novi Hæresiarchæ in hanc Cathedram insurgunt, novi Ecclesiæ propugnatores exsurgerent, juxta illud Iob 34. *Conteres multos & innumerabiles*, ET STARE *facies alios pro eis.* ***V. Festo S. Matthiæ*** §. 1.

Locus ille Matthæi 18. exponitur: *Necesse est enim ut veniant scandala.* Contra eos qui cum toti carni & sanguini immersi sint, quorundam Ecclesiasticorum vitia, toti Ecclesiæ Romanæ adspergunt, quasi unus Iudas universum Apostolorum Collegium profanasset. ***V. Festo Cathedræ S. Petri*** §. 1. ***& Festo S. Matthiæ.*** §.3.

2. *De venerabili Sacramento.*

In hoc præcellentissimum fidei nostræ Mysterium omnes sectarii debacchantur, hic omnes cum Capharnaitis vociferantur: *Quomodo hic potest nobis suam carnem dare ad manducandum?* Ioan. 6. cui quæstioni multis respondetur. ***V. Octavam SS. Sacramenti.*** §. 2.

Hæc verba Matthæi 26. *hoc est corpus meum*, maxime varie à Sacramentariis, aliisque explicantur. Unius Lutheri triginta sex hic contrariæ opiniones. Universim numerantur ad ducentas Hæreticorum expositiones & depravationes. *ibidem.*

De Transubstantiatione.

Qua ratione panis & vinum in corpus Christi convertatur, & scripturis, & ratione, & Doctorum auctoritate probatur. *ibidem.*

Illustre ad hanc rem miraculum, quod ut suis oculis conspexit *Florimundus Ræmundus*, celeberrimus curiæ Burdegalensis Consiliarius, hæresi ejurata, Catholicam fidem amplexus est. *ibidem.*

De Replicatione ven. Sacramenti,

Nul-

se existimat stare, videat ne cadat expenditur, & alter Apocalyp. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, de quo Heterodoxi minime soliciti, exponitur. *Festo S. Matthiæ* §. 2.

Vniuscujusque opus quale sit ignis probabit. 1. Cor. 3. *Festo S. Laurentii* §. 3.

Alter locus ad Rom. 9. *quædam esse vasa iræ apta in interitum, quædam misericordiæ. Alia in honorem, alia in contumeliam, qua ratione intelligi debeat. Festo Conversionis S. Pauli* §. 1.

5. *De justificatione, & bonis operibus justorum.*

Qua ratione fiat justificatio in peccatore. *Festo Conversionis S. Pauli* §. 1.

Clamat Redemptor noster, ut homines ad bona opera & Crucem secum ferendam invitet: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum; & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me* Luc. 9. Qnis Hæreticorum vel in animum induxit hoc agere?

Hi inimici Crucis Christi, omnes austeritates & Cruces quas Religiosi, aliique avide amore Christi amplectuntur, maxime aversantur: Parum attendentes, viam angustam esse quæ ducit ad vitam. *Festo S. Matthæi* §. 2. & 3.

Scandalum unius membri, non esse toti corpori aspergendum, ut Hæretici faciunt, in Iuda qui ex Collegio Christi excidit, probatur. *Festo S. Matthiæ* §. 3.

De Purgatorio, de Resurrectione mortuorum.

Vide locis propriis.

CENSURA ORDINARII.

CÆLESTE PANTHEON, Christianæ pietatis Emblematibus festa & Gesta Sanctorum totius anni comprehendens, A. R. P. HENRICVS ENGELGRAVE SOCIETATIS IESV Theologus Lectori exhibet; quod cum fidei aut bonis moribus non adversetur, omniaque sana, pia & docta contineat, insuper fidelem animam stylo concionatorio ad cœlum novum invitet, præsentem tractatum typis committi posse concedo. Coloniæ 20. Augusti 1657.

Adrianus de Walenburch Metrop. Ecclesiæ Coloniens. Presbyter Canonicus & Censor Librorum Ordinarius.

PRO-

PROTESTATIO

AUTHORIS.

CUM S.D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martii 1625. Decretum ediderit, idemque confirmarit die 5. Iulii 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum qui sanctitatis seu martyrii famâ celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine cognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata.

Idem autem Sanctissimus die 5. Iunii 1641. ita explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; bene tamen ea quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione quòd nulla eis adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes authorem.

Huic decreto ejusque confirmationi & declarationi, observantiâ ac reverentiâ, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu quidquid in hac tertia Patre Lucis Evangelicæ refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ dumtaxat authoritate, non autem divinæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

FINIS.

LUCIS EUANGELICÆ,

Sub velum Sacrorum

EMBLEMATUM,

RECONDITÆ,

PARS TERTIA.

HOC EST

CÆLESTE PANTHEON

Sive

CÆLUM NOVUM

IN FESTA, ET GESTA SANCTORUM TOTIUS ANNI,

Selectâ Historiâ, & Morali Doctrinâ

Variè Illustratum,

Per R. P. HENRICUM ENGELGRAVE,

Societatis JESU Theologum.

PARS POSTERIOR.

COLONIÆ,

Apud JOANNEM BUSÆUM Bibliopolam.

ANNO CIↃ IↃC LIX.

Cum Privilegio Sac. Cæsareæ Majestatis speciali, & Catholici Regis Hispaniarum.

FESTVM CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Vocatum est NOMEN ejus JESUS. *Lucæ* 2.



Pulchrum properat per vulnera NOMEN. *Virg.* 9. *Æneid.*

ARGUMENTUM.

HOc optatissimo anni exorientis auspicio, nomen illud a *amabile*, nomen *laudabile*, nomen *admirabile*, *nomen super omne*; augustissimum, inquam, JESU Nomen, vobis in Strenam propono, omnium linguis celebrandum, calamis exarandum, cordibus efformandum: Amantum more

a *Philipp.* 2.

& amore, qui ut ſuorum, quos ardent, nomina cortici; haud ſecus meliori flammâ incenſi, JESUM corpori, JESUM cordi inſculpſêre. Vbi quàm maximè ridenda, vel potiùs deflenda ſeſe cumprimis objicit, mortalium cæcitas: qui omne ingenium, ſtudium, ſolertiam contulere, ut inane nomen ſuum poſteris commendarent; quod vel chartis, & codicibus inſcriptum, flamma abſumpſit: aut marmori inciſum, vetuſtas abolevit: aut ipſis ſuperbis ſubſtructionibus, & Mauſolæis inſculptum, invidia obfuſcavit; livor ſubvertit. Atque hi omnes *a qui vocaverunt* NOMINA *in terris ſuis*, non ſecus ac Babylonii, qui dixerunt: *b faciamus nobis civitatem, & turrim, & celebremus* NOMEN NOSTRUM, turpiter decepti ſunt. At qua ratione quis veram nominis ſui immortalitatem conſequi queat, hodierna luce vobis comprobabo.

a *Pſal.*48. b *Gen.* 11.

§. I. *Majori cura & labore adnitendum, ut SS. Nomen Domini celebretur, quàm cæci mortales ſtudeant, ut inane ſuum nomen amplificent.*

§. II. *Exemplo* JESU, *qui verè* JESUS *& ſalvator fuit, nomina noſtra præclaris factis, & heroicis virtutibus comprobanda, ut ſecundum* NOMEN, *ſic & laus.* Pſal.47.

§. III. *Extremo ſpiritu, SS. Nomen* JESU *ingeminare.*

FE-

FESTUM CIRCUMCISIONIS DOMINI

Vocatum est nomen eius JESUS. Lucæ 2.

DIVINUS ille Plato, Philosophorum omnium celeberrimus, hanc verissimamquondam protulit *a* sententiam: *Industria humana semper enituit, ut* NOMEN *suum dilataret.* Mortalium studium in eo maximè desudavit, ut nomen suum immortalitati commendarent : ad hoc omnes corporis Vires, omnes ingenij nervos, omnes fortunas contulerunt, ut. b

——— famâ super æthera noti,
Æterumque foret per sæcula nomen.

Ac primùm quidem Hannon ; Carthaginiensium gubernator, ut *c* Viros *inter* NOMINATOS *ac famosos* censeri; quin imò, per orbem universum velut Deus alter, aut Numen aliquod decantari, ac celebrari posset, consilium cepit plenum vanitatis, & arrogantiæ. *d* Aves vocales garrire suetas, ut sunt picæ, monedulæ, psittaci, aliæque consimiles ; undique conquiri, & voce humanâ hæc pauca verba edoceri jussit: *ἄννων Θεός ἐστι*, *Hannon est Deus*, in animum inducens suum, mox ut hæ volucres libertati restituerentur, ubique gentium Epiphonema illud decantaturas, sibique tacitus applaudebat illud Poëtæ: e

Iam canitur toto NOMEN *in orbe meum,*

Sed quàm turpiter spe suâ elusus, eventus docuit : nam aves illæ tanto molimine, tanto tempore instructæ, vix ad suas sorores, in silvas redierant, vox sua quamque sonat, rursus more, ac ore suo obstrepebant, Hannonis oblitæ.

Plus fortasse quibusdam *a* probabitur solers, & ingeniosum Metelli commentum, qui ne morte Cæciliæ Metellæ, nobilissimæ Matronæ, nomen quoque interiret; sed *post fata superstes*, in auribus omnium resonaret, in animis viveret, propter viamAppiam in funereCæciliæ, turrim rotundam è Pario marmore eo artificio exædificavit, ut si quis hunc versum: CÆCILIA! b

Semper honos, NOMENQUE *tuum, laudesque manebunt,*

Pronuntiaret;Echo admiranda,eundem redderet integrum, & articulatim octies ut minimùm resonaret : *Semper honos*, NOMENQUE *tuum*, &c. Nusquam gentium eiusmodi Echo octophona exauditur; eo fine, mirâ industriâ,ac magno impendio constructa,ut Matronæ hujus inane nomen, in cælum extolleret, ac divulgaret.Verumenim vero non expenderat,voces illas in auram evanescere, eaque silente conticescere, atque omnem memoriam Metellæ,cum sonitu perire. Quemadmodum & hac nostra tempesta-

 te

a lib.4.de legib. b 6. Æneid. c Baruch.3. d Ælian.l.4.var.hist.e Ovid.l.2.Fast.

a Boterus de origine vrbium l.n.c.6 b Virg. Eclog.5.

te fieri videmus, ab ijs, qui nominis celebritatem, aut ab argutis Oratorum, Poëtarumque vocibus; aut à festivo Tormentorum boatu; aut etiam jam efferendi, à funebri Campanarum sono, studiosè aucupari consueverunt, ignari; quia a *perit memoria eorum cum sonitu.* Scopum suum attigisse videntur, qui ingenij sui monumenta prælo, & nomina typis mandârunt: nam, ut ille cecinit; *b*

Longum Scriptor porogat ævum.
Sic honor, & NOMEN divinus vatibus, atque
Carminibus venit; ut ille vanè, & insanè gloriatur: *c*
Victura meo mandantur NOMINA chartis.

Pulchrum enim verò ad nominis claritatem inventum, nisi flamma famam aboleret, & luce Vulcani, quàm propriâ laude non ignobiles Scriptores, illustriores forent. Aristarchus ad mille Commentarios conscripsit, quorum *ne linea ducta superstes.* Chrysippus *d* septingenta, lucubrando volumina, oleum perdidit: omnia quippe flamma absumpsit. Dionysius Grammaticus fertur tria millia, quingentos libros composuisse; quorum ne pagina reperitur. Trismegistus supra 36525. libros propria manu exaravit; è quibus ne litera, aut apex ad posteros pervenit. sed parùm hoc; ingentes quam maximè bibliothecas luculenta incendia depopulata sunt: ut non injuria illud Poëtæ queri posses. *e*
Exitus est studij parva favilla mei.

f Ptolomæus Philadelphus, Rex Ægypti, Bibliothecam sumptu planè regio Alexandriæ instruxit, cui præfecit virum scriptis, & factis illustrem, Demetrium Phalereum, Athenis exulem, qui, teste Cedreno, *g libros sacros, Chaldaicos, Ægyptios, & Romanos, aliosque diversa lingua in Græcam omnes converti curavit, in universum, ad centum millia voluminum*; cumque Regis aures fama tetigisset Hebrææ sapientiæ, sacrasque paginas ab orbe condito, non alio quàm Hebræo idiomate prostare; misit qui Hebræa biblia conquirerent, & idoneos homines simul conduxit septuaginta numero, qui in Græcam linguam verterent; quod ut quàm fidelissimè fieret, omnes distinctis cellulis, à se ipsis divisit, & hinc illa ab Ecclesia recepta, 70. interpretum versio. nunc amplitudinem Bibliothecæ huius Alexandrinæ attendite.

Tradit Josephus, *h Demetrium aliquando à Philadelpho interrogatum, quot millia librorum jam haberet, respondisse, ducenta millia, sed sperare brevi, ad quingenta.* Vides quàm auxerit: sed quantò magis posteà, atque etiam alii Reges? profectò ad *septingenta millia* venerunt, Agellio, & ipso Ammiano testibus.

Egregium hoc, quin imò maximè regium *opus*, *i* Iustus Lipsius suspicens, ait: Reges & Dynastas immensam hanc librorum copiam sibi comparâsse, *non in usum solum*

a *Psal.* 9. *v.* 8. b *Horat. de Arte.* c *Tibull.* d *Nierenb. different æterni & temp. pag.* 153. e *Ovid. lib.* 5. *Trist.*

f *Lipsius de bibliothecis c.* 2. g *Cedren. l.* 22. h *Ioseph. l.* 12. *antiq c.* 11. *Euseb. de præparat. l.* 8. i *Lipsius de bibliothec. c.* 1. *Lipsius c.* 2.

solùm, sed ambitionem, aut splendorem NOMINIS. Sed quàm fine suo frustrati sint, eorum flamma, & cinis comprobavit, unde exclamat: *Voluminum septingenta millia? O Thesaurum! sed in re æterna, non æternum!* nam totum hoc, a quidquid fuit librorum, bello Alexandrino, cum sub Cæsare urbs diripitur, conflagravit. En quò b *pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum*; nil nisi bustum, & acerba cinis.

Huic c accenseri potest bibliotheca Constantiniana, in qua centum viginti millia librorum recondita, inter ea Draconis intestinum, centum viginti pedes longum, cui aureis literis Homeri Ilias atque Odyssea fuerint inscripta; atque hæc universa igne depopulante in cineres redacta sunt. Libet hic exclamare:

O curas hominum! quantum est in rebus inane!

§. I.

Majori curâ & labore connitendum, ut SS. Nomen Domini celebretur, quàm cæci mortales studeant, ut inane suum nomen amplificent.

AVdistis quanto conatu, industria, solertia, quibus studiis, laboribus, lucubrationibus, quàm immensis sumptibus, fortunis, impensis mortales, & frustra quidem, desudarunt, vt vanam NOMINIS *umbram* sibi compararent. d Vnum vos hoc auspicatissimo anni exorientis die precor, ut quantum hi perituræ famæ, & vanissimi nominis sectatores, tantum vos studii, operæ, ac industriæ conferatis, ut Nomen *Admirabile*, e nomen *amabile*, nomen *laudabile*, nomen SUPER OMNE NOMEN, augustissimum, inquam, illud IESU nomen, omni veneratione celebrare, per omnium ora resonare, in omnium corda dilatare studeatis. Hoc nomen IESU, infantes vestros ante Alpha & Beta, longè utiliùs, & argutiùs, quàm psittacos Hannonis nomen, pronuntiare docere. Frater ille Seraphici Ordinis B. Felix, Religiosus Doctor, Romæ, per decem & quatuor annos, stipem ostiatim emendicans, parvulos obvios coëgit, nomenque IESU invocare ac inclamare, instituit.

Hoc cum lacte parvulis vestris instillate, ut piissima Mater Monica, lactanti Augustino: quod quantum illi profuerit, ipse profitetur dicens, se lectitando Tullium, ad amorem Philosophiæ vehementer inflammatum: f *Excitabar*, inquit, *sermone illo, & accendebar, & ardebam, & hoc solum me in tantâ flagrantiâ refrigerabat, quod nomen Christi non erat ibi, hoc nomen Salvatoris mei*, (id est IESU) *filii tui, in ipso adhuc lacte Matris, tenerum cor meum pie biberat, & altè retinebat: & quidquid sine hoc* NOMINE *fuisset, quamvis litteratum & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* Vbi & illud obiter inculcandum, quod piis etiam Matronis familiare novi, ut gravidæ, SS. IESU nomen sæpius ingeminent, & fœtui suo,

 vel

a *Ammian l.* 22. b *Seneca de tranquil. c.* 9. c *Lipsius cit. c.* 3 *Cedren. Zonoras.* d *Bern. ser.* 1. *de Circumc.* e *Iudicum* 9. *Psal.* 112 *Phil. ep.* 2. v. 9. f *August. l.* 3 *Confess. c.* 4.

vel in utero imprimi exoptent. Id nemini peregrinum videbitur, si attenderit quod Stengelius noster commemorat: puerum fuisse nuper, nobili sanè prosapia oriundum, nominis autem, ac familiæ sibi notissimæ, qui Bruntruti literis operam navavit, omnibusque spectandum dedit sæpius, ex utero secum natum paternum nomen post aurem expressum: quod acceperat hoc modo. Mater illius ante conjugium, ita sponsa sponsum efflictim amabat, ut quidquid manu arriperet, in eo statim sponsi nomen inscriberet. Prægnans posteà, fortè territa, aurem fricuit; quo contactu id nomen, quod animo intuebatur, fœtui eleganter impressit.

Hoc tutissimum contra omnia pericula munimentum, ut vel in puero Ethnico (quod litteræ Indicæ referunt) manifestum est. In flumen is fortè inciderat, jamque totus hauriebatur, dum à ripa Lusitanus Christianus sic ad illum: O puer, inquit, invoca IESU nomen. Parvulus ille IESUM inclamavit, & ecce illi aquæ, ad instar solidi marmoris: per illas inambulat, & littori redditur. Hoc nomine liberi vestri, ab omni discrimine liberi, contra omnes casus tuti, ac muniti sunt. Hoc nomen frontibus eorum, digitis vestris inscribite, ut parvulus JESUS Edmundum parvulum cœlestis Magister edocuit, dum illi se stitit, venerandum nomen fronti aureis litteris inscriptum ostentans: illudque illi documentum reliquit, hoc nomen fronti suo digito inscribat. Longè argutiùs omnium vestrum ora, ubi manè experrecti, & sub noctem cubitum concessuri, nomen JESU, quàm Echo illa octophona nomen Metellæ, resonabunt. Non è concavis saxis, sed è foraminibus petræ, è sacratissimis JESU vulneribus cælestis tibi Echo respondebit, si quoties in cubili tuo illum intuitus, pio corde & ore exclamaveris: *Iesu! esto mihi Iesus!*

> *O Amor! ô* IESU! *quoties clamatur, amatur;*
> *Hic mea morte suâ, crimina demit? emit.*
> *O Amor! ô* JESU! *tecum volo vivere: verè.*
> JESUS *amor nunquam corde recedat, edat.*

Illum quoties respiratis, ejus nominis gloriam, non vestram sectamini. Sensit hoc, & censuit, proximum cælo caput, Gregorius XIII. de quo ita Lorinus, *a* oculatus testis. Memini anno 1584. audire me optimi, maximi, optimeque & maximè tum de Ecclesia universa, tum de Societate nostra meriti, Gregorii XIII summi Pontificis, postquam in aula scholarum, quas non magis nobis, quàm urbi & orbi, publicæque omnium utilitati, verè Pontificiâ magnificentiâ construxerat, ab Oratore nostro Stephano Tuccio, & festivo omnium applaudentium sono exceptus est, has collachrymantis pias & modestas, raucas licèt, ac exiles ex Christiano & magnanimo profectò corde voces: *b Non nobis, Domine, non nobis, sed* NOMINI *tuo da gloriam.* Sectentur alii denique è scriptis suis, è combustili charta, ex incendiaria papyro gloriam in fumos abituram; nos immortalem illam in eo conse-

qui

a *Lorin. in Psal.* 113. *v.* 9.
b *Psal.* 113.

quiſtudeamus, ut cum e Auguſtino nullus nobis codex placeat, nullus liber volvatur, ubi hoc *nomen Salvatoris* non reperiatur. *& quidquid ſine hoc* NOMINE, *quantumvis literatum, & expolitum*, non te rapiat. Nullus itaque vobis liber teratur, nulla pagina volvatur, nulla charta ſcribatur, ubi IESUS non legatur. Doctor gentium, qui d magnum, & *memorabile* NOMEN ad omnes gentes evolare fecit, nullam propè paginam conſcripſit, quæ non *Ieſu* nomine inſignita ſit, cùm juſto calculo ducenties, decies novies, NOMEN JESU; Chriſti verò, quadringenties, & ſemel expreſſerit, memor illius de ſe dicti Actorum 9. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet* NOMEN *meum coram gentibus, & filiis Iſrael.* Unde Hieronymus: e *hoc patiebatur Paulus de nimio amore Chriſti, ut eum ſemper quem diligebat, etiam ſuperfluè, & extraordinariè* NOMINARET. Expreſſiùs Doctor Angelicus, apud quem Paulus tanto in pretio fuit, ut ſociis aliquando laudantibus, & oſtendentibus amplitudinem f urbis Pariſienſis, ejuſque palatia omnemque opulentiam, animi ſui ſenſum candidè expoſuerit: pluris ſe ſcripta Chryſoſtomi, quàm univerſam Lutetiam Pariſiorum, cum omni divitiarum affluentiâ, facere. Hic, inquam, qui Paulum Doctorem habuit, ſic in laudes ejus excurrit: g *Portavit in corde*, (nomen IESU) ſemper de eo cogitando: *in fronte* de eo gloriando: *in ore*; ſemper de eo loquendo: *in manu*, omnia in nomine ejus faciendo: *in calamo*, de eo ſcribendo: *in toto corpore*, pro eo patiendo; & *inde ſaliit in os*, in ipſam morientis linguarum: reſectum etenim à cervice corpus, ingenti miraculo *Ieſu, Ieſu, Ieſu* ſonabat, & tribus ſe ſaltibus, vi quadam ſpiritus librans, tres ibi fontes, dum lac pro ſanguine dedit, excitavit. B. Ioannem verò, qui Jeſum totum ſuxerat, ducenties & quinquagies, ſanctiſſimum hoc *Ieſu* nomen, ſcriptorum foliis expreſſum reliquiſſe comperimus. Conſimile quid in Sancto Ioanne Columbino obſervare eſt, qui Ordinem Ieſuitarum inſtituit, in cujus paucis epiſtolis quæ extant, millies & quingenties ſacrum Ieſu nomen legitur exaratum. Quod ut & nos aliquâ ratione æmulemur, ſuaviſſimum mellei Doctoris monitum ſequamur qui hoc ſapuit: h *Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum. ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi* IESUS. Nec ſcriptis dumtaxat, ſed ut magnates omni ſupellectili ſuæ gentilitias teſſeras, ita omnibus verbis, actibus, cogitatis, venerandum illud nomen præfigendum commendat, dicens; Tam ſingularis eſt reverentiæ nomen Ieſu, ut ab ejus venerabili laude nullus excipiatur ſtatus, nullus excludatur locus, nullum præſcribatur tempus, nullum removendum ſit opus.

1. Nullus excipitur ſtatus, ut Propheta teſtatur: i Reges terræ, &

c *Aug. l. 2 Confeſſ. c.* 4. d *Virg. l.* 2. *Aeneid.* e *Hieron. in Epiſt. ad Epheſ.* 3. f *Breviar. Ord. Prædic. lect.* 7. *Officii de S. Thoma Cauſin. parallela eloq. l.* 3. *c.* 12.
g *S. Thom. ſerm.* 1. *in Cõverſ. S. Paul.*
h *Bernh. Ser.* 15. *in. Cant. Pſal.* 148. i *Pſal.* 47. *Pſal.* 112.

& omnes populi, principes, & judices terræ, juvenes & virgines, senes cum junioribus *a laudent* NOMEN DOMINI: *quia exaltatum est* NOMEN *eius solius*, cui omne genu flectitur, *cælestium, terrestrium, & infernorum.*

2. Ab eius laude nullus excluditur locus. etenim gloriosi nominis præco Apostolus illud per orbem universum diffudit. Vnde Psaltes regius: *b Secundum* NOMEN *tuum, sic & laus tua in omnes fines terræ.* & ne credas fortè orbis angulum exclusum, addit: *c A Solis ortu usque ad occasum* LAVDABILE NOMEN DOMINI.

3. Nullum tempus præscribitur: quia *nomen eius benedictum ex hoc nunc, & usque in sæculum*; ut hic illud celebrare non pigeat, quod omni æternitate laudare delectat.

4. Nullius opus, hoc illustri titulo destituatur, monente Apostolo ad Coloss. 3. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in* NOMINE DOMINI IESU *Christi.* Optimus enim hic ordo est, ut omnis vel verbi, vel operis, à nomine Iesu, nobis origo, & initium sumatur, ac in Iesum consummatio referatur. Quare si cubitum concedis, si strato assurgis, si cibum vel potum sumere incipis, aut si scribis, vel legis, seu aliud aliquid opereris, hoc nomen Iesu *reverentialiter* interponas.

Aliò Darius Imp. ingenij sui perspicacitate, ut nominis immortalitatem consequeretur, collimavit, qui argenteis aureisque nummis, imaginem suam, subjecto nomine excudi fecit; ut hisce veluti pretiosis, & canoris tubis, nominis famam per omnes regiones, ac regna divulgaret: dum tandem deprehendit nummos cum effigie, ac nomine suo, crumenis abdi, cistis concludi, & nec lucem posse conspicari. Aliud à vobis cælestis Sponsus postulat, qui illud sculpi vult d *ut signaculum super cor, & super brachium.*

Quærit Theodoretus, ut quid dulcissimo Sponso non sufficit cordi incisum esse, sed & brachio? *Vult*, inquit, *Salvator noster, ut eum pro signaculo in actibus habeamus, & notam ipsius in omnibus tam dictis, quàm factis imprimamus.* Iesum cor cogitet, Iesum os proferat, Iesum oculi legant, manus scribant, mores referant; quidquid agam, Iesu auspice agam. Vigilabo? in oculis Iesus erit: dormiam? Iesum somniabo, ambulabo? comes Iesus ibit. Sedebo? latus claudet Iesus. Studebo? Iesus erudiet. Scribam? calamum cum manu Iesus ducet, & Iesus Iesum scribet. Orabo? verba Iesus formabit, animabit Iesus. fessus ero? recreabit Iesus. Esuriam? sitiam? Iesus pascet, Iesus potabit. in tenebris ero? lux est nomen Iesu. Vnde Bernardus: e *Nec tantum lux est nomen Iesu, sed & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, castus fovet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale*

a *Psal.* 148. b *Psal.* 47. c *Psal.* 112.

d *Cant.* 8. v. 6. e *Ber. Ser.* 15. *Cant.*

[illegible] Ægroto mihi [illegible] [illegible] erit medicus Iesus. Mo[illegible] [illegible] meo. Iesus oculos claudet. Iesu sinus, mihi tumulus; tumuli inscriptio, Iesu nomen erit. Si veteres, filij hujus sæculi, a *vocaverunt* NOMINA *in terris* suis; quin & nos nomen Domini extollamus in cælis. Suntqui perennem nominis gloriam in excelsis palatiis, amplis atriis, marmoreis substructionibus collocârunt, quorum summum studium, à saxis, & lapidibus, nominis immortalitatem emendicare; in quos stylum acuit Magnus Basilius: b *Nonne vides eos, qui fora, & gymnasia in civitatibus ædificarunt, muros excitarunt, aquaductus adornarunt, quo pacto eorum* NOMINA, *hisce sint indita ædificiis terrenis? commenti modum, quo in longum vitæ tempus*, SUI MEMORIAM NOMINIS *prorogarent*. Hinc passim uncialibus literis, in publicis curijs, thermis, pilis, portis, porticibus, obeliscis, statuis, exarata sunt Præfecti operis, Senatoris, Consulis, Prætoris nomina: tali anno, Consule tali, hæc moles posita est. Atque utinam in hoc genere, quodam veluti rudimento delirij, non plures teneantur! quos non injuria cavillus ille perstingeret, quem in Trajanum, qui omnibus operibus suis, tam novis, quàm innovatis, suum nomen inscripserat, Constantinus Magnus apud Aurelium Victorem conjecit, ut *quasi parietariæ herbæ* exstantes, muris omnibus adhærescant. Cui non absimilem, Lampadium quendam prætorianum præfectum, explodit Ammianus Marcellinus: *Homo*, inquit, *erat indignanter admodum sustinens, si etiam cum spueret, non laudaretur*; & addit. *Vanitatis ejus exemplum, ne latius evagemur hoc unum sufficiet poni, leve quidem, cavendum tamen. per omnia enim civitatis membra quæ diversorum Principum exornarent impensæ*, NOMEN PROPRIUM *inscribebat, non ut veterum instaurator, sed ut conditor, quo vitio laborasse dicitur Trajanus, unde eum herbam parietinam jocando cognominarunt*. Ubi, ut videtis, vel ipsi gentiles, hanc vanitatem cavendam, vitio vertendam, ludibrio ac dedecori habendam, manifestò declararunt. Quo ex capite Christianos plerosque exagitat in hunc modum Chrysostomus: c *Vocaverunt nomina sua in terris suis: ecce aliud genus amentiæ; ædificiis, agris, & balneis sua* NOMINA *inscribere, & putare magnam se consolationem ex eo accipere, & umbram* (ut canis Æsopicus) *pro rei veritate persequi*. Aliam profectò, eámque verissimam ad nominis immortalitatem viam assignat: *Si enim perpetuam memoriam desideras, ne* NOMEN, *ô homo ædificiis inscribas; sed trophæa recti factorum erigas, quæ & in præsenti vita* NOMEN *tibi conservant, & in futura vita immortalem tibi requiem comparant. Si sis memoriæ cupidus, ego te docebo viam veram & apertissimam: Virtutis curam gere, nihil enim facit* NOMEN *adeo immortale, ut natura Virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum reliquiæ, ostendit memoria eorum, qui recte & ex virtute vixerunt. Quot Reges voles* [illegible]

a *Psal.* 48. b *Basil. in Psal.* 48. c *Chrysost. in Psal.* 48.

*xerunt, portas extruxerunt, & N*OMINIBUS *suis inscriptis decesserunt? nec eis tamen quidquam profuit; sed silentio, & oblivioni mandati sunt. Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosecutus, & civitatem maximè regiam occupavit, etiam post mortem splendet Sole clarius, & ab ortu Solis, usque ad occasum*, LAUDABILE NOMEN *ejus. Quod tu autem facis, est ridiculum, & plenum ignominiâ.* Sed parum hoc, publicis illis substructionibus, magnificis operibus, Consulum nomina inscribi; cùm hujus gloriolæ partem vel maximam, civium frequentia, atque ipsa Respublica, cujus vectigalibus, ac publico ærario erecta sunt, jure sibi vindicare censeatur. At illorum nomina, æternâ oblivione obliteranda, qui excelsas moles, amplissimas ædes, marmorea atria, vasta prædia, latos fundos, amœnissimas villas suburbanas sibi construunt; atque iis insignia præfigentes, viri opulenti, ac potentis, sibi nomen comparant; cùm interim non advertunt, nec attendunt, quot plaustra injuriosorum nominum, cognominum, calumniarum à transeuntibus, illis ingerantur. Eccum a *illa domus istius avari, istius raptoris viduarum, & orphanorum spoliatoris. Hæc enim monumenta,* inquit Chrysostomus, *non te clarum reddent; sed ora omnium aperient. Ædificia enim non sinunt tuam avaritiam, quæ oblivioni tradi poterat, temporis excursu extingui, & stant veluti columnæ, & trophæa erecta avaritiæ.* Hi ære alieno, pauperum sanguine, tot viduarum ac pupillorum substantiâ, altissimas tectorum moles educunt, nec tam in ædes, quàm in cœlum ituri videntur. Quid quòd in iis alter ab altero, non pariete, sed integrâ contignatione dividitur, & cubicula cùm vix unam plures occupent, uni tamen plura præscribunt, totidémque veluti oppida intra domos excitant; cùm tamen non ideò lætiùs, quia latius, vivere contingat. Ipsa cubicula in prospectu disponunt, ut ad nutum oculorum atque intuitum, omnia simul præsto sint; unoque veluti aditu, remotissimum in recessum, acies intuentium ducitur. Nempe, ut Dominus remotis velis, procul appareat, velut in sacrario Numen; aut certè adeuntibus, tanquam ex alio terrarum orbe sensim accedere videatur; cùm interim æternum sibi apud Deum & homines nomen compararent, si debita lanionum suorum, pistorum, sartorum, sutorum, fabrorum, aliorum opificum, in multos annos dilata, extinguerent; si egenis se munificentiâ Deos exhiberent; si nosocomia, hospitalia, ædiculas sacras, & aras, in pios usus erigerent. Atque utinam ex voto S. Vincentii, b dives ille in partibus Mosellanis, qui hic ad centum domos numerabat in terris, vel unam cellulam sibi ædificâsset in cœlis! Enimverò illud vel maximè execrandum, ut nomen sit post fata superstes, qui vitam planè vilem duxêre, literis aureis sua nomina sepulchris inscribere non erubescunt.

a *Chrysost. hom.* 30. *in Gen. c.* 9. 11.

b *S. Vincent. die Lunæ post Dom. Lætare.*

ſcunt. *Quin & in ſepulchris inſcripſerunt ſua ipſorum* NOMINA, inquit Baſilius, a *ad propria oſtentationem magnificentiæ. Hi ſunt qui terrena, præſentiſque gloriam temporis ſapiunt, ac per hominum ora volitare tantùm ſtudent, atque iſta ſatis eſſe ad felicitatem putant*; cùm interim eorum nomina, tranſeuntium calcibus obterantur, aut pulvere inducantur. Hujus tam inſanæ ſuperbiæ Auctores, & incentores exſtitêre Babylonii.

Gen. XI. *Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, &* CELEBREMUS NOMEN NOSTRUM.

D. Hieronymus in illud Iſaiæ: *Perdam Babylonis* NOMEN, ſtupendam illam turris Babylonicæ molem, ait ex oculatis teſtibus, qui illam propriis oculis curioſè ſpectârant, in altitudinem ad quatuor millia paſſuum, ſeu tria milliaria noſtratia exſtructam fuiſſe. *Turris*, inquit, b *illa, quæ ædificata eſt poſt diluvium, quam in altitudine, quatuor millia dicunt tenere paſſuum, paulatim ex lato in anguſtias coarctata, ut pondus imminens, faciliùs à latioribus ſuſtentetur. deſcribunt ibi templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus, auroque fulgentes, & multa alia, quæ penè incredibilia videntur.* At quorſum hæc tam ingens, tam inſolens, tam immanis in cœlos educta fabrica?

Pererius c varias è varijs auctoribus cauſas excogitatas eſſe aſſerit, genuinam ipſe ſacer textus adducit: *Venite, faciamus nobis civitatem, &* TURRIM, *& celebremus* NOMEN NOSTRUM; ut aliquo mirabili facinore, & memorabili monumento, CELEBRITATEM NOMINIS, *& famæ*, apud poſteros acquirerent. jamque ut moles lateritia cœpit in immenſam conſurgere altitudinem, nemo ferè (ſi Philoni d credimus) operarius erat, qui non lapicida fieret, *ſuumque nomen* ſaxo inſculperet. Atque horum primò exemplo apparuit, quàm naturalis, quàm vehemens, quàm in animis omnium mortalium infixus amor, & cura poſteritatis, ut ſui memoriam, & nomen cum laude poſteritati commendent. verùm in eo plerique decipimur graviterque peccamus, quòd cùm avidiſſimi ſimus laudis, & gloriæ, eas res ferè adamamus, & conſectamur, quibus inſigne decus, atque infamia eſt adjuncta; vel certè non ſolida nec vera, ſempérque manſura; ſed fucata tantùm, & adumbrata, ut ſummùm, e *magni nominis umbra* acquiritur. Audiamus Chryſoſtomum, f ut alia, ſic etiam hoc disertè tractantem: nam cùm exponeret illa verba, *Faciamus nobis* NOMEN; *Vide*, inquit, *radicem mali, tale opus faciamus, ut nunquam oblivioni tradatur. ſunt multi etiam hodie, qui illos imitantur, & talibus operibus celebrari volunt. Alii ſplendidas domos ædificant, balnea, porticus, ambulationes: quorum ſi quem rogaveris, quare tantoperè laboret, tantoſque ſumptus faciat? non aliud reſpondebit, quàm ut immortalem ſui memoriam, celebritatemque* NOMINIS *relinquat.* interim non.

a *Baſil. in Pſal. 48.* b *Hier. l. 5. Comm. in Iſaiam, c.* 14. c *Perer. in Gen. l.* 16. *c.* 11. *v.* 4. *n.* 54. d *Philo l.* 6. *antiq.* [illegible] *cit.* e *Bernar. Ser.* 1 *de* [illegible] f *Chryſoſt. hom.* 30. *in Gen.*

non est qui recogitet, domos hîc nos luteas ædificare, quæ unà cum Dominis in cineres redigendæ sunt. *a*

Miramur periisse homines? monumenta fatiscunt:
Mors etiam saxis, nominibusque venit.
Steden en rycken,
Hebben hun lijcken.

Stultorum nomen cineri inscribitur, quod vento & aurâ popularis oblivionis difflatur. Certissimam ad immortalitatem nominis viam, Antiochenus Præsul assignat. *Si æternam igitur memoriam amas, liberalitatem tuam, & pecuniarum largitionem in pauperes confer, relictis villis, balneis, aliisque ædificijs, larga eleemosyna immortalem viri memoriam reddit: sicut scriptum est; Dispersit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Vno die dispersit divitias; sed justitia ejus, id est, liberalitatis & misericordiæ æternùm mansura est memoria. Et rursus scriptum est: In memoria æterna erit justus; ab auditione mala non timebit. Rectè ab auditione mala non timebit: nam sicut improbi male audiunt apud homines, omniumque vituperatione, & detestatione lacerantur, sic contrà, boni omnium prædicatione, celebrantur. O hominem, inquiunt, misericordem! ô benignum! ô mansuetum! ô dignum immortalitate!* Vltima demum amplificandi nominis ratio, quam vesani mortales excogitârunt, fuit, ea *inscribere arboribus*; b

Vt quantùm trunci, tantùm sua nomina crescant.

Quem modum ingeniosus Amor adinvenit, ut amantum nomina, cum ipso cortice arborum sensim crescerent, seque dilatando,

--- c *Crescunt illæ, crescetis amores.*

Hanc profectò methodum, ad amantissimum Iesu nomen dilatandum, hujus unius amantes, eminentiori quadam ratione sectati sunt, dum non cortici, sed corpori, non trunco, sed carni, & cordi suo insculpserunt. Talis *d* exstitit ardentissimus ille Iesu amator, cui illud unicum in votis, ut Iesus in corde suo radices ageret, omniumque animis inscriptus legeretur, quin & ipsis inanimatis plantis, si quam inambulando arborem conspexisset, scalpello NOMEN INDELEBILE JESU scite incidebat;

Vt quantum trunci, tantum tua nomina crescant.

Plinius refert compertum fuisse, *e* qui singulari artificio, nomen, & insignia sua, seu gentilitiam tesseram, radici arboris eo artificio insculpserit, ut folia enata, nomen cum insignibus distinctè referrent. Quod naturæ prodigium, percuperet Bernardus, ut quisque nostrum in se exprimeret, Iesum radici cordis inscribendo, ut inde in linguas seu folia prodiret. *f Veniat, inquit, in cor Iesus, & inde saliat in os, in linguam.*

g B. Henricus Suso, Iesu nomen non arbori, sed pectori insculpsit, ingeniosus cælator. Digitales erant literæ, quæque ad cordis motum, & ipsæ movebantur, & Iesum suspirare

a *Auson.* b *Virg. Ecl.* 10.

c *Virg. cit.* d *Teyligen Paradis. lib.* 1.7 e *Camus conc.* 2. *in Circum.* f *Bernar. Ser.* 15. *in Cant.* g *Fasti Mariani* 25. *Ian.*

re faciebant: atque ipsi vivæ carni meliùs, quàm viridi trunco accrescebant. Subinde inter dolorem deficientem, è cælo lapsum *nomen Iesu*, auro, gemmisque rutilans recreavit. In corde B. Catharinæ Raconisiæ hæc argenteis literis inscripta erant: IESUS *spes mea*; quas dein in aureas divinus procus convertit: unde ex plenitudine cordis lingua, nil nisi Iesum resonabat. Vnus instar omnium, gentium Doctor, qui, ut supra diximus, a *magnum & MEMORABILE NOMEN* IESU portavit, & inde saliit in os, & in singula chartæ folia; quæ exaravit; uti & de S. Ioanne Evangelista, & Columbino diximus, qui Iesum quem cordi impressum gestabant, singulis scriptorum foliis expressum reliquerunt.

Alterum est, quòd Salvator noster, Nomen illud incisione, vulnere, & sanguine acquisivit. Vnde Bernardus: b *Merito sane dum circumciditur puer, Salvator vocatur; quod videlicet ex hoc jam cœperit operari salutem nostram immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Sed ô mi Iesu! Amor mi! si vitæ tuæ aurora tam multo cruore jam rubet, quàm largos sanguinis imbres in sero vitæ vespere prænuntias, ut te Salvatorem comprobes! Tanti stetit filio Dei, nomen bonum, & pretiosum, ut dolore illud summo, & pretio sanguinis, sibi comparârit, cujus vel stillâ, mille mundi redempti, illum nomine Iesu, & Salvatoris insignire potuissent. Vbi illa quæstio ventilatur, ut quid doctor gentium ad Philippenses dicat, & doceat: c *factus est obediens usque ad mortem, propter quod &c.* Cornelius hîc, sic ait: Meruit illud nomen per humilitatem, & obedientiam, usque ad mortem: licèt enim nomen Iesu in circumcisione sit illi impositum, opus nostræ redemptionis, quâ Salvator, dictus est, per tot opprobria, & tormenta, in cruce complevit propter quod illud nomen Iesus, id est, Salvatoris, opere abundantissimè consignavit: nec ulli nomen suum carius stetit; nemo majori labore, sudore, sanguine illud emit.

Monet nos Ecclesiasticus: d *Curam habe de* BONO NOMINE.

Etenim non in minimis ponendum est, ut quis audiat Vir alicujus nominis, boni nominis, magni nominis, & quæ apud Philosophos, futilis habetur quæstio de nomine, hîc utilis comprobatur. Porrò ipso sapientissimo mortalium attestante: e *Melius est.* NOMEN *bonum, quam divitiæ multæ.* Sed si Auctorem Iesum spectemus, nomen bonum carò constat: multis dolore & ærumnâ, aliis sudore & labore, nonnullis cilicio & cinere, quibusdam lacrymis & sanguine stetit. Mercatorem percunctare, quanti tibi *nomen bonum*, ut vir fidelis, ut in rebus tractandis sincerus, habearis? Vsuras inquit, ultro oblatas millium, merces adulterinas respuendo, aut non distrahendo, summam ingentem despiciendo vi...

a 2. *Æneid.* b *Bernard. Serm.* 1. *de Circumc.*

c *Philip.* 2. d *Eccl.* 41. e *Prov.* 22. *v.* 1.

viri incorrupti nomen acquisivi. Tu, consultissime, Amplissime Domine, quanto *nomen bonum* tibi in pretio est? Ego talem causam iniquam, ex qua emolumentum aliquot centenorum, rejeci; ego nomen bonum, prætorque & armillis aureis, præ crumenis auro oppletis existimandum duxi: *quia melius est* NOMEN BONUM, *quam divitiæ multæ*. Eiusmodi, inquit Bonaventura, *a* possunt illud „ Scipionis usurpare. Scipio „ Princeps nobilissimus Romanorum dum postularetur, ut „ rationem redderet de innumerabili quasi pecunia sibi „ commissa, tradidit eis librum, „ in quo expensæ erant, quas „ fecerat, dixitque ad Senatum: „ Nolite, Patres, de mea innocentia dubitare; quia licèt „ Africam totam vestræ potestati subjecerim, tamen nihil ex ea *quod meum possit dici, præter* NOMEN, *& gloriam reputavi*. Tum exclamat Doctor Seraphicus: *Si tales hodie, essent Christiani, quàm securi viverent, quam bonum* NOMEN *meritur: posteris relinquerent!* Tu Ecclesiastice, Religiose, quanti NOMEN BONUM æstimas? Pluris quàm convivia, quàm symposia, quàm gratam sed minùs consultam salutationem. Huic nomini, ut ne labes inuratur, aut Ordini, tot visitationes, Vigiliæ, curæ Superiorum, tot quisque sibi adhibet carnis afflictiones usque ad sanguinem. Tu filia, quanti *nomen bonum* facis? Pluris quàm amica & lasciva verba, quàm petulantes ad citharæ sonitum choreas, quàm speciosa ac pretiosa munuscula, quàm infamis proci gratiam, & spreti injuriam. Tanti nomen bonum venit & emitur.

Alexander Magnus Sichonio in obsidione saucio, & sanguine madenti, dixisse fertur: *Quam carò emitur* PRÆCLARUM NOMEN! Ita nemo cariùs, quàm infans Dei Verbum, *Iesu nomen emit*, ut ex pretio illius sua quoque esset apud mortales, immortalesque æstimatio. Certè homines inter, ea nomina pluris fiunt, quæ labore, sudore, sanguine stetêre, quàm illa, quæ à parentibus imponuntur. Ita Themistius Valenti Imperatori elegantiùs, quàm veriùs assentatur: Venit, inquit, mihi in mentem veterum Imperatorum, „ quorum unus, pro eo, quòd „ Græciam evertisset, Achaicus „ est nominatus: alter Macedonicus, quòd Macedoniæ vastitatem, ac solitudinem induxisset. Scipio verò ille magnus „ summi Scipionis Nepos, à „ S. P. Q. R. Africani cognomen „ obtinuit, quòd defessam ac „ penitus afflictam Carthaginem solo æquasset ac „ perdidisset. Quod si ex ijs „ quos illi profligaverant, meritò hæc cognomina sunt consecuti, quantò justiùs es ab „ iis, quos servâris, appellandus? quod nemini mortalium, „ aut Cælitum, nisi soli *Iesu*, ab Orbe universo servato, jure meritissimo competere potest.

a Bonav. festo S. Thomæ Apost. Serm. 2.

§. II.

Exemplo Iesu, qui verè Iesus, & Salvator fuit, nomina nostra præclaris factis, & heroicis virtutibus, comprobanda, ut SECUNDUM NOMEN, SIC ET LAUS *.Ps.* 47.

OLim veteres solem pinxerunt, tres radios cœteris fulgentiores evibrantem. Vnum in prægrandem nivis globum, quem calore suo totum colliquescere faciebat. Alterum in arduam rupem defigebat, quam igneo velut aculeo diffindi, ac disrumpi cogebat. Tertium in hominis demortui cadaver derivabat, cui calorem naturalem, & lucem sensim affundere, atque in vitam revocare videbatur. Hoc commentum, solertissimum divinæ benignitatis inventum est. Solem quippe, radiosum IESV nomen, descripsit purpureus Vates, dum dixit: *a Orietur vobis timentibus* NOMEN *meum*, SOL *justitiæ*; qui omni solari radio potentius, gelida corda colliquescere, & animos sceleratorum, instar rupis obduratos, fundi ac findi fecit. *b Frigida supra nivem sunt corda nostra, frigida verba, frigida sunt opera.* Melleo hic flumine opus est *c Cui stetit aliquando ante faciem salutaris* NOMINIS *, duritia cordis? cui fons fortasse siccatus lacrymarum, invocato* IESU*, non continuo erupit uberior, fluxit suavior?* Vis mortuos in vitam, & quidem æternam revocatos? idem Bernard. *d* in illud, *Oleum effusum nomen tuum*; sic ait *Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nonne si invocet* NOMEN VITÆ*, confestim respirabit ad vitam.*

Sicarius horrenda in crimina elapsus, ad mortem æternam desperabundus currebat, & Iesu nomine invocato respiravit ad vitam. Ex quibus rectè conficitur, quob Iesus, sit vere nobis Iesus, & Salvator: *f Virtutem* NOMINIS *implens.* Experto credite. *Dulce* NOMEN *Angelus non tacuit: quia hoc mihi, maximè necessarium fuit. Alioquin quid agerem, audiens Dominum venientem; nunquid non fugerem, sicut Adam, qui à facie eius fugit, sed non effugit? nonne desperarem audiens, quia venit ille, cujus legem sic pravaricatus sum, cujus patientia sic abusus sum, cujus beneficiis tam ingratus inventus sum? qua vero major consolatio poterat esse, quàm in dulci vocabulo, in* NOMINE *consolatorio? propterea & ipse dicit, quia non venit filius ut judicet, sed ut salvetur mundus per ipsum. Iam confidenter accedo; jam fiducialiter supplico, quando Salvator venit in domum meam ad me.*

De Demosthene locuturus aliquando Valerius Maximus; *h* quantusq; fuisset breviter demonstraturus; *cujus*, inquit, COMMEMORATO NOMINE, *maxima eloquentiæ consummatio, audientis animo oboritur.* Dicam ego commemorato illo IESU, Salvatoris man-

a *Malach.* 4. *v.* 2. b *Bonav. Serm.* 2. *in festo Magdal.* c *Bern. Serm.* 15. *in Cant.*

d *Bern. ib.* e *V. Lobbet. festo Circumcis. q* 4. f *Ovid. de pont. l.* 1. g *Bern. Serm.* 1. *de Epiphan.* h *Valer. Maxi. l.* 8. *c.* 7.

mansuetudinis, modestiæ, benignitatis, temperantiæ, castimoniæ, misericordiæ, omnisque sanctimoniæ consummatio, audientis animo oboritur: *a siquidem cùm nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum, & verè* IESUM, *qui salvet populum suum.*

Ita Abbas ille in Claravalle suâ, mellifluâ dulcedine imbutus, & oleo suavissimi nominis delibutus, ubi arida & inania mortalium nomina secum expendit, sic tandem concludit, benignissimum Redemptorem nostrum se verè Iesum exhibuisse. b *Neque enim,* inquit, *meus iste* IESUS, *nomen vacuum, aut inane portat; non est in eo magni* NOMINIS *umbra, sed veritas.*

Quàm multi apud mortales vano, profano & insano nomine, non tolerando fastu gloriantur? Sapor Persarum Rex, epistolam quam ad Constantinum Imperatorem dedit, sic exorsus: c *Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater Solis & Lunæ, Constantino salutem plurimam.* Non multò aliter Solymannus, nostro Cæsari scripsit his verbis: d *Carolo V. Imperatori semper Augusto, Belgæ, coxv..s Solyman, ex victrici, nobilissimaque Ottomannorum prosapiâ ortus, Imperator Turcarum, Rex Regum, & Dominus dominantium, Imperator Trapezuntinorum, ac Constantinopolitanorum, dominator mundi & terræ domitor, &c.* Quid e hoc aliud, cùm mag[illegible] Maior[illegible] Regis [illegible], qui [illegible] spendidis nominibus salutatur: f *S[illegible] Provinciarum [illegible], [illegible] potentissimorum Rex, omnium c[illegible] tatuum dominus, Magister & doctor [illegible] nescientium, trium Imperatorum Imperator, omnium quæ videt conquisitor, conquisitorum conservator; quem octo mundi partes metuunt, E[illegible] cui nemo par, & fortissimorum quorumque Debellator, Elephantorum venator, Dominus Orientis, Austri, Septentrionis, Occidentis, & maris.* Numquid titulorum, & magnorum nominum satis? Si lubet addamus seriem, quam Soldanus literis præmisit in hunc modum: g *Salmander omnipotens ante Carthaginem Dominus Iordanis, Dominus Orientis, Dominus Bethlehem, Dominus Paradisi, Præfectus inferni, Imperator Constantinopoleos, Dominus aridæ ficus, Dominus quo Sol & Luna meant, Protector primi sacerdotis Ioannis, Imperator, Rex Regum, Dominus Christianorum, Iudæorum, Turcarum, Amicus Deorum.* Alta sane nomina, sed quæ tantæ virtutis, ut ne morsum pulicis valeant impedire. In hac classe, seu nave stultorum, Rex Insulæ Sumatræ in India, ad Angliæ Regem has literas misit: h

Perdika Syriæ Sultanus, Rex Regum, a bellis famigeratus, solus Rex Su-

a *Bern. Serm. 15. in Cant.* b *Bern. Serm. 1. in Circumc.* c *Marcellin. l. 16.* d *Nieremb. differ. temp. & ætern. & Bern. cit.*

f *Iarricus Hist. Ind. Tom. 1.*
g *Drexel. Prodrom. c. §. xi*
h *Bergeron. Tract. de navigat. D' Outreman Amor in creat. pag. 57.*

Sumatra, Rex supra omnes majores suos famosus, quem timent sui, honorant externa nationes omnes, in quo vera est Regis imago, & regiminis forma: effictus, ut sic dicam, ex puriori metallo, & vivis depictus coloribus: Rex Priami, & & montium auri: Dominus novem generis gemmarum & duplicis umbella aurea; cui sedile est ex laminis aureis conflatum. Luteres insuper, nec non & sepulchrum ejus ex auro puro sunt: Rex cui plures subjecti sunt Reges: qui cepit Regem Arronu, & omnes Regio es Primani, Tecoo, Baruta, cum 70. Elephantis: cui Deus plures quam ulli majorum, largitus est Victorias. Hic inquit, Rex, hanc epistolam, cum salute, ad Iacobum Magna Britannia Regem mittit significatum. &c. Nec minùs insanire visus est Rex ille Persarum, qui vel eo solùm titulo suum regnum regno barbarorum præcellere dictitabat; quòd Magnates apud Persas habeant magna, & ampla nomina, seu, ut Tertullianus ait, *jugera nominum*: ut Spheudadates, Artaxerxes, Vavazanes, Omixiudinas, &c.

Nomina sunt ipso pene timenda sono.

Barbaros autem habere parva nomina, v.g. Caunus, Buthes, Davus, &c. Idem de Plutonis Regno dici posse, inquit *a* Garassus, ubi omnia magnailla, & dominantia nomina, Alexandri, Tamberlani, Sardanapli, Diocletiani, Michiavelli, Guabacondoni, Thesaurochrysonicochysidis; in cælis autem S. Pier, S. Paul, S. Luc, S. Iean, S. Iacq; &c. quare hoc, à gentili licèt, salubre documentum accipe: *b*

Usibus edocto, si quidquam credis amico,

Crede mihi, & longè NOMINA MAGNA *fuge.*

Magni nominis vanitatem, & inanitatem devita, quam filij hujus sæculi studiosè sectantur, ut doctissimi, amplissimi, eximij, Illustrissimi, excellentissimi, eminentissimi, Augustissimi, Serenissimi, Invictissimi nominentur; ut decem, ac viginti pagorum oppidorum Toparchæ, Regionumque Domini nuncupentur, & innumera *c dominantia nomina jactent.* Ceterùm, Congere in unum cumulum, omnium sæculorum, omnis memoriæ, omniumque gentium trophæa fixa gentilibus, aut etiam Christianis heroibus, aureis subscriptis nominibus; omnes triumphos, omnia monumenta honoris, laudis insignia, quæ omnium literis celebrantur. Adde quidquid scripsit acutè Seneca, disertè Tullius, doctè Aristoteles, divinè Plato. Hæc omnia, tot, tanta, tam exquisita, simul congesta, non tantum illis omnibus pepererunt in magno illo theatro coram Domino, Deique administris, quantum sibi comparat justus, vel semel ore promendo, vel stylo scribendo, vel corde suspirando, illud suspiciendum, & adorandum nomen *Iesu*. Non tam vanè, quàm verè *d* Carolus V. cùm tempore induciarum scriberet ad Franciscum I. Galliæ Regem, &c

a *Garassus doct. Curiosa l. 7. Sect.* 11.

b *Ovid. l 3. Trist.* c *Horat. de Arte.* d *Picorti decade* 4. c. 10.

& pro amplitudine Imperii, & magnificentia Domus Austriacæ, Epistolam nomine Caroli signâsset, omnes suos titulos regnorum, ac provinciarum, quæ paginam propè totam occupabant, adjunxit. Franciscus indignanter hæc lectitans, ne tot titulis, ac nominibus inferior videretur; paucis rescripsit, suoque nomini adiecit: *François, Roy de France, Roy de France, Roy de France*, donec hisce pariter, paginam implêsset: pro clausulâ subjungens, unum suum Galliæ regnum, sufficere omnibus Imperiis, provinciisque Caroli domandis. Scio invictissimum illum Imperatorem Carolum, bellicâ fortitudine insignem, animi robore constantem, labore ac sudore, multoque sanguine fuso, gentes domuisse, ac hæreses debellâsse, populoque Christiano libertatem donâsse, atque immanissimo jugo compiures eripuisse, ut à quibusdam Orbis Christani conservator, ac liberator vocitaretur; sed & hæc *magni* NOMINIS UMBRA. Chrysologum audite: a *Sicut reges triumphorum suorum titulis nuncupantur, & subjectarum gentium* NOMINIBUS, *conquirunt numerosissima cognomenta, quæ illis minimè debentur*; sed suorum militum robori, ducum solertiæ, ac fortunæ, id est, unius omnia moderantis, summi Numinis, benignæ providentiæ.

Quàm multi hodierna luce, *b*
——— *præclaro* NOMINE
TANTUM
Insignes,
nil nisi *Magni nominis Vmbram*

a *Chrysol. Serm.* 57. b *Iuven. Sat.* 8.

præferre consueverunt? Nomen sine re habent, id est, corticem sine nucleo, pallium sine Philosopho, arcam sine peculio, lucernam sine ellychnio, vana omnia nomina. In Academiis fatigare scribendo articulos, legendo oculos, cogitando ingenium, vociferando fauces: pulsare pulpita, frequentare Gymnasia, terere subsellia, ut *præclaro* NOMINE *tantùm insignes sint*, ut in Philosophiâ *doctissimi*, vel in Medicinâ *expertissimi*, vel in Theologiâ *eximii Domini* vocitentur. Miser! tu nocturnis lucubrationibus tantum insumpsisti olei, ut esset velut oleum effusum nomen tuum; id est, ut more olei, primò per Academiam, aut concionem hanc, deinde ad vicina oppida, tum ad exteras provincias, inde ad latè dissitas regiones, nominis tui amplitudo diffunderetur? oleum, quin & operam perdidisti. Quàm sit nomen tuum, & notum paucis, & ignotum multis, paucis te docebo. Vniversus hic quantus quantus terrarum orbis, si Cosmographis credimus, cælo collatus, non est nisi punctum. Omne vitæ hujus tempus, quantumvis prolixum, æternitati comparatum, Augustino teste, non nisi momentum est. Quid angustius, si locum consideres, puncto? quid brevius, si tempus attendis, momento? O mentis humanæ stupor! vel potiùs amentia! Compello vos viros Martios, bellicosos Duces, ut quid æstum & frigora, famem & sitim, vulnera & mortem ultro suscipitis? nisi ut PRÆCLARO NOMINE *tantùm insignes, & nominis Vmbram* sectemini. Ad hoc contendunt plerique,

rique, & impendunt omnes tum corporis labores, tum ingenij nervos, tum industriæ vires, ut clarum in hoc orbe nomen, ex nomine famam, ex fama gloriam, ex gloria honorem, ex honore deniqueimmortalitatem inter mortales consequantur. Audite futilis pompæ aucupes, vanissimi nominis, & sæcularis famæ negotiatores, &, ut loquar cum Tertulliano: *gloriæ animalia*. Si veram nominis gloriam, nunquam interituram, si immortalitatem spectetis, nomina factis probate. Nomen Christiani geris, vide ut & re ipsa sis. Nomen Religiosi habes, attende ut etiam sis opere. Nomen tibi Sacerdos est, elabora ut dignitati tantæ, par vita respondeat. Hoc Mediolanensis Præsulis monitum: *a* NOMEN *congruat actioni, actio respondeat* NOMINI; *ne sit* NOMEN *inane, & crimen immane.*

Commendatus olim *Probus* apud Vopiscum, *quòd adolescens esset, ac Vir sui* NOMINIS; hoc est, quòd speciosum ac pulchrum *Probi* nomen impleret, insigni quadam morum, ac vitæ probitate. Nomen tibi *Constantinus*? constantiam tuére. Vocaris *Alexander*, *Maximus*, *Maximilianus*? fac animo magno, excelsoque sis: *b*

——— *mensuram* NOMINIS *imple.*

Nuncuparis *Andreas*? cave ne imbellis sis: ἀνδρείαν, virilem, fortemque significat. Audis *Petrus*? sis petra, rupes fortitudine, invicto animi robore. Est tibi nomen *Ioseph*, filius accrescens? indies prudentiæ, pietatisque incrementa facias. Vocaris Ioannes, id est, gratia? fac ut sis filius gratiæ, ut Deo, & hominibus gratiosus sis. Hoc aureo sermone inculcat Ioannes Chrysostomus: *c Vocantur, inquit, & alii Ioannes, sed non propter* NOMEN *sunt id, quod vocantur; quemadmodum & ego, licèt eodem quo iste vocor nomine, non tamen uno, & eodem cum illo res, vocabulo vocor; non sum Ioannes, sed vocor.* sis vir tui nominis.

Conveniant rebus NOMINA *ritè suis.*

Laudatur à Gregorio Theologo *Meletius*, quòd fuerit reverà is, quem nomen præferebat: scilicet ut nomen, sic linguam, morumque suavitatem habuisse melleam. Est & illa magni Hieronymi, ad *Pammachii* nomen allusio. *Ex interpretatione nominis tui, quodam vaticinio futurum, omni arte pugnandi adversus diabolum, & contrarias potestates, te bellare demonstras.* Egregijs factis Patronum tuum tutelarem æmulare. Hîc obiter observandum, ne parentes infantibus nomina gentilium, Assuerii, Pompeij, Julii, &c. dum baptismatis fonte lustrantur, imponant. Francorum Annales referunt, Legatos à rege Franciæ, Philippo I. ad Alphonsum II. Castellæ Regem missos, ut Delphino alterutram ejus filiam, jam nubilem, deposcerent. Obtulit Alphonsus primogenitam, formâ præstantem, Vrracam nomine. Perculit Legatos asperitas nominis. Delphino, ut ajebant, displicitura; quærunt itaque de altera, ecquod ei nomen

a *Ambros. de dignit. Sacerd. c. 3.*
b *Ovid. de Ponto. l. 1. Eleg. 2.*
c *Chrysost. hom. 52. in Acta.*
d *Hieron. in Amos. c. 1.*

men foret? Respondit parens. Blancam nuncupari: hoc est, inquiunt, quod convenit nobis; Vrraca Francis terrori, Blanca amori futura est. Sed minùs, ait Pater, formosa. Nomen, inquiunt, supplebit. Ducta ad sponsum, solo nomine placuit, in Reginam adlecta, & Divi Ludovici Mater effecta est. Ita timendum, ne cælestis Sponsus regno suo arceat, quos barbaro nomine nôrit insigniri: eorum potiùs nomine, parentes liberos suos compellari curent, quos apud cælorum Regem patronos adipisci, ac quorum virtutem sectari queunt. Sic olim sanctiores patres, a *à principio erudiebant pueros, qui ipsis nascebantur, admonentes, appellationibus, quas ipsis imposuerant, ut virtutem exercerent.* Hoc Dionysius Siciliæ Rex *b* spectasse videtur, qui uni è filiabus nomen Iustitiæ, alteri Temperantiæ impertivit; ut quoties compellari contingeret, ad nominum virtutem excitarentur. Eodem spectat, quod de viro celeberrimo refert Iacobus Pontanus: Cùm tres omnino filios sua ei uxor genuisset, quos ipse præstantes omnes Iuris consultos fieri percuperet, uni *Bartoli*, alteri *Baldi*, tertio autem *Codicis*, quem sæpe in foro nominari audierat, veluti maximi alicujus Iure-consulti vocabulum esset, nomen imposuit; ut hâc ratione, eorum industriam æmularentur, quorum nomina referrent.

Per baptismum insuper, tibi pulchrum, ac præclarum *Christiani* nomen imprimitur; sed vide, ne in te severissima Hipponensis Præsulis cadat censura. c *Quid tibi prodest vocari, quod non es, & NOMEN tibi usurpare alienum?* Si CHRISTIANUM *esse delectet, quæ Christi sunt, gere.* Christianus, si vim nominis spectes, est, qui Christum colit, veretur, ac reveretur, ejusque jussis obtemperat. Quid Christiani hominis, & nominis, in te, qui vitam belluinam duxisti, hactenus eluxit? Decantatum est in Rhetorum subselliis, Alexandri Macedonis dictam ad militum ducem, in Tyri obsidione, *d* Alexandrum vocitatum: *Animose*; clamabat Rex, *ô commilito, fac facinus, NOMINE, quod geris, dignum.*

Age aliquid Christiano nomine, quod geris, dignum nomen titulus est honoris, & sanctitatis; sed vide, ne sit e *nomen inane, & crimen immane.* Inane omne est, quod nomen sine re præfert: vnde apud sacchropegos, capsas inscriptas bellarijs, ac cupediis, inania sine re nomina comperies. Deus ut multi in scholis, despicit nuda nomina, respicit bona opera, suspicit sola merita. Quod nominamur, hoc esse debemus. Magna gloria, ingens dignitas, *ut filij Dei* NOMINEMUR, ET SIMUS: ubi non hoc satis, *ut* NOMINEMUR; sed consultò S. Ioannes *f* adjungit, *ut simus*; quia, ut divinè S. Augu-

a *Chrysost. hom.* 51. *in Gen.* b *Lyraeus Christi Imit. p.* 371.

c *Aug l.* 1. *de Vita Christi c.* 1. *tom.* 9. d *Curtius lib.* 8. e *Ambr. cit.* f 1. *Ioan.* 3. *v.* 1.

gustinus: a *Qui vocantur, & non sunt, quid illis prodest, ubi res non est? Quam multi vocantur Medici* (causidici, chirurgi) *qui curare non nôrunt? quam multi vocantur vigiles, qui totâ nocte dormiunt? sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inveniuntur: quia hoc, quod vocantur, non sunt.* Qui Christum, à quo vocantur, indies suis diris, perjurijs, ac blasphemijs proscindunt, *hoc, quod vocantur, non sunt*, qui æmulentiâ, lasciviâ, injustitiâ suâ, ejus jura violant, *hoc, quod vocantur, non sunt.* Qui in sacratissimâ Christi domo, inque ejus conspectu, ridere, nugari, fabulari, procari non erubescunt, *hoc, quod vocantur, non sunt.* Qui utinam illud Massiliensis Antistitis in se vibratum percipiant: b *per* NOMEN *rei sumus; quia magis damnanda est malitia, quam titulus bonitatis accusat.*

B. Franciscus Borgia, c ubi audiit nebulonem quendam [illegible] reum, & ad remos damnatum, quòd Francisci personam, & nomen mentitus esset, [illegible]tè ingemuit, dicens: Heu me infelicem! si miser ille, qui paucos dies peccatoris personam [si]bi sumpsit, tam infami, atque atroci supplicio addictus est; quid me oportet fieri, qui tot annos reverà peccatoris opera, [&] partes exerceo, quamvis religiosum, & veste & nomine profitear? Quanto veriùs hæc [n]os, qui adulterino nomine vi[ti]a palliamus? Nondum silet Salvianus: d *Qui Christiani* NOMINIS *opus non agit, Christianus esse haud videtur;* NOMEN *enim sine actu, atque officio suo, nihil est. Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* verissimum illud: *nomen sine actu, atque officio, nihil est.* Nomen Sacerdotis, *sine actu, atque officio*, qui vix semel in anno celebrat, divino officio oscitanter perfungitur; aut, quod detestabilius, intermittit, *nihil est.* e *Nomen* Monachi, Monialis, *sine actu, sine officio*, qui de votis parùm sollicitus, more, & ore sæcularis fit, *nihil est. Vocabulum Monachi, hoc est* NOMEN *tuum: quid facis in turba, qui solus es?* NOMEN Causidici, Medici, Præsidis, Præsulis *sine actu, atque officio, nihil est.* Inspicias, *superintendas*, inquit Hieronymus, f *præsis, & profis, qui Episcopus, Presbyter, Diaconus es: non sunt meritorum* NOMINA, *sed officiorum.* Quare, quod olim Rex Macedo ad militem: *Aut nomen Alexandri muta, aut gere te, ut Alexandrum decet.* Dicam & ego: Aut nomen muta, aut gere te, ut Sacerdotem, Canonicum, Episcopum decet. Rectè intellexerat g id Sanctus Bonifacius, qui virtute nominis sui, ad excelsam, & heroicam Martyrij palmam inflammatus, sic interpellat Othonem Imp. *Quid vanam ego* NOMINIS UMBRAM *gero? quid Martyris titulum circumfero, si non victorias etiam, & palmas? Superos testor, &*

a *Aug. Tract. 5. in Ioan.* b *Salvianus lib. 3. de gubern.* c *In Vita.* d *Salvian. lib. 4. de [pro]vid.* e *Hieron. ad Heliod.* f *Hieron. lib. 1. adverf. Iovinian.* g *B. Pet. Damiani.*

& COGNOMINEM *Divum, aut non dicar Bonifacius, aut ero simul.* Ad Monasterium abijt, Martyrij tyrocinia positurus, quod denique in Prussia invenit. Hortatur & nos aureâ suâ eloquentiâ aChrysostomus, vt appellatione nominis Christiani, ad virtutem amplectendam excitemur, nec quidquam indignum tanto nomine agamus, quod cum Dei filio habemus commune. Mox hunc ferè in modum ratiocinatur. Si is, qui Principis alicujus, aut alterius clari viri nomen sortitus est, cùm id audit, sibi complacet, gloriæ ac honori ducit, ejusque auctoritatem pro viribus servare annititur; quid nobis faciendum, qui non Principis, non Serenissimi, non Illustrissimi, non Eminentissimi, non Farnesiani, aut Caraffæ, non Angeli, aut Archangeli, sed ipso omnium Regum, ac Principum summo *Christi* nomine compellamur? Vnum hic, epilogi loco subnecto.

§. III.

Extremo spiritu, nomen Iesu ingeminare.

VT quis per medios militum cuneos, per frequentes ex omni parte excubias, per sclopos, & enses, nocte intempestâ securus in castris transeat, militari tesserâ dumtaxat opus est. In supremo vitæ agone, tesserario Iesu nomine instructus, omnes inferorum insidias, omnes dæmonum catervas intrepidus penetrabit. Vbi illud nomen reddiderit, vt verus Christi miles agnitus, salvus evadet, attestante Propheta: b *Omnis, qui invocaverit* (quemadmodum oportet) NOMEN DOMINI, *salvus erit:* & vt princeps Apostolorum ait: c *non est aliud* NOMEN *datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* In hoc omnem affectum, omnem fiduciam, omnem spem collocandam, docet Claravallensis Abbas, *d* qui expendens illud: PROTEGAM *eum, quoniam cognôvit* NOMEN *meum,* sic ait: *In præsentia vultus, glorificatio; in notitia* NOMINIS *protectio exhibetur: spes in* NOMINE, *res in facie est. Beatus vir cujus est* NOMEN *Domini, spes ejus!*

Ea propter, non tam mirari, quàm imitari juvat tria hæc e Hugonis à S. Victore optatissima, & optima vota: 1. Vt cibus eius vltimus esset S S. Eucharistia. 2. Vt vltima eius cogitatio, seu meditatio, esset de Passione Christi. 3. Vt vltimum ejus verbum, esset dulcissimum *nomen Iesu.* Quo suavissimo mortis genere, B. Victoria expiravit, quæ nihil, nisi Iesum loqui, nil nisi Iesum audire gestiebat; quem in cœlos abitura, hisce verbis amantissimè salutabat:

> f *Alleen ick ben, o* IESU *min:*
> *Alleen vvont ghy in mynen sin*
> *Want vvy syn bruygoms bey t*
> *gaer,*
> *Myn Siel van u, en ghy van haer*

g *Qui in cœlum porrò ascendere desiderat, hoc* NOMEN IESU *invocet: Domine* IESU, *suscipe spiritum*

a *Chrysost. hom.* 18. *in Ioan.*

b *Ioel.* 2. c *Actor.* 1. d *Bern. ser.* 15. *in Psal. s(Qui habitat.)* e *Lyra imitat. Christ. patient. pag.* 52 f *Barry Faveurs de Iesu.* g *Bonavent. Serm.* 3. *in Circum.*

tum meum. *a* Rochus Gonſales, inclytus Societatis noſtræ Martyr, quanto ardore Ieſum dilexerit, etiam à morte teſtatus eſt: reciſâ quippe cervice, non lingua, quod in Paulo ſuprà ſuſpeximus, ſed cor auditum eſt clarâ, expeditâque voce, Ieſum vocitare, Ieſum inclamare. Hoc quiſque noſtrum, in confinio diſparis æternitatis conſtitutus, piè æmuletur, ac Ieſum corde, & ore ſuſpirando, exſpiret, quemadmodum de Catharina Bononienſi *a* legimus, quæ paulatim deficientibus viribus, vultu pulchriore, ac lucidiore apparens ſanctiſſimi, ſuaviſſimique Ieſu nomẽ tertiò invocans, ſuavi ſuſpirio animam exhalavit.

Quid? quòd S. Bernardinus, *b* tantam vim ſanctiſſimo huic nomini ineſſe affirmet, vt homini in extremâ luctâ, omni Confeſſarij ope deſtituto, ad veram contritionem eundem ſuaviter excitando, ſalutem afferre, Religioſiſſimi Viri probet teſtimonio. Vt, inquit, verba Caſſiodori ſenis, & Monachi venerabilis inferamus; hic Prophetæ verſus: *c Dirupiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, &* NOMEN DOMINI *invocabo*; tantum virtutis creditur habere, vt nonnullis diceretur poſſe hominibus peccata dimittere, ſi eum quis in fine vitæ ſuæ, internâ confeſſione, devoto corde ingeminet.

Ad hoc, ut omnes incitemur, tot ſummi Pontifices, pronuntiantibus ſacroſanctũ hoc Nomen in articulo mortis, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conceſſêre. Quare dicamus fervidè, dicamus fidenter: *Ieſu* amabiliſſime, *Ieſu* ſuaviſſime, *Ieſu* deſideratiſſime, *Ieſu* per dulciſſimam matrem tuam, miſerere mei agonizantis! Domine Ieſu Nazarene, Rex Iudæorum, tu nonniſi ſub hoc nomine *Ieſu*, ſupra caput collocato, voluiſti inclinato capite expirare; da, ut ſub hoc, & in hoc nomine, inclinato capite emittam ſpiritum. Denique moriturus omnis hanc efficacem S. Auguſtini orationem contrito corde, & pio ore uſurpet: *d* IESU *propter* NOMEN TVVM DVLCE, *fac mihi ſecundùm* NOMEN *tuum* JESU. *Oblviſcere ſuperbum, te provocantem: reſpice piè miſerum, te invocantem.* JESV NOMEN TVVM DVLCE, NOMEN DELECTABILE, NOMEN CONFORTANS *peccatorem, &* NOMEN BEATÆ SPEI: *quid eſt enim* IESVS *niſi Salvator? ergo propter temet ipſum* JESU, *eſto* MIHI JESVS. *Eſto mihi Salvator benignus. O bone Domine* IESU, *etſi ego admiſi, vnde me damnare poſſis, tu non amiſiſti, vnde ſalvare potes.*

Hæc ut in extremo vitæ articulo, in promptu ſint, identidem per vitam depromere conſueſcas, ſic paries tibi nomen, quod nulla delebit ætas, ſtudebit poſteritas, comendabit æternitas. Sic nomen tuum indelebili charactere, æternis faſtis inſcribes; ſi nomen Ieſu cultu proſequaris, & reverentiâ, & virtutes Ieſu moribus exprimas, & vitâ. Sic à Ieſu poſt hanc vitam, totâ æternitate dicêris IESVITA. Quid ſtupes verbi inſolentiam? omnes vos in cælis *Ieſuitas* for-

a *In vita c.*27. b *S. Bernardini Serm.* 49. *art.* 2. 4. c *Pſal.* 115.

d *S. Aug. l.*1. *de contrit. cord. tom.* 9.

fore affevero. Sed quia, quod dixi, videtur vt omnibus admirabile, ita fingulis incredibile, fifto pro me fidejufforem illum, cui fidem derogare, eft piaculum, illum, qui à toto mundo habetur mundi oraculum, Ludolphum à Saxonia, celeberrimum ac fanctiffimum Scriptorem, Carthufianæ familiæ, qui ab annis viginti feptem fupra trecentos, vaticinatus eft: Sicut hîc per gratiam baptifmalem, à Chrifto dicuntur Chriftiani; fic in cælefti gloria, ab ipfo Iefu, dicemur JESVITÆ; etiam ij, qui jam vel ipfum Iefuitarum nomen, non benevolis auribus excipiunt, nec propenfis animis admittunt. Quæ ut eminentiffimo Hugonis b purpurati Patris, fanctimoniâ & eruditione celeberrimi, confirmem teftimonio, ipfum audite, jam inde à quingentis annis hæc vaticinantem: *In cælefti gloria ab ipfo* IESU, *omnes dicemur* IESVITAE, quo nominis omine, vt vobifcum omni æternitate perfrui contingat, hoc felici, fauftoque anni exorientis aufpicio, ex animo precor, voveoque.

a *Ludolph. de Vita Chrifti p.* 1.c.10. *de circumc.*

b *Hugo Card. in c.* 2. *Apoc. Baeza l.* 2. *in Euang. c.*6. § 4.

F E

FESTVM
EPIPHANIÆ DOMINI.

Rex est hodie & cras morietur. Eccl.10.



Auferet vna dies. Ovid. Fast.

ARGUMENTUM.

Regalia diurna, non diuturna Mundus celebrat. Varios hac luce, cæci Mortales, dignitatum titulos sortiuntur: hic Regis, ille Oeconomi, alter Consiliarij, alius Medici personam gerit, atque hanc vno vespere omnes rursus ponunt, vnoque die clauduntur omnia, & alta evanescunt nomina.

Quid aliud per omnem vitam agitur? quam si unam duntaxat diem durare vobis demonstravero, nonné & Principum regna, & Nobilium insignia, Præsidis, Prætoris, Consulis officia, *diurna, non diuturna* esse convicero? Ex quo sapientum virorum documento, saluberrimus hic fructus existet, ut dum *singulos dies, a singulas vitas* ducimus, ita suo quisque munere sanctè, integreque fungatur, quasi hanc lucem supremam nactus esset; quod multis efficax ad omnem perfectionem, incitamentum fuit.

[1] Seneca Epist. 103.

§. I. *Regna omnia, officia omnia, nomina omnia* NON DIVTVRNA, SED DIVRNA ESSE.

§. II. *Omnem crede* DIEM *tibi diluxisse* SVPREMVM. Horat. l. 1. Epist. 4.

FESTUM EPIPHANIÆ DOMINI.

Rex est hodie. et cras morietur. Eccl. 10.

VETERI consuetudine inter Christianos receptum est, *Regalia* ritu solenni celebrare: omni propè in familiâ schedæ distribuuntur, & Rex aliique Officiales, forte educuntur. Hic à secretis, alter à cubiculis, alius *à* poculis est: sunt qui Aulœdi, Citharœdi, Coci, Morionis partes agant. Hic ludus indies in Orbe luditur, & Orbis hic in orbem assiduo Regalia celebrat; de facto etenim agitur, quis ducturus filiam Regis Hispaniarum, quem sors Regem educet? literæ, ac schedæ eduntur, quibus ille caput Finantiarum, alter generalis exercitûs, hic equitatui, iste peditatui præfectus declaratur. Alius Canonicus, alter Consiliarius, ille summus Prætor iste Præses denuntiatur. Schedas quotannis Gandavi, Bruxellis, Antverpiæ. & quavi in Vrbe edi videris, in quibu Commissarii, Consules, Sca bini denuntiantur. Quid in h regiis schedis (Coninckxbrief discriminis, nisi quòd hi a nuum, alii diurnum habea officium? Demus, etiam sexennium, decennium, in mnem vitam conferri; omn non nisi uno die, eoque min reputanda esse, nihilque co ferre, sive hic Regis, alter M rionis; hic Crœsi, alter personam egerit, modò b suo munere functus sit, monstrabo. Atque id Religi familiis etiam congruit,

ctum sanctum fundatorem, sanctum aliquem Regem, sanctum Coquum, & Morionem (ut Jacoponum, Genesium, Pantaleonem) sorte suis elargiuntur, virtutes eorum, in omni vita, quæ instar unius diei est, in se exprimere nitantur. Quod fiet, si Reges, si Principes, Præsides, Præsules, Medici, Causidici, Religiosi, Ecclesiastici, id certò sibi persuaserint, & alte in animum demiserint, humana omnia (ut in Regalibus fieri consuevit) unius diei spatio circumscribi; juxta illud, Quintiliani: a *Si cuncta gaudia nostra, si voluptates* (dignitates) *diligenter excutias, tota vita hominis* UNUS EST DIES.

§. I.

Regna omnia, officia omnia, nomina omnia NON DIUTURNA SED DIURNA ESSE.

JUxta illud Senecæ: b *Singulos dies, singulas vitas puta.* Pythagoras, & Galenus, mortalium vitam anno comparant, quam proinde in quatuor anni partes, *ver, æstatem, autumnum, hyemem* dividi convenientissimè posse existimârunt. Habet nimirum homo *vernum tempus*, quando in prima ætate florescit: habet *æstatem*, dum firmus, ac vegetus, calore & sanguine effervescit: habet *autumnum*, dum judicio maturo, & calore naturali sensim deficiente, frigescit: habet *hyemem*, cùm frigus iners omnes artus occupat, capilli de capite, velut frondes ex arbore, decidunt, & canis, velut nive, obtegitur,

Aliis verò, exiguo vitæ hujus curriculo spectato, diëi potius, quàm anno vita conferri posse videtur, quatuorque has ætates per hæc quatuor: *Manè*, scilicet, *Meridiem, Vesperam, & Noctem* aptissimè declarari, ut homo unius diëi ambitu circumscribatur: habet etenim homo suum *manè*, dum in lucem primò editus, in quâdam veluti aurorâ oritur, & cursum suum orditur: habet *meridiem*, cùm altissimè supra vitæ, ut ita dicam, horizontem provectus, in calore mediæ ætatis fervescit, æqualique à videndi initio, & fine, distat intervallo: habet *Vesperam*, cùm languente jam ætate, vergit in occasum: ac tandē morte appropinquante.

——— *In* ÆTERNAM *clauduntur lumina* NOCTEM.

Hujus rei symbolum flos exstat, c *Hemerocallis* cujus vita, & pulchritudo, diaria est. Sole quippe *oriente* oritur; *meridie* folia sua, velut quosdam radios, expandit: *vesperi* marcescit: *sole* denique *occidente*, decidit. Sic homo, *qui velut flo egreditur & conteritur*, oritur, floret, languescit. & moritur.

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum est. d
Vna dies aperit, conficit una dies.

Id secum reputans Joannes Dux e Cliviæ, ingentilitiam telleram, sibi florem adlegit, cum lemmate. *Hodie, cras nihil.* Quot mortalium reperire est: *heden root, morgen doot?* Flosculum se repentino interitu falsus est

 Fran-

a Quintil. decl. 4. b Seneca Epist. 101.

c Virg. l. 12. Æneid. Plinius l. 11. c. 36. d Ausonius. Typotii Symb.

Franciscus, f ab oris venustate, Phœbus cognominatus, Navarræ Rex, qui cùm in ætatis vere moreretur, ex veneno, fistulæ, quâ canere solebat, affuso, jamque diem sibi extremum imminere persentisceret, verissimè pronuntiavit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quid tumemus, & extollimur mortales? quorum vita, ut Epicharmus dixit, est *uter inflatus: qui, judice Aristophane, sumus generationi foliorum similes, imbecilli ceræ figmenta, folia instar umbræ redentiæ, evanidi, volucres*, UNIUS TANTUM DIEI VITAM HABENTES, Refert utrumque Clemens Alexandrinus. g

Alii, retentâ hac hominis cum die unicâ similitudine, vitæ ejus spatium, in tres dumtaxat ætates dividunt, quas vocant *Manè, Meridiem, & Vesperam.* Huc alludebat celeberrimum illud Sphingis Ænigma, apud totam Antiquitatem decantatissimum: quodnam animal existeret *Manê* quadrupes, *Meridie* bipes, *Vesperi* tripes? quod Ænigma post Oedipodem, omnes de homine interpretantur, qui *manè*, in vitæ crepusculo, manibus & pedibus reptando, velut quadrupes perreptat: *meridie* ætatis bipes, solidè graditur: *Vespere* senectæ, viribus fractis, baculum ut tertium pedem assumens, tripes incedit. Atque hinc antiquus Romanorum mos promanavit, qui vitam hominis in pueritiam, juventutem, & senectutem dividebant, juxta illud Poëtæ:

Exultat levitate puer, gravitate senectus:
Inter utrumque manens, stat juvenile decus.

Idem propè sensit Epaminondas, qui hominem tribus verbis salutari posse dictitabat, à nativitate ad annum tricesimū, precando illi *bonum diem*, seu *bienvenu:* ab anno trigesimo ad quinquagesimum, *bonam vesperam*, seu *bon soir:* post annum quinquagesimum, *noctem quietam*, seu *Adieu*; quod vivo & perapposito exemplo h Plinius comprobavit. Volucris est ad Hypanim fluvium in Ponto, *Hemerobbios* dicta, quæ non ultra diem vivit, & eadem luce, qua lucem inchoat, finit, morientique soli commoritur, eodem die, pueri, juvenis, & senis ætatem experta. Manè nascitur, meridie viget, vespere consenescit, & moritur. Sed & hoc magis demirandum, hanc volucrem unius dieculæ, non minus de alimento sibi prospicere, quàm si corvi, aut cornicis annos esset victura.

Animalculo huic simillima est humana vita. Ad fluvium illa est, perpetuò fluentis temporis. quin & volucris est magis quàm avis ulla vel sagitta; & sæpe omnis pompæ suæ terminum, diem unicum habet, sæpe horam, sæpe paulò productius momentum. Quid ergo titulos, & dignitates, in anno & secula meditamur? Grand profectò mirum est, hanc vitæ, diei unius instar, volucerrimam brevitatem, à tot divinis Vatibus proclamari, ab omnibus omnium sæculorum Scriptoribus confirmari, nihilominus misellos homunciones adeò ad omnium voces obsur desc

f Petr. Ol. Harang. hist. Navar. d° Outreman Amor increat. pag. 382.
g Clem. Alex. l 4. Strom, c. 4.

h Plinius l. 2. c. 36.

descere, & diurnam sibi vitam, diuturnam æstimare. Clamat Ezechias per Isaiam : i *De manè usque ad vesperam finies me.* Job, qui vitam hominis *cursori* unius diei comparat, quærit, & pænè conqueritur, quòd vix natus denasceretur : l *Manus tuæ fecerunt, & plasmaverunt me totum in circuitu; & sic repentè præcipitas me?* Quàm multos vidimus, qui cùm jam ad dignitates Ecclesiasticas, Canonicatus, Prælaturas, Episcopales, tricoronides infulas pervenissent, brevi sublati, exclamare poterant : *De mane usque ad vesperam finies me.* Alii ad Consulatùs fasces, ad togam, ad sagum, ad primas in bello, in Repub. functiones evecti, illud Jobi jure ingeminârunt : *Et sic repentè præcipitas me?* Quæ cùm ita sint, quisque munere suo, quod illi à divina providentia obtigit, rectè ac rite fungatur, memor saluberrimi illius moniti, quod Venusinus vates præscribit.

§. II.

Omnem crede diem, tibi diluxisse supremum. Horat. l.1.Epist.4.

DIvus Basilius illa Deuteronomii verba, ex septuaginta Interpretum versione, luculenter explicans: a *Attende tibi ipsi*; hanc, ait, sententiam, omnibus temporibus, omnibus ordinibus, omnibus hominum classibus præscriptam, ut suo quisque munere rectè fungatur : b *Habet*, inquit, *domus Dei viventis, quæ Ecclesia est, Venatores, Viatrores, Architectos, Ædificatores, Agricolas, Pastores, Athletas, Milites. Omnibus his convenit breve hoc verbum; singulis, & ad exacta[illegible]eris ob[illegible]di cognitionem, [illegible] perficiendum studium pr[illegible]æ voluntatis.* Quæ omnia o[illegible]cia & munia, Ecclesiasticis ac Religiosis Viris, Confessariis, Concionatoribus, Pastoribus Superioribus potissimùm convenire videntur. Venator es missus à Deo, ita monente : c *Ecce ego mitto multos Venatores, & venabuntur eos super omnem montem : attende igitur magna cum diligentia, ne fortè fugiat te præda, ut efferatos per improbitatem, verbo veritatis convictos, Salvatori offerras. Viator, es, ei similis qui orabat :* d *Gressus meos dirige. Attende tibi ipsi, ne quâ exorbites, nec ad dextram deflexeris, aut sinistram: progreditor viâ regiâ. Archite[illegible]ctus, solido, tutòve in loco jaciat, & collocet* (humilitatis &) *fidei fundamentum, quod est Christus Iesus. Ædificator, quo pacto ædificet, videat; ut non ligna, non fœnum, neque calamum, sed aurum, argentum lapides pretiosos.* Sartor, sutor, pistor, textor es? attende ejusdem opificii patronos, viros sanctitate eximios. Primo manè, præmissâ oratione, omnem laborem ac sudorem Deo consecra, nec jacturam temporis arbitrare, si indies sacrificio Missæ intersis; quidquid molestiæ, quidquid difficultatis, aut tædii occurrerit, facilè exantlandum, si meliùs quàm filii tenebrarum tibi dixeris : Laboremus & sudemus; *cras enim moriemur.*

i Isaias c.36. l Iob 10. a Deut.15. b S. Basil. in illud Deut. (Attende tibi.) quæ est 3. inter hom. varias.

c Ierem. 16. d Psalm. 118.

Pastor est (animarum) *attende, ne quid te prætereat eorum, quæ ad obeundum munus illud pastorale attinent. Hæc porrò quæ tandem sunt? palabundum pecus, & erraticum convertito: quod conquassatum est, & contritum, colligato: quod ægrotum, sanato. Agricolationisnè Professor; ficum, infructuosa si est, circumfodito, ilique ingerito, quæ conducturæ noveris, ad edendos fructus. Miles?* (ut quisque nostrum; quia e *militia est vita hominis super terram*) *collabora Evangelio, milita bonam militiam, contra spiritus nequitiæ, adversùs vitiosas carnis affectiones: induitor omnem armaturam Dei; ùt probes te ei, sisque gratiosus Duci tuo, qui huic te militiæ adlegit. Athleta est? attende tibi ipsi, ne quam ex legibus athletico agoni præscriptis, inveniâre transgressus: nam nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit. Imitare Paulum, cursu contendentem, & in palæstrâ colluctantem, & in agone pugillari decertantem. Vt strenuus pugil, ipse habeto oculum animæ nusquam evariantem, sed attentum ac pervigilem. Præmuni ac tuere partes, quarum plaga lethalis sit. In adversarium immotum oculum intendito fixiùs. Instadiario cursu, qui tibi præcurrunt, in eos te extendens, fac assequaris: sic currito, ut prævertas, &c. Cupienti me singula percensere, hic deficiet dies.* Hactenus Magnus Basilius, qui *in domo Dei*, quemadmodum privatis in familiis hodiernâ die fieri assolet, variis variorum officiorum sortes obtingere docet, ac quemque, ut suo sanctè fungatur, hortatur; quod fiet, si Christianum monitum illud Romani Philosophi semper meminerimus, quod Lucilio suo tradit: f *Mi Lucili*, inquit, *propera vivere & singulos dies, singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota securus est*; imò sanctus est. Quis Rex, quis Princeps, aut nobili stemmate oriundus, inani fastu turgeat, subditos tyrannicè premat, iræ, gulæ, luxui, vitiis omnibus frena laxet, si recordetur illud Sapientis: g *Rex est hodie, & cras morietur.*

De Coningen alhier, hoe magtigh en hoe ryck,
Gelyck Scripture ons leert, syn morgen stoff en slyck:
Men roept, den Coninck drinckt, men roept nu overtuyt,
T'is cort - Ryck Coninck hier; want morgen is het uyt.

De Fabio Mario olim trebellius pronuntiavit: Uno die factus Imperator, altero visus regnare, tertio occisus est. Quam fabam, ne quis uni Fabio causam arbitretur; omnes Reges, ac potentes sæculi complectitur Ecclesiasticus, dum ait: h *Omnis potentatus, vita, brevis*, Hoc docent Imperatorum Romanorum. hoc summorum Pontificum diurna imperia. Urbanus VII. dies duodecim regnavit, Leo XI. dies sex, Stephanus II. dies tres.

Saul à mortuo Samuele audit: i *Cras tu, & filii tui mecum eritis*; ac derepentè tanto timore conturbatur, ut ceciderit *porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo.* Unus mortuus dicit, *Cras morieris*, & potentissimi ac validissimi Regis vires confregit; qui -ni

e Iob 7.

f Senec. Epist. 101. g Ecc. 10. h Eccl. 10. i 1. Reg. 28.

ni potentiùs potentes conturbet primæ veritatis oraculum; *Rex est hodie, & cras morietur.* Quod unum Sapientis monitum sufficiens est, ut omnes Reges terræ, Reges sanctos, qui sibi & passionibus imperent, efficiat, & regni, cujus non erit finis, heredes constituat. Non alto solio considere, non amplissimos exercitus sub signis numerare, non jura populis dare, regnare, aut imperare est, sed l *imperare sibi, maximum imperium est.* Philosopho concinit, ac consonat Poëta: m

> *Latius regnes avidum domando*
> *Spiritum, quàm si Lybiam remotis*
> *Gadibus jungas, & uterque Pœnus*
> *Serviat uni:*

Tales vos omnes hodierno die Reges evadere potestis. n *Si vis tibi omnia subjicere, te subjice rationi, Multos Reges, si ratio te rexerit.* Multos indomitos affectus, desideria, anxietates, perturbationes *reges, si ratio te rexerit.* o

> *Tunc omnia jure tenebis,*
> *Cum poteris rex esse tui:*

Tunc tot Regibus imperabis, quot passiones subjeceris, Tunc heres fies regni, cujus regni non erit finis. Quod fiet, si illud altâ mente repostum fuerit: p *Hodie extollitur, & cras non invenietur.* Reges hujus mundi diurni sunt, non diuturni; quorum memoria perit cum sonitu, cum inconditâ vociferatione potantium, ac bacchantium, *Rex bibit, den Conink drinkt.* Hac in parte Barbari, Christianis multò religiosiores sunt. In navigatione Hollandica, scribit Auctor se vidisse in Angeloma, dum Rex bibit, Campanam sonare, atque omnes ilico summo silentio, se in terram prosternere, nec sub pœna capitis quemquam spectare posse Regem potantem. Puer, hæres regni futurus, fortè se humi non abjecerat, & statim capite plexus est. Tantùm abest, ut poculis, & insulsis clamoribus in multam noctem, imò in ipsam lucem, cum Rege decertent. Modum certè epulis, ac poculis imponere nos docuit Pacuvius, Syriæ Princeps, qui mensis remotis, quoque vespere in cubile se deferri curabat, funebri famulorum cantu ingeminantium: *Vixit, vixit*; unde Seneca: p *Nullo non se die extulit.* Hoc & tu æmulare, & recordare, ut verè Rex sis.

> *Regnum diùturnum fingis tibi forte diurnum.*
> *Qui modo sceptra gerit, cras velut umbra perit.*
> *Regna sua æternant, animum quicumque gubernant.*
> *Hoc Rex nempe sui, dignus honore frui.*

Sic sibi imperare didicit alter ille Europæus Alexander Carolus V. qui exequiis sibi vivo exstructis, *nullo non se die extulit.* Quod et cuiq; nostrum, ambrosiâ suâ Suadâ Mediolanensis Præsul inculcat; r *Corporis diurnus magis, quàm diuturnus est usus.* DIEM *hominis non desideravi*, inquit. Ieremias. Cornelius „ hic: Dies hominis est ille, quo „ homo prosperatur, potens

B 4 est

l Seneca Epist. 113. m Hor. Carm. l. 2. Ode 2. n Seneca Epist. 37. o Claudian. p 1. Mach. c. 2, v. 63.

q Seneca Epist. 12. r S. Ambr. l. de Abram. c. 7. s Ierem. 7.

„, est, gloriosus, honoratur, laudatur, deliciatur. Hunc diem D. Bernardus, aversatur: *Sapiens* inquit, *Diem hominis non desideravi; ego tamen plus aliquid, quam non desiderat, desidero: ut ne recipiam quidem.* Hunc hominis diem timebat Dauid: u *Ab altitudine diei timebo.* Hugo Cardinalis, Diei altitudinem, prosperitatis ac hilaritatis interpretatur, *quæ tantum* DIEI *est, & parum durat.* Sed quoniam ad eos mihi sermo est, qui Consulis, consiliarii, Causidici, Medici, Mercatoris, Opificis, &c, partes sortiti sunt, iis quoque, vt rectè munere suo quisque fungatur, illud inculcatum pervelim: x

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Præsides, Prætores; Consules quibusdam in locis perpetui sunt, id est, per omnem vitam: & hic quid non diurnum est? Iustinus Martyr: y & Irenæus; è priscis nobilissimi Scriptores, acutè observant, post latam mortis sententiam in protoplastum, neminem omnino mortalium, secundum Dei Kalendarium, diem integrum vixisse: nam, Prophetis & Apostolis testibus; *Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut unus dies.* Atqui nullus hominum vixit mille annis, ergo nec diem totum. Quid, quòd si mille etiam annis quis vixerit, ubi mortem imminere senserit, omne tempus transactum, velut diem unum duxerit; quantò magis mortales nunc vitam suam diariam reputârint, atque ita indies sibi ac rebus suis consulant, ac si in crastinum non essent victuri? Augustinus, z *A prima,* inquit, *infantia usque ad decrepitam ætatem, spatium breve est. Quod tam diù vixerit Adam, quid profuisset ei magis, si mortuus fuisset hodie? quid diu est, ubi finis est? & modo cùm loquimur* (cùm ridemus, dum bibimus, comedimus) *ubique transimus, verba currunt, hora volant: sic ætas nostra, sic actus nostri; sic honores nostri* (Consulatus, Præturæ, Prælaturæ) *sic ista felicitas nostra. In hoc ergo spatio vitæ, bene vivamus; ut illò eamus, unde non transeamus;* ubi Magistratus, & Consulatus perpetui. Lepidè Cicero in re seria lusit, de Caninio Rebulo, alij Caium, alij Cainium Seavilium, alij Revilum appellant. *V. Macrob. 2. Saturnal. c.2.* In Fabij Maximi locum Consule suffecto per unum diem: *vigilantem sanè habuimus Consulem, qui nunquam in Consulatu suo somnum vidit;* qui crastinum non vidit, sed se vidit crastino, è Consule, in ordinem redactum. Mors consulares fasces, & *sceptra ligonibus æquat:* nec inter Calvariam Consulum, & civium, ac plebeiorum quidquam discriminis est. Quod si capita Reipubl. secum maturè expenderent, hoc si Domini Scabini, qui hîc in pulvinis sedent, recogitarent, non sic pauperes, orphanos, desertas viduas despicerent, sed accuratè hanc legem Deuteronomii servarent: a *Nulla erit distantia personarum; ita paruum audietis ac magnum.* Scirent certè, se aliis præesse, ut prodesse possint. Nemo quisquam concivem suum (cùm simus invicem

t Bern. Serm. 17. in Psal. (Qui habitat.) u Psal. 55. Hugo Card. in Psal. 55. x Horat. cit. y Iustin. in Tryph. Irenæus l.5. contra hæreses.

z Augustin. Serm. 42. de verb. Dom. a Deut. 1.

ƀem membra) contemneret; at contrà, velut caput etiam in infimum talum, benignè influeret, & faucio mederetur. Hanc optimam politiam nosceret, non suo commodo, aut lucro, sed bono publico, Religioni, Dei gloriæ, postpositis omnibus Machiavelli principiis, consulere: nec se, quem omnes verentur, ac reverentur, insano superbi typho efferret, quin potiùs illud veridici Vatis semper præ oculis haberet: *b*

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem:
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.
Consulis hoc munus, bene consulat omnibus unus:
Pauperibus mater sit, viduisque pater.

Consiliarius, ac Iudex omnis, quos ipse hodie in cōsilio judicârit, de his se meminerit, cras coram supremo tribunali judicandum. Quare virgam justitiæ ferream nôrit, quæ nullo auri pondere à rectitudine deflectat. Quod lege, & quidem divinâ, olim cautum; atque utinam hoc aureo sæculo servaretur! *c Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Unde iste nobilis, in civem tenuem, tam iniquam litem vicit? Iudex auro excæcatus est: quid æquum, quid iniquum, non videt. Quî fit causam Prælati, viri potentis tam citò expeditam? *pretio tollitur ipsa mora*, non spectatur jus eorum, quorum lites ad decennium protractæ, aut suppressæ. *d*

Qui caret argento, frustra utitur argumento.

Non attendunt avari Iudices, quod, quantum auri in crumenam, tantum sceleris in animam admittant; ut rectè Cassiodorus: *e Cum vendunt aliena crimina, sua faciunt esse peccata.* Consimiles hic pretio inhiantes, lubet paucis percunctari: *f Quem mihi dabis ex his, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se,* QUOTIDIE MORI? qui cras se ad Curiam supremi judicis, qui *justitias judicabit*, sistendum, indies in animum inducat, atque illud assiduò verset: *g*

Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina vitæ
Tempora, dii superi?

Boëthios, Symmachos, Moros sibi imitandos proponat.

Dic mihi, Magnatum quidnam est rexisse senatum?
Consiliumque roga, quid nituisse toga?
Christum, nempe, bonum si non habet ille patronum,
Consuluisse, tibi, non bene fertur ibi.

Advocatus es? nobilem provinciam nactus es. Sic enim Cassiodorus: *h Advocationis officio, si purè impendatur, nihil ornatius*; sed ut rectè munus exequaris, vir literatus documento sit, qui omnibus Causidicis, Legisperitis, ac quavis scientiâ, & eruditione claris, hoc sibi, & illis in Italia Epitaphium condidit: *i Id ago, ut mihi instar totius vitæ, sit dies; ut moriens vivam, vivo ut moriturus.*

Dum vetustos codices, & antiqua volumina voluis, scias te inter

b Seneca Choro 3. Thyestæ. c Exod. d Propert. l. 3. Eleg. 13.

e Cassiod. l. 6. Epi. 21. f Seneca Epist. 1. g Horat. l. 4. Carm. Ode 7. h Cassiod. l. 2 variar. Epist. 11. i Petnucquin Amour divin. part. 3. pag. 961.

inter mortuos versari, atque ex his vivere disces, & optima Juris præcepta hauries. Nulli causam iniquam suadeas, nullius suscipias, aut defendas. Ne pauperum, pupillorum, viduarumque lites negligas; ne in annos plurimos, restionum in morem, protrahas. Theophilum, Juonem, Elzearium sectare, qui se Advocatos pauperum professi sunt, eorumque causas, nemine rejecto, in perâ secum asportabant, & prandio etiam posthabito, expediebant: ut fusè diximus Parte 1. Lucis Euang. Dom. 18. post Pentecosten.

Denique, absolutissimum omnis Justitiæ exemplar tibi proponas, *a Advocatum quem habemus apud patrem, Iesum Christum.* Ceterùm, illud Sapientis quemque vestrum monitum velim: *b Abstine à lite, & minues peccata,*

Te precor, evites semper super omnia lites:
Causidici solos disce cavere dolos.
Hic spectat plenam nummis farcire crumenam;
Sed malè parta fluunt, ut malè structa ruunt.

Medicus quantumvis expertus, Apollinem, Podalirium, Melampum, divos habeat patronos, nec sibi nec alteri crastinum valet polliceri.

c Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri.

Quotidiana funera, & inopinati exitus, satis commonent illud Poëtæ: *d*

Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam:
Sera nimis vita est crastina, vive hodie;

& eas, quæ Medici sunt Christiani, partes tuere.

1. Medicus non gravetur intempestâ nocte, pauperi ægrotanti succurrere. Docet quippe Doctor Doctorum S. Thom. *d* Medicum teneri gratis mederi pauperi, quod probatur ex illo Joannis: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

2. Non vereatur potentes, & opulentos (spretis uxoris lacrymis, ac lamentis) præsentis periculi commonere, ut domui suæ, tempori prospiciat. Unde cùm salus non corporis, sed animæ æterna dependeat, jure meritissimo Pius V. *e* motu proprio, anno 1566. publico edicto cavit, ne ultra tertium diem, post monitionem confessionis, Medici visitent infirmum, & ut in solenni Doctoratûs actu jurent se hanc legem servaturos.

3. Cùm causas & radices morborum, podagræ, chiragræ, è frequenti potu; apoplexiæ, ex vehementi cholera; luis venereæ, ex vitio luxuriæ, & adulterino congressu; & plures crapulâ quàm ferro perire indies oculati testes deprehendant, illud sibi dictum autument: *f Medice, cura te ipsum.* Quod aureâ sententiâ inculcat Doctor aureus *g*. *Quomodo Doctori non sit opprobrium, velle curare alios, ipsum in majoribus manere peccatis, cum possit amplius, meliusque sibi, quàm aliis medicinam*

a Ioann. Epist. 1. cap. 2. b Eccl. 28. c Seneca in Trag. 3. Thyestæ. d Martialis.

e S. Thom. 22. q. 71. a. 1. in corp. d Ioa. 3. v. 17. f Bonacina in præcept. 2. di p. 4. q. 1. Fagundez in Sum. g Luc. 4. Chrysost. hom. 15. Operis imp.

ndam facere? Quibus animæ morbis, potiùs quàm corporis curandis, divini illius Medici opem imploret, quemadmodum ægri corpore, ipsius deposcunt. *a*

Hunc clamant totis ægrorum pectora votis.
Hunc celebrare lubet; sic Deus ipse jubet.
Sed magis oremus, Medicus Deus ille supremus.
O Medicus qualis! sit medicina malis.

Mercatoris fortè tibi sors obtigit? expende qui rationem accepti & expensi expendere consuevisti; *b quàm stultum sit ætatem disponere; ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est, spes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram; tum demum lassam, & plenam senectutem* (divitiis undique corrasis) *in otium referam.* Quàm stultè ac stolidè, futura in annos plurimos ordinabat dives ille Euangelicus *c qui cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? & dixit, hoc faciam: destruam horrea mea, & majora faciam, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita* IN ANNOS PLURIMOS, *requiesce, comede, bibe, epulare*; (ut hac festivitate plerique helluones faciunt.) At quàm brevis hæc voluptas omnis, quàm non diuturna, sed diurna fuerit, terrifica de cælo vox emissa declaravit: *Stulte,* HAC NOCTE (lux tibi hæc postrema est) *animam tuam repetent à te; quæ autem parâsti, cujus erunt?* Quod Hieronymus *d* non tam Marcellam, quàm nos monitos voluit, dum dixit: *Nunc cura superflua in annos plurimos duratura peragitat, nec recordamur Euangelii dicentis: Stulte,* HAC NOCTE *animam tuam repetent a te.* Divitiis fluxis inhias, ô stulte, & fortè hâc nocte Dominus omnium repetet à te; & quæ parâsti, cujus erunt? Clamat Apostolus: *e Ecce nunc qui dicitis; Crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus; qui ignoratis, quid erit in crastino.* Quod salutare monitum, utinam tam avidè Christiani, quàm Gentiles arriperent! Unum ex omnibus Senecam *f* audite: *Ipsam, quam premimus horam, casus incidit. Navigationes longas, & seros in patriam reditus proponimus: procurationes, officiorumque* filiis nostris, *per officia processus, cùm interim ad latus mors est.* Quæ cum omnibus te exuat, ita lucrum temporale spectes, ut non amittas æternum; ne sit, ut Augustinus monet, *lucrum in arca, & damnum in conscientia;* & cave, ne quem defraudes, ne falsas, & adulterinas merces obtrudas, ne ultra sortem exigas, ne ulna pollice brevior, mensura minor, libra scrupis aliquot gravior sit; *g quia statera dolosa, abominatio est apud Dominum*

2. Quemadmodum Mercator nunquam habet satis mercium, satis supellectilis, satis fundi, satis auri, & argenti, sed, *h*

Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

a Honora Medicum propter necessitatem (Eccl. 38.) b Seneca Epist. 102. c Luc. 12. d Hier. ad Marcell.

e Iacobi 4. v. 13. f Seneca cit. g Proverb. 20. h Iuvenal. Sat. 14.

ex centenis millenos, & alios millenos, & mille millenos conquirens; ita nos Bernardus hortatur, ut Mercatorum studium, curam, ac solertiam sectando, indies cæleste peculium adaugere, ire de virtute in virtutem, gratiarum ac meritorum thesauros accumulare nitamur. a *Videas*, inquit, *Mercatorem quotidie de re augenda, & multiplicanda solicitum; omne suum studium, ac solicitudinem convertere, ut novum lucrum faciat, suasque opes indies magis, ac magis adaugeat, hoc æmulari oportet, ut indies in virtute proficias.* Atque utinam eo studio, ac solicitudine quisque vestrum incumberet, ut divitias cælestes, opes æternas, regnum cælorum, bonum infinitum sibi comparet, quemadmodum ut caduca, fluxa, & peritura bona, hâc brevi lucis usurâ fruiturus conquirat. b

Impiger extremos currit Mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes!

Hoc illum agit insatiabilis sitis habendi, & auri dira fames, semper & ubique lucro inhians; seu mensæ accumbat, seu cubitum concedat, seu strato assurgat, de eo diù noctuque cogitat. Quod dum mellifluus Doctor è clarâ valle sua attentiùs considerat, jure omnibus ruborem incutit, dicens: c *Utinam sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares* (mercatores) *pecuniæ temporalis! magna enim confusio, magna valdè; quod ardentius illi perniciosa desiderant, quàm nos utilia: citius illi ad mortem, quàm nos ad vitam.*

Redemptor noster vos omnes negotiari jussit: d *Negotiamini, dum venio.* Nundinæ virtutum, bonorum operum meritorum, æternitatis beatæ. Unâ dumtaxat luce stant. Anima cujusque nostrûm, sit *navis institoris*, quæ auro, argento, gemmisque, id est, bonis operibus onerata in patriam redeat. At quàm multi animum fluxis, ac terrenis onerant! sunt velut *naves poma portantes.* e Opes quippe, honores, voluptates, nonne poma quædam aurea; speciosa, odorifera; sed quæ paucis diebus computrescunt? De his audi gravissimum Doctorem, Hipponensem, Antistitem: f *Ubi sunt diliciæ vestræ*, (divitiæ vestræ) *propter quas ambulatis vias pravas? non dicimus, ubi erunt? sed, modo ubi sunt? cum hesternum diem, hodiernus dies abstulerit; & hodiernum crastinus ablaturus sit, quid eorum quæ diligitis, non transcurrit, & transvolat? quid non fugit penè, antequam capiatur? cum ex ipso hodierno die, nulla possit vel hora retineri, omnia momenta fugitiva sunt:* Cumque dies abiêrit, & dormiêrint viri divitiarum, nihil invenient in manibus suis. Quodque gravius detestandum, poma sæpe portant mortifera, & Gomorrhæa, fraudis, injustitiæ, omniumque flagitiorum, quibus onustæ, ac oppressæ animæ, in profundum barathri demerguntur. Vide ergo, ita negotieris, ut animam lucreris. Quod magnus ille Indiarum Apostolus, S. Franciscus Xaverius, g per literas ex Indiâ, à Simone, sodali suo petiit, persuaderet Regi Lusitano, ut vel horæ quartam partem, quotidie

a Bern. Serm. 1. de altitud. & bassit. cordis. b Hor. l. 1. Epist. 1. c Bern. cit.

d Lucæ. 19 e Iob 9. f Aug. Ser. 25. de verbis Apost. g Lorin. in c. 4. Iacobi v. 13. Tursell. in Vita.

tidie meditaretur super illo Matthæi: *h Quid prodest homini, si universum Mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur*

Per mare per terras, quid tu, mercator, oberras?
Quæris opes, quales vix numerare vales.
Quidquid acervâsti, quidquid tibi, stulte, parâsti,
Dum nil ipse scies, auferet UNA DIES.

Confessarius es? Hic suas, & suorum partes agat Doctor Angelicus non injuria miratur, & portenti instar execratur, mortalem reperiri, qui audeat cum peccato mortali indormiscere; cùm nemo sit, qui crastinum sibi valeat polliceri. *i Cum in lectulo ad quiescendum membra posueris, noli confidere de lucis adventu.* Si quis subito catarrho, pleuritide, apoplexiâ, aliové lethali morbo obruatur; è vestigio ad chirurgum, ad Medicum concursatur. Ardentior febris charam conjugem invasit) ilico omnis Medicorum turba convocatur. Filius unicus sero vespere pectus, aut caput saucius, totus cruentus domum deducitur; num parens mensæ accumbere, cubitum secedere, vulnus in diem crastinum obligare differet? minime, inquit Antiochenus *a* Præsul, cujus hæc efficacissima argumentatio est: *Si fortè aliquid morbi corpus pulsaverit, statim & Medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni observantiâ, quod convenit, agimus; nec prius cessatur, quàm, quæ molesta sunt, mitigentur. Anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat; ne parva quidem pro eâ, nos cura solicitat,* ut ad Medicum animæ, hoc ipso die, quo lethale virus admissum est, recurramus. *Ecce*, inquit Gregorius, *b hunc diem, de quo loquimur; ad inducias conuersionis accepimus*, & salutis nostræ incurij procrastinamus. Tum subdit terrificum Chrysaorii exitum, quem altè stertentem, stygii tortores aggressi sunt, & nequidquam *inducias vel usque manè, inducias vel usque manè,* horrendâ vociferatione clamitantem, ad inferos rapuerunt; atque hoc epiphonematis loco subjungit; *Vt ejus visio nobis proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter expectat.*

Quare pœnitentibus omnibus, quin & ipsis Confessariis, unum non longe petitum, & in hoc genere planè illustre exemplum, ob oculos ponam, P. Ioannes Gauda, Societatis nostræ Orator *c* disertissimus, animi vel levissimos nævos, quotidiana exhomologesi, idq́ ea ratione, ac si in crastinum non victurus, expiabat, atque hoc modo indies augustissimis Eucharistiæ Mysteriis operabatur, animumque ita advertebat, ac si nunquã ampliùs facturus. Hac cogitatione armati omnes Confessarii, sacro in tribunali confidentes, Dei se Vicarios, ac Iudices meminerint; pœnitentiam medicinalem adhibeant; non vereantur, ne opulenti ac divites, salubriter perstricti, se spreto, aliò deflectant. *Nemo*, inquit Bernardus,

h Mat. 16. v. 26. i S. Basil. lib. cultit. Admonitio ad filium spirit. a Chrysost. l. 1. de comp. punct.

b Greg. Hom. 12. in Evang. b Bibl. Scriptor. Societ. P. Rho. variar. virt. cut. hist. l. 5. c. 3.

dus, *a vitia palpet.* Nemo Confessariorum vitia palpet: concubinam dimittendam liberè edicat; restitutionem famæ, aut pecuniæ, faciendam præscribat: occasionem peccandi, præsens periculum declinandum, præcipiat. Quod nemo in crastinum differet, qui verissimum illud Augustini secum ruminarit: *b Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.*

Religiosus fortè aut Monialis es? Hîc enimvero ad quid venisti, enitendum; cùm viri religiosi; ac fœminæ, professionem fecerint, sectandi perfectionem, ut disertè S. Thomas: *c Status Religiosorum, est status hominum, ad perfectionem tendentium.* Quæ verò ad hanc via brevissima, quæ methodus certissima, sancti Patres, ac viri ascetici paucis edocent, dum diem omnem, velut supremum ducere, & opus omne (quodquantumvis arduum, leve fiet) ut ultimum, peragere perscribunt Audiendus hic cumprimis, omnis perfectionis, & sanctitatis Doctor Angelicus, qui sic ait: *d Diligentiam apponere debemus, ut singula opera nostra, quantum unquam melius possumus, faciam, ex omni virtute Domini nostri Iesu Christi, & cum omni desiderio triumphantis, & militantis Ecclesiæ: & sub nomine Creatoris, quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & universitatis utilitas* (pondera, Lector, verba singula) *ex uno opere dependeat:* QUASI NUNQUAM AD ID OPUS REVERSURI, NEQUE ALIUD POSTMODUM FACTURI. Qui sic divinas laudes persolveret, sic ad populum verba faceret, sic opus humilitatis, mortificationis impositum exerceret, quantâ cùm animi puritate, fervore, perfectione quantâ illud adimpleret! Nec aliud Doctor mellifluus suis curæ ac cordi esse volebat, dum ad singula verba, & opera, eos ex seipsis hæc sciscitari præcepit: *e In omnibus cogitationibus, locutionibus, sive actibus tuis, dic tibi: Itane ageres, si hanc scires pro certo* NOVISSIMAM (non dico diem sed) HORAM?

Hoc ultimum monitum inculcavit supremus Magister noster Christus Beatæ Magdalenæ de Pazzis, tradens ei regulas perfectè vivendi, *f* quas inter hæc eminet: *Imaginare, omnia opera, & verba tua, fore ultima.* Saluberrimum sanè consilium: nam supremos, in his quæ postremò agimus, conatus effundere, levius videtur, quasi non ultrà laboraturis. Hac doctrinâ omnes suos imbutos volebat SS. Patriarcha noster Ignatius, qui hoc in negotio, animi sui

Cælestis Panthei Pars i.

sensus, subitâ admiratione prodidit: *g* dicentem enim unum è suis; tertium post mensem, facturum se rei aliquid, de qua tum agebatur; admiratus confidentiam: Meliora, inquit, frater; *bone Iesu! quod tibi verbum excidit? tune tantum vita tibi polliceris, qui* NE DE CRASTINO *securus es?*

Sic olim antiqui Patres, & spiritu ferventes Religiosi, ut te-

a Bern. serm. de S. Ioan. Baptist. b August. l. 1. de contrit. cordis. cap. 1. c S. Thom. 22. q 124. a. 75. d S. Thom. Opusc. 62. de div. mor. §. Deus omnia bene fecit.

e Bern. form. hon. vit. col. 2. f Lancicius Opusc. 3. c 9. n 287. g Ribad. in vita variæ, P. Rho. Virt. hist. l. 5. c. 3.

testatur Patriarcha Venetus; *h Sancti, omne vitæ suæ tempus prudentissime dedicaverunt Domino,* AC SI ESSENT SINGULIS HORIS MORITURI. Utque & sæculares habeant, quod imitentur, inter proposita, quæ sibi in sæculari vita præscripserat servanda B. Clara de monte Falco, *i* unum erat; *Vivendi cum multa cautela, & operandi adeo accurate, ac si quâvis hora foret vocanda ad reddendam rationem supremo Iudici.* Nec pudebit à gentili Philosopho *k* postremum hoc documentum accipere, qui sic epistolam concludit: *Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere;* SIC FIET, UT MINUS EX CRASTINO PENDEAS, SI HODIERNO MANUM *injeceris.*

Denique, ut eo revertamur, unde exorsi sumus, ut *diurna,* non *diuturna* hæc *Regalia* transfigamus, si ad Regem Regum, non jam vagientem in præsepio, sed regnantem in cœlo pervenire nitamur, Quod fiet, si omnem diem duxeris supremum. Quævis dies, erit tibi dies salutis, si quavis die credas te obiturum diem; atque indies solicitè expenderis, quæ evenient tibi, *in articulo illius diei,* *l* quando recoles pavidâ mente, repetes querulâ voce, illa verba Iobi *m Dies mei transierunt.* Quid hoc die non ageres? Hæc est dies tua; ergo *salva animam tuam.* Hæc est dies tua; ergo *miserere animæ tuæ.* Hæc est dies tua; ergo sic componas te, & disponas tua, ut quodlibet verbum, cogitatio, opus, quasi ultimum, sit semen æternæ felicitatis, sit fructus felicis æternitatis; ut die illo, qui non habet occasum, aliquando perfrui valeamus, qui ut nunquam non menti inhæreat, Religiosus juxta ac ingeniosus Poëta, hæc pauca chartæ, animoque impressa voluit:

> *Denckt hoe het vvesen mach al daer,*
> *Daer eenen Dach duert duysent laer:*
> *En peyst eens, hoe het vvesen mach,*
> *Daer duysendt Iaer, is eenen Dach.*

Quærunt hîc cœci mortales habere dies bonos, ducere in bonis dies suos; & non attendunt, quòd dies hi transitorii sunt, quòd dies pauci sunt, quòd dies mali sunt. Audiant hi Africanum Præsulem, ejusque dictis obaudiant: *n Vita beata esse non potest, nisi æterna. ubi sunt dies boni, nec multi, sed unus. Dies ille nescit ortum, nescit occasum: illi diei non succedit crastinus;* de hoc die Propheta Regius: *o Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Quæ idem Doctor expendens, ac disertè exponens, ait: *p Millia dierum desiderant hic homines, & multum volunt hic vivere: contemnant millia dierum; desiderent unum diem, qui non habet ortum & occasum, unum diem, diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non urget crastinus.*

h B.Laur. Iustin.de vita Solit.cap.9
i Bapt. Pergilius in vita. p. 1. cap 5.
k Seneca epist. 1. l Gen. 7. 13.
m Iob 7.18.

n Aug. serm. 17. de verbis Dom.
o Psalm. 83. v. 11. p August. in Psal. 83.

FESTUM

FESTUM
CONVERSIONIS S. PAULI APOSTOLI.

Vas admirabile, opus Excelsi. Eccl. 43.



Paulo majora canamus. Virg. Eclog. 4.

ARGUMENTUM.

SOlem illum, mundi oculum, lucis fontem è spissis noctis tenebris exorientem, omnes jure contemplantur & admirantur: cujus fulgore attonitus Ecclesiasticus, exclamat; VAS *admirabile, opus Excelsi.* At si lubet, hodie *a* PAULO *majora canemus*, ubi eum ex altâ perfidiæ nocte, & densâ infidelitatis caligine exorientem, VAS *Electionis*, VAS *admirabile*, quod per universum orbem, doctrinæ ac sanctimoniæ suæ radios, supra om-

nes

a Virg. Eccl. 4. Act. 9.

nem Solem, largiſſimè diffudit, oſtenderimus. Habet quidem Deus quædam *vaſa in honorem, quædam in contumeliam*; at hodiernâ die ſi velitis, exemplo ac monito Doctoris gentium, divinâ aſpirante gratiâ, vos reddere poteſtis vaſa electionis, vaſa in honorem, digna quæ in menſâ Domini reponantur. Ad quod plurimùm conferet, eos ſibi proponere, qui è tenebris; in admirabile lumẽ ejus devenerunt, & qui anteà vaſa lutea, fictilia, fragilia vaſa iræ; tandem metamorphoſi mirabili, in *vaſa aurea, ſolida, munda, coruſca*, ut *b* Sanctus Bonaventura loquitur, commutata ſunt: quæque priùs vaſa vacua, (qualia etiam hîc non pauca reperiuntur) poſteà, Dei gratiâ non vacua, ſed plena redundârunt.

b Bonav. ſerv. in Conver. S. Pauli.

§. I. *Peccator fit* VAS *admirabile, & opus excelſi, dum è tenebris venit in* ADMIRABILE LUMEN GRATIÆ.

§. II. *Paulus* VAS *coruſcum*, VAS *clarum, & luminoſum.* S. Thomas.

§. III. *Paulus* VAS *ſolidum, per donum patientiæ*: VAS *aureum propter conſtantiam firmitatis; quia nulli afflictioni cedebat.* Bonavent. in Converſ. S. Pauli.

FESTUM CONVERSIONIS S. PAULI APOSTOLI.

Vas electionis eſt mihi iſte. Act. 9. v. 15.

SUmmus ille rerum omniũ opifex Deus, jam universã hanc terrarum molem, cum herbis & frugibus; jam flumina & fontes, vaſtoſque cœlorum orbes, atque immenſam illam Empyriæ domus Regiam, è nihilo eduxerat, nec quidquam à beatis illis mentibus, in hoc mirando trium dierum artificio, laudis vel encomii audio perſonare, nulla in hiſce tantis divinæ omnipotentiæ prodigiis, Conditoris præconia audio celebrari: at verò ubi illa duo luminaria magna, lucidiſſimum mundi oculum Solem, *a* illud *vas admirabile* procreavit, extemplò omnium ora in divinas laudes reſoluta ſunt. Hoc aurei Oratoris inventum & documentum eſt: *b Lucidârunt te ſimul,* inquit, *omnes Angeli, cum creares Solem; tunc jubilârunt omnes*

a Eccl 43. b Chryſ. ſerm. 4. in epiſt. ad Phil. & Theod. in encomio Pauli.

omnes Angeli, cùm creares Solem; tunc jubilârunt omnes filii Dei. Atque hæc præfatus, ad deprædicandum eum, quem cælestem Doctorem habuit in terris, sermonem convertit: *Veruntamen non ita, quemadmodum cùm Paulum nobis toto orbe conspicuum faceres. Propterea cœlo splendidior facta est terra:* nam clarior ille solari lumine, illustriorem emisit splendorem. Solem quidem Ecclesiasticus, præclaro elogio: a VAS ADMIRABILE, *opus excelsi* pronuntiavit, cujus fulgorem, atque in res omnes sese diffundentem, virtutem, cœlestes illæ intelligentiæ, admiratione defixæ, laudibus celebrarunt. Verum ubi benignus Deus, Paulum *de tenebris, vocavit in admirabile lumen suum,* Alio stupore attonitæ, super peccatore altiora longè, & PAULO MAJORA canenda censuerunt. Eminentissimum illud Ordinis S. Dominici columen, & præfulgidum Ecclesiæ lumen, Hugo Cardinalis in Ecclesi. 43. paucis multa, in rem nostram: *vas admirabile B. Paulus, opus excelsi: quia immediate à Domino, sine ministerio hominis, est conversus.* Qui paulò ante vas abominabile, jam admirabile, 2. qui vas sordidum, jam fulgidum. 3. qui vas fictile & fragile, jam solidum & aureum; idque subito, *opus excelsi* effictus est. In hac tanta, tamque mirabili vicissitudine, & prodigiosa metamorphosi, divinam sese potentiam quodammodo exeruisse, observat idem Chrysostomus, b dicens: *quis loquetur potentias tuas Domine? quod Paulum non es passus delitescere, sed orbi universo virum hunc in lucem exhibuisti. Quis loquetur potentias tuas Domine:* quod Paulum ex nocte ignorantiæ & infidelitatis toti mundo solem dedisti, *quis loquetur potentias tuas domine* quod paulum lupum rapacem, in mansuetissimum ovem, persecutorem in prædicatorem commutasti? quam repentinam ac subitam conversionem prorsus stupendam, in omni peccatore per veram pœnitentiam & sinceram Confessionem indies fieri posse comprobabo.

a Eccl. 43. b Chrysost. supra cit.

§. I.

Peccator fit VAS ADMIRABILE, *& opus excelsi, dum de tenebris, venit in admirabile lumen gratiæ.*

Augustinus inter miranda quam maximè, divinæ potentiæ opera, inter quantumvis illustria, quæ usquam aut unquam patrata miracula, nullum *opus excelsi*, æque mirandum, juxta ac prædicandum, quam Conversionem peccatoris affirmare non dubitavit; ponderans quippe illa redemptoris verba: c *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet;* Prima fronte difficilia censet explicatu: quamvis enim umbra Petri, & hemicinctia Pauli, prodigiosa Christi opera, admirabilitate excessisse dicerentur; id tamen eximiis duntaxat, iisque paucissimis viris; per gratias gratis datas concessum: Christus autem ad omnes fideles loqui-

c Ioann. 14.

loquitur, *qui credit in me, &c.* Solvit igitur quæstionem D. Augustinus, dicens: opus maximè admirandum, à fidelibus patrari, per justificationem, quæ omnibus cæteris; excellentius miraculum est. Redemptor noster complures subito curavit, mortuos in vitam revocavit; nihilominus asserit *a* sanctissimus Doctor: *Si hominem te fecit Deus, & tu facis teipsum justum, melius aliquid facis, quam fecit Deus:* quia quod Deus per se non potest, salva tua libertate, hoc facit homo, Dei gratiâ adjutus. Libet hic vos Prophetæ verbis invitare, ut hæc mirabilia contemplemini: *b Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Multa quidem in terrâ Ægypti signa & prodigia edidit, sed longe alia per gratiam: *c quod majus potest esse prodigium, ait Cassianus, quam sub momento brevissimo, ex rapacissimis Publicanis, Apostolos fieri: ex persecutoribus truculentis, prædicatores Evangelii patientissimos reddi: ita ut eam, quam persequebantur, fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarint: illa sunt opera Dei.* Ejusmodi prodigium describit Petrus Blesensis, tractatu de Conversione Sancti Pauli: qui cum esset vas blasphemiæ, contumeliæ, & iræ, factus est vas honoris, vas electionis, & gratiæ, *vas admirabile, & opus excelsi*; quod adeo excellens, sublime, ac divinum *d* Magnus Gregorius æstimavit, ut suscitationi Lazari præferendum judicarit; Chrysostomus vero præponit præcelsissimis quibusque Christi miraculis: *e* Etenim *quid facilius sit dicere, dimittuntur tibi peccata tua; an dicere, surge & ambula*, ex eo manifestum est, quod dimittendo peccata, evidentius inquit S. Thomas; *f propriam declarat potestatem, dicens: ut autem sciatis, &c.* atque his præmittit: *consolidare corpus facilius est, & quanto nobilior est anima corpore, tanto excellentior absolutio criminum.*

Hæc divinæ potestatis miracula, hæc supra naturam prodigia, quotidiana sunt, & à confessariis, à vicariis Christi iudices plurima perpetrantur. Pharisæi quidem, ut inquit S. Thomas hic *verum dicunt: quia nemo peccata dimittere nisi Deus potest, & quibus dimittendi tribuit potestatem*, ac tandem subjungit, *sortiti sumus & nos* (sacerdotes) *ab eo tam mirabilem gratiam*; adeo *mirabilem* ut longe excellentior absolutio criminum, quam gratia sanitatum: longe altioris virtutis videtur scelerum, quam morborum curatio, sublimioris denique potestatis animarum, quam corporum à morte resuscitatio, quia *g præstantius est anima mederi peccatis mortuæ, quam iterum revocare ad vitam mortua corpora*, iterum moritura. Nihil prope tantam, mortales in admirationem rapit, quam mortuorum resuscitatio, illudque supra omnem captum humanum, fidei lumine dumtaxat speculandum proponitur, non unum alterumve vitâ functum, sed universum genus humanum in cineres redactum, aut quovis fati genere absum-

a Augufs. ferm. 15. ad verbis Apost. b Psal 45. c Cassian. coll. 2. c. 12. d S. Greg. l. 3. dial. c. 17.

e Chrysost. tom. 5. ser. 47. in illa verba; spirans minarum Luc. 5. f S. Thom. in Luc. c. 5. g Chrysost. in c. 14. Ioan.

absumptum, in ictu oculi, ubi novissima tuba insonuerit, resurrecturos; illo tamen fidei articulo, quid longe admirabilius observat *a* Eusebius Gallicanus: *videamus*; inquit, *quanto plus est quod præstat gratia*; *ecce vera miracula*, *ecce prædicanda miracula*, *stupendas immutationes*, *quas quotidie in nobis operatur redemptor noster*, *quando de pessimis bonos facit*, *castos de luxuriosis*, *humiles de superbis*, *de sectatoribus sæculi*, *amicos Dei*. Atque ut veram resurrectionem, quasi è cinere ostendat, exclamat: *quæ potest majora exercere miracula*, *quam quando hominem de substantia pulveris*, *in angeli statum provehit*? hæc eximia dexteræ excelsi facinora, peccator qui profundo scelerum luto demersus, qui in pulverē mortis quodammodo redactus, & jam plusquam quatriduanus, imo plusquā quadriennus fœtet mortuus, per gratiā in sacra exomolegesi ei impertitur. illico reviviscit, & in *statum Angelorum provehitur*.

Alterum est, non solum miracula in substantia, ut Theologi loquuntur; sed & in modo, omnibus admirationi esse: sic subitas, & instantaneas morborum curationes obstupescimus, & altiori virtuti merito adscribimus; at repentinam peccatorum conversionem, *vere opus excelsi*, longe plus admirationis ac stuporis sibi jure postulare. Ecclesiæ Patres ac Doctores omnes mecum suffragantur; subitam Matthæi conversionem, glossa in c. 9. Matt. Ioannes de Turrecremata. *b* aliique interpretes miraculis plenam affirmant, nec sine divinæ virtutis adminiculo hic *Publicanus Euangelista confestim evasit*. SS. Patriarcha, Venetus, *c* conferens celerrimam Matthæi & Pauli sanctificationem, *opus hic dextera excelsi* agnoscit: *quemadmodum inquit*, *crudelitas*, *est extincta in Paulo*, *ita avaritia cupiditas occisa in Matthæo*. *O Felix mutatio dexteræ excelsi*! *quæ de Publicano Apostolum*, *& de persecutore*, *Doctorem eximium effecit*. Sic è vestigio quæ fuerat in civitate peccatrix, facta est *d Apostolorum Apostola*. Tandem ut concludam, quoniam de Pauli conversione agimus, Saulum aut Saulo simillimum Neaniam induco: patrem hic Martyrem, matrem habuit gentilem; Theodoram nomine, quæ, ad mariti sui sanguinem, pro Christo effusum, adeo non erubuit, *e* ut filium Neaniam Deocletiano obtulerit, in aula ac ritu idolorum enutriendum: qui formā liberali, & acri cum esset ingenio, præfectus militum factus, à Diocletiano Alexandriam mittitur, ut Christianos illic exscinderet; jamque spirans minarum, ut alter Saulus prope Apameam in Syriā pervenerat, cum derepente terra tremere, cælum tonare & fulgurare, tum vox de cælo audita: *quo Neania*. &c. cumque interrogaret quis esset, vidit Christum Cruci confixum, & hanc omni fulmine acutiorem vocem audivit: *ego sum Christus*, *quem tu persequeris*. VAS ELECTIONIS *tu mihi eris*. Atque è vestigio conversus, Crucem ex auro

a Euseb. ser. 2. in Epiph. b Ioan. de Turrecrem qq. Euang. in festo Matt. art. 2.

c B. Lauren. Iustin. ser. de S. Matth. d B. Pet. Damian. festo S. Martini. e Metaphrast. Caussin. court. Sainct. tom. 3. max. 6.

auro fieri curavit, colloque appendit. Hæc ſigna vix intulit Agarenis, cum nobilem victoriam reportavit, ſed quod mirere, victori reduci, ubi filium primo triumphabundum complexa, bellum alterum, bellum crudele mater movit, quæ ut inaudijt ad Chriſti caſtra confugiſſe, idolorum fana ac ſtatuas evertere: furiæ inſtar, apud Diocletianum tyrannum, ipſa proprium filium arceſſere non dubitavit, hos barbaros animos in ipsâ matre obſtupuit vel ipſe tyrannus, nam confeſtim Neaniam virgis cædi, atque in carcerem detrudi jubet, ubi à Chriſto ſacrâ Baptiſmatis lymphâ tinctus, procopii nomine inſignitus eſt. Jam ducebatur, cum ſui impotens mulier, tam crudeli ſpectàculo inter, eſſe ſuſtinuit; ſed ut Pauli adſtantium, ita & hujus vox inter adſtantes (hoc Paulo ſuperior fuit) matrem permovit, & moriturus filius matrem peperit. Stupendam non minus illam latronis metamorphoſin, attentius ſecum expendens *a* Arnoldus Carnotenſis, ad tantum divinæ Clementiæ prodigium exclamat: Domine, *Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra! qui ex impiorum ore perficis laudem.* Facinoroſum hunc hominem *multis homicidiis*, ut *b* Chryſoſtomus, quin & *fratricidio*, ut S. Eulogius *c* loquitur, infamem, adhuc cædem ſpirantem, & humanum ſanguinem ſitientem brevi temporis intervallo, meritis magnos æquaſſe Apoſtolos, alioſque Eccleſiæ invictos pugiles, purpuratus ſui ſanguinis oſtro *d* Chartaginienſis Doctor teſtatur; *quid tu Domine amplius Scephano contuliſti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuum in cana recubuit? quid amplius Pauli meruere ſudores? quid labores ſanctorum? quid tot annorum tormenta? quid Martyrum plaga? una hora huic collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina pervenerunt. Sic tu Domine Amentarios, ſtatim facis Prophetas, Opilones Reges, Telonarios Apoſtolos, piſcatores Doctores,* atque ut plane divinum, & admirabile opus excelſi animadvertas, ſubitam commendat mali curationem: *neque inquit, ab his quos ſanas, lente languor abſcedit; ſed ilico, quem reſtituis, ex integro convaleſcit.*

Humana Medicorum induſtria, quamdiu laborat, ut hominem graviori morbo dejectum ſibi reſtituat? & quis non, ubi morbi tenacioris dolor, aut ardentioris febris calor remiſit, in convaleſcentis corpore languor? at ubi cæleſtis ille Archiatrus manum admovet, ubi divina medicina operatur, quantocius non modo omne malum detergit, ſed ne ægritudinis veſtigium relinquit; hoc aureo dicendi flumine confirmat *e* Chryſoſtomus: *Deus quando peccata abolet, nullam reliquam facit cicatricem, nullum ſinit remanere veſtigium.* Ita Regium Prophetam, Cardinalis Damiani *f ex integro* curatū ſcribit: David *illud ſingulare ſancti ſpiritus organum.*

a Arnol. Carnot de 2. Chriſt. verbo Pſal. 76. b Chriſoſt. hom. 55. in Gen. c S. Eulog. in apolog.

d S. Cyprian. ſerm. de Cæna Domi. e Chryſoſt. in c. 23. Luc hodie mecum. B. Petrus Damian. ſer. de Martino.

quem invenit Dominus secundum cor suum, cui revelata sunt incerta & occulta sapientiæ Dei, nonne cum homicidio & adulterio, insignitus est nota & nomine proditoris? sed vide quam celeri saltu pænitentiæ, resiluit ad arcem innocentiæ: & grandia vulnera sic revinxit, ut non solum vulnera, sed nec etiam cicatricis vestigia remanerent. Pulcherrimè ad præsens quod tractamus argumentum, Hipponensis Antistes ipsum D. Paulum inducit, tamquam ægrum depositum, subito sanatum à cælesti medico, qui ad artis suæ specimen ostentandum, hominem de quo conclamatum, ilico curavit, ut confidenter omnes quavis infirmitate divexati, ad illum recurrant: *a faciunt hoc medici quando ad ea loca veniunt, ubi ignoti sunt, quos curent, primitus eligunt desperatos, ut in eis & benevolentiam exerceant, & commendent doctrinam: ut unusquisque in illo loco dicat proximo suo, vade ad illum medicum, securus esto, sanat te, & ille me sanat, non vides? tu quod pateris, & ego passus sum. Sic dicit Paulus unicuique ægroto, & de se volenti desperare: qui curavit me, misit me ad te: Deus dicit, vade dic ægrotis, clama desperans; fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere. Quid timetis, quid trepidatis? quorum primus ego sum: ego vobis loquor, sanus ægrotantibus &c.*

Proverbii loco olim ventilatum est: *nunc & Saul inter Prophetas?* ita & in præsentiarum: num & *Saulus inter Apostolos*; in testem adduco, maximum orbis oraculum S. Gregorium, Pontificem Doctrinâ & sanctitate maximum: *b tunc ii qui audiebant, dicere poterant: num & Saulus inter Apostolos, hoc tam in electorum Proverbium versum est. Conversio B. Pauli Apostoli, c* inquit Bernardus, *facta est Proverbium peccatoris.* Nemo itaque desperet, nemo etiam maxima gravissimorum scelerum mole pressus, de auxiliatrice Dei manu, quæ non est imminuta, diffidat. Hos stimulos, contra quos recalcitrandum est, leniter subdit Doctor Mellifluus: *d quis desperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum, & cædis in discipulos Domini, subito factum* VAS ELECTIONIS? *quis dicat iniquitatis pondere pressus, assurgere ad studia meliora non valeo, quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat persecutor crudelissimus in fidelissimum repente mutatus est prædicatorem.*

Consimile quid evenisse comperio Andreæ Corsino: videbatur sibi mater ejus, Pellegrina nomine, utero lupum ferre, sed qui paulo post, in agnum convertebatur, oraculum non somnium fuit: *e* Corsinus etenim adolescentior vitæ licentioris, aliquamdiu cum mundo ululavit; tandem cælesti radio collustratus, Carmelitanæ familiæ se addixit, ac deinde ad infulas assumptus Ecclesiæ Fesulanæ, post exantlatos Dei caussa labores, divorum fastis adscriptus est; Tum, ne verbis inherere videamur, praxim ostendo, modum exhibeo, methodum

a August. serm. 10. de verbis Apostoli.

b S. Greg. l. 1. reg. cap. ultimo. c Et Bern. serm. 2. in convers. S. Pauli.
d S. Bernar. serm. 1. in convers. S. Pauli.

thodum ostendo, ut quemadmo- S. Paulus *subito* factus est vas electionis, ex persecutore repentè mutatus in prædicatorem, & *factus ovis ex lupo*, ita tu peccator subito fieri possis vas electionis, cælesti gratia refulgens, ex hoste Dei repente hæres regni, ovis ex lupo, agnus ex porco, columba ex miluo. Disertissimus Pauli Encomiastes Chrysostomus, illud solerti suo ingenio annotavit, animalia qualia arcam ingressa, talia egressa fuisse: *a ingressus* inquit, *est miluus, egressus est miluus: introijt lupus, exiit lupus*, & sic de cæteris; Paulus vero, ut *Ecclesiam arcâ præstantiorem ingressus est miluus, egreditur columba: introiit lupus, exiit ovis: ingressus est Serpens; egressus est agnus; non quidem immutata natura, sed explosa malitia.*

Quæ si cuipiam parva videantur, adjicit majora, dum ipsum Paulum arcæ huic mysticæ, in qua hæc animarum metamorphoses fiunt, comparavit: *b arca* inquit *illa corvum recipiens, corvum rursus emisit, & includens lupum, feritatem ejus mutare non potuit; hæc vero*, (agens de Paulo) *accipitres miluosque suscipiens, fecit columbas, & excludens omnem irrationabilitatem atque ferociam, mansuetudinem spiritus introduxit*, ut in Augustino, qui ex corvo cygnus factus, aliisque patuit. Porro quod vos spectat, divinissimus Ecclesiastes S. Vincentius, *c* Arcam Noe, Sacramento pœnitentiæ, atque adeo sedi confessionali (quæ *Arca longè præstantior*) conferre voluit, ubi quod de Paulo dictum est, efficaciter fieri comprobatur: hanc etenim *ingressus milvus* carnivorus, spirans vindictam, *egreditur Columba* sine felle; intrat lupus, aut leo iracundiâ, & rabie omnia devastans, ac evertens domesticos suos: & exit ovis mansuetudine; ingreditur serpens callidus & versipellis, & exit agnus totus innocens & sincerus; ingreditur Camelus, avaritiæ gibbo gravatus, & evolat omnibus terrenis spretus, avis Paradisi. Subintrat porcus, immunditiæ sordibus contaminatus, & egreditur candidissimis castimoniæ pennis insignis cygnus: *non quidem immutata natura, sed expiata malitia.* Qui ejusmodi in Matthæo, in peccatrice femina, in latrone, in Paulo, mirabilem conversionem obstupescitis, in vobis ipsis cum lubuerit, hanc Arcam ingrediendo, experiri potestis, idque in momento, uti in illis factum est: *a Non erit mora inter confitentem & remittentem.* Accedit Doctoris Angelici irrefragabile testimonium, qui ad ægros alludens; *b* ait: *nec mora ulla, sanitas intervenit, unum dictorum, remediorumque* MOMENTUM *est.*

Justificatio à Theologis, in animo fieri asseritur, quemadmodum tenebras lumen, & noctem dies pellere, nullâ morâ mediante videmus; ut inter terminum noctis desinentis, & lucis advenientis, nihil mediet; ita inter noctem peccati, & lucem gratiæ, nullum momentum intercedit. Talis illa repentina, & momentanea Latronis conversio: *c Latrocinium damna-*

a Chrysost. in prœm. ad Isaiam. b Chrysost. hom. 1. de laudibus S. Pauli. c S. Vinc. Dom. 3. post oct. Epiphan.

a B. Pet. Damian. ser. de S. Martino. b S. Thomas in cap. 5. Luc. quid est facilius. c Cyprian. ser. de Cœna Dom.

damnationem meruerat, & supplicium, sed cor contritum, pœnam mutavit in martyrium, & sanguinem in baptismum: in MOMENTO *impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & statim consumatus, Civis Sanctorum, & Domesticus Dei, præmissus est in regnum.* Quod luculentius in admiranda Pauli Conversione, & in justificatione, observandum est; *a in occidente vetus, in oriente novus: in occidente Saulus, in oriente Paulus.* Ortus ab occidente, duo includit: occasum Solis, & ortum Solis: duo etiam in remissione peccatorum concurrunt, occasus culpæ, & ortus gratiæ, *quando* inquit *b* Augustinus, *peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia. Peccata tua, tanquam in occasu sunt, gratia qua liberaris, in ortu est.* Et quidem si per Contritionem, & Confessionem, peccatum duntaxat remitteretur, sine infusione gratiæ, inæstimabilis pretii & valoris esset Contritio ac Confessio; at modo non solum est occasus peccati, sed & ortus, & lumen gratiæ; quare qui fuistis *aliquando tenebræ*, id est interprete S. Thoma, *c tenebrosi per peccatum*, nunc rogo vos ut fiatis, *Lux in Domino per participationem: quia gratia est participatio infinitæ claritatis*; qui fuistis VASA MORTIS, & VASA INIQUITATIS: qui fuistis VASA IRÆ, VASA IN CONTUMELIAM, ignibus æternis abdicendi, hodiernâ die vos reddere velitis, cum possitis, *vasa in honorem:* alius vestrum vas *Electionis:* alter vas dilectionis; alius *vas admirabile opus excelsi.* Refert Sabellicus, & Æneas Silvius, *d* anno salutis 790. Imperante Carolo Magno, ducem gentis. Ingonem nomine, ingens convivium, Provincialibus Dynastis hæreticis, simul & agrestibus Catholicis extruxisse; atque his quidem benevolè ad conspectum suum intromissis, in vasis aureis atque argenteis; nobilibus vero ac Magistratibus Heterodoxis, alio in conclavi, procul à se remotis, fictilibus ministrari jussisse; interrogatus cur id faceret, respondit: non tam mundos esse qui urbes & alta palatia, quam qui agros & humiles casas incolunt. Rusticis qui Christi Evangelium accepissent, Baptismatis undâ ablutis, candidas & nitidas esse animas; nobilibus vero ac potentibus, qui spurcitias idolorum sequerentur, sordidas & nigerrimas; se ergo pro animarum qualitate instruxisse convivium. Perstricti hoc salubri documento nobiles, brevi tempore sub Vergilio, & Annone Episcopis, vitiis omnibus, & spurcitiis rejectis, Christi fidem suscepêre, de quibus illud Pauli ad Rom. 9. rectè pronuntiaro: *sustinuit Deus in multa patientia* VASA IRÆ, *apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ,* IN VASA MISERICORDIÆ; sustinet & vos in multa patientia, VASA IRÆ, *apta ad interitum*, id est interprete D. Thoma: *in se habentia aptitudinem ad æternam damnationem*, vasa iniquitatis, vasa toxico & veneno flagitiorum redundantia. Cujusmodi vel ethni-

a Aug. hom. 14. & 50. b August. in psal. 102. c S. Thom. epist. ad Ephes. 5. v. 8. S. Thom. 22. q. 24. a. 7. Psal. 7. Gen. 49. Sabell. l. 3.

d Æne. Syl. c. 20. Europa.

ethnicus & barbarus Imperator Heliogabalus despectui habuit, de quo *a* Lamprodius: Imperatorem misisse Parasitis per Cellarios, salaria annua, vasa cum scorpionibus & serpentibus, aliisque hujusmodi monstris, addebat simul, iis vasis infinitum muscarum numerum; significare volens, ipsos esse vasa serpentibus plena, atque instar muscarum volitare per mensas, & cupedias sectari. O si introspicere contingeret vasa, quæ hic congregata! quot scorpionibus, serpentibus, muscis oppleta cernerentur? De ejusmodi olim divinus vates questus est, *Israël factus est, quasi* VAS IMMUNDUM, in quem locum S. Bonaventura: *b immundum & repletum sordibus, hoc est abjectis cogitationibus, indecoris verbis, turpibus actibus.* Talem se dolebat juvenis ille apud Sophoclem, quod turpiter esset educatus, *ita me bellum vasculum, turpitudine replisti.* Nonne plures id de se facile queri possunt: ego vas repletum sordibus, fœdis cogitationibus, indecoris lasciviæ verbis, turpibus luxuriæ actibus, quasi tot serpentibus & scorpionibus refertum; quos ut expiare velitis, moveat illud, quod Lorinus in acta c. 9. docet: eos qui hac festa luce Conversionis S. Pauli nascuntur, non morderi à serpentibus. Utinam quod excellentiori beneficio adscribendum, qui hodie cum Paulo, Deo renati sunt, nunquam à mortifero noxæ serpente inficiantur? Nunc ut cum divo Thoma *c* loquar, ad secundum sic proceditur: *quasi sol fuit, nuntians in excelsis,* VAS ADMIRABILE, *ut comprobavit miraculis coruscando, verbis prædicando, exemplis demonstrando.* Doctori Angelico, consentit Seraphicus, qui eidem Bibliothecæ insudavit: hic omni Tullio & Tertulliano eloquentior, sic ad populum: *d Paulus fuit* VAS CLARUM ET *luminosum per donum sapientiæ, unde de ipso potest exponi illud Eccl.* 43. VAS *castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens.* VAS CASTRORUM *dicitur, quia per eum castra Christianæ militiæ illuminantur. Quis unquam sic docuit, Christum prædicavit, & quis sic mundum illuminavit, ut Paulus? unde dicitur quod in firmamento cæli resplenduit.*

Atque hisce principibus Ecclesiæ Doctoribus, Angelico & Seraphico lubens subscribo, quidque velint, fusius enarrabo.

§. II.

e PAULUS VAS CORUSCUM, VAS CLARUM ET *luminosum.*

BAronius Cardinalis a. 407. refert D. Proclum non semel conspexisse, Chrysostomo scribenti S. Paulum adstantem, ejusque auri omnia suggerentem: cujus fulgore quam collustratus fuerit, ipse de se luculenter fatetur, dum sic exorditur: *f sæpe fulgido cæli globo delectatus oculus, ad spectaculum oppositi è regione luminis, sese violenter intendit: & licet sentiat aciem*

a Lamprod. in vita Heligobali. cap. 24. 26. b S. Bonav. serm 1. de S Martino. c S. Thom. serm. de S. Paulo.

d Bonaven. festo conversionis S. Pauli. e S. Thom. S. Bonav. f Chrysost. hom. 8. de laudib. S. Pauli.

aciem suam imparem radiorum esse certamini, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inaccessibili radiantis orbis velaffatur splendori. Tale igitur quidpiam ego ipse perpetior, qui cum videam propriæ mentis oculos, ex radiis Apostolici splendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam, miro fulgore virtutum radiantem, velut eminus intueri: sol enim quidam hominibus est Paulus. Tum aurea fondi copiâ, *a* naturales solis nostri muti, & inanimati proprietates & effectus, cum his quos divinus ac vividus ille sol Paulus, in mortalium animis operatus est, conferre aggreditur. ipsum audite: *sicut radiis solis orientibus, fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures & latrones, sic Prædicante fulgente, & Euangelium dissemimante Paulo, fugabatur error, veritasque remeabat; idololatria, ebrietates commessationes, stupra, adulteria, aliaque dictu fœda defecerunt, atque consumpta sunt instar ceræ, ignis vapore pereuntis, & instar palearum, quæ subito cremantur incendio.* Errabat Augustinus in tenebris, & umbra mortis, noctemque suam flagitiorum, ipsasmet exhorrescebat; cum forte quo figeret gressus non videret, sub arbore fici abjecit se, & ecce intonuit auribus ejus vox: *tolle lege, tolle lege*; arripit, & aperit; quem penes se habebat codicem, & illa sibi Pauli, *b* verba offerri vidit: *non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum*; quibus verbis tanta derepente animo illius lux suboriri visa est, ut è vestigio à Venere, ab impudicitiis, ab hæresi, à noxis omnibus; seu nocte criminum, in lucem fidei ac virtutis ambulare cœperit. Quot apices epistolis suis continet, tot radios evibrare deprehenditur, quibus heterodoxi innumeri præstricti, homines flagitiosi per sacros Ecclesiastes, *c* sententiis Pauli salubriter illuminati, opera tenebrarum, erroresque exosi, in die honeste ambularunt, ut de illo Ecclesia: *Deus qui universum mundum Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti.*

Si unica Pauli sententia, si mutæ voces chartis leviter aspersæ, si expertes animi, sensusque typi, tantum ardoris, tantum splendoris mentibus aspersere, quos non animorum motus concitasse putatis, ipsam Pauli vocem, & qui in voce emicabat spiritus? te tuaque vota testor Augustine: *c* tria tibi cœlo propitio optasti olim; Christum videre in carne conversantem, Romam in flore triumphantem, Paulum in sede pulpitoque fulminantem; si hoc tibi concessum fuisset, ut è cathedra tonantem audire, & vivæ vocis oracula seu fulmina vibrantem excipere licuisset, quomodo non totus in flammas abiisses, qui ut in scriptis spirantem videre, & legere dumtaxat contigit, usque eo exarsisti? Paulo quippe per orbem fulgurante, quis est qui se abscondere potuit à calore ejus? *d Sol siquidem est hominibus Paulus non mutus & elinguis, sed qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ*

a Chrysost. hom. 4 de laudib. S. Paul.
b Ad Rom. 13.

c Possidon. in vita. d Chrysost. hom. 5. de laud. b. Pauli.

suæ radiis illustrans, quicquid universas circumeundo gentes, cursum omnino solis imitatus est.

Prodigium illud humanæ industriæ, & naturæ miraculum, Memnonis statua, solis radiis divino velut spiritu animata, humanas voces articulatè proferebat, parum hoc, non voces humanas, sed divinas, tonitrua & fulgura à sole nostro emicare, clarè & magnificè docuit. *a* Hieronymus, PAULUS VAS ELECTIONIS, *tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ. Quam quotiescumque lego, videor mihi non verba; sed audire tonitrua.* Ita quondam illo apud præsidem felicem act. 24. *disputante de justitia, & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix*, quasi ingenti tonitru percussus, cætera audire reformidavit, ut de eo verum sit illud Prophetæ regii: *b ab increpatione fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.* Etenim si Vespasiano datum est laudi, quod de eo *c* Plinius: *quanto in ore, patris laudes tonas?* si Pericli oratori, gloriæ hoc fuit, quod de illo *d* Quintilianus: *non loqui, non orare, sed fulgurare, & tonare videbatur.* Quanto magis, ut & nos Pauli æmulatores simus, hoc Christiano oratori, superiori omni, Patrifamilias, viro cuilibet honorato, satagendum est, ut Dei laudes tonet, in vitia, in spurcitias, in detractiones, in perjuria, in irreverentiam, in domo Dei fulmina ejaculetur. Sed ut ad Paulum revertamur, nec Aquila, nec telo quantumvis validis lacertis emisso, nec globo æneo summa vi machina bellica exploso, ea pernicitas quæ fulgeri & soli qui quaque hora conficit quingenta octo millia & octingenta milliaria. Paulus agebat annum quartum supra trigesimum, cum exoriri cæpit, & instar fulguris paruit ab oriente in occidentem. De Palladio cursore quodam Romani Imperii celeberrimo ac celerrimo, *e* dicere solebant ad Theodosium, ejus principes ac dynastæ, cum festivo quodam plausu: Palladium fecisse augustissimum illud Romanorum Imperium breve & angustum, quia tanta illud celeritate circuibat, ac perlustrabat, ut breve & angustum videretur. Quid vero Paulus? non modo Romanum Imperium, sed universum orbem, exiguum reddebat & angustum, tanta illum pernicitate decurrebat, quod D. Chrysostomus diserte expressit, dicens: *f Apostolum totam sub cælo regionem, quanta quanta est, volitando circumivisse* & iterum: *tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem.*

Ipsum testem habemus ad Rom. 15. ab *Hierusalem* inquit, *per circuitum* (solis instar grande) *ad Illyricum replevi Evangelium.* Quare D. Thomas hic *nullus* inquit *Apostolus per tot loca prædicavit. & annuntiavit Christum ut Paulus.* Cui accedit irrefragabile Hieronymi *g* testimonium. *Paulus ab oceano usque ad oceanum cucurrit, imitans Dominum suum, & solem Justitiæ, de quo legimus. à summo cælo egressus ejus: & occursus ejus usque ad summum ejus ut ante eum terra deficeret, quã*

C 2 *studium*

a Hieron. in Apologet. ad Pammachium Epist. 10. c Plin. in præfat. d Quintil. l. 6. c. 6.

e Niceph. l. 14. cap. 21. f Chrysost. hom. 1 de laudib. S. Pauli. g S. Hieron. lib. 2. in 15 Amos & psal. 18.

ſtudium prædicandi. Quod quo effectu, quo fructu factum ſit, ex aliis ſolis proprietatibus, cuique facile eſt divinare: ſic enim de illo Chryſoſtomus, *a* ubi ſolari lumine illuſtriorem pronuntiaſſet: *quantum* inquit, *hic nobis peperit fructum,* non ſpicas pinguefaciens, aut *humectans ſed pietatis frugem, & proferens, & ad maturitatem perducens.*

Tum aliud in Paulo prodigium animadvertit, dicens: *ſol ille, ſi quid ex arborum fructibus emarcidum fuerit, nihil poterit juvare; Paulus vero etiam eos qui innumeram è peccatis marcedinem contraxerant, reſtituit:* tranſiit etenim ſanando omnes corporis animique morbos, imo mortuos ad vitam revocando, ſolis inſtar iſtius, de quo Malachias: *b & ſanitas in pennis ejus*, ut ex illo ſplendido purpurati. *c* Patris manifeſtum fit elogio; *reſpice Paulum totum Illyricum peragrantem, ſuſcitantem mortuos, ſubvertentem templa deorum, & in ſplendore hujus lucis, totius orbis illuminare circuitum. Currit Paulus, & potenti virtute ſermonis illuminat quæ in tenebris ſunt, clarus ſermone, opere clarior.* Nunc ad vos auditores ſermonem converto, & Paulum vos hodierna die paucis hortantem induco: *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*, non in Illyricum vos, non in terras exteras, ad animas Deo lucrandas ablego, ſed ut *clari ſermone, opere clariores*, filiis, fratribus, domeſticis, ac ſubditis omnibus præluceatis, & *frugum pietatis* proferatis, quos Deus hic ut luminaria magna lucere voluit; Vos Religioſi, & Eccleſiaſtici, vos qui in magiſtratum ſubſelliis, in togatorum curiis ſplendidi emineris, *vos eſtis lux mundi*, ut luceatis; non ſicut ignes fatui, qui ut Delrio *d* ait: pelliciunt in ſtagnorum fluminumque voragines, ac præcipitia; ſed velut ſecunda ſydera & cynoſura, ad quam ſe fluctuantes dirigunt, & in portum ſalutis appellunt. Sapientiſſimus Græcorum Solon, viros principes ac magnates ſoli populares vero homines, eorum umbras vocitabat; ut enim umbræ, figuras corporis, ita hi nobilium ac potentum mores concinnos, aut diſtortos, quales quales fuerint; adumbrare conſueverunt: Paterfamilias lux ſit, luceat filiis, famulis, domeſticis ſuis morum integritate, linguæ continentiâ, victus temperantiâ, luceat munificentiâ in pauperes, pietate in Deum & cælites: quot hebdomadis; ut minimum menſibus, præmiſſa exomologeſi, animam ſacrâ ſynaxi reficiat. Materfamilias luceat filiabus, ancillis, pediſſequis, fructum pietatis proferat, numquam otioſa deſiderat, ſæpius ſe ad domeſticum oratorium recipiat, Virgini matri peculiarem cultum exhibeat, omneſque in ejus amorem inflammet.

§. III.

PAULUS VAS SOLIDUM *e per donum patientiæ, vas aureum propter conſtantiam firmitatis, quia nulli afflictioni cedebat.*

AUdax quibuſdam illud Pauli dictum cenſeri poſſet *a abun-*

a Chryſoſt. hom. 4 in epiſt ad Philippen. b Malach. 4. c B. Pet. Damian. ſer. 3. de S. Paulo.

d Delrio in diſquiſ. mag. l. 2. q. 10. e Bonav. ſerm. in converſ. S. Pauli.

a abundantius omnibus laboravi; constat quippe alios Apostolos, à cælesti patrefamilias summo mane in vineam missos, ac proinde tulisse pondus diei & æstus; Paulum vero serius venisse ad laborandum, sub undecimam, anno ætatis suæ 34. quod nec ipse erubescit, dicens: *b novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est & mihi.* Apostolos insuper atrociori supplicio affectos fuisse, quis vestrum ambigat? Petrus etenim inverso corpore Cruci confixus, lenta morte expiravit: Andreas biduum in patibulo suspensus, magnis cruciatibus efflavit animam Bartholomæo cutis toto corpore detracta est: D. Jacobus & lapidatus, & ex eminenti præcipitio deturbatus, tandem impacto ad caput fullonis fuste excerebratur: D. Thomas multis jaculis confossus, mortem pulchra per vulnera oppetiit: imo & ille dilectus Domini Joannes, si non mortem, saltem tormenta ad mortem inferendam quam acerbissima, sustinuit: & sic de cæteris: Paulus vero uno ictu, capite & vita minutus, quod genus mortis, inter violenta brevissimum & suavissimum censetur; nihilominus testimonio ipsius Pauli, qui non, ut vanus suarum laudum ostentator, sed ut verus suorum laborum, ad ædificationem totius Ecclesiæ Scriptor, patet, ex 1. ad Corinth. 15. *abundantius omnibus laboravi.* Ubi inquit D. Thomas, *c* se omnibus Apostolis, qui plurimos labores pro fide susceperunt, anteponit, & fusius probatur ex multitudine laborum ac difficultatum quarum ipse brevem catalogum contexuit, *usque in hanc horam & esurimus & sitimus, & colapsis cadimur.* 1. Corinth. 4. & rursus 2. Cor. 11. *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, &c.* Quæ quanta & qualia fuerint, his verbis testatur Chrysostomus, *d* dicens: *si omnia quæ toleravit, & celeriter percurrit Apostolus, narranda essent, sexcenta volumina implevisset.* Tum ut probet omnibus abundantius laborasse: *quemadmodum si miles unus ab universo terrarum orbe, bello impetitur, inter medios hostium cuneos versatus, nec quidquam adversi patiatur; sic etiam Paulus solus inter barbaros, inter gentiles, ubique terrarum invictus permanebat.* Atque Epiphonematis & acroamatis loco subjungit: *quæ Sancti omnes in tot corporibus pertulerunt, ea hic universa: in uno toleravit.* Ea quippe fuêre laborum pondera, tum gravia & frequentia, ut non laborare, sed animam exhalare quotidie videretur; juxta illud Apostoli ejusdem testimonium, 1. Corinth. 15. *quotidie morior propter vestram salutem fratres:* quod expendens Chrysostomus *e* notat alios Apostolos semel mortuos fuisse; *Paulus vero semet ipsum per singulos dies immolabat, quotidie moriens, & consummans voluntate martyrium.* Et alibi expressius: *f qui martyrio perfungitur, semel moritur; at beatus ille vir, in uno corpore atque una anima tot pericula tamque gravia sustinuit,*

a 1 Cor. 15. b 1 Cor. 15. c S. Thom. 2 ad Corinth. 11.

d Chrysost. hom. 25. in 2. ad Corinth.
e Chrysost. hom. 1 de laud. Pauli.
f Chrysost. hom. 25. in 2. ad Cor.

ftinuit, ut vel adamantinum pectus imitari possent. a Nec minus diserte hom. 1. de laudibus Pauli: *quænam est ita adamantina anima, quæ Pauli patientiam possit imitari?* quæ nullis persecutionum ictibus cedebat, nullis adversitatum tunsionibus frangebatur, ipso etiam Jobo, singularis patientiæ exemplo, tolerantior, *quæ enim Job in corpore etiam Paulus mente sustinuit.*

Denique ut laboribus, ita & meritis, Apostolum omnibus antecellere, divi Hieronymi testimonium est Epist. 13. ad Paulinum: *noli fidem pensare temporibus: me idcirco meliorem putes, quod prior in Christi exercitu cœperim militare; Paulus Apostolus & VAS ELECTIONIS, de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laboravit.* Magni hujus Pauli gloriosus æmulator, & vas solidum, ex altero orbe, cum hic desinit, petamus: Nicolaus Trigautius ex India redux narrare, & è pulpito deprædicare, vel ad illius regionis commendationem, vel ad nostrum ruborem solebat. b In India adolescens erat *Paulus* nomine, isque viro nobili servus à pedibus, ab hero suo sæpius male excipi solitus, vel eo tantum quod Christianus esset. Gestabat ille ex regionis illius more, laxiores in vertice comas, quas die quadam prensans, stringensque sui impotens herus, stricto pugione, juguloque servi sui imminet, & incumbit totus; jamque ferrum in viscera adacturus videbatur, cum ei hoc famulus: absit inquit, mi Domine, ut datam Christo fidem fallam, ut eam ejurem, absit etiam ut adeo inglorius moriar; ut velut vas fictile primo ictu concidam, & conterar: optem millies pro Jesu meo emori; utque se *vas solidum*, nullis ictibus confringendum comprobaret, si pro religione inquit, Christoque mori voles, jube nudum totis tuis regionibus, urbibus, oppidisque circumduci, & per compita flagris cædi, atque à capite ad calcem horrendum contundi; tum per omnes corporis partes, membratim jube dissecari extremos digitorum articulos, dein manuum, tum brachia truncando; demum capite minui; ita tamen, ut non uno ictu à trunco dividatur, sed iterum iterumque repetitis ictibus avellatur, hoc mihi mortis genus eligo, adolescente Christiano dignum. Invictum adolescentis animum, vita morteque majorem suspexit, & dilexit herus, abjectoque ferro, omnique ferocia: per me inquit, Christianus ut voles, esto: necesse enim est sanctissimam esse religionem illam, à qua non nascuntur, sed fiunt viri fortes, solidissimique heroes, nullis ictibus tormentorum confringendi. Quis nostrum ad hæc non rubore suffundatur? nos vasa fictilia, fragilia, vitrea, quod amarissimè, & suis olim temporibus Bonaventura deploravit, c *Facti sumus hodie vasa ferrea & aurea, non argentea, sed vitrea*

a Chrysost. hom. 1. de laud. Pauli.
b Lobbetius via vitæ & mortis l. 3. c. 5. §. 10.

c Bonav. serm. in Convers. S. Pauli.

vitrea, quæ modico tactu franguntur, modico tactu morbi, febriculæ alicujus, animo frangimur, acutior calamus nos frangit, obliquus oculus nos frangit, non verbere opus, verbum acerbius nos frangit, imo ſuſpiciones & umbræ, vitrei ſumus, & vitro fragiliores: *a Paulus vas gemmeum, imo adamantinum, ut qui vinci, frangique nequeat.* Concludo ſplendidio Seraphici Doctoris encomio, dicentis; *de ſoliditate veri vaſis hujus exponi poteſt illud Eccl. 50.* VAS AURI SOLIDUM, *ornatum omni lapide pretioſo.* Nero teſte Plinio. lib. 47. cap. 2. vas ex achate, è quo biberet, trecentis ſeſtertiis emit, hoc eſt ſeptem millibus & quingentis ſcutatis, ut admirabundus hiſtoricus exclamet: memoranda res eſt, tanti Imperatorem vas illud ſibi comparaſſe! At plûris longè Redemptor noſter, Paulum *vas auri ſolidum*, ornatum omni lapide pretioſo, ſibi comparavit. Cujus pretium ac fulgorem, mox ſubjungit: *b vas aureum dicitur propter refulgentiam charitatis, quia totus ardebat*; tanta etenim in corde Pauli flagrabat charitas, ut ſi neceſſe, ad hominum ſalutem, libens è cælo in ipſam gehennam deſcendiſſet: hoc aurei oris oraculum eſt. *c Paulus quidem ob Chriſti amorem vel in gehennam decidere libens admiſit, & à regno excidere non recuſat.*

Tales deberent eſſe milites Chriſti, ſic per omnia ſolidi: charitate Chriſti aurei, amore proximi aurei, omni lapide pretioſo, ſolidarum virtutum ornati; ſed eheu, cogor hic non ſine lacrymis, illud è Threnis Jeremiæ ingeminare: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in* VASA TESTEA, in quæ verba melliſluus Doctor, *d* amaritudine plenus excurrit: *filii Sion, filii videlicet ſpeculativæ civitatis, quam adſpexerit Dominus, ut videatur in gloria ſua: filii ſuperna Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra: inclyti per dignitatem conditionis, amicti auro primo; per dignitatis imaginem: quomodo ergo reputati ſumus in* VASA TESTEA, *in hæc lutea & fragilia corpora degeneravimus?* Illud vas ſapere ac redolere ſolet, quo impletur; quot vaſa terrea, quæ terrena ſapiunt? *e quædam inveniuntur vaſa vini* inquit Sanctus Thomas, *e quædam olei* (quædam cereviſiæ, quædam Carnis) *& diverſa diverſi generis*, ſuum quoque liquorem ſapit, ac redolet. Quid homines temulenti, niſi vaſa vini & cereviſiæ? quid homines opulenti, guloſi, cuti curandæ, & abdomini nati, quam vaſa olei, ad comburendum in adipe ſuo? quid vaſa olei, ad comburendum in adipe ſuo? quid homines libidinoſi, niſi vaſa carnis, quæ nil cæleſte ſapiunt? *f Sunt &* VASA VACUA *non pauca*; & de his, idem Angelicus Doctor *g* pronuntiavit, *quædam ſunt* VASA INUTILIA *ſecundum illud Ieremiæ 51. reddidit me quaſi vas inane.* Hunc itaque fructum hodierna die referatis, ut imitatores Apoſtoli, in quo gratia

a Bonav. ſerm 1. in converſ. S. Pauli. b Bonav. cit. c Chryſoſt. hom. 15. in epiſt. ad Rom.

d Thren. 4. e Bernar. ſerm 2. in illud [illegible] Dei non eſt [illegible] f S. Thomas [illegible]. Paul. g [illegible] 4. Reg. [illegible] h S. Thomas [illegible].

vacua non fuit, & vos impleamini gratia, evacuetis quidquid vanitatis, & inanitatis est sæculi, quidquid sceleris & flagitii. Quisque nostrum clamet cum Augustino: *a quoniam fons vitæ tu es Domine, ad te levavi animam meam, tanquam vas attuli eam: imple ergo me, & lava me:* qui hactenus fuistis vasa temulentiæ, gulæ, luxuriæ, nunc in vasa temperantiæ, abstinentiæ; castimoniæ, in vasa munda; qui hactenus vasa lutea, fictilia, nunc in vasa aurea convertamini: *b* VAS FUIT AUREUM *Iudas, & in fictile conversus est;* VAS ERAT FICTILE *Paulus, sed evasit aureum;* ut tandem cum Paulo in mensa Domini reponi, & Deo toti impleri mereamur, juxta illud Divi Maximi: *c Cor* VASCULUM QUIDEM PARVUM, *sed in quo reperiuntur omnia: ibi vita, ibi regnum, ibi cælestes urbes, ibi thesauri gratiarum, ibi Angeli, ibi Deus* qui est benedictus in sæcula.

a August. in Psal, 142.

b Chrys. hom. 6. in epist. 2. ad Timoth c.3. maxi. hom. 43.

FESTUM

FESTUM PURIFICATIONIS SS. VIRGINIS MARIÆ.

Nigra sum; sed formosa: Cant. I. v. 5.



Novi causa decoris erit. Ovid. lib. 5. Fast.

ARGUMENTUM.

ÆMulari hic vos sanctè pervelim, Virgines pulchritudinis amantes, formæ maxime studiosas, ac venustati conservandæ impensius deditas; quibus hoc potissimum, & unicum studium, ardentes solis radios devitare, umbram amare, in ea ambulare, ac sub ea suavissime requiescere. Haud aliter, omnis venustatis ac pulchritudinis Miraculum Maria, dum hodierna die humilitatis umbram captat, & in ea per omnem vitam ambulat, ac tandem sub morientis filii umbra requie-

 scit

ſcit, tantum abeſt ut divinum illud formæ decus, vel minima fuligine aſperſerit, ut potius miram illi elegantiam, & ſplendorem contulerit: Amabo vos adoleſcentes, Virgines, conjuges hanc umbram amate, in ea ambulate, ſub ea requieſcite, ſub Mariæ umbra vos proſternite, hic æſtus ſuperbiæ; iracundiæ, luxuriæ, declinare valetis: quod ſanctorum Patrum teſtimoniis, Doctorum ſententiis, ac ſtupendis quæ quibuſdam ſub Virginis umbra contigere prodigiis, comprobare aggredior. Hæc vos invitat, & ut confido non invitos, Guarricus Abbas Igniacenſis, qui ſub Virginis umbra nunquam non delituit, & ad hanc potiſſimum, ſub vitæ ſuæ exitum confugit, ipſum perorantem audite, & obaudite: *Aſpira ò dies dierum:* OBUMBRA *ſuper caput noſtrum in die belli, Inclina ſuper nos*, (ò SANCTISSIMA VIRGO MARIA,) UMBRAS *ſalutis, & refrigerii: inclinentur ſubtus nos*, UMBRÆ MORTIS. Hanc & nos umbram captemus, amemus, clamemus; a *O Domina, ut non noceat nobis caliditas inimici*, SUB UMBRA *alarum tuarum protege nos.*

a Bonav. in Pſalt. Virg.

§. I. *Maria ſub umbra humilitatis* NIGRA SED FORMOSA. Cant. 1.

§. II. *Quomodo Virgo exemplo filii peccati umbram incurriſſe videatur?*

§. III. *Sub umbra Virginis æſtus ſuperbiæ, Iracundiæ, luxuriæ; aliorumque vitiorum reſtinguitur.*

FESTUM PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Nigra ſum, ſed formoſa. Cant. c. 1. v. 5.

ILluxit aliquando illa dies, Auditores, quâ nulla unquam amœnior cæli facies terris arriſit. Etenim magnificus ille luminum apparatus, fulgore ſuo inuſitato, ſiderum nitorem æmulatus, ſpectantium oculos, animoſque ſtupore quodam jure defixit; quæ inter, ubi cæli Regina, ſole conveſtita, divina quadam graditur majeſtate, tantus derepentè divinitatis ſplendor, mentis aciem præſtrinxit, ut niſi eximia, quæ pollebat animi modeſtia, veluti injecto ſiparo, virtutum ſuarum radios attemperaſſet, tantum, tam illuſtre, omnique cumprimis veneratione dignum ſpectaculum, haſce lucubrationes noſtras, non tam in cæli, quàm mentis nocte conceptas, luce ſua ditiori prorſus

suis caligine, & sacro quodam silentio involuisset.

Dum ea mihi, quæ olim Oratori Romano, solertia in mentem venit: pace tuâ dixero, ô Augustissima Regina! qui laudum tuarum præconia enarrare audeat, ignorat tuam, excelsam super omne quod humanum est, dignitatem: qui non audet, non dico humanitatem, sed & humilitatem tuam ignorat. Patiantur interim peritiores aures, *humilitatis* vocem, aureo sæculo proscriptam, quam *verbum* illud divinum, omniumque oratorum Magistra, in se expressit, hodierna die à me usurpari, cumque more meo non tam verba, quàm rem sectari soleam, si quid minùs tersum adduxero, penes vos statuite, tātisper dum dicturus sum, Tullium rursus in exilium commigrasse.

Portentum quoddam naturæ est, lucidum Mundi oculum, luminis fontem, diei promum, colorum, omnisque pulchritudinis instauratorem, flagrantissimo lucis suæ an ictu, lugubri velut peplo, mortalium vultus obducere, & nigram adustionis notam iis populis, quos maximè irradiarit, aspergere: adeò ut qui proximè Solis radiis collustrantur, vultu colorem noctis induisse videantur. Quod minimè hîc fabulosus Poëta, de incendio Phaethontis agens, cecinit: *a*

Sanguine tum credunt in corpora
summa vocato,
Æthiopum populos nigrum trax-
isse colorem.

Hæc quam verè, Philosophorum Principes, & Græcus Aristoteles, *b* & Romanus Seneca contestantur. Ille quidem in problemate. *Cur dentes in Æthiope candeant, quænam ratio sit? an quod albescere illa solent, quibus vis solis humorem detrahit? quomodo ceram albescere novimus, (& linum) at cutem superinficit calor.* Alter in quæstionibus naturalibus sic scribit: *c Æthiopiam ferventissimam esse, indicat hominum adustus color.* Consentit solers naturæ indagator Plinius: *d Æthiopas vicini sideris vapore torreri, adustisque similes gigni, barbâ & capillo vibrato, non est dubium.*

Quare, nactus quis sit hanc aptam corporis symmetriam, *e* ut longitudo ad latitudinem sit sextupla: ad crassitiem decupla: ad cubitum quadrupla: ad extensionem utriusque brachii, æqualis: ad pedem exporrectum sextupla: omnia denique, omnibus numeris membra, absoluta sint, & ad unguem expolita; si vultu Mauri, aut Æthiopis atrorem induerit, nobis omnibus teterrimi spectri instar, atque ipsi Cacodæmoni simillimus, horrori ac terrori futurus est. Quam adeò terram speciem, ut à se amoliantur, & venustati ac candori suo consulant, pulcherrimæ filiæ, tum ut gravissimos Solis æstus viri principes devitent, amœnitatis ergo, umbras arborum amare, umbras captare, umbellas seu umbracula excogitare, & adornare studuerunt, eo luxu, ut Athenæus *f* eburnea, Plutarchus aurea, non Indis modò, sed & Græcis ac Romanis in usu fuisse asseverent, quò spectat illud Poëtæ: *g*

a Ovid. l.2. Metam. b Aristotel. problem. sec. x 1, n. 61.

c Seneca quæst. nat. l 4 c 2. d Plinius l.2. c.78. e Lessius de [illegible] [illegible] l.1. n.36 f Athen. [illegible] 2 Plut. de Xerxe. g Ovid. l.2. Fast.

Aurea pellebant tepidos umbracula soles.

Verùm, ut nulla unquam creatura fuit, forma præstantior, ita nulla fuit Virgine Maria, umbræ amantior; quam ut & nos studiosè captare; æstus superbiæ, iracundiæ luxuriæ, devitare possimus, modestissimæ Virginis vestigia, umbræ instar sectemur, ejus in umbra, semper versemur necesse est. Nemo sit qui ab hac umbra se obfuscari timeat; cùm speciosissima mortalium de se ipsa fateatur: *Nigra sum, sed formosa*, quæ verba, ne quibusdam implexa videantur, pulcherrimè edisserit *a* Bernardus: *Videamus jam*, inquit, *quid illud fuerit dicere*, NIGRA SUM SED FORMOSA. *Nullane in his verbis repugnantia est? absit. Non omne quod nigrum est, continuo deforme est Nigredo, verbi causa, in pupilla non dedecet: & nigri quidam lapilli in ornamentis placent: & nigri capilli, candidis vultibus etiam decorem augent, & gratiam*; unde ille:

Spectandus nigris oculis, nigroque capillo.

Quin & pretiosis tabulis, artificiosis picturis, umbræ ipsæ splendorem conferunt, & Attalicis, ac Damascenis pannis, obscuræ officinæ, & lux quædam umbratilis, nescio quid pretii addit, & æstimationis, ut ex iis quæ rudi carbone adumbravimus, clariùs innotescet.

§. I.

Maria sub umbrâ humilitatis, NIGRA, SED FORMOSA. Cant. 1.

NOn ita pridem Rex Persarum, *c* potentissimo Hispaniarum Regi literas dedit, hac perillustri inscriptione notatas: *Regi, qui Solem habet pro Galero* Hispanicè *sombrero*, seu umbraculo; quod quemadmodum fieri queat, ut lucidissimus sol, galeri vicem subeat, umbram præbeat, & lux, velut noctem quandam inducat, in Augustissima cæli Regina luculentiùs juvat contemplaret. Etenim mulier hæc amicta Sole, omnium virtutum, & gratiarum splendore conspicua, ab ipso lucis fonte, (qûis credat?) obumbratur: quo in recondito, ac maximè obscuro, divinæ humanitatis mysterio, Divus Athanasius *d* facem prælucere visus est, dum ait: OBUMBRAVIT *Mariam virtus Altissimi, corroborans eam, &* DIVINÆ UMBRÆ *imaginem induxit, ut inde lineamentis collectis videre posset, quatenus possibile est, Deum forma expertem, in se concipi: utpote &* OBUMBRANTE *illam virtute altissimi, &* UMBRAS, *lineamentaque quasi faciente.* Atque ita factum, ô Maria! teste tuo Bernardo, *ut dum vestis Solem nube*, quasi candore sublato, crassam cæterarum prægnantium umbram, apud vulgus incurretis; ubi perappositè Rupertus Abbas: *e Dicat ergo Maria, nigra sum, sed formosa; secundum opinionem malè viventium, nigra sum; secundum fidem rectè credentium, formosa.*

Quid, quòd ipsa in summo illo divini amoris æstu; quo Solem sinu suo complexa est, quo Mater Dei, *g Domina Mundi potentissima*, Imperatrix cælorum, *a Regina*

a Cant. 1. Bern. serm. 25. in Cant. b Horat. de arte.

c Ioannes Chifletius in Vindic Hispan. c. 4. d S. Athan. serm. de SS. Deipara. e Bern. serm. Signum magnum. f Rupert. in Cant. col. 4.5. g Anselm. allo. cæl. 26.

a Regina Mater, simulque *Cœli, terræque Regina constituitur*, abjectam ac humilem se Ancillam nuncupavit, &

b Magnum Reginæ nomen OBUMBRAT.

Hanc tam profundam, tam altam Virginis humilitatem, demiratur Doctor Seraphicus, & exclamat. *c O mira & profunda humilitas Mariæ! ecce Mariam Angelus alloquitur: Maria gratiâ plena dicitur, in Matrem Domini assumitur, jam omnibus creaturis anteponitur; jam Domina cœli & terræ efficitur; sed in his omnibus mirâ humilitate deprimitur, dicens*: ECCE ANCILLA DOMINI. Siquidem ita compertum est, ut quos divina virtus obumbrat, humiliores reddat, omnemque fastum, Dei umbra excludat. Cùm tres discipulos *d nubes lucida* in monte *obumbraret*, ceciderunt in facies suas.

A cœlestis aulæ legato, Maria in altum effertur, gratiâ plena, inter mulieres benedicta, quod nascetur ex ea filius Altissimi, & ipsa Mater Dei indigitatur, supra omnem creaturam exaltatur; dum illa ad laudes suas erubescens, humilitatis umbrâ se involuit: omnes gratiarum ac virtutum dotes, modestiæ cortice contegit, atque concludit. Hanc in sponsâ suâ cœlestis Pater venustatem observat, dum genas ejus cum cortice mali punici comparandas duxit: *e Sicut cortex mali Punici sic gena tua*. Cortex enim inde commendatur, quòd cælet, & abscondat in se innumera grana, cui proinde hac Epigraphe non inscite adscripta: *plura latent quam cuique patent*.

Ita exemplo Virginis, omnis filia Deo dicata, quæ sub insigni demissionis cortice, præclaros virtutum ac bonorum operum fructus repositos habet, eosdem ab humanis oculis abscondit, & tum vel maxime erubescit, si aperiri contigerit. Nec mirum: *quia ipsum bonum* (ut ait *f* Tertullianus) *erubescendum est*. & subdit Rupertus: *g vere laudabilis verecundia, ubi intus conscientia munda, & foris facies verecunda*.

h Fecit Matri verè magna, qui potens est; sed in umbrâ; se ipsa major, ac formosior longe apparuit, dum infra omnes se dimisit. Audiamus venerabilem *i* Bedam, hac Virginis modestiâ delectari solitum: *fecit illi magna, nostis quæ? magnum quia Virgo, Magnum quia Mater, majus quia utrumque, maxima quia Dei Mater. Sed majus, quia cum tanta sit, putat se nihil esse*. Quis jam alta & magnifica de se audeat sentire, vel cogitare? quis jam splendorem nominis, illustres titulos, jactare præsumat?

Dum Mundi Domina, Regina cœli, Mater Dei, non Angelo dumtaxat in arcano cubili, sed publicis orbi universo, quas exaravit literis, se Ancillam professa sit, exstantque Epistolæ ejus, *k* non alio nomine signatæ, quam *humilis Ancilla Iesu*. Iure hic in admirationem raptus *l* Bernardus: *quæ est hæc*, inquit, *tam sublimis humilitas, quæ-*

a Bonav. in Psal. min. Pet. Cluniac. in proem. de B. Virg. b Virg. l. XI. Æneid. c S. Bonav. Specul. Virg. c. 4. d Matt. 17. v. 5. e Cant. 6.

f Tertull. lib. de Veland. virg. c. 2. g Rupert. in Cant. c. 4. h Luc. 1. i Beda in Luc. c. 1. k Nierenb. de amore Mariæ. c. 24. A Castro de Deipara tract. 3. de humilit. disc. 5.

quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & Ancillam se nominat. Tum subdit: *non magnum est esse humilem in abjectione: Magna prorsus, & rara virtus, humilitas honorata.* Rarum hoc, vero maxime præclarum, in Constantino Magno laudat Nazarius, opus.38. de Euch. *immensus cum sis Majestate imperatoria, tua te modestiam contines.*

Orbis dominum & domitorem *a* Carolum.V. ab eo commendat posteritas, quod tantus cum esset, ad servile obsequium se dimiserit; in multam quippe noctem, negotiis cum Seldio Ferdinando fratris legato protractis, signo nolâ dato, nullo è ministris, somno vinoque; sepultis, accurrente, ipse Carolus candelam arripit, se famulum ejus dixit, & præbuit, ac Seldio quantumvis renitenti præluxit. *b Rara virtus, humilitas honorata,* & illa quidem rarior, quia hactenus exemplum sine exemplo. cum eo gloriæ ac dignitatis evectus esset in terris, ut *plus ultra* ascendere nequiret, per orbem universum splendoris sui radios, & PLUS VLTRA diffusos, intra Religionis claustra modeste contraxit, quo factum, ut Sol ille universitatis speculator, cum omnia lustrasset, nihil illustrius, quam Carolum in umbra conspexerit. *Rara profecto virtus, humilitas honorata,* Alterum non minus mirandum, & maxime laudandum, quasi in altero orbis hemisphærio exhibuit, Petrus Cælestinus, *c* summum in terris supra omnem secularem, & Ecclesiasticam dignitatem, caput, *servum* tamen *servorum Dei*, ita se præbuit, ut dum infans primum fari potuit, hoc Matri indicarit, *volo esse bonus servus Dei*; Quod reipsa præstitit, dum unicum modestiæ miraculum, exemplo antehac inviso, postea nunquam repetito exstitit, summo se Pontificatu sponte abdicando, & è sole ad umbram redeundo. Norant hi, virtutum splendorē, humilitatis umbrâ, non secus ac ignem sub cinere conservari. Quæ similitudo B. Huberto *d* placuit, dum ait: humilitas illa quæ amat latere atque abscondi, *cinis virtutum est:* Vt enim sub cinere ignis servatur accensus, sic etiam sub humilitate, & piæ mentis fervor, & aliæ virtutes conservantur. Sed ne ab umbrâ longius recedamus: Theophractus, modestissimum hoc Virginis responsum; *Ecce Ancilla Domini, e* sic exponit: *tabula sum pictoria, pingat pictor quod voluerit, faciat Deus quod voluerit.* Ubi observandum occurrit, omnem picturæ, ac colorū quandam velut eminentiam, umbris suis non tam obscurari, quam illustrari: ita quidquid est, quamtumvis amplum, id certe parum est, nisi modestiâ, quasi umbra augeatur. Proinde ut pictores inquit Seneca, *f* fuscos in tabulis colores, omninoque subducendos oculis, prænitentibus aliis atque visendis coloribus inducere, atque interlinere solent, ita in animis, ut virtutes reluceant, modestiæ umbra, & fusco veluti humilitatis colore obducendæ sunt, ut tabula omnium

a Bernard. Serm.4 super missus. Vita Caroli P. Tyelingen. Paralys. Gaspar Ens Epi lorpidem. b Bern. cit. c Surius. Festi Mariani, 19. May.

d Humbert. de utilitat. humilit. c.37. e Theo. n.'act. in c. 1. Lucæ. f Seneca lib. de tranquillit.

mnium oculis perfectissima appareat; qualē doctissimus juxta ac sanctissimus Antistes Florentinus, g Virginem exhibet: *considerandum est, Mariam perfectissimam fuisse Dei imaginem ab ipso Deo summa arte, ac singulari providentia depictam.* Quæ adeo vivaciter divinum suum prototypon expressit, ut nihil unquam propius ad divinitatem accesserit: quo facit illud Genes. 1. *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Textus Hebræus habet: *faciamus hominem umbram nostram* Habet hoc umbra, quod perfectissime omnes gressus, motus, nutus corporis, imitetur: nec mortalium quisquam perfectius Dei Matre, virtutes Christi ac cumprimis humilitatem ejus æmulata est. Origines Adamantius super illud Ieremiæ: *h in umbrâ tuâ vivemus*, sic disserit: *in umbrâ ejus vivemus: hoc est ad imitationem ejus.* Perfectissima *imago divini archetypi Maria* teste Andrea *i* Cretensi. Cui congruit illud Augustini: *si formam Dei te appellem, digna existis.* Refert sacra Regum historia, *i in septima autem vice, ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis.* Nubecula hæc, virginem designabat. Sed cur vestigium viri habet, quæ mulier fuit? an quia Christum quem genuit, ita virtutibus imitata est, ut ab eo distingui vix posset? Utique inquit Ioannes Patriarcha *k* Ierosolymitanus. *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendit in Carmelum: quia Maria in hoc suo spirituali ascensu, non fœminam quam imitaretur, sed hominem divinum habuit exemplum.* Dum videt Solem justitiæ, in umbra se velle occultare, absit ut ipsa, luce suâ velit esse conspicua: nam ut ipse umbram amavit, niger fuit, & formosus (uti plenius enarrabimus) ita & Virgo, Dei Mater, umbram captavit, & sub hac, *nigra fuit, & formosa.*

Pulchre de Christo Guilielmus in Cant. c. 2. v. 3. *Sub umbra illius quem, desideraveram sedi sic ait: quis posset sustinere Solem justitiæ nudum? quis non consumeretur ardentibus radiis ejus? assumpsit ergo Sol justitiæ hominem mediatorem, & ita ex conjunctione Solis; & humani corporis, facta est umbra.* Hæc non illius, sed & principis Theologorum Doctrina est; sic enim Doctor Angelicus 3. p. q. 32. a. 1. OBUMBRAVIT *tibi, id est, corpus in te humanitatis, accipiet incorporeum lumen divinitatis:* Umbra enim à lumine formatur & corpore. Quod ipsum confirmat *m*S. Thomas de villa nova, qui Virginem adumbratam fuisse asserit; nisi forte adumbrationem mavis intelligere; competenti namque similitudine, Christi „ sanctissima caro, *Deitatis umbra nuncupatur*; quia sicut um„ brâ corporis motus, formam„ que insequitur, ita à Deitatis „ nutibus, sacerrima humanitas „ illa ne ad modicum deviavit. Quæ omnia paucis *n* Bernard. UMBRA *ejus, caro ejus*; quam perfectissime Dei Mater expressit. Quod nemo mirabitur, qui M. Alberti

g S. Antonin. V. Cal. maro disc 43. n. 8. h Thren. 4. v. 20. Origines in Catena. Andr. Cretens. orat. 2. de Deip. i 3. Reg. 18. k Ioan. Hierosol. de Instit. monach. c. 33.

m S. Thom. de villa nova Conc. 2. in Annunt. n Bern. Serm. 48. in Cant.

Alberti *a* doctrinam audierit: UMBRAM, inquit, *in ea sua similitudinis* (filius) *reliquit, quod nulla unquam alterius rei jacere potuit.* Unde perappositè in amoris cantico se lilium convallium nominare non dubitavit: *b Ego flos campi, & lilium convallium.* Sed quid umbrosa vallis, ad lilium? si altissimam hic forte humilitatem indicare voluerit, suffecerit se lilium vallis nuncupare. Audiendus hic Alanus, qui ait, recte dici *lilium convallium: quia perfecta humilitas fuit in Maria, & in humana Christi natura: ideo persona Virginis, & humana Christi natura verbi, valles dicuntur propter eminentiam humilitatis, & non solum valles, sed convalles, ratione similitudinis.*

In hisce umbrosis vallibus.
Locus est & pluribus umbris.

Homines mundani, homines vani, nominis splendore clari, avito sanguine illustres, umbram declinant, Solem amant, commissariatus, Magistratus, dignitatum splendorem spectant, & expectant: & quisque nunc fere gestit ex umbra in Solem prodire omnibus spectabilis esse, qui ut culices ad lychni splendorem volitantes, se perdunt: *cupiuntque suum reperire periculum.* Quod potissimum in iis execratus *c* Bernardus, qui vilitatis ac paupertatis umbrâ, in sæculo involuti, ubi in Religione lucere, ac clarescere incipiunt, nequeunt umbellâ humilitatis, lucem ac splendorem obumbrari: *d Videas*, inquit, *plerosque de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subito intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes; audiant quotquot tales sunt, quid illa responderit, quæ Dei Mater eligebatur, sed humilitatem non obliviscebatur: Ecce ait Ancilla Domini.* Aliter profecto sapuit & docuit, qui dixit: *e ab altitudine diei timebo.* Ubi Hugo Cardinalis *f* in rem nostram, per altitudinem diei, breves sæculi hujus dignitates, ac potentatus timendos tradit: *ab Altitudine diei*, inquit, *timet, g quæ tantum diei est, & parum durat.* OMNIS POTENTATUS, BREVIS VITA. Ab hac altitudine ingens præcipitium, & *eminentis vitæ exitum, cadere est.* Exitum hunc, & præsens exitium cum plures prospicerent, latebras criptas, silvas, umbras, captarunt, quò se ab altitudine diei, ab æstu curarum subducerent. Talis ævo suo fuit Ambrosius, qui cum ex umbra in Solem protraheretur, fugam circumspexit, latebras quæsivit, & ficti cujusdam flagitii nocte, se involvens elabi nisus est: pellices quippe, ut Baronius refert, in ædes suas deduci curavit, ut nominis sui splendori tenebras effunderet, & melius lateret, ut verissime de se dixerit: *h quam resistebam ne ordinarer? postremo cum cogerer; saltem ordinatio protelaretur.*

Ejusdem animi fuit B. Petrus Damianus, latuerat ille in obscura solitudine, & densis Eremi tenebris abditus, cum ecce à Gregorio, hujus nominis decimo, evocatur in lucem Romanæ curiæ, inter purpuratos Eccle-

a Albert. in c.1. Lucæ b Cant.2. c Ovid.lib 8. metam. d Bern. ser. 4. super Missus.

e Psal.55. f Hugo Card. in Psal 55. g Baron. anno 374. h Ambr. l. 3. epist. 25

Ecclesiæ Principes adscribitur, parrere compulsus, ab altitudine diei sibi metuens, Gregorium persecutorem suum appellavit, donec ab ejus successore Alexandro, missionem petiit, & impetravit. Vnum hoc sibi, vetus in gentilitiam tesseram assumens: *bene qui latuit, bene vixit.* a Non minus ab alto honoris die sibi timuit Pius V. cujus hoc effatum est: *quàm diu in Religione abditus: de salute mea speravi; factus Episcopus, cœpi formidare; jam creatus Pontifex, pene de ea desperare.* Mitto Borromæum, Bellarminum, aliosque, qui ad purpuram erubuerunt. b Ioannes de Lugo ita expalluit, ut ad primum nuntium, animi deliquium passus sit. Sexcentos alios adferre possem Regum, Principumque virorum filios ac filias, qui aulæ lucem exosi, monasticam umbram amarunt. Vt fuse c Platus noster. Quid, quod reperti sunt, qui ut lucem hanc effugerent, *umbram mortis*, incurrere non dubitarunt. Ita quondam ab infula fugit, & à pedo pedem retraxit Ammonius Monachus, qui à suis ad mitram compulsus, diem sibi, suisque consiliis petiit, quam dum in oratione exigit, Deum, superosque obsecrat & obtestatur, ut eo se onere eximant. Annuit votis Deus, & vitâ, curisque exemit. Quis non sanctimoniâ vitæ illustrem duxerit Goarem, qui pallium in ipsius Solis radiis suspendit? Longe tamen illustrior, dum d à Sigeberto Galliarum Rege ad infulas evocatus, cum Regem flectere non posset, Deum exoravit, ut infesta morborum cohors, sese potius ad *umbram mortis* deduceret, quam ut hanc lucem aspiceret; ita porro factum, ac morbo stipatus, placidam *mortis umbram*, quam exoptarat, incurrit. Hæc longior ad mores instituta velificatio, ut sacro horrore, & salutari fuga, altitudinem diei quisque vestrum devitet; ad quod si non horum satis Sanctorum, Dei Matris, & Dei filii umbra invitat.

Doctor ille, è cujus calamo nil nisi mel fluxit, humilitatis cerâ obductum, disparem prorsus æternam generationem, & temporalem describit, dicens: e *in splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te. Verum id quidem Pater. At Mater sane eundem ipsum in splendore non genuit, sed in* UMBRA. Pater illum genuit in luce æterna, Mater in nocte densa; Pater in splendore divinæ Majestatis, Mater in umbra humanitatis & summæ vilitatis; pater in luce omnis opulentiæ, Mater in caligine paupertatis, calamitatis & miseriæ: Non in illustri aulâ, sed in obscura caula: Non in splendido palatio, sed in vili stabulo, *sed in umbra.* Eâdem umbrâ Virgo Mater gaudebat, latebat obscura omnibus, & nigra, sed & formosa. Vis tibi aliam f *demonstrem animam, & nigram pariter & formosam?* Paulam Romanam contemplare, quæ ut generis splendorem, opum fulgorem, illustres animi ac corporis dotes, illustres virtutum denique suarum radios contraheret, in Palestinæ

a Cornel. in c. 12. Luc. b Arriaga. t. 2. tom. 1. in dedic. ad Lugo Cardin. c Platus de statu Rel. l. 2. c. 26. & 27. Ierem. 13. d In vita.

e Bern. in Nativit. B. Virg. f Bern. serm. 25. in Cant.

lestinæ secessit solitudinem, antri Bethlemi umbram captavit, ubi teste Hieronymo: a *Sicut jubar solis parvos igniculos stellarum obruit, & obscurat, ita cunctorum virtutes & potentias, sua humilitate superavit; latebat & non latebat, fugiendo gloriam, gloriam merebatur; quæ virtutem quasi* UMBRA *sequitur, & appetitores suos deserens, appetit contemptores,* Quod enim Poëta cecinit:
Honor fugacem prosequitur virum,
Fugit sequacem,

Id verissime Augustinus b expressit: UMBRÆ *instar gloria est, quæ fugientes sequitur, sequentes fugit.* Hæc siquidem vera ad honores via, hac Sola Dei filius, cum per naturam Divinitatis non haberet quo cresceret, per descensum quomodo cresceret adinvenit; hac sola placuit altissimo Maria. Unde recte Bernardus: c *Castitate placuit, humilitate concepit.* Atque ne hic præter morem, prolixior sim, aliis tractandum relinquo, quàm per omnem reliquam vitam, Maria semper humilitatis studiosa exstiterit; jam Deo gravidam, & Numinis Matrem effectam, ad ædes Zachariæ peditem properasse: *Ut mulieri provectæ ætatis, Virgo juvencula ministerium sedulo impenderet;* ut Domina famulæ, Regina subditæ, Dei Mater, Elisabethæ, infima demissionis ministeria exhiberet; fabro deinde in omnibus obtemperasse; obscuram & in umbra semper victitasse, qui voluerit, pluribus enarrare poterit. Ego ad id, quod huic festivitati proprium est, & quo omnia hactenus enarrata humilitatis obsequia, longe Virgo antecelluit, enarrandum festino.

§. 2.

Quomodo Virgo exemplo filii, PECCATI UMBRAM *incurrisse videatur.*

PErgit porro S. Bernardus umbram filii Dei, atque ejus imitationem Sanctissimæ Matris, crassam quam maxime inducere, dum Christum in Circumcisione, Mariam in Purificatione, peccati notâ, qua major sub cœlo ignominia, nequit excogitari, turpissime denigratos ostendit. a Serm. 3. de Circum. *Ipsa die,* (Nativitatis) *minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo; hodie vero mirabilius aliquid audio; jam minoratus est multo minus ab Angelis, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis.*

Umbra hæc peccati plane execrabilis, exitialis, umbra stygis, umbra mali dæmonis, umbra Deo, b supra omnes injurias & cruciatus, longe gravissima; nihilominus ut doctissime Augustinus: c *Christus suscepit Circumcisionem, allaturus Circumcisionem, suscepit* UMBRAM *daturus lucem.* Umbra Taxi, umbra Cupressi, *umbra juglandium gravis, & noxia etiam capiti humano, omnibusque juxta satis, non dubie venenum est*

a Hieron. epist 27. ad Eust. de Epita. Paulæ. b August. l. c. de Civit. c. 12. c Bern. Serm. 4. super Missus. d Beda hom, de Visit. Virg.

a Bern. Serm. 3. in Circumcis. b Aug. Serm. 9. in Nativ. Chri Plinius l. 17. c. 12.

est. Sed nulla adeo pestilens, ac virulenta, sicut umbra peccati; hanc tamen Virgo Mater, à filio edocta, hodie incurrit, *a Non enim erubescit nigredinem, quam novit & præcessisse in sponso, & vidit præcessisse in filio.* Maria itaque fæcundæ Virginitatis prærogativâ, mortalibus nimium quantum superior, infra omnes majestatis demissione se abjecit, cuique natura legem ferre erubuerat, se legi subjecit: *b Putas non poterat animus Virginis commoveri ac dicere: quid mihi opus est Purificatione, cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, factus est templum Spiritus Sancti? cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil purgandum; nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venit facere delictorum.* Tamen paupercula, in morem, Dei Mater templum ingreditur, turtures defert, qui et gemitu suo arrogantiam nostram queri videbantur, & quasi fædam illam humani fætus illuviem, quandam veteris noxæ tabem, contraxisset, lux ipsa lustranda procedit; tantam ab eo quem ulnis gestabat, animi demissionem edocta, sic etenim eam compellat Bernardus: *c Vere O Beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est Purificatione; sed numquid filio tuo opus erat Circumcisione? esto igitur inter mulieres, tanquam una earum, nam & filius tuus, sic est in numero puerorum.* Scio lucidissimum illud cœli sidus, solum ipsum, quorundam opticorum oculos incurrisse, qui lituras & maculas solares, (ut vocant) seu nævos quosdam, hoc tam illustri in corpore se notasse gloriantur; dum hæc Virgo Mater, tota pulchra, uti nihil habuit in conceptu fomitis, ita plena fuit in partu fulgoris: quem omnem hodierna die obscurasse, & velut eclypsasse *d* videtur. Quod expendens pius, & gravis auctor sic ait: cum filio ascendit in templum, ut se purificaret; Tunc enim apprimè quadrat illi Elogium illud; *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem.* Et cum subdit, *decoloravit me Sol*, scilicet Filius meus, suo exemplo fuscum hunc mihi colorum indidit. Atque ita quidem, ô Maria! in *e* te *nigredo est; sed forma simul, & similitudo Domini.* Hujus nigredinis, & umbræ Virginis, ac filii Dei, sectatores exstitere, quos illo suo Vaticinio depingit Propheta: *f nigrescere faciam Stellas cœli*; hoc est, interprete Doctore Angelico, justos omnes: qui in Ecclesiæ firmamento sunt, quod cœlo Stellæ; *Videlicet ardentes Spiritu caritatis, lucentes verbo veritatis*, NIGRESCENTES *virtute humilitatis*: quia contemni, despici, injuriis, calumniis, detractionibus impeti, hoc fœde denigrari est, ut recte S. Thomas: *g detractio est denigratio famæ alterius*; qua viri integerrimi, sanctissimi, doctrinâ & miraculis clari, candidissimæ mentes, super carbones obscuratæ sunt.

Talis exstitit odore virtutis, omnibus notus, Ierosolymorum Pon-

a Bern. Serm. 25. in Cant. b Bern. Ser. in Purif. B. Virg. c Bern. cit.

d P. de Puente. in Cant. exhort. 23. c. 2. e Bern. Serm 25. in Cant. f Ezech. c. 32. g S. Thom. 22. q. 73. a. 1.

Pontifex Narcissus: sed ex tam pulchro flore, aranea invidia venenum sibi suxit. a Terni, & ex mendaciis consuti cives, in innocentiam conspirarunt, & candorem vitæ, fœdissimi criminis impostura denigrare sunt aggressi: utque ruitura mendacia, perjurio fulcirent, si fallerent, pœnas ipsi sibi judices dictarunt: & primus ignes, alter morbum fœdum, ultimus oculorum orbitalem imprecatus est; omnes à cœlitibus non surdis audiri, & puniri. Narcissus interim hac turpissimâ labe aspersus, ne se purgare cogeretur, subdixit se, b & *silvarum umbris*, innocentem se occultravit. Alterum Dominicanæ familiæ decus, Petrum Martyrem audivimus, non semel cælitu contubernio recreatum, eique sæpius humana specie, Virgines inclytas, Agnetem, Catharinam, Cæciliam, sese visendas exhibuisse: cum forte eas advertit Religiosus unus aliquis, & in virum Sanctum, seu errore, seu zelo, acrius exarsit, quasi Virgines in claustra, in intima cubiculi penetralia, contra religiosæ vitæ morem, & leges admisisset, nec levis flagitii nota inusta, accusatur, damnatur, & domestico carcere tacens mulctatur; ita luminaria Ecclesiæ, & Stellæ cœli, Francisci, Dominici, Borromæi, Ignatii denigrati fuêre; sed clamat ex humili valle Doctor Melleus: c FELIX NIGREDO, *quæ mentis candorem parit, & conscientiæ puritatem*! quam pauci hujus nigredinis amantes! nemo quisquam familiæ nomen obscurari, famam denigrari patitur; vel levissimam notam sibi, aut suis inustam, sanguine eluere decernit.

Quisquis es d *Vade ad Isaiam, & describet tibi, qualem in Spiritu illum viderit.* (Regem Regum, Dominum Dominantium) *tanquam leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ecce quam* NIGER. Et ne vobis, aut splendori vestro, viri aulici, famosi, potentes sæculo, nigredo hæc efficere videatur, quisquis es, *junge & illud Sancti David: speciosus forma præ filiis hominum, nonne & rectè illud cum sponsa usurpare,* NIGER SUM, SED FORMOSUS? NIGER *plane, cui non erat species, neque decor.* NIGER, *quia opprobium hominum, & abjectio plebis. Denique seipsum fecit peccatum. Et nigrum dicere verear? intuere sane pannis sordidum, plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte, &* NIGRUM *vel tunc profecto fatebere. Percunctare etiam Apostolos, eundem ipsum, qualem prospicere concupiscant; & nihilominus formosum mirabere. Ergo formosus in se* NIGER *propter te.* Hæc species filii Dei, quæ semper oculis obversabatur, omnium gratiarum ac virtutum copia, abundantem Mariam impulit, ut se etiam infra sceleratissimos mortalium demitteret.

Fida porro relatione accepimus e Deiparam à S. Luca Evangelicam historiam, & Apostolorum res gestas scripturienti, serio, atque obnixe rogasse, ut in libro generationis in quo & reprehensibiles solummodo mulieres numerantur, perversi quidam, adulteri idol

a Surius 29. oct. b Ribadin. in vita. c Bern. ser. 25. in Cant.

d Bern. cit e Nierenber. de am. erga Deipar. c. 24.

olatræ recensentur; se omni-
m postremam collocaret. Am-
lius quod & magis stupen-
um, humilitatis prodigium,
n Dei Matre S. Bernardus ob-
servavit dum infra gravissimos
rbis peccatores se abjecit:
Legis inquit, *in actibus Aposto-
rum, quod redeuntes à monte
liveti, unanimiter perseverabant
in oratione. Qui? si forte Maria
ffuit, nominetur prima, quæ super
mnes est, tam filii prærogativa,
uam suæ privilegio sanctitatis Pe-
rus & Andreas ait, Iacobus & Io-
nnes, & cæteri, qui sequuntur, hi
mnes perseverabant unanimiter
um mulieribus, & Maria Matre
esu. Itane? & mulierum sese ul-
imam exhibebat, ut novissima o-
mnium poneretur?* ac tandem,
uis non totus in admirationem
apiatur? subjicit, *infra viduas
& pœnitentes, infra eam de qua
jecta fuerunt septem Dæmonia,*
neffabili mansuetudine incli-
abat. Nos de Eleemosynis, Ie-
uniis, de parvis corporum affli-
ctationibus, de prolixa oratio-
e, de frequenti communione,
e quotidiana auditione sacri,
liisque piis operibus, nobis ad-
landimur; cum interim, si va-
i, si fraudulenti, si perfidi, si
olitici, si perjuri, si adulteri, si
eccatores simus, minime ejus-
modi audire volumus; qui uti-
am attenderent illud gravissi-
mi *g* Doctoris pronuntiatum:
*ui peccatum non fecit, non dedi-
natus est, se peccatorem reputari*:
quæ peccatum non fecit;
on dedignata est, se peccatri-
em reputari; *nos & esse volu-
us, & nolumus æstimari.* Men-
aces esse volumus, & illud
mentiris, sanguine eluimus, vi-
ta corporis & animæ in duello
vindicamus. Ambitiosi, super-
bi, arrogantes esse volumus,
ambitus nos insimulari indi-
gnissimè sustinemus. Denique
ut hic finem imponam, cum
Virgo reliquerit post se nobi-
lem. eamque; nubilem filiam,
animi modestiam, vobis locan-
dam. posthac titulos sole illu-
striores, non ex avito sanguine,
non è statuis, aut marmoreo
populo, non ex aura populari,
quasi è futili bractea, aût è pe-
lui splendorem, sed ex umbra
Virginis sectamini.

§. 3.

*Sub umbra Virginis æstus su-
perbiæ, iracundiæ, luxuriæ,
aliorumque vitiorum re-
stinguitur.*

QUod de Themistocle *a* Plu-
tarchus commemorat: *com-
parabat se platano, sub quam
tempestate coorta, homines confu-
gerent*: id longe potiori jure,
Virgini Matri congruere, Ec-
clesiasticus confirmat, qui sic
eam loquentem inducit: *b quasi
oliva speciosa in campis, & quasi
platanus exaltata sum juxta a-
quam in plateis.* Vbi Richardus
l. 12. de laudibus Virginis, ita
ex mente nostra Philosopha-
tur: *Maria platanus, patulam se
exhibet peccatoribus, omnes quan-
tum in se est parata recipere sub
sua protectione, & omnes refrige-
rare malo igne exustos. Et nota,
quod ubi sunt folia lata, ibi* EST
UMBRA MAGNA, & MAGNA
EST UMBRA PROTECTIONIS
*ejus: nam protegit contra Ventum
mundanæ vanitatis, quia humilli-
ma:*

a Bern. ser Signum magnum, b Bern.
Serm. 1. in Circumcis.

a Plut. in Aphopht. b Eccl. 24.v.19.

rna : contra carnalem concupiscentiam quia Virgo ; contra fervorem Solis , quia mater Solis justitia. a ÆSTIVA GRATIOR *umbra.* Ac primum quidem, quod umbram humilitatis spectat, ferunt Lydios ex remotissimis terræ plagis, per mare Ionium in Italiam platanum devexisse, atque inde ad Morinos devenisse; tanto autem in pretio apud eas gentes fuisse, *ut vectigal pro* UMBRA *ejus penderent. b* At meliori longeratione omnes virtutes, uni umbræ humilitatis, vectigales sunt, eique tributa persolvunt: *cunctæ virtutes*, inquit *c* Rupertus, *omnes gratiæ, cuncta dona quæ Virginem exornabant, humilitati ejusdem tributa pendebant.*

Botrus sub umbra Pampini, fructus sub umbra foliorum, optime delitescunt, sensim maturescunt, mitescunt, dulcescunt; unde quidam subscripsit: *dulce latere.* Consimile quid in fructibus interioris Viridarii cernere, ac videre est: justum hoc encomio commendat Psaltes, *d erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum : & fructum suum dabit in tempore suo.* Non erit arbor illa sterilis, aut infæcunda: sed fructibus abundabit. Quid præterea in ejus commendationem facit? *& folium ejus non defluet*; etiam hoc ad viri justi laudem conferre potest? scite Euthymius hic: *suum dabit in tempore suo. ipsas nempe virtutes opportuno ferens tempore ; folia non dimittet : hoc est, humilitatem non deponet, qua virtutes omnes, non secus ac fructus, protegit atque conservat.* Ut si quis arbori folia decerperet, umbram tolleret, is fructus perderet: non enim, si naturæ, & quotidianæ experientiæ credimus, exigua virtus umbræ est: Plinius *e* ut in Africa fertilitatem summam ex eo oriri, quod sub umbra unius arboris, altera delitescit. *& parva sub ingenti Matris se subjicit* UMBRA Vultis alterum viri sanctissimi, & antiquissimi Ecclesiæ Doctoris testimonium? S. Ephrenum Syrum attendite, *qui* (Ut S. Basilius *f* loquitur) *tantum à Mundi Sapientia distabat, quanto verarum scientiarum* propinquior erat, hic *g* docet: *Palmarum mores, Dum obumbrant fœminis, fructuosas eas efficiunt: & ficulnearum quoque nonnulla fructum non ferunt. nisi ramis maribus obumbrentur.* Hæc in plantis, & rebus inanimatis admiramur, cum multo gratior, & efficacior umbra sit, *h palmæ nostræ Virgineæ*, quæ extendit ramos suos, à mari, usque ad mare, largissimam humilitatis umbram jaciendo, quæ nos omnes adversus inanis gloriæ turbines propugnaret, ut verissime Richardus *i* asseveravit: *Maria protegit nos in umbrâ humilitatis, contra ventum inanis gloriæ, vel tempestatem superbiæ.* Ambitionis æstu, inanis gloriæ turbine, superbiæ tempestate, vastissimas moles, ingentes Myoparones, viros inquam gravissimos, quos nulla tentationum aura commovere poterat, in syrtes & brevia abripiendos, & præsentissimo exitio involvendos fuisse novimus, nisi umbrâ Virginis tecti

a Ovid. 13. Met. b Plin. l. 12. cap. 1. c Rupert. in c. 2. Cant. d Psal. 1.

e Plinius l. 12. cap. 22. f S. Basilius hom. 2 in hexam. S. Ephrem. h... de marg. pretiosa. g Rich. a S. Lau. c. 23. in cant. h Rich. a S. Laur. l. 2. de laud. V. ... p. 1.

[illegible]tecti, ac protecti fuissent. Unum hic Theophilum induxisse *a* sufficiat, qui forte æmulorū invidiā, ac malevolentiā, officio œconomi ab Episcopo exutus, & gradu dejectus, æstuari animo, ac tanta intemperie agitari cœpit, ut magicis præstigiis in auxilium orcum excire, Christum ac ejus Matrem ejurare, & proprio signatâ sanguine syngraphâ, sese diabolo devovere non vereretur; quid faceret, quo se verteret impius transfuga: si cælum spectat fulmina; si terram; objiciuntur oculis parata apud inferos supplicia; ad quem confugiat? ad Deum? illum ejuravit. Ad Christum? illius sanguinem fœde calcavit. Ad ejus Matrem? & illi nuncium remisit; & tamen ad Matrem ausus est, confugere; memor semper Matrem facilius flecti, quam judicem. Itaque ad Marianæ ædis limina, quadraginta ipsos dies; noctesque perstare, & sub Virginis umbrâ pernectare statuit. Excipit illum materno sinu, & in [illegible] tutum facit, ab irati cœli fulmine, à flammis vindicibus; ab hoste tartareo, quem etiam cogit syngrapham facinoris te[illegible]em restituere; *quid tibi negatur Maria, cui negatum non est, [illegible] cymbalum de ipsis perditionis faucibus revocare?* Ita ambitione tu[illegible]i[illegible]os, fastu turgidos, superbiâ [illegible]s, *c Maria protegit* IN [UMBRA] HUMILITATIS, [contra] *Ventum inanis gloriæ.* Pro[dig]ii cælestis illud fuerit, quod [a]quila Beatum Medardum, [al]is suis à vento, pluvia, [om]nique aëris injuria defen[d]erit; hoc à natura volucribus inditum est, ut pullos suos alis tegere, ác protegere soleant: qua similitudine usus Regius psaltes exclamat: *d protegar in velamento alarum tuarum.* Quod, quid est aliud, interprete B. Richardo Pampolisano hic, quam *protegar ab æstu vitiorum. in protectione humilitatis?* De S. Petro Apostolorum principe, referunt eorum acta, umbram illius adeo nascenti Ecclesia medicam fuisse, ut quicunq; febribus æstuarent, aliove malo conflictarentur, ubi in umbram irent, illico irent in pedes, factum est enim, *e Vt in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem* UMBRA *illius* OBUMBRARET *quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis; qui curabantur omnes.* At si ratio & auctoritas *f* convincat. *quod vel paucis mortalium, constat esse collatum, non est fas suspicari, tantæ Virgini fuisse negatum:* aliam umbræ Virgineæ, contra libidinis æstus, & calidissimos luxuriæ febres efficaciam inesse, nemo dubitarit. Fuit è Parnasso, nescio quis Aglaidus, qui oblitus Virgines esse, quas colebat Musas, impuris amoribus Justinam Antiochenam Virginem, extremum ardebat. Sed Palladem, scilicet castitatis ægide, contra omnes preces, & minas, armatam reperit. *g* Itur ergo ad Cyprianum, nobilem tunc cumprimis Magum, qui & ipse hujus amore captus, orco incēdia in pectus puellæ evocat, Sed hoc in æstu, Justina ūbrā ac refrigeriū respectās, ad Dei Matrē confugit, quæ ita ardores suos tēperavit, ut Cyprianus, incestas faces

a Metaphrast. 4 Feb. Fasti Marian. *b* B. Petr. Damian. Serm. 1. de nativit. [illegible] 139. Richard. cit.

d Psalm. 60. *e* Actor 5. *f* Bern. epist. 174. ad Canon. Lugdun. *g* Nazianzen. orat. 18. in laudem Cyprian.

faces exosus, libros & in libris Venerem, Vulcano dederit, & ab amoris insania, gentiliisque erroribus, ad veræ religionis, pudicitiæque portum appulerit.

Libet hic demum cum sanctissimo Doctore exclamare, & ad Virginis umbram, illam Petri conferre: *a si tunc opem ferre poterat, umbra corporis, quanto magis nunc* (ô Maria) *tua plenitudo virtutis? sit tunc supplicantibus, proderat aura quadam transeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis?* Recentioris memoriæ est factum illud, *b* quod alii Francisco Sfortiæ, alii Carolo octavo Regi Galliarum adscribunt; potius tamen hoc simile in utroque evenisse. Igitur Carolus (hujus nomen usurpemus, ut dignius) in reditu à Regno Neapolitano, quod quæsivit fortius, quam tenuit, cum oppidum aliquod Italiæ expugnasset, in militum direptione & discursu, Virginem perhonesta forma ad pedes ejus accidisse ferunt, tutelam à vi militum, & custodiam pudicitiæ suæ roganti. Atque illum à militibus quidem, sed ut juvenem & talium rerum satis liberum, statim oculos & Cupidinem ad eam adiecisse, & seductam abjecisse jam minuendam. Ibi ea tali in æstu, tota pro Virginitate depugnandâ effervescens umbram Virginis, tabulam inquam in pariete suspensam videt, in qua Diva Virgo puerum, mundi Servatorem sinu gestabat, & eâ Carolo ostensâ: *per intactam hanc Virginem ait, oro, adjuro, Virgini mihi parce.* Movit ita regem (non sine vi Virgineæ umbræ) ut libidinem bullientem coërcuerit, lachrimis temperaverit, & filiam cum dote quingentorum aureorum liberam dimiserit; sed & propinquos, & affines captos ei donarit. O Animæ castæ! Iesu sponsæ devotæ! quæ sulphureas hasce Veneris faces, ab infami proco, aut à stygio lenone vobis intentari, corpori & animo subdi persentiscitis, ad hanc umbram confugite, & refugium; ac refrigerium experiemini, ut diserte Bonaventura. *c sub tegumento manus tuæ, servi tui illæsi conservantur, & per te suscipimus refrigerium, contra cupiditatis æstum.* Ad hanc itaque saluberrimam umbram confugite, sub hac requiescite, hic tuti delitescite, hæc ab omni æstu effervescentis libidinis proteget, hæc ab ardore diei illius extremi, qui lethalem sudorem exprimere solet, vos defendet, & hæc tartareas umbras, & *umbram mortis* dispellet. Ea propter, quisque nostrum illud B. Guarrici *d* usurpet: *Aspira dies dierum! OBUMBRA super caput nostrum, in die belli, inclina super nos UMBRAM SALUTIS, ET REFRIGERII, & inclinentur subtus nos UMBRÆ TORPORIS ET TOEDII. & licet contingat tenebræ, id est UMBRÆ crassiores, de amore eorum.* Licet nos infestent dæmonum umbræ, ac terrificæ larvæ, in UMBRA *alarum tuarum sperabimus*, ô Domina! sub hac umbra protege me, & præfidenter dicam cum pro-

a August. serm. 29. de Sanctis. b Lipsius monita polit. c. 17. n. 12.

c Bonav. in psalt. d Guarr. serm. 3. in festo SS. Petri & Pauli.

propheta. *a Si ambulavero in medio* UMBRÆ *mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es,* ô Maria. Testis hic mihi, qui vasto codice Virgineam umbram illustravit *b* Novarinus: Sub *Maria* UMBRA, *ac tegmine,* inquit *fuit bonus ille latro, qui cum Christo pendebat in* Cruce; nam ut B. Damiani, *c* aliorumque sententia est, Virginis præcipue *precibus, ad Christum conversus est.* Eadem *Virgo* SUA UMBRA *refrigerium patienti præbuit, ne in illo extremi agonis æstu torreretur.* Clamemus & nos, ubi gelido sudore perfusi æstuabimus, cum *d* S. Bonaventura: IN UMBRA ALARUM TUARUM *Domina requiescam, quia delectabile est mihi refrigerium tuum.*

a Psal. 22. b Novar. in umbra Virg. l.4. excursu 74. n.733. c Damian. de passione.

d S. Bonavent. in psalt. Virg.

FESTUM
CATHEDRÆ SANCTI PETRI.

Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matthæi 16.



In CRUCE SOLA QUIES.

ARGUMENTUM.

MUltæ Cathedræ Pestilentiæ, superbiæ, falsitatis: supra quas sederunt Scribæ, & Pharisæi; una dumtaxat Cathedra veritatis, & sanctitatis: ut contra Heterodoxos sacrarum literarum testimoniis, sanctorum Patrum, Doctorumque sententiis, atque irrefragabili totius Ecclesiæ auctoritate demonstrabo. Tum ad mores velificando, Cathedram Petri, in qua ipse obdormivit, & conquievit, Cathedram, inquam, Crucis, unicam & solam esse, in qua animus ab omni b

bus sæcularium negotiorum turbis, à temporalium curarum turbinibus, securè conquiescere possit, exponam. Quemadmodum in proposito symbolo videre est; ubi Crux, Cathedræ in morem efformata, locum exhibet quietis. Atque in hac Cathedra Sancti, quin & amantissimus Jesus noster obdormivit. Etenim

IN CRUCE SOLA QUIES.

quod aptâ similitudine Divus Anselmus expressit, dum puerum inducit, cum avicula lusitantem, quæ Cruculæ colligata, volat, avolat, revolat, nec usquam quietem reperit, nisi ad a Crucem redierit.

a Ansel. lib. Similit. c. 189.

§. I. *Petri cathedra, est æterna, & prima veritatis.*
§. II. *Quinam sedeant in* CATHEDRA PESTILENTIÆ PS. 1.
§. III. *Crux, Cathedra Christi, in qua Sola quies.*

FESTUM
CATHEDRÆ S. PETRI.

Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, Matthæi. 16.

DE cathedra Moysis, quæstionem movet D. Augustinus, cur jusserit Christus servare quæ dicerent, non quæ agerent Pharisæi? juxta illud Matt. a *Super* CATHEDRAM MOYSIS *sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite; secundum opera vero eorum nolite facere.*

An non dicere mala potuerint, qui facere etiam pessima potuerunt? cur igitur jubet servare, quæ dicerent; Hanc controversiam dilucidè solvit illustrissimus Hipponensium Antistes: ait enim, suavi & mirâ Dei providentiâ, eam vim ac virtutem Cathedræ isti inditam, ut qui in eâ consederit, non nisi bona, veraque proferre queat: *Illa Cathedra*, inquit, b *non eorum*, (nempe Pharisæorum) *sed Moysis, cogebat eos bonum dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua, in vitâ suâ: docere autem sua,* CATHEDRA *illos non permittebat aliena.*

Quod ipsum disertis verbis alibi confirmat: docet enim, providentiam divinam, ita incu-

D 2

a Matt. 23. v. 2. & 3.

b S. August. de Doctrin. Christian. l. 4. c. 27.

incubuisse isti Cathedræ, ut non sit passa, ex eâ falsa dogmata unquam pronuntiari: *In cujus* CATHEDRA, *inquit etiam mali sedentes, bona dicere cogebantur.* Et Epistolâ sexagesimâ supra centesimam, de eadem Moysis Cathedra, sic piè Philosophatur: *In qua coguntur etiam mali, bona dicere, neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei,* qui in CATHEDRA *unitatis, doctrinam posuit veritatis.*

§. I.

Petri Cathedra, est æternæ, & primæ veritatis.

CAmpum hic mihi apertum video, ut pro Cathedra Petri, contra Heterodoxos etiam ad sanguinem decertem. Porrò si Pharisæos, homines perditæ ac prostitutæ vitæ, malum tamen, aut falsum, è Cathedrâ Moysis efferre non permiserit Deus: quomodò è Petri sede, Cathedraque Veritatis, aut malum, aut falsum dogma proficisci patietur? in qua supra viginti septem suo sanguine purpurati Martyres; *a* insuper duo & septuaginta in Sanctorum album relati Sanctissimi Pontifices consederunt. Perstabit in omne ævum, inconcussa ea veritas, quam huic Cathedræ Servator noster tam firmiter alligavit, ut ne inferorum portæ, nec hæreticorum calumniæ, nec fidelium scandala, adversus eam valeant prævalere. Nec sanctitatem, ac infallibilitatem evertet, si, ut Sectarii deblaterant, etiam inter Pontifices, nonnulli vitiis, ac flagitiis infames extiterint. Ideo vocant illam Cathedram *Petram scandali*: Donatistæ, *Cathedram pestilentiæ*: VValdenses, *purpuratam meretricem.* Ioannes VViclef, *Synagogam Satanæ*: Lutherani, Calviniatæ, Anabaptistæ, *Antichristi solium.* Quam objectionem sic refutat S. Augustinus: *b* Redemptor noster *in* CATHEDRA MOYSIS *figurabat suam; dicens quippe, illos* (Pharisæos) *super* CATHEDRAM *Moysis sedentes, dicere, & non facere; monet tamen populos facere, quæ dicunt, & non facere quæ faciunt, ne* CATHEDRÆ *sanctitas deseratur, & propter pastores malos gregis unitas dividatur*: Quæ, ut observat Baronius, hoc misero Ecclesiæ statu, magno Dei miraculo, & peculiari erga Sedem Petri providentiæ curâ integra quàm maximè, atque inviolata permansit: Nam *c* cùm tanta ista vigerent toto hoc sæculo mala, non est inventus, qui ea de causa se ab Ecclesia Romanâ abscinderet, schismate vel hæresi illam impugnaret; sed omnes ubique gentium, eidem fidei vinculo, & obedientiæ nexu juncti perstiterunt. Unde rectè monet Augustinus, scribens contra Petilianum, qui objicit vitia sacerdotum: *d Veruntamen si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissime criminaris,* CATHEDRA *tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? quare apellas* CATHEDRAM *pestilentiæ,* CATHEDRAM *Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem*

a Augustin. l. 16. contra Faustum, & Bozius l. 8. de signis Eccl. c. 3.

b S. August. contra literas Petiliani Donat. l. 2. c. 59. c Baron. ann 909. n. 111. d Augustin. contra literas Petiliani l. 4. c. 51.

gem loqui ; & non facere ; numquid Dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait : Dicunt, & non faciunt ; CATHEDRÆ, *in qua sedebant, ullam fecit injuriam.*

Quid, quod hæreticis imprudenter, ac impudenter hæc nobis Doctorum scandala objicientibus, ad hominem responderi posset ; attenderent quales ipsi Doctores super Cathedram constituant, è quorum grege non ita pridem Minister Prædicans Sylvæ ducis, dum multum in vitia, & mores perversos inveheretur, atque ipse interim homo prostitutæ esset nequitiæ, à quodam perstrictus, quod deberet opere exequi, quod verbis docebat : respondit, se annuè à Statibus recipere centum libras, ad dicendum, at si darent sex millia, ad faciendum ; quæ dico, conditionem, inquit, non admitterem.

Nolim hîc subtilius, ac sublimiùs disceptare, quod in scholis ventilatur, an Pontifex in animo, & ut homo particularis, possit esse hæreticus ? nobis sat est demonstrare, illum ex Cathedrâ hac veritatis, erronea suis dogmata proponere non posse, quemadmodum ex conformitate definitionum omnium Petri successorum, contra fidei errores manifestum est. Ut usurpare liceat illud S. Cypriani : a *Ad Romanam fidem, perfidia non habet accessum.*

Quod nemo quisquam demirabitur, qui S. Petri ac successorum oracula, à Deo ipso noverit confirmata. B. Petrus Damiani, Purpuratus Pater, serm. de S. Petro: b *O quàm potens (exclamat) dignitas ? quàm digna potentia ! judicat Petrus, & Petri judicia confirmat Omnipotens.*

Hinc Catholicum semper habitum, quod à Papa decretum Iustinianus Imperator in Epistolâ ad Hormisdam Papam: c *Hoc*, ait, *credimus esse Catholicum, quod vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.* Quod qui non credit, meritò, ut hæreticus aut schismaticus, damnandus, & execrandus est, juxta illud Lucæ XI. *Qui non colligit mecum, dispergit.* Unum instar omnium S. Hieronymi testimonium est, de quo Augustinus in Epistola ad Cyrillum ; *gloriosissimus Christianæ fidei Athleta, sanctæ Matris Ecclesiæ lapis angularis : quæ Hieronymus ignoravit in natura humana, nullus hominum unquam scivit.* Hic tantus Doctor ista scribit d ad Damasum Papam ; *Ego Beatitudini tuæ, id est,* CATHEDRÆ *Petri communione consocior : super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio ; qui tecum non colligit, dispergit.*

Ecquis Ministellorum (compello vos viros, qui omni affectu, & passione semota, secundum lumen, quod super vos signavit Altissimus, judicatis) ecquis inquam Ministellorum, ingenio, scientia, sacrarum literarum eruditione, & interpretatione, vitæ castimonia, & Sanctimonia, Hieronymo (ut alios mittam) se parem,

a S. Cyprian. l. 3. Epist.

b B. Pet. Damian. serm. de S. Petro.
c Apud Baron. an 519. d Hieronym. epist 57. ad Damasum Papam.

rem, vel per umbram audeat comparare? ecquis non verissimè quondam pronuntiatum illud fatebitur? *a* plus valet hic unus Ecclesiæ Doctor, quàm centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecēti Bulengeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Calvini, qui omnes si in uno mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ. Et hi vel excucullati Monachi, vel homines Veneri, & abdomini nati, imbelles ac inertes, hanc Cathedram, linguæ telis impetere, calumnijs, ac blasphemijs proscindere non verentur.

Unum ex his adduxisse sufficiat. Sub annum Christi 1600. certis auctoribus compertum est, *b* fuisse in Hollandia virum adeò pinguem, ut mortuum viginti sex homines vix ferendo pares essent. Cathedram Romanam Petri, hic ut cariosam aspernabatur, jactabatque ille olim, nolle se Petri navicula, hujus vitæ pelagus traijcere, quòd vetus esset, & impar tanto oneri, novam ea propter se velle. Triduo ab hoc loco mortuus, & cymba Charontis veteri ac futili ad Styga tranavit. Non minùs Turcorum ac Saracenorum in hanc Cathedram odium est, quam omnibus viribus evertere frustra conati sunt; cujus stabilitatem magna sancti Bernardi *c* confirmat auctoritas, (quem Calvinus pium Scriptorem nuncupat.) Hic *Dignum*, ait, *arbitror inde resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum. Cui enim alteri* SEDI *dictum est aliquando: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua?* Ubi non agit de Sede, seu Cathedra Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, sed de Romana: *d* scribit enim ad Innocentium II. Pontificem Romanum. Anno Christi 1016 Saraceni Ecclesiæ litora innumeris copijs invadentes, orbi Christiano excidium meditabantur, dum Benedictus VIII. Deo auspice eos ad internecionem delevit, ipsorum Rege fuga elapso, Regina verò capta, & capite truncata. Rex autem morte conjugis, & sociorum admodùm turbatus, summo Pontifici saccum castaneis plenum misit, tot se in proximam æstatem milites esse ducturum, & Sedem Petri eversurum dictitans; Pontifex verò saccum granis milij plenum, eidem remisit: tot illum loricatos in Italia reperturum affirmans. Enimverò nil mortalium vires ei pertimescendæ, quam ne inferorum portæ valent subruere. Præclarè *e* Augustinus: *Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri* SEDE, *& in isto ordine Patrum, quis, cui successerit, videte. Ipsa est Petri, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Nobiles familiæ quæ antiquam stemmatis jactant Originem, probant eam successionem unius generationis ex altera, quemadmodum dux Archotanus prope Lovanium in Cælestinorum templo,

a Florimun. Remund. de ortu hæreseos, l. 2. Pontan. in Atticis bellar. p. 2. Sales, c. 35.
b D Oultreman Amor increatus pag. 207.
c Calv. l. 4. Instit. c. 7. §. 18. S. Bernard. epist. 190.

d Baron. ann. 1016. e Aug. in Psal. Contra partem Donati.

templo, prosapiam suam ab Adamo derivat. Sic dici quodammodò potest; Petro Linum, Lino Cletum, Cleto Clementē, huic Anacletum successisse, & successionem hanc, usque ad supremum orbis diem, spiritu Prophetico, obscuris symbolis, de facto luculenter comprobatis, jam inde à quingentis sæculis posteris consignavit S. Malachias Archiepiscopus Ardinacensis, qui obijt anno Christi 1148. die 2. Novemb.

a *Ex castro Tyberis.* CÆLESTINUS II. origine Tiphernas *Inimicus expulsus.* Lucius II. familia Caccianemica

Ex magnitudine montis. EUGENIUS III. ex oppido Montis magni.

Abbas Suburranus. ANASTASIUS IV. ex Abbate S. Rufi, familia Suburna.

De rure albo. ADRIANUS IV. rurali familia, ex oppido S. Albani.

Ex tetro carcere. VICTOR IV. Cardin. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Via Transtiberina. CALLISTUS III. Card. S. M. transf. Tiberim.

De Pannonia Tusciæ. PASCHALIS III. Vngarus, Card. Tusculanus,

Ex Ansere custode. ALEXANDER III familia Paparona.

Lux in ostio. LVCIVS III. Card. Ostiensis.

Sus in cribro. VRBANVS III. Cribellus; cujus insignia sus.

Ensis Laurentij: GREGORIVS VIII. cujus insignia enses, Cardinalis S. Laurentij.

De Schola exiet. CLEMENS III. Rom. domo scholari.

De rure Bovensi: CÆLESTINVS III. familia Bovensi.

Comes signatus. INNOCENTIVS III. Comes Signiæ.

Canonicus de latere. HONORIVS III. Canonicus Laterani.

Avis Ostiensis: GREGORIVS IX. insignia Aquila, Cardinalis Ostiensis.

Leo Sabinus. CÆLESTINVS IV. cujus insignia Leo, Cardinalis Sabinus.

Comes Laurentius. INNOCENTIVS IV. Comes Fliscus, Cardin. S. Laurentij.

Signum Ostiense. ALEXANDER IV. Comes Signiæ, Cardinalis Ostiensis.

Hierusalem Campaniæ. VRBANVS IV. Campanus, Patriarcha Hierosolymitanus

Draco depressus. CLEMENS IV. cujus insignia Aquila, Draconem unguibus premens.

Anguinus Vir. GREGORIVS X. Vicecomes; insignia anguis.

Concionator Gallus. INNOCENTIVS V. Gallus, Ord. Prædicatorum.

Bonus Comes. ADRIANVS V. Otobonus Comes Fliscus.

Piscator Tuscus. IOANN. XXI. Petrus Cardin. Tusculanus.

Rosa composita: NICOLAVS III. dictus compositus, familia Vrsina, cujus insignia Rosa.

Ex telonio liliacei Martini: MARTINVS IV. cujus insignia lilia, thesaurarius S. Martini Turonensis.

Ex Rosa Leonina. HONORIVS IV. Sabellus, cujus insignia, Rosa, à leonibus gestata.

Picus inter escas: NICOLAVS IV. Picenus, patria Esculanus.

a D. Arnold. VVion, Ord. S. Benedicti, lignum vitæ p. 307. Gabriel. Bucelinus hist. univers.

Ex Eremo celsus: CÆLESTINUS V. ex eremita, Pontifex.

Ex undarum benedictione, BONIFACIUS VIII. Benedictus Cajetanus, cujus insignia, *Unda*.

Concionator Patereus: BENEDICTUS XI. Nicolaus, Ord. Prædicatorum.

De fessis Aquitanicis: CLEMENS V. Aquitanus; cujus insignia, fessæ.

De sutore Osseo: IOAN. XXII. familia Ossa, sutoris filius.

Corvus schismaticus; NICOLAUS V. Corbarius, Antipapa.

Frigidus Abbas; BENEDICTUS XII. Abbas fontis frigidi.

De Rosa Atrebatensi CLEMENS VI. Atrebas, insignia Rosæ.

De montibus Pammachij; INNOCENTIUS VI. Cardin. tituli Pammachij, cujus insignia, sex montes.

Gallus Vicecomes; URBANUS V. Gallus, ad Vice-Comites Mediolanenses Nuncius, &c.

Novus de Virgine forti. GREGORIUS XI. Belfortis cogn. Cardin. tit. S. Mariæ novæ.

De Cruce Apostolica; CLEMENS VII. de luna, Cardin. SS. XII. Apostol. cujus insignia Crux.

Luna Cosmedina; BENEDICTUS XIII. de luna Cardin. B. M. V. de Cosmedin.

Schisma Barchinonium; CLEMENS VIII. Antipapa, Canonicus Barchionensis.

De inferno pregnanti; URBANUS VI. Pregnanus, natus in loco, qui infernus dicitur.

Cubus de mixtione; BONIFACIUS IX. Thomacellus, cujus insignia Cubi.

De meliore sydere; INNOCENTIUS VII. dictus Cosmatus de Melioratis, cujus insignia sydus.

Nauta de ponte nigro. GREGORIUS XII. Venetus, Præses Ecclesiæ Nigropontanæ.

Flagellum solis. ALEXANDER V. Archiepiscop. Mediolani S. Ambrosij; illius insignia sol, qui ut in nummis antiquis videre est cum flagello.

Cervus Sirena. IOANN. XXIII. Card. S. Eustachij, cum cervo, Bononiæ Legatus, Neapolitanus.

Corona veli aurei. MARTINUS V. Colonna, cujus insignia columna cum corona. Card. S. Georg. ad velum aureum.

Lupa Cælestina. EUGENIUS IV. Canonicus Cælestinus, Episcopus Senensis.

Amator Crucis. FELIX V. Dux Sabaud. Amadeus, cujus insignia, *Crux*.

De modicitate lunæ. NICOLAUS V. Lunensis, humili genere.

Bos pascens. CALLISTUS III. insignia, Bos pascens.

De capra & Albergo. PIUS II. Secretarius Cardinalium, Capranici, & Albergati.

De Cervo, & Leone. PAULUS II. Præses Eccles. Serviensis, Cardinalis S. Marci, qui Leo dicitur.

Piscator Minorita. SIXTUS IV. Piscatoris filius, Minorita.

Præcursor Siciliæ. INNOCENTIUS VIII. Ioan. Baptista, Aulicus Regis Siciliæ.

Bos Albanus in portu. ALEXANDER VI. cujus insignia Bos; Cardin. Albanus & Portuensis.

De parvo homine. PIUS. II. Picolhomineus.

Fructus Iovis juvabit. IULIUS II. insignia, quercus, arbor Iovis.

De

De craticula Politiana. LEO X. Laurentii Medices filius, Pontiani discipulus.

Leo Florentius. ADRIANUS VI. Florentij filius ; insignia, Leo.

Flos pilei agri. CLEMENS VII. Medices Florentinus, cujus insignia, boli, & lilia.

Hyacinthus Medicorum. PAULUS III. Farnesius; insigne, lilia cærulea, Cardin. SS. Cosmæ & Dam. Medicorum.

De corona montana. IULIUS III. anteà dictus Ioan. Maria, de monte.

Frumentum flocidum. MARCELLUS II. cujus insignia Frumentum flocidum, brevi Pontificatu.

De fide Petri. PAULUS IV. anteà Petrus Carafa.

Æsculapij pharmacum; PIUS IV. Ioan. Angelus Medices.

Angelus nemorosus. PIUS V. Michaël, ex oppido Boschi.

Medium corpus pilarum. GREGORIUS XIII. cujus insigne, medius draco, gestans Cardinalis pilas Pij IV. à quo creatus est Cardinalis.

Axis in medietate signi. SIXTUS V. qui axem in medio Leonis pro insigni habet.

De rore cœlesti. URBANUS VII. Archiepiscopus Rossanensis in Calabria, ubi manna legitur.

Ex antiquitate urbis. GREGORIUS XIV. utroque parente antiquissimæ familiæ, ipse Antiquitatum Urbis restaurator.

Pia civitas in bello. INNOCENTIUS IX. nemo hucusque explicavit.

Crux Romulea. CLEMENS VIII. cujus insigne trabs argentea, tribus segmentis interstincta, ad modum Crucis Pontificis Rom.

Undosus vir. LEO XI. Paralysi obnoxius.

Gens perversa. PAULUS V. nemo explicavit.

In tribulatione pacis. GREGORIUS XV. sub quo Imperium maximè turbatum nunquam hucusque respiravit.

Lilium & Rosa. URBANUS VIII. Florentinus, cui Urbi lilium pro insigni, ipsi rosis amicissimæ apiculæ. Cæterum respici ab Octavo videtur Urbanus IV. cujus insignia lilium & rosa.

Iucunditas Crucis. INNOCENTIUS X. cujus insignia columba, suavem pacis olivam gestans, electus festo S. Crucis.

Montium custos. ALEXANDER. VII. cujus insignia montes, quibus sidus cœleste, velut oculus vigil, & custos supereminet ; juxta illud : *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis.* Baruch. 3.

Sequuntur Prophetica ejusdem S. Malachiæ sequuturorum Pontificum symbola.

1. Sydus Olorum.
2. De Flumine magno.
3. Bellua insatiabilis.
4. Pœnitentia gloriosa.
5. Rastrum in porta.
6. Flores circumdati.
7. De bona Religione.

8. Miles in bello.
9. Columna excelsa.
10. Animal rurale.
11. Rosa Umbriæ,
12. Vrsus velox.
13. Peregrinus Apostolicus.
14. Aquila rapax.
15. Canis & Coluber.
16. Vir religiosus.
17. De balneis Etruriæ.
18. Crux de Cruce.
19. Lumen in cœlo.
20. Ignis ardens.
21. Religio depopulata.
22. Fides intrepida.
23. Pastor Angelicus.
24. Pastor & Nauta.
25. Flos florum.
26. De Medietate Lunæ.
27. De labore Solis.
28. Gloria Olivæ.

In persecutione extrema S. R. Ecclesiæ sedebit.

Petrus II. Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis Civitas septicollis diruetur, & Iudex tremendus judicabit populum suum.

Hucusque

Meritissimus de S. R. E. Archiepiscopus & Primas Hiberniæ S. Malachias, Monachorum gloria, melliflui Doctoris Bernardi amicissimus.

Atq; hæc continua in Cathedram Petri Pontificũ successio, Ecclesiæ antiquitatem, unitatẽ, veritatem, soliditatem maxime comprobat, atque confirmat; quam omni nisu heterodoxi infringere conantur. Perappositè non ita pridem, fœmina h[...] retica in Zeelandia a *Ter Goes*, [...] lia ducens, nendo dicebat [...] cinæ fœminæ Catholicæ sibi [...] sidenti: non credo hunc m[...] dernum Pontificem esse succe[...] sorem Petri; Respondit alter[...] bene: quod si ego non creda[...] ultimum filum quod in glom[...] re tuo est, connexum esse pr[...] mo, qua ratione id mihi pe[...] suadebis? cui heterodoxa: [...] volve totum glomerem, & d[...] prehendes successivè à prim[...] ad ultimum, omnia ab invice[...] dependere. Tum Catholica, [...] tu vicissim seriem revolve Pon[...] tificum, & invenies post Pe[...] trum, Linum &c. Adhu[...] usque, sibi omnes in Cathedr[...] Petri successisse, ut apud Ba[...] ron. RosWeydum, aliosqu[...] videre est. Lubet hic cum Tertulliano, Reformatores n[...] vos, compellare, qui sic hæ[...] reticos sui temporis alloqui[...] tur: *Edant,* b inquit, *Origine[...] Ecclesiarum suarum, evolvant or[...] dinem Episcoporum suorum, it[...] per successiones ab initio decurren[...] tem, ut primus ille Episcopus al[...] quem ex Apostolicis viris, qui ta[...] men cum Apostolis perseverarit[...] habuerit auctorem, & antecesso[...] rem.* Quæ unica probatio, a[...] tuendam veterem nostram pos[...] sessionem sufficiens est; ut & defectus ille continuæ succes[...] sionis quæ novella Ecclesia a[...] pud se reperiri, negare non po[...] test, satis declarat, novam il[...] lam esse doctrinam ac proind[...] falsam.

Beza antecessorem Calvi[...] num, hic socium nobis Farel[...] lum monstrabit. En tibi totam seriem[...]

a Extracti [...] Catholic. Amstelii. q 22[...] Pag. 107. b Tertul. lib. de præscrip.

feriem. Sed ô miferam fucceffionem, quæ ad tertium gradum non pertingit! At quemadmodum Deus ipfo Diabolo patre mendacii, quandoq; utitur, ita eorum adminiftris ad extorquendam veritatem. Cui rei notabilem Florimundus adfert hiftoriam. Homo quidam Druetus nomine, *a* Honeftâ familiâ apud Mediomatrices ortus, hærefios abreptus torrente, ad minifterium fuerat adfcriptus, & in Germaniam miffus: quod ille officium aliquandiu, in Helvetiâ exercuit. Hominis hujus operam cum Sillerius, vir tam literis, quam multarum rerum experientiâ ac prudentiâ inftructiffimus, commodam fibi, atque utilem exiftimaret, Genevam eum mifit, quo ille profectus, Bezam apud quem diverterat, pro more fuo ad populum; haleras jacientem, diligenter audiebat. Quodam die, dum Beza textum ex capite, act. Apoft. 11. de S. Stephano explicaret, & Catholicæ Ecclefiæ latifundia, cum parvi fui gregis anguftâ corte compararet; tandem ad Apoftolorum fucceffionem delapfus, inquit: quod fi Adverfarii rogent, ubi fit *apud nos illa fucceffio, & S. Petri* SEDES? mittamus omnino hanc quæftionem, cum negare non poffimus, perfonalem hanc fucceffionem, velut de manu in manum traditam, penes Papiftas effe. Paulo poft, ad Bezam revertitur Minifter ille, ut & alii penfionarii. Ecquid novi haberet, rogatus? Mirabile quid, inquit ille. Tum Beza quidnam, aut à quo? tum ille, certe à teipfo Domine; dixifti enim Apoftolicam fucceffionem penes Papiftas effe, inde à S. Petro, ad hæc ufque tempora continuato ordine. Quod fi ita eft, ergo nos fumus fchifmatici & feditiofi: nam *feditio*, id eft *à fede itio*. Ubi Beza: habent illi inquit, fucceffionem perfonalem, nos vero doctrinæ. Quomodo vero ajebat Minifter, perfonalis fucceffio, à doctrina feparari poffit? Ubi ergo illa capita funt, in quibus doctrina illa refidet? quinam illi erunt Paftores, ad ovile legitime vocati? tandem abrupto fermone ne circumftantes offenderentur, probus ille Vir ad Sillerium reverfus, animi fui fcrupulum ei expofuit, Lutetiamque primum ad Pontificis Legatum Cardinalem Florentinum, ac demum anno, 1600. Romam profectus, à S. D. N. Clemente VIII. Pontifice, cum feptuaginta fex aliis; ad Catholicæ Ecclefiæ Communionem receptus fuit. Qui mihi ipfe (inquit Auctor) Converfionis fuæ; cujus prima fundamenta Beza jecerat, hiftoriam narravit. Ex quibus omnibus, certiffimum eruitur illud Myfterium, quod aureo fuo fermone obfervavit Chryfologus ferm. 74. quod Angelus in Refurrectione Domini federit fuper Petram, feu lapidem Monumenti; cujus caufam hanc *b* affignat: *Ut fidei Doctor, ut Refurrectionis Magifter fedebat fuper Petram; ut* SOLIDITAS SEDIS, *daret credentibus firmitatē.* Denique ne hic longior fim, vel ipfi materiali Cathedræ Petri, virtus inhæfit, de qua

D 6 *a* Baro-

a Florimund. Remund. de ortu hærefeos, l. 8. cap. 5.

b Chryfolog. Serm. 74.

a Baronius S. R. E. Cardinalis: ipsa prima Pontificum sedes Petri, Cathedra inquam lignea, dignum plane tantæ rei, eximiumque monumentum, quam plurimis semper miraculis illustrata, à majoribus asservata, in ejusdem Petri Basilicâ Vaticanâ recondita, hactenus custoditur, & certis diebus populo visenda exponitur. Quare qui eam dente Theonino, vel morsu Leonino proscindunt, videant cur Virga Moysis, gladius Goliath, hemicinthia Pauli, ut sacræ paginæ docent, asservata, & summâ in veneratione fuerint.

Illam itaque Cathedram hodierna die ne quidquam frendentibus hæreticis, per totum orbem Roma celebrat, & veneratur, & exaltat Ecclesia: de Redemptore dixit olim Archangelus Lucæ 1. *Dabit illi Dominus* SEDEM DAVID *Patris ejus.* Quam sedem, eandemque auctoritatem, & primam suam potestatem in Petrum transtulit. Ad quam Magnus Gregorius alludens, & Psalmistæ verba usurpans, ait: *b ideo merito exaltent eum in Ecclesia plebis; & in* CATHEDRA *seniorum laudent eum.*

Concludo, quod ad Cathedræ hujus exaltationem mirifice facit, stupendo prodigio: disertissimus c Ecclesiastes Parisiensis, & Theologus eximius, Guilielmus Pepinus, refert: cum S. Petrus Antiochiæ moraretur, & fidei rudimenta tradere cœpisset, Theophilus Urbis Præfectus, conjecit Petrum in vincula, ut illic inediâ conficeretur: dum famam de Cœlestibus à Petro prodigiis, ubique gentium perpetratis, ad aures Theophili pervenit; qui & sibi signum fieri, & quidem maximè luculentum à Petro postulavit: videlicet ut filium jam annos quatuordecim consepultum, in vitam revocaret. Quem cum Petrus, fusis ad Deum precibus, à mortuis suscitasset, tanto tamque stupendo miraculo, orthodoxam ipse Theophilus, cum omni populo, fidem amplexus est, atque ædes suas in sacram Basilicam commutavit: in cujus medio Excelsam *Cathedram*, qua S. Petrum, virum admirabilem, omnibus spectabilem redderet, & velut in cœlos exaltaret, considere fecit.

Hac tandem Cathedrâ veritatis, sanctitatis, unitatis firmatâ, alias Cathedras pestilentiæ, falsitatis, luxuriæ, iracundiæ, superbiæ, lustremus, ac moralia inde documenta eruamus.

§. 2.

Quinam sedeant in CATHEDRA PESTILENTIÆ? Psal. 1.

CÆlestis Aquila Ioannes, bestiæ sedem, non usitatâ pennâ describens, inter cetera ait: *d Et quintus Angelus iratus effudit Phialam suam super* SEDEM *Bestiæ, & factum est Regnum ejus tenebrosum*; atque aliæ bestiæ furore rabidæ: *manducaverunt linguas suas præ dolore, & blasphemaverunt Deum cæli.* Ubi indubitatū est, hac tetrâ & abominandâ bestiæ illius tartareæ se-

a Baron. anno Christ. 45. n. XI. b S. Greg. ad Maurit. c Pepinus. Serm. in Festo Cathedræ S. Petri. Legenda aurea.

d. Hæretici. Apoc. 16.

reæ ſede, execrandam hæreſeos Cathedram deſignari. Hugo Cardinalis illud Apocalypſeos: *effudit phialam ſuam ſuper* SEDEM *beſtiæ*, accurate expendens; *id eſt*, inquit, *a ſuper gentes conſentientes Antichriſto . in quibus tanquam in* SEDE *conquieſcet*. Quinam vero illi ſint, in quibus conquieſcet, expreſſius Hieronymus epiſt. I. ad Damaſum Papam : *Si quis in arca non fuerit , peribit regnante diluvio : quicunque tecum* (ô Damaſe) *non colligit, ſpargit , hoc eſt, qui Chriſti non eſt , Antichriſti eſt.*

Pſaltes Regius beatum *b* deprædicat, qui in CATHEDRA *peſtilentiæ* non ſedit, quam ut varia ſcelerum monſtra occupare, ſacri interpretes aſſeverent, *c* Auguſtinus tamen ſic loquitur : *quanquam accommodatius accipiatur* CATHEDRA PESTILENTIÆ, *pernicioſa doctrina, cujus ſermo ut cancer ſerpit.* In eundem ſenſum, ac ſententiam accedit B. Chryſologus, Ravenatium Antiſtes: *in* CATHEDRA PESTILENTIÆ *ſedit, qui ſub ſpecie fidei , ſcindit , rumpit, diſtrahit unitatem.* Hæc Cathedra falſitatis, impietatis, iniquitatis, ex qua errores ſuos, inſana & impia dogmata ſua deblaterant. Unde idem vates Regius ſceleſtam hanc Cathedram, aliter etiam deſcribit, nominatque ſedem iniquitatis, & abominationis. Pſal. 93. *nunquid adhæret tibi* SEDES INIQUITATIS? Hujus imago, & figura extitit, Sedes Pharaonis: ſcriptum quippe in Exodo, filium ejus in eodem Throno conſidentem, ab Angelo exterminatore, qui univerſos per Ægyptum primogenitos, una nocte interfecit, percuſſum interiiſſe; textum & contextum audite : *d factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in* SOLIO *ejus ſedebat.* Atque ut illi ſedes immanis tyranni, parentis ſui, fatalis extitit, ita & heterodoxi omnes qui *ſedem beſtiæ*, & Cathedram hanc peſtilentiæ occupant, eam ſibi cum Apoſtatis Angelis, qui à cœleſtibus ſedibus ad ferreas æterno igne candentes Cathedras deturbati ſunt, prorſus exitialem experientur.

Apud Perſas fatale eſt Regis ſui, hominis barbari Cathedram occupaſſe, & quiſquis huic inſidere auſus, capite ſupplicium fuit. Hinc factum eſt, ut refert *e* Curtius, cum Alexander igni aſſideret, ut rigida hyeme ſe calefaceret, forte gregarius miles, frigore prope enectus, quique nec arma, nec ſeipſum ſuſtentabat inducitur. Eo viſo Rex è Sellâ ſuâ aſſurrexit, torpentemque militem, & mentis impotem, demptis armis, in ſede ſua conſidere juſſit; ille diu, nec ubi requieſceret, nec à quo exceptus eſſet, agnovit. Tandem recepto calore vitali, ut fatalem Cathedram, Regemque vidit è veſtigio territus exilivit, atque de capite ſuo actum proclamavit. Quamquam huic gratiam factam Hiſtorici referunt; *f* at iis qui in peſtifera hæreſeos Cathedra, quæ SEDES *eſt Satanæ* conſederunt, omnis gratiæ, & miſericordiæ expertes, ad igneas inferorum Cathedras dam-

a Hugo Car. in Apoc. cap. 16.
b Pſalm. 1. c Auguſt. in pſalm. 1.
d Exod. 12. Curt. l. 8. cap. 9. Apoc. 2.

damnandi sunt. Accidit sedem hanc, non unam esse, nec uno loco; sed maxime variam, instabilem, ac quamque sectam, suam sibi pro arbitrio deligere, ac fabricare Cathedram. Synodus Dordracena commodissimam, & igni aptissimam, fænum seu stramen sibi delegerat, unde Poëta.

Quid Synodus? nodus: fratrum chorus integer? ager
Conventus, ventus: SESSIO, *stramen, Amen.*

a Alii qui Cathedram pestilentiæ occupant, sunt superbi, inflati; ac inani fastu turgidi: sic enim Augustinus b in psal. 1. *Superbia ideo* CATHEDRA PESTILENTIÆ *recte intelligitur, quia non fere quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus late pervagatus, & omnes, aut pene omnes involvens*; non modo plebeios, sed & nobiles, Magnates; quin & viros religiosos, Ecclesiasticos, Prælatos hoc virus invadit, quos sapiens sapienter monet. Eccl. 7. *Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege* CATHEDRAM HONORIS. In quæ verba Hugo c Cardinalis: *Redarguit hic ambitiosos: Primo quia se ingerunt non vocati; unde dicit, noli quærere, &c. Secundo quia carnaliter, & à carnalibus promoventur, non intuitu Dei, sed sanguinis; unde dicit: neque à Rege* CATHEDRAM *honoris.* Quo sensu Pharisæos ambitione tumidos, in Euangelio Magister humilitatis perstringit, dicens: *amant autem primos recubitus in cænis, & primas* CATHEDRAS *in Synagogis:* Ubi Chrysostomus hoc utcumque tolerabile ducit, ut quis in convivio primum locum ambiat; at in schola Christi, in curia Ecclesiastica eo aspirare, id doctore humilitatis, ut quam maxime indignum, execratur: *intende* inquit, d *ubi in Pharisæis vana gloria dominatur, in Synagogis scilicet, in quas intrabant alios directuri. In cænis hoc pati qualitercunque tolerabile erat: quamvis doctorem in administrationem esse oporteat, non in Ecclesiâ solum, sed ubique.* Ac tandem concludit, quemadmodum Ecclesiasticus vetat *quærere*, ita Christus prohibet *diligere* primas Cathedras; e *Si autem diligere talia est incusatio, quod malum est studere, ut his aliquis potiatur?* Quod malum studere eos, ut primis Cathedris potiantur, qui superbia, fastu, avaritia, luxuria infames sunt? de quibus Bern. l. 2. de Consid. c. 7. *Monstruosa res gradus summus, & animus infimus.* SEDES PRIMA, *& vita ima.* Nihilominus quam multi hoc corruptissimo sæculo, ambiunt primas Cathedras Doctorum, primas Cathedras Senatorum, primas Cathedras Concionatorum? quos inter censeri posset Orator ille f Granatensis, cui cum è Cathedra descendenti, vir primæ Nobilitatis manum porrigeret, respondit: *malle sibi manum porrigi, ut ascenderet* ad Cathedram, nempe sublimiorem Episcopalem Chrysostomo suffragatur Venerabilis Beda, qui expendens illud Lucæ 20. *attendite a Scribis, qui amant* PRIMAS CATHEDRAS, recte observat, in curia Ecclesiastica

a 2. Superbi. b August. in Psalm 1. c Hugo Car. in Ecc. 7.

d Cit. d Thom. in Matth. c. 23. e Chrysost. ibid. f A castro. [illegible] hyemali. pag. 68.

ſiaſtica & ſæculari, debere eſſe primates, Prælatos, Principes, ac Reges à Deo conſtitutos, ſed non indebite per aureos gradus debere ſibi viam ad eas Cathedras honoris ſternere: *non primos* inquit, *a ſedere, vel diſcumbere vetat eos, quibus hoc officii ordine competit; ſed eos, qui hoc imdebite amant, docet eſſe cavendos: animum, vel gradum redarguems*, quod Chriſti monitum, piiſſimus ac prudentiſſimus Hiſpaniæ Rex *b* Philippus II. Sanctum ac inviolatum ſervavit: delegerat hic in Epiſcopum, virum Religioſum, jamque literas Regio ſigillo munitas ad illum deferri curarat, cum nuntiatur in aula adeſſe, ac in atrio præſtolari; quod ut reſcivit, ilico literas conſcidit, dicens: Monachum aulam frequentantem, ſacris infulis indignum eſſe; Ad quas illi aſſumendi, qui ſibi imperare, ac proprio honori; & exiſtimationi prædominari norunt; cujuſmodi in Principes Eccleſiæ aſſumendos B. Laur. Juſtinianus dictitabat, qui de S. Matthia agens: *primatum* inquit, *adeptus eſt gentium, quia prius ſibimet ipſi didicit principari; ſic namque ad veri honoris conſcenditur* CATHEDRAM, *ut ante quis ſibi, deinde dominetur & ceteris*. Hæc ad veros honores, ad ſolidæ gloriæ Cathedram via eſt; cujus ambitione, vos omnes duci; & ſancte inflammari percuperem: ut nempe per bona opera & heroicas virtutes, ſedes illas beatorum, quam maxime honorificas occupare poſſitis, ad quod Doctor Angelicus quemque noſtrum hortatur, dicens: *c Chriſti autem Diſcipulus, diligit cum Apoſtolis ſedentibus, ſuper duodecim Thronos*, PRIMAS CATHEDRAS, *actibus bonis dignum ſe prabere feſtinans* CATHEDRIS *his*. Talem ſe Chriſti diſcipulum præſtitit Seraphicus *d* Franciſcus, qui cum ſe ultimum mortalium, atque inter ſceleratos, Principem dictitaret, inter Seraphinos in Cœlo ſociatus eſt, & in ſupremam Cathedram, unde Lucifer ſuperbia deturbatus, humilitate conſedit. Franciſcus ex humili Cathedra Crucis, cui affixus erat, ad illam ſublimem evectus eſt. *e* Hic Cathedræ, honores, dignitates, opulentiæ, Cruces ſunt, ſed nullam ſuis poſſeſſoribus quietem præbent. Ut ſcite Hugo *f* Card. *Mundus dicit, quemcumque oſculatus fuero, dignitatum, vel divitiarum oſculo, ipſe eſt, tenete eum, O vos divitiæ & dignitates, & crucifigite*. Quin potius ſtudeamus nos humilitate, manſuetudine, vitæ ſanctimonia, boniſque operibus, nos illis ſedibus dignos efficere, in quibus ſolis vera & unica requies quærenda, & invenienda eſt. Diabolus quidem Cathedras honoris ſubſternit mollibus pulvinis, ut locus quieti aptus eſſe videatur, ſed decipit, nam huic CATHEDRÆ PESTILENTIÆ, ut ait *g* Bernardus, *opponitur pulvinar, ut ſuaviter ſedeat. Pulvinar ſit de levibus pennis avium, ſignificans vanam gloriam, & favorem popularē, quibus homines delectati, extollūtur*. Quomodo vero

a Ven. Beda apud S. Thom. in Luc. cap. 20. b Velasques, in epiſt. ad Philipp.

c S. Thom. in Matth. cap. 23. d Bonav. in Vita e Nulla quies in Cathe. dra peſtil. f Hugo Car. in Prov. c. 26 g Bernard. ſerm. 35. ex parvis.

vero Ambitiosi in hac Cathedra, nulla ratione quiescant, præclarè è Clara Valle sua, alibi docuit, exclamans. a *O infinita semper ambitio, & insatiabilis avaritia! cum primum honoris gradum meruerint in Ecclesia, verbi gratia, cum factus fuerit in quacunque Ecclesiâ Decanus, Præpositus, Archidiaconus, non ideo corda* QUIESCUNT, *duplici semper æstuant desiderio: quo utique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur.*

Cum tu ad subsellia Magistratus evectus, *non ideo corda quiescunt.* Cum tu in curiam Senatoriam adlectus, *non ideo corda quiescunt.* Cum tu summus Prætor, Præses, Præsul, effectus, *non ideo corda quiescunt.* Miseram prorsus istiusmodi hominum conditionem, miseratur Augustinus, qui omni vita per summos labores, dolores, pericula, vulnera, & mortem, paucos dies quietis quærunt: *Veterani homines,* inquit, b *qui in militia laborant, & versantur inter Vulnera, tot annos incipiunt militare à juventute, exeunt senes, ut habeant paucos dies* QUIETOS *senectutis suæ, quando eos jam ipsa ætas incipit gravare. Quos bella non gravant? quam dura tolerant? quæ itinera? quæ frigora? quos soles? quas necessitates? quæ vulnera? quæ pericla? & non attendunt patientes hæc omnia, nisi* PAUCOS DIES QUIETIS, *ad quos utrum pervenient, nesciunt.* Nec ex millibus unus, perventurus est. Experientia & ipse propria edoctus, palam fatetur, in rebus omnibus creatis se requiem frustra quæsivisse: c *Fecisti nos ad te, &* INQUIETUM *est cor nostrum, donec* REQUIESCAT *in te.* Hujus sententiæ testis & arbiter, Miles ille apud Plutarchum, qui cum per omnes Militiæ gradus ad Imperatoris solium conscendisset, nec in eo, etiam conquiesceret, illud veritati testimonium dedit: *omnes omnium dignitatum gradus percurri, & in nullo* QUIETEM *inveni.*

Quare si nos veram quietem sectemur, non nisi in sede humilitatis, eam capere poterimus, quæ nos hic humiles & abjectos, ad Cathedram gloriæ in cœlis sublimabit. Ad rem facit quod de S. Gregorio, Antistite Turonensi, sacri annales referunt. d Hic ut corporis mole omnino pusillus erat, ita multo minor animā modestia, in oculis suis apparebat, deque se demississime sentiebat; Evenit autem cum Romam excurrisset, & limina Apostolorum summa veneratione visitaret, eum à S. Gregorio Magno, tum Pontifice Romano, introductum in Basilicam S. Petri, ac Pontificem arcanam Dei dispositionem admiratum fuisse, quod in hominem adeo parvum, brevisque staturæ, tanta cœlitus dona derivasset; quas Cogitationes Pontificis, cum ille divinitus cognovisset, placido vultu suam sanctitatem respiciens, illud psalmi usurpavit: *Dominus* inquit, *fecit nos, non ipsi nos.*

Quòd cum internæ suæ cogitationi Sanctissimus Pontifex respon-

a Bern. epist. 42. ad Henricum Senonem Episc. b August. in Psalm 38. Conc. 2.

c Aug. l. 1. Confess. cap. 1. d In Vita 17. Nov. Cornel. à Lap. pag. 273.

respondeire advertisset, magis eum venerari cœpit, tantoque in honore habuit, ut aurea eum Cathedra donarit, quæ etiamnum à Turonensibus religiosè asservatur. Sed nunc ad alios festinemus.

In Cathedra pestilentiæ sedent avari, *a* quos inter Matthæus, cujus sedere, erat iniquitatis pondere ad ipsos inferos subsidere; Audi Chrysol. *b Matthæum publicanum divitiæ, fornace avaritiæ sic publicabant, sacculorum ponderibus sic premebant, ut levari ad innocentiam, ad justitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret; unde & SEDERE eum, erat jam SUBSIDERE, non sedere.* Ne quis tamen tanto rerum terrenarum pondere oppressus, assurgere se posse diffidat, noverit Matthæum cum sederet, & subsideret, à Christo vocatum, ilico assurrexisse, qui ut Ambrosius loquitur, *c Vile illud SEDILE destituens, toto post Dominum vestigio mentis incessit.* Surgite & vos Euclioncs, viri divitiarum, Amatores mammonæ iniquitatis, atque attendite quam feliciter, fortunateque Publicanus, Cathedram pestilentiæ, in Cathedram Ecclesiæ commutarit: *quis audiens*, inquit, *d* Cardinalis Damiani, *Publicanum à Domino non modo in clientelam discipulatus electum, sed & Senatus insuper Apostolici conscendisse fastigium, non protinus animetur ad consequendam suorum veniam peccatorum? de telonio quippe cumulandæ pecuniæ, in CATHEDRAM transfertur Ecclesiæ: & qui prius exigendi, vectigalis fungebatur officio, constitutus est fidei, divitiarumque cælestium ministrare thesauros.*

e Denique ne longior sim, in Cathedra pestilentiæ, sedent homines iracundi, vindictam & sanguinem spirantes, nec nisi eo hausto quiescere se posse affirmantes, *f quorum interiora absque ulla* REQUIE. Quos profecto vindex Deus, ferrea ac candenti Cathedra apud Inferos sedere, æternumque sedere faciet; cujus ut vel levem umbram cernere possitis, audite paucis quæ Antverpiæ, in urbe orbis celeberrima, tragœdia excitata sit.

g Simon Turcus Lucensis, à Joanne Baptista Theodato, populari suo, vulnus in facie acceperat; simulatâ reconciliatione, vindictam meditans, Cathedram confici jussit, quæ sessorem arctissime constringeret: invitatus in viridarium Theodatus, & sellæ affixus, multis vulneribus à Simone confossus est; tandem deprehenso facinore, miro casu, Simon in foro Antverpiensi publicè in eadem Cathedra totidem vulneribus confectus est, sub annum 1555. Ex quibus hactenus dictis, cum Regio Psalte exclamo: *Beatus vir*, qui cum superbis, avaris, luxuriosis, iracundis, *in* CATHEDRA *pestilentiæ non sedet*, sed in Cathedra Crucis felicissime requievit.

a 3 Avari. b Chrysolog. serm. 28. c Ambros. lib. 5. in Lucam. d B. Pet. Damian. serm. 50.

e 4 Iracundi. f Iob. 30. g Cardan. l. 11. variar. rerum cap. 1. Beyerlinc. theat. tit. astutia.

§. III. Cruxi

§. III.

Crux, Cathedra Christi, in qua sola quies.

REgiam Davidis Cathedram, veram Crucis formam aut figuram exhibuisse, sacræ paginæ satis aperte indicare videntur, 2. Reg. 23. *David sedens in* CATHEDRA *sapientissimus Princeps inter tres, ipse est tenerrimus ligni. Vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* Quibus verbis Spiritus Sanctus, sub persona Davidis innuere pergit, verum Davidem, manu fortem, Christum Dominum extitisse, qui propter nimiam Charitatem suam factus homo, & Rex Israel, super Crucis Cathedram voluntarie sedere voluit, & pro suo profundissimæ atque immensæ humilitatis excessu, seipsum vermiculum, per ipsum Davidis os nominavit: *Ego sum Vermis, & non homo.* Qui quidem vermiculus impetu uno octingentos, imo Dæmonum universitatem delevit; quod autem Crux Cathedra sit, Doctorum Principes Augustinus & Thomas a tradiderunt, ac ille quidem in cap. 12, ad Heb. *in Cruce invenitur doctrina, & exemplum omnis virtutis; Crux non solum patibulum fuit patientis, sed &* CATHEDRA *docentis.* b Augustinus vero lib. de agone Christiano: *Lignum Crucis, in quo fixa erant membra patientis, etiam* CATHEDRA *fuit Magistri docentis.* Ex hac Christus cœlesti doctrina instruxit Latronem, ut alibi ait: *Crux illa, schola erat,* ibi docuit Mag[ister] Latronem. *Lignum pende[n]tis,* CATHEDRA *factum est d[o]centis.*

Ex hoc potentius, quam [è] pulpito Demosthenes, aut C[i]cero è rostris, aliusve diserti[ssi]mus Orator ulla unquam [è] Cathedra, in subjectos mo[r]tales peroravit. *Tot ora*, ut i[n]quit Bernardus *quot habet vuln[e]ra*, mansuetudinem, humili[ta]tem, patientiam, amorem ej[us] disertissimè loquuntur. Et [tu] ò Homo! si tuos monere, a[d]hortari, atque ad eos potent[er] concionari volueris, nunqua[m] id efficacius, quam è Cathedr[a] Crucis cum Andrea (qui d[e] Cruce tanquam de Spiritua[li] Cathedra prædicabat) è Ca[thedra] ignominiæ, è Cathe[dra] patientiæ, è Cathedr[a] Crucis præstiteris. Si quis d[e] gradu dejectus, falso infim[u]latus, innocenter oppressus [ab] aliis eodem secum nimbo in[vo]lutis, monita salutis dede[rit], efficacissime ex hujus Cru[cis] Cathedra concionatur; [si] quis per plures menses, imo annos variis morbis, ac mo[le]stiis devexatus fuerit, cir[cum]stantibus aut aliis, le[viori] quandoque malo op[pressis], patientiæ, Christian[æ] doctrinam tradiderit, forti[s]simè lecti Cathedra perorabit.

Etenim ut sanè, & sancte sacrarum literarum Professor Regius: c Afflictio seu Crux omnis, *est* Cathedra *Spiritus Sancti*, res sacra, & velut ara, & Thronus Dei, qua in Cathedra sola & vera quies reperitur. Pictor olim in g[...]nis

a S. Thom. in c. 12. ad Hebr. b Aug. lib. de agone Chr. cap. 11.

c P. Euseb. Nierenb. de adoratione in Spiritu. l. 1. c. 18.

nis artiſſici manu, doctoque penicillo, in tabula expreſſit Cupidinem potum, & ebrium, & quaſi ſui oblitum, in ea ſuaviſſime dormientem. Fuit illud vivum amoris, & quidem crufixi Symbolum; Chriſtus enim amore ebrius, (ut eum Ambroſius, & Rupertus in Noëmo temulento deſcribunt) adeoque ſuæ Majeſtatis velut immemor, in lectulo Crucis ſuaviſſimè obdormivit. Crux ſiquidem illa poſt omnes, & acerbiſſimos dolores, quieti & ſolatio fuit, juxta illud Prophetæ, a *conſolabitur me* LECTULUS *meus*. Ibi eum ſedulo quæſivit Sponſa, fidelis anima: b *indica mihi ubi paſcas, ubi* CUBES *in meridie*, in illo nempe meridiè æſtu caritatis, cubat, & requieſcit in Cruce, ut in amoris Lectulo. Amor ſternit cruces, in lectulum, ad quieſcendum; erit & piis mentibus amoris Lectulus, & fuit cumprimis S. Laurentio, de quo Chryſologus. Serm. 135. *Craticulam ſupplicii*, LECTUM QUIETIS *putabat*. Ita fuit B. Angelæ de Fulginio, quæ inter exceſſus orationis, hæc ad Chriſtum amores ſuos, jactare ſolita: c *Laudo te dilectum, & in tua Cruce habeo* LECTVM MEVM. Hunc porro ita componebat, ut pro cervicali paupertatem, pro culcitra dolores, pro ſtragulis deſpectum haberet & confuſionem, quo ſe cooperiret: his enim inquiebat, ſibi dilectus meus lectulum ſtravit, in his quievit jacuit, & expiravit: Et ego in eodem quieſcere, jacere, atque emori volo. Hæc illa. Quæ & tu, ſi ſapis, dices cum Bernardo: *Dulcis mihi* LECTVLVS *Crucis tuæ*; Si verã requiem hic, ac dein æternam ſecteris. Religioſam obſervantiam, Monaſticam diſciplinam, viri Aſcetici, perpetuam crucem aptè nuncupaverunt, eam tam Spiritus Sanctus, ſi Bernardo credimus, Lectuli, & quidem floridi vocabulo deſcripſit, cum dixit d: *Lectulus noſter floridus eſt*; quia ut nullus eſt locus, in quo ſuavius homines requieſcunt, quam in lecto, ita & in Religione, in Eccleſia inquit, e *Lectum in quo quieſcitur, clauſtra exiſtimo eſſe, & monaſteria, in quibus quiete à curis vivitur ſæculi & ſolicitudinibus vitæ: Atq; is* LECTVS FLORIDVS *demonſtratur exemplis, & inſtitutis Patrum, tanquam quibuſdam floribus.*

Obedientia multis ardua, & aſpera crux eſſe videtur; extra eam tamen B. Ægidius, nullam requiem capeſcere voluit, aut valuit; de eo enim ſcriptum legimus: cùm Sanctus Franciſcus propter ſingularem ipſius ſanctitatem, eundi & manendi ubi vellet, ei facultatem feciſſet, vix quatuor diebus ille in ea libertate exactis, animadvertit f *ſpiritum ſuum nullam* REQVIEM *invenire*; quare ad Franciſcum rediit, orans & obſecrans, ut certum ſibi locum, manſionemque definiret, quoniam *in illâ liberâ, & laxâ obe-*

a Iob. 7. b Cant. 1. v. 6. c. Bolland. in vita 4. Ianuarii.

d Cant. 1. e Bernard. in Cant. Serm. 46.
f Platus de bono ſtatus Relig. l. 3. c. 9. in fine.

obedientiâ, planè CONQUIESCERE *non posset.*

Porrò id Viri religiosissimi, ac sanctissimi testimonium, sæculares ad se minimè spectare fortè arbitrabuntur; Audiant hi hominem Philosophum, eumque gentilem, Hiarcas nomine, qui nec in Cathedra aurea illam invenit, quæ in sola cruce quærenda est; a Quis credat, dum homo vexatur, agitatur, jactatur, quòd tunc inducatur ad quietem? vexationes, agitationes, concussationes, dicerentur hominem reddere inquietum; & tamen si vis, ut infans in cunis altum dormiat, securè quiescat, à fletu & ejulatu abstineat, cunæ agitandæ sunt; cui rei ingeniosus Poëta scitè subscripsit:

——*parit irrequieta* QUIETEM.

Quod ut stilo sanctiori confirmem, S. Hilarius c. 11. in Matt. *Nunquam*, inquit, *dulciùs sancti* REQUIESCUNT, *quàm dum laboribus fatigantur.* Vos homines sæculares, qui multùm terris jacti, & alto, ubi tandem quietem circumspicitis? Columba ex arca demissa, *non invenit, ubi* REQUIESCERET *pes ejus.* Gen. 7. quam arcam crucem designâsse, & Scripturæ, & sanctorum Patrum convincit auctoritas, quòd arca fuerit figura probrosi olim, nunc verò gloriosi, & adorandi crucis ligni, in quo æterna, & summa Dei incarnati sapientia, Christus Dominus noster humanum genus, à profundis, atque lethalibus, infernalis diluvii undis mirabiliter servare decreverat, Spiritus sanctus per os sapientis innuit, dum dixit *Propter quem, dum aqua deler[et] terram, sanavit iterum sapient[ia] per* CONTEMPTIBILE *lignu[m] justum gubernans.* Ubi qui vo[let] interpretes consulat. S. Ambr[o]sius variis locis, arcam typu[m] crucis fuisse comprobat, dise[r]tissimè hic: c *Volens Deus, rep[a]rare quod deerat, diluvium fec[it] & justum Noë, in arcam jus[sit] ascendere. Qui jam decedente d[i]luvio, corvum dimisit prius, q[ui] non revertitur Dimisit columbam &c.* ac tandem subjungit: *vid[es] aquam, vides* LIGNUM, *Colum[bam] aspicis, & dubitas de myst[e]rio?* Ita & Cyrillus: *Hæc cru[x] est arca.* Sed quis mihi dab[it] pennas ut Columbæ, ut volem & requiescam, non in luto di[]vitiarum, ac sordium huju[s] mundi, non in cadaveribu[s] fœdæ voluptatis; sed hac cru[]cis arca. Corvum certè croci[]tantem, cras, cras, Augustinu[s] aliquando se fuisse deplorat, & palam fatetur.

d *Inquietum est cor nostrum, d[onec] requiescat in te.* Instar acu[s] nauticæ, quæ nisi polarem re[]spexerit, in assiduo motu es[t]. *Etenim cor humanum, omni volu[]bilitate volubilius, de alio in aliu[d] transit, quærens requiem, ub[i] non est. In his autem caducis & transitoriis, in quibus ejus affectu[s] captivi tenentur, veram requiem invenire non valet.* Sicut enim fluvius perpeti cursu fertur i[n] mare, nec amœnis pratis, a[c] hortis: nec opimis prædiis, ne[c] opulentis urbibus, ejus motu[s] retardatur; sed in solo mar[i] seu centro suo requiescit, i[ta] homi-

a Hieronym. Epist. 1. ad Paulin. la Nuza hom. 29. n. 6.

b Sap. 10. c S. Ambros. de his qu[i] mysteriis initiantur. c. 3 d Aug. l. [1.] Conf. c. 1. S. Aug. in manuali c. 25.

hominis animo accidere consuevit.

Invenerat profectò centrum suum, in quo suavissimè requiesceret, felix illa anima, quæ sic gloriabatur: *Sub umbra illius, quem desideraveram*, SEDI. Ubi suavissimè Bernardus: *a felicius aliquid illa expertam se gloriatur in eo, quod se in umbra* (Crucis) *dicit non ut Propheta vivere, sed* SEDISSE: SEDERE *enim* QUIESCERE *est*. Hanc quietem, vos animæ vagæ, instabiles, errabundæ, frustra sub umbra opacæ alicujus arboris, quæritis: frustra mundi hujus silvas, & omnia ligna cedrina, & cypressina lustratis; sub arbore mali, *b* anima *devota, & amans, suaviter*, REQUIESCIT, id est, sub umbra crucis: *c Nam Christus affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore*, inquit Ambrosius.

Quod aliam non minus aptam similitudinem spectat: ubi vobis fluctuantibus, ac periclitantibus in mari hujus sæculi spes, ubi requies, nisi in cruce, quæ sacra anchora est? Elegantissimè S. Eucherius, Lugdunensis Episcopus, scriptor si quis alius, inter Patres floridus, in Parænesi ad Valerianum, quem ad Christianam Philosophiam, sæculique contemptum invitat, argumento inter reliqua allato, de *sacra crucis anchora*, quæ sola in turbido vitæ pelago fluctuanti quietem præstat: *circumfer*, d *inquit, oculos, & de pelago negotiorum tuorum, velut in quendam professionis nostræ portum prospice, proramque converte. Unus hic prorsus est, in quem nos ab omni fluctuantis sæculi jactatione referamus, quem inter irruentes mundi turbines fessi petamus. Huc cunctis confugiendum est, qui frementis sæculi tempestate vexantur. Hic statio fidissima, &* QUIES CERTA; *huc cum fueris delatus, tuto navis tua post inanes labores, hîc ad* CRUCIS ANCHORAM *fundata retinebitur*. Volucres quæ viris literatis pennas suppeditant, subinde etiam morali documento fuêre, ut S. Anselmus, *e* magnus ille Cantuariensium Præsul, observat; puerum, inquit, vides cum avicula in via lusitantem, quæ pedem cruculæ annexum habens, volat, revolat, avolat, nec usquam quietem reperit, nisi ad Crucem redierit: *in cruce sola quies*. Unde Poëta Belga lusit:

Hy nam dit Cruxken in de hant,
Ent vincxken vloogh aen alle kant,
En nergens vond het, vvaer het socht,
Een plaetsken, daer het rusten mocht:
Tot dat het naer het CRUYSKEN *quam,*
Al vvaer het volle RUSTE *nam.*

Plerosque mortales, inquietas volucres rectè dixeris, Mechanicos, Mercatores, Causidicos, Nobiles, Juvenes, ac puellas, contemplare, quid non in iis inquietum: instabile. volatile? volant oculi, volant cogitationes, volant desideria, volant corda, nunquam requiem, nisi in sola Cruce reperturi. Hanc quietem sibi, vobisque ex animo optat Bernardus, è clara valle sua ingeminans: *f Quando renascar ad* SESSIONEM *miser*

a S. Bernard. Serm. 48. in Cant. b B. cit. c Ambros. in Psalm. 118. d S. Eucherius in Parænesi ad Valerian.

e S. Anselm. lib. similit. c. 189. f S. Bernard. Serm. Ecce nos reliquimus omnia.

miser homo, natus ad laborem? ô si unquam SEDERO *totus, cujus modo ne minima quidem portio* SEDET, *in quo nihil tranquillum, nihil* QUIETUM, SEDATUM *nihil.* O animulæ vagæ, volatiles, *in quibus modo ne minima quidem portio* SEDET, *in quibus nihil tranquillum, nil* QUIETUM, SEDATUM *nihil. O si unquam totæ* SEDEATIS : SEDERE *enim* QUIESCERE *est.* O si unquam sitis sedatis affectibus, sensibus, moribus, amoribus, nec usquam quietem, nisi in Cruce *sectemini!*

Exemplo vobis sit ille Monasticæ disciplinæ tiro, qui cùm aliquando cogitabundus, è cellæ suæ fenestra, subjecta prata, amænissimas silvas, atque hæc inter, limpidissimos fluvios, placidè dilabi contēplaretur, suoq; cantu, argutissimæ volucres, hâc aureâ libertate perfruentes, aures suas demulcerent; subiit animum jam pridem tædio cellæ, ac carceris sui dejectum, iis se tandem angustiis proripere, & totum se pristinæ libertati dare: dumq; penes se agitat, quâ ratione fugam commodissimè adornaret, ecce tibi in vicinam arborem, avicula devolat, quæ saltitando, cantillando, hunc novitium ad liberiorem auram pellicere quodammodo videbatur; unde hæc secum lamentari cœpit: ah animula mea! ut quid in primo ætatis vere, hoc me carcere damnavi? ah quanto feliciori sorte, volucres ratione expertes perfruuntur?

Non bene pro toto libertas venditur auro!

Daer vryheyt, is blyheyt.

Si ille conditorem suum, in libero aëre, & aperto campo, collaudare valeant, cur non & ego id in sæculari vita queam? an non æquè mihi conjugium ac aliis sacramentum sanctu[m] esse possit? Accedat: non unu[m] illibatum castitatis lilium rep[e]riri, etsi non quatuor parietibu[s] obseptum. Quid tandem prod[e]rit, si me hîc vivum assiduo d[o]lore, & desperatione inter[i]mam? miserabilior futurus o[m]nibus hominibus, utpote ne[c] terrenis, nec cælestibus delici[is] fruiturus, fixum statutumq; e[st] hâc die, hâc horâ, hoc carcer[e] me expedire, atque hujus av[i]culæ libertatem sectari. Vi[x] dum hæc in animum induxera[t], deque ramum in ramum, d[e] uno in alterum arbusculum, a[]vicula cantillando volitaret i[n]spirato milvus irruit, ac miser[um] animalculum unguibus arripi[t] & fœdè discerpit, plumis in aë[]ra, ad usque hujus Tironis cel[]lulam eventilatis. Hîc enim ve[]ro commoveri, ac alia prorsu[s] saniora cogitare cœpit. O avi[]cula, inquit, quàm te beata[m] deprædicabam! quam tuam li[]bertatem planè auream duc[e]bam! at nunc facilè prospici[o] quanto tibi melius in brev[i] corde conclusam, & securo ca[r]cere detentam fuisse! Ad m[e] quod attinet, falsâ hactenus i[]maginatione delusus sum, in e[o] quod arripui Religionis propo[]situm, ad mortem persistam minùs quidem libertatis, se[d] plus securitatis habiturus: Etiam in cellæ angustiis, animæ san[]ctæ liberè evolare, & delicii[s] paradisi frui possunt, in cellu[]la, in cruce Domini securu[s] quiescam: *H[æ]c* REQUIES *mea eri[t] in sæculum sæculi*, ac de fact[o] verissimum expertus est, quo[d] piissimus Doctor de se fatetur: [a]

a Thom à Kemp.

n omnibus REQUIEM *quæsivi, & nusquam inveni, nisi in angelo, cum libello.*

Ad hanc quietem benignissimus Redemptor invitat, & vos, dicens: *a Tollite jugum meum super vos & invenietis* REQUIEM *animabus vestris.* Cardinalis Cajetanus hîc: *Animabus dixit, non corporibus*; nam & his requies in patria æterna disponitur. Unde quod de Noë Gen. 5. dicitur: *Iste consolabitur nos, &* REQUIESCERE *nos faciet à laboribus manuum nostrarum, in terra, cui benedixit Dominus*, aptissimè *b* Hieronymus, de Christo Salvatore exponit, qui requiem suis æternam præparavit in cælis. Qui hîc in crucis Cathedra requiem cœperunt, qui hîc nati ad laborem, aliquando ad æternam requiem, & sessionem assumendi, aliis omnibus trementibus ac horrescentibus, sedebunt judicantes duodecim tribus Israël; de hac quiete Doctor mellifluus: *c Ex tunc sanè tempus erit* REQUIEI, *nimirum quando jam spiritus ipse dicet, ut* REQUIESCAT *à laboribus suis. In regeneratione inquit, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos. Felix regeneratio! quando enim renascar ad sessionem miser homo, natus ad laborem? O* SESSIO! *quis mihi tribuat, ut dignis exprimam verbis, quod de* SESSIONE *hac, cordis affectione concipio? Imò quis mihi tribuat* SESSIONIS *hujus imperturbatâ frui* REQUIE, *quam desidero, quam cupio, quam requiro? rectè enim dixi, nil in me* SEDET, *sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant universa.*

a Matth. 11. b Hieron. de nomin. Heb. c Vide Nierenb. in homil. p. 421 d Bern. Serm. ecce nos reliq.

O sanctissime Bernarde, non est, quod de hac sessione, de hac requie dubites, ipsum Christum habes fidejussorem: SEDEBITIS *& vos*: quisquis enim hic in Crucis cathedra sederit, ac quieverit in extremo illo universi orbis lustro, sedebit in judiciaria Cathedra, requie æternâ corporis, & animi fruiturus; *e in sedibus enim* QUIES *imperturbata est, in judicio dignitatis eminentia commendatur.* Quam dignitatem, quam quietem, quas sedes, homines sæculares, si mente conciperent, omni labore, omni sudore, omni impendio comparare sibi studerent; ut idem Doctor prosequitur: *Quis vero sæcularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tanta sublimitatis comparatione vilescat? non unius siquidem Civitatis, aut populi, seu Regionis unius; sed universitatis judices habent præsidere cum Christo, nec solum homines, sed & Angelos judicabimus.*

Sacerdotes, ac viros Apostolicos, Consilium Toletanum glorioso nomine, *sanctos* THRONOS, *sedesque augustas Numinis*, appellandos judicavit, cùm censeret: *indignum esse, ut qui* THRONI DEI *vocantur*, levi motione, irave, aut alia animi perturbatione commoverentur. Si & vos Throni esse velitis, & sedes in judicio, nolite ô Judices ullis oblatis muneribus commoveri, nolite ô Patres familias ob vitrum fractum, aliam levem ob causam perturbari; sed animi quietem præ his omnibus, illo potissimùm die, quo omnia perturbanda, spectare, Nostis, quanti hanc

e Bern. cit.

hanc requiem Hipponensis Præsul æstimârit? ipsum peritissimum rei æstimatorem audire: *O anima*, a inquit, *si quotidie oporteret nos pati tormenta, & perferre pœnas, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua possemus videre, & Sanctis ejus associari, non esset dignum pati omne, quod triste est, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? insidientur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia, premant vestimenta, labores gravent, vigilia exsiccent; inclamet iste, inquietet me ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, inflatur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis*, & quorsum hæc omnium tantorumque malorum ac dolorum strues, & colluvies? ut REQUIESCAM, *inquit*, *in die tribulationis*, ut in die illa, quâ etiam Columnæ cæli contremiscent, *requiescam*.

a S. August. in speculo. c. 38.

FESTUM
S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Unus assumetur, & alter relinquetur. Luc. 17.



Erit alter ab illo. Virg. Eclog. 5.

ARGUMENTUM.

HYdrias hîc vobis binas ob oculos pono, quarum una inanis & vacua, ad inferna descendit; altera purissimo latice plena, in auras ascendit; per appositum ad disparis, quam Judas proditor, & S. Matthias subiêre, [s]ortis symbolum. Iste siquidem ex alto Apostolatus fastigio, omni [q]uâ completus fuerat gratiarum copiâ privatus, ad inferos de[l]apsus est; hic verò in Collegium Christi adoptatus, locum

a *Ministerii hujus sortitus est.* Ita ab ipsis nascentis Ecclesiæ incu nabulis, divina providentia in eo peculiariter eluxit, ut quibus dam à fide turpiter apostatantibus, alios iis velut columnas suf ficeret, qui Domum Dei, ne unquam collabascat, fulciren juxta illud Job: *b stare fecit alios pro eis.* Hoc interim salutari no bis documento relicto, ut si Judas omni, quo ceteri Aposto donati, privilegio, ut etiam (gravissimorum Auctorum testimo nio) mortuos suscitârit, prædictus, in sanctissimo Christi contu bernio, sub divino hujus Magisterio, tantum temporis versatu adeò fœdè prolapsus sit, ut benignissimum Dominum, Judæ ad mortem infamis proditor tradiderit, Paulinum illud monitum omnibus terrori sit: *c Qui se existimat stare, videat, ne cadat*; Si ta men (quod Deus avertat) cadere contigerit, hos ne alios depra vent, & *d pars sincera trahatur* à Sanctorum contubernio, ut mem bra putrida rescindenda esse pronuntio.

a Act. 1. b Iob. 34. c 1 Cor. 10. d Ovid.

§. I. *Episcopatum ejus accipiet alter,* Act. 1.
§. II. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* 1 Cor. 1[0]
§. III. *Discipuli crimina, in Magistrum non refunden[da] nec membri vitium, toti corpori aspergendum.*

FESTUM
S. MATTHIÆ APOSTOL[I]

Unus assumetur, & Alter relinquetur. Luc. 17. v. 35.

AXIOMA illud principis Philophorum, quotidianâ experientiâ comprobatum, est: *a corruptio unius, est generatio alterius.* Sic primæ veritatis testimonio: *granum frumenti nisi corruptum, & mortuum fuerit, nullum fructum adfert.* Glandes ut in frutices, & quercus adolescant, corrumpantur necessum est: ex ovo nisi putrido, & corrupto, nem[o] pullum excludet: è mortu[o] tauro putrescente, apes gign[...] Princeps Poëta cecinit:

——— *mille animas, una n[e]cata dedit.*

Si ex arbore ramum avuls[e]ris, altera ex parte, alteru[m] protrudet, &

b ——— primo avulso, non d[e]ficit alter Aureus.

Con[...]

a Arist. lib. 2. de generat. & corrupt. text. 17. l. 12. metaph. c. 2.

b Virg. l. 6. Æneid.

Consimile quid in præfixo symbolo videre est, dum situla una in putei profundum demergitur, altera in auras attollitur: dum hæc vacua descendit, hæc plena ascendit.

Quod in rebus naturalibus contingere videmus, id enimvero ab Auctore naturæ, in rerum supernaturalium ordine servari, vel ex ipso, quem hodiernâ die præ manibus habemus, eventu, manifestum est.

§. I.

Episcopatum ejus accipiat alter. Act. I.

JAm ab ipso mundi nascentis exordio singularis numinis providentia præclarè semper enituit, ut ruinas fœde proruentium, aliorum exsurgentium sanctitate instauret: Ecclesiæ damna, novo aliunde Religionis incremento resarciat: zizaniis & iolio stirpitus evulsis, triticum uberius germinare faciat: *a Si evellat, destruat, dissipet*, simul & *ædificet, & plantet*, ac ruina horum, instauratio fit aliorum.

Ubi cælestis aulæ Principes, Lucifero Antesignano turpissimè apostatantes, ex summo illo Empyrei domicilio, in profundissimam terræ abyssum deturbati sunt, suavi Numinis providentia, homines ab omni æternitate à Deo præordinati sunt, qui eorum ruinas resarcirent: *Propter hoc enim*, inquit Sanctus Bernardus, *b & ipse creavit homines, qui supplerent locum illorum, & ruinas*; atque „ ita inquit c Lorinus, contingit „ in natura unius corrupta succedere generationem alte-„ rius. Hoc olim Regius psaltes vaticinatus est, *implebit ruinas*. Hugo Cardin. *Angelorum* ait. Gravissimi Doctores non solùm tot omnino homines assumendos in gloriam, quot Angeli deciderunt, sed copiosiori numero, eorum cladem instaurandam tradidêre.

Hic sensus, hæc sententia Hipponensis Præsulis est: *d Superna Ierusalem, mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate defraudabitur: aut etiam uberiore fortassè copia abundabit: neque enim numerum immundorum spirituum novimus, in quorum locum succedentes filii Catholicæ matris, in ea pace, de qua ipsi ejecti sunt, sine fine permanebunt.* Expressiùs divus Gregorius *e* docet tot homines salvandos, quot è beatis illis mentibus perstiterunt: *Suprema illa civitas ex Angelis, & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contingit electos Angelos remansisse.* Atque idem divi *f* Anselmi Judicium est.

Nobis cum Angelico Doctore dixisse, ac docuisse sufficiat, numerum hunc nobis quidem esse incertum, sed certam, quod ad propositum nostrum facit, ruinæ instaurationem: *dicunt quidam*, ait S. Thomas, *g quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt; quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Sed meliùs dicitur, quod soli Deo cognitus est numerus Electorum in superna civitate locandus.* Hac cūprimis suavissimâ Deī

E 2

a Ierem. 1. b Bern. Serm. 1. Advent. c v. Lorin in Psal. 109 (implebit ruinas.) Psal. 109.

d S. August. in Sentent. dist. 10. e S. Gregor. hom. 34. in Euang. f Anselm. l. 1. cur Deus homo c. 18. g S. Thom. 1. part. q. 23. a. 7.

Dei providentiâ, ac benigniſſimâ in nos miſericordiâ perſpectâ, quis non admirabundus, & adorabundus in laudes infinitæ hujus bonitatis erumpat? quis non pro viribus totus incumbat, ut in numero electorum cenſeri valeat, qui eorum ruinas reſarciant? Quis non per quoſvis cruciatus, per mille mortes, atque heroica virtutum exercitamenta, ſortem illam longè beatiſſimam, unde illi exciderunt, eorumque vacuas ſedes, omni mundi cathedrâ ſublimiores, in cælesti illa Jeruſalem, comparare ſatagat? Hoc Seraphicum Franciſcum Sanctus *a* Bonaventura conſecutum teſtatur: cui divina revelatione, vacans in cælis ſplendidiſſima cathedra, ac ſupra omnes beatas intelligentias ſublimiſſima, è qua Lucifer præcipitatus fuerat, humili Franciſco aſſervari prædicebatur. Unde nonnulli interpretes, de Angelis Apoſtatis ipſi accommodârunt illud Luc. 1. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Sublimi mentis oculo hunc divinæ providentiæ ordinem Propheta intuitus, hæc oraculi inſtar denuntiat: *b Conteret multos, & innumerabiles, &* STARE FACIET ALIOS PRO EIS. In locum Judæorum Gentiles, in locum Hæreticorum & Schiſmaticorum, ſanos & ſanctos Doctores ſurrogavit, & *ſtare fecit alios pro eis.* Percurrire, ſi placet, ætates ſingulas. Primâ, exſtiterunt Simoniani, Cerinthiani, Philetiani: ſecundâ, Montaniſtæ & Gnoſtici: tertiâ, Manichæi & Novatiani: quartâ, Ariani & Donatiſtæ, inde Tritheitæ: ſeptimâ cum Mahometanis fuere Armeni: octavâ, cum Iconoclaſtis Albanenſes: nonâ, Taurinenſes & Photiani: decimâ, Anthropomorphitæ: undecimâ, Berengariani: duodecima, Arnoldiſtæ: decimatertia, Albigenſes: decimaquarta, VVicleſiſtæ & Lollardi: decimaquinta, Lutherani & Calviniſtæ. Verùm quam *ſtare fecerit alios pro eis*, hiſtoriarum monumenta fidem faciunt. Primo ſiquidem ſeculo Simonem Petrum, Simoni Mago oppoſuit: Joannem Euangeliſtam cum Cerintho, Paulum cum Phileto commiſit: ſecundo Irenæum ac Papiam veræ fidei propugnatores dedit: tertio; Clementem Alexandrinum, atque Cornelium ſummum Antiſtitem: quarto, Baſilium & Athanaſium: quinto, Cyrillum atque Auguſtinum: ſexto, Gregorium Magnum, Silveriumque Pontifices: ſeptimo, Maximum & Eugenium: octavo, Damaſcenum cum Albino: nono, Stephanum & Jonam Epiſcopos: decimo, Moyſen Bar-cepham: undecimo, Hermannum contractum: duodecimo, Bernardum: decimotertio, Dominicum & Franciſcum: decimoquarto, Durandum à Sancto Portiano, & Henricum Suſonem: decimoquinto, Ignatium. De quo obſervat Genebrardus, *c* vir doctiſſimus, natione Gallus, qui mortuus eſt Epiſcopus Aquenſis, quo tempore Lutherus à Sede Apoſtolica apoſtatare, & in præceps ruere cœpit, aſſurrexiſſe Ignatium: *quo tempore*, inquit, *Satanas ad diruen-*

a Bonav. in Vita. b Job. 34. v. 24.

c Genebrard. in Chron. An. 1521.

ruendum aliquos erigit, Deus alios ad ædificandum excitat. Quo tempore Novatores Hæretici omnia erroribus involvere cœperunt, populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam: Nationes barbaræ, quæ in India, America, China, Japonia, in regno Chili, in orbe altero degunt, fidei radio collustrati, ad Ecclesiam confugerunt. *a* Superiore sæculo, in solo regno Mexicano, vix tum ad Christi fidem traducto fuere extructa octoginta Religiosorum cœnobia; deinceps autem, hoc est ab ejusdem sæculi anno septuagesimo, numerata sunt septuaginta, & eo amplius templorum millia, à Castellæ Regibus ibidem condita, in quibus sunt quadraginta, amplissimi ac ditissimi Episcopatus.

Jactet Lutherus ejusque Sectatores, innumeros è cælo in cænum Apostatas, *stare fecit* Deus *alios pro eis*; contendit porrò Thomas Bozius *b* ab omnibus simul Hæreticis, qui jam inde à Simone Mago primipilo suo, innumera millia conficiunt, non tot Ethnicos ad Sectam perversam traductos, *c* quot ab uno Xaverio ad Christum esse conversos; vel ipsi hujus Indiæ Apostoli, socii subsecuti, uno quandoque anno, trecenta hominum millia in solis Indiis ad Christum adduxerunt. Quid alii in aliis regnis effecerint, longum esset enarrare. Ex quibus omnibus compertum est, quia *stare faciet alios pro eis*; quod, inquit Magnus Gregorius, indies accidere videmus: *d Alii perdunt, quod tenere videbantur, & alii accipiunt, quod alii ex meritis perdunt. Hoc quotidie agitur: labuntur a statu Justitiæ, & locum vitæ, illis cadentibus, alii sortiuntur:* verissimè pronuntiatum: *hoc quotidie agitur*, ut viri, qui hactenus probi, pii, integri, in pauperes effusi, gratiis & meritis apud Deum opulenti, nescio cujus mulierculæ contubernio illecti, & decepti, *perdant, quod tenere videbantur*; è contra alii vel verbo, ut gladio ancipiti, à sacro Ecclesiaste perstricti, aut repentino uxoris, aut unicæ prolis fato perculsi, aut interiori radio everberati, ad Deum sincerè convertantur, & *accipiant, quod alii ex meritis perdunt.*

Hoc quotidie agitur, ut Adolescentes vultu verecundi, mente candidi, moribus integri, Religionis candidati, ubi manum ferulæ subduxerint, licentiori vitæ frena laxantes, *è cælo* quodammodo, ut Bernardus loquitur, *e in cænum* præcipites ruant.

Hoc quotidie agitur, ut filiæ innocentissimæ, castissimæ, divino cultui addictissimæ, cælestis sponsi columbæ unicæ ac candidissimæ, unius lascivi proci consuetudine, *labantur à statu Justitiæ, & locum vitæ, illis cadentibus, alii sortiantur*: qui sæculo spreto & mundi ac carnis illecebris nuntium renuntiantes, ad religiosa claustra, & portum salutis appellunt. Quod in tirones illos aptè quadrat, qui à monastico instituto turpiter resilientes, respiciunt retrò

a Scribann. in præfat. polit. Christian. Surius comment. b Bozius de signis Eccl. l. 6. c Vide Imago I. sæculi l. 3. c. 12.

d S. Gregor. l. 25 mor. c. 7. e Bern. Serm. 63. in Cant.

retrò sic *ut locum vitæ, illis cadentibus, alii* in proposito constantes, *sortiantur*.

Hîc & famulos, & ancillas monitos velim, ne minimo verbo lacessiti, plusculo operis, ex propinquorum confluxu, aliave occasione defessi, à benevolis heris, ex amplis familiis, unde fortuna corporis & animi pendebat, cum stomacho temerè discedant, in ædes ignotas, ubi omnis pudicitiæ flos perit, commigrent, iisque locum cedant, qui fortunam illic sibi auream fabricant.

Idem subinde domesticis filiis accidit, quorum major natu in bello, in duello, aut alio maligno fato mortem incurrens, secundo genito, aut extero etiam heredi, omnium dominiorum, amplissimarumque opum possessionem relinquit. Alius, qui in spem familiæ educabatur, parenti rebellis, infames nuptias contrahens, & domo paterna, & hereditate proscribitur; in cujus locum frater omnibus fruiturus admittitur, aut alius quispiam nepos adoptatur. Quæ omnia vivacissimè in perfido Juda, & sanctissimo Matthia, *a* qui *sortitus est locum ministerii hujus*, expressa cernuntur. Infamis porrò ille proditor, è beatissima illa Christi familia, gratia tam munifici Domini, disciplina tam benevoli Magistri, hereditate felicitatis æternæ, cælo ipso excidit: fuit enim aliquando in cælis, & discipulus Christi, cum ceteris sanctis Apostolis; sed erat unus de principibus, de quo dictum est: *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis.*

a Act. c. 1.

Quæ Anastasius Sinaita de Juda sic exponit: *b Electus ad principatum Apostolatus, & quasi in cælo constitutus, cecidit tamquam fulgur de cælo in proditionis ruinam: & Episcopatum ejus accepit alter. Revera alter*, inquit *c* Lorinus: *alter vitâ, alter moribus*; alter probitate, pietate, fide in Dominum suum; hic in locum Judæ, in Christi scholam, in Apostolorum Collegium, in dignitatem Sacerdotalem, in privilegiorum & gratiarum omnium possessionem, in Episcopatum longè splendidissimum successit.

Video vos tacitos huic fortunatissimæ divi Matthiæ sorti applaudentes, & aureæ illius fortunæ faustâ ac festiva gratulatione apprecantes; sed ut & vos hodierna luce cum Matthia faustam ac felicem sortem nancisci valeatis, quemque vestrûm Episcopatus dignitatem adipisci posse, tot, quot hîc adestis, juvenes, cælibes, conjugatos, illiteratos, Episcopos fieri posse comprobabo.

Episcopalis dignitas tam sublimi & excelso in Ecclesia loco habetur, ut Sanctus *d* Ambrosius pronuntiare non dubitarit: *Honor & sublimitas Episcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari; Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares.* Idem confirmat *e* Nazianzenus: *quantum cælum terrâ pretiosius est; quantum anima corpori, spiritus carni, divina humanis præstant, tantum Episcoporum*

b Anastasius Sinaita l. 7. Exam. c Lorin. in Psal. 108. d Ambros. de dignit. Sacerd. cap. 2. e Nazian. orat. 7. ad cives.

porum principatus, omnia civilia regna & potestates antecedit. Nihilominus hodierna die, liquido demonstrabo vos omnes, Laicos, uxoratos, negotiis publicis ac politicis adstrictos, posse Episcopos esse, & Episcopali munere ritè ac rectè fungi. Apostolus 1 Timoth. 3. tradens perfectam muneris Episcopalis administrationem, asserit debere esse *unius uxoris virum, filios habentem subditos.* a Ubi ea primum à Theologis quæstio movetur, quid per *unius uxoris virum* Paulus intelligat? Lutherus sic explicat: non sit scortator, sed unam habens uxorem. Beza: b Episcopus non sit talis, qui temerè repudiata uxore, aliam ducat. Calvinus: Episcopus simul non habeat multas uxores, ut Judæis permissum fuit. Hæc è Veneris hara blaterones. Itaque sanctorum Patrum, Doctorum, & Ecclesiæ sensus est, intelligi hic monogamum, qui secundas non iniit nuptias, aut uxor ejus alterum maritum non habuerit. Hoc ergo posito, quòd quis bigamus non sit, quæritur, an vir uxoratus possit in Episcopum allumi? Respondet Barbosa, continentiam & cælibatum, etsi ex jure divino & naturali Episcopatui annexa non sint, tamen à temporibus Apostolorum in usu fuisse; quantum ad Episcopos, qui uxorati suas postea uxores solùm ut sorores retinuerunt. Idque Canones, & omnia sanctorum Patrum testimonia evincunt, etiam in Ecclesia Græcorum, ubi, licet Sacerdotes uxorati sunt, numquam tamen in Episcopis id passa est, quos propterea Monachos ad eam dignitatem assumit, voto castitatis adstrictos. Licitè tamen in Episcopum assumitur conjugatus, si uxor non solum ætate provecta sit, aut castitatem in sæculo profiteatur, sed ut omnis incontinentiæ suspicio amoveatur, si ipsa perpetuam in Religione castitatem profiteatur. Ita Couvar. de sponsal. pag. 2. cap. 6. §. 3. Pet. Ledesma. Azor. Sanchez de matrim. l. 7. disp. 41. n. 2. quem vide. Verum enim vero cum nec vobis integrum uxores deserere, nec uxoribus statutum in religiosis claustris continentiam profiteri, cumque prope omnes diffidant, eam sibi capacitatem esse ad Episcopale munus requisitam, paradoxum id fortè existimabitis, si vos omnes, Episcopos esse posse & debere ostendero. Quot ut non meo, sed irrefragabili ipsius D. Augustini testimonio, manifestum fiat: Primò notandum est: quòd Episcopus, idem sit quod inspector, speculator, superintendens (ab ἐπισκοπεῖν, id est, speculari) qui alicui rei intendit, & invigilat. Sic Cicero fuit Episcopus in Campania, ut ipse scribit lib. 7. epist. 1 . ad Atticum: *Vult*, inquit, *me Pompeius esse, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat* EPISCOPUM, *ad quem delectus, & negotii summa referatur.* c Eusebius quoque non dubitat appellare Constantinum, *communem Episcopum.* d Ambrosius Episcopum dici vult quasi *super inspectorem.*

a Cornel. hic. b Vide Barbosa de officio & dignitat. Episc. pag. 54. & p. 71.

c Euseb. in Vita Constant. c. 57.
d Ambros. de dignitat. Sacerd. c. 6.

ſterem. Auguſtinus a Epiſcopos, *ſpeculatores* appellat.

b Hinc ad rem noſtram perappoſitè demonſtrat, quomodo Patres-familias Epiſcopi eſſe queant, ipſum audite: *Cùm ergo auditis Dominum dicentem: ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit, nolite tantummodo bonos* EPISCOPOS, *& Clericos cogitare: etiam vos pro modo veſtro, miniſtrate Chriſto, bene vivendo, eleëmoſynas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus potueritis* (monitione, correptione, bono exemplo potiſſimùm) *prædicando; ut unuſquiſque etiam Paterfamilias hoc nomine* (Epiſcopi) *agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere. Pro Chriſto, & pro vita æterna, ſuos admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam. Ita in domo ſua* ECCLESIASTIÇUM, *& quodammodo* EPISCOPALE *implebit officium.*

Videtis ex mente Auguſtini, munus Epiſcopale ad vos ſpectare, vos omnes Epiſcopos eſſe, id eſt, Speculatores: quid in familiis agatur, ne, ut Seneca ait, domus vitia, vos poſtremi videatis. Ut autem hoc munere Epiſcopali dignè & laudabiliter fungi poſſitis, conditiones, virtutes, quas Paulus ad hoc requirit, in vobis exprimere debetis. Proprium perfecti Epiſcopi munus, Paulus 1, ad Timoth. 3. deſcribit, ubi primò omnium dicit: *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe;* quod divus Hieronymus expendens, ait: b *omnes virtutes in uno ſermone comprehendit,* quibus ita ſe gerat, *ut quaſi in pulchro corpore aut nævum, aut verrucam non habeat;* quod paucorum eſt, inquit Hieronymus l. 1. adverſus Pelagium, c. 8. ut nemo de illo quid ſiniſtri loquatur, nullam dando occaſionem in ſermone, in actione, in converſatione, domi, foris, in curia, in foro, in convivio, in templo.

2. *Sobrium*, abſque hac virtute, nulla alia conſiſtit: temulentia verò, ut Baſilius loquitur, *omnium vitiorum mater*, de qua aliàs diximus, & alibi fuſiùs dicemus; nunc id ago, ut quam Patrem-familias dedeceat, expendere velitis. Veriſſimum illud aurei Oratoris oraculum: c *Vini largior uſus, infinitorum eſt cauſa malorum*; domeſtica hîc dumtaxat perſtringã; nam ſicut

Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo;

Sic

Vina cavant burſas, non vi, ſed ſæpe bibendo.

Athenæus l. 2. c. 1. ex Timæo refert, quoſdam Agrigentinos ad eam inſaniam redactos, ut jam temulenti, in medio mari ſe jactari arbitrarentur, & quaſi exortâ tempeſtate, oneribus navem ſublevare ſatagerent, omnem ſupellectilem deſultoriè per feneſtras in plateam præcipitabant, ut lepidè Angelinus noſter deſcribit. d Ejuſmodi tempeſtatem complures Patres-familias indies concitare cernimus, quam ſæpe non ſiccis oculis liberi ac uxores contuentur, dum omnem ſupellectilem, omnem pecuniam multo ſudore & labore corrogatam

a Auguſtin. de civit. l. 1, c. 9. b Auguſtin. in Ioan. Tract. 51. c Hieronym. Epiſt. ad Oceanum, Chryſ. hom. 10. in 1. ad Timoth.

c Chryſoſt. hom. 10. in Gen. d Angelinus Gazæus pii Hilaria.

rogataam maritus ebrius, quasi in marre præcipitat: dum splendida cconvivia exstruuntur, post quæ diiu esurire necesse est. *De Keel, kkost veel.*

Dioogenes Cynicus videns ædes hoominis ebriosi venum propositas; ; minimè dubitabam, inquit, *aa* quin hic homo, qui adeò libeeraliter se ingurgitabat, tandemn post crapulam, etiam domunm evomeret. Quàm frequentees huic similes reperire est, qqui uxore ac liberis esurientibous in tabernis potitant, & luccellum omne, totâ hebdomaadâ collectum, unâ horâ abligurriunt. hoc Hipponensis præsul graphicè execratur: *b Vnde trrium vel quatuor dierum refecttionem poterant habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potiùs, quam expendere; & utinaam potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent!* Ambrosius lib. de Elia c. 12. *Vno die bibunt multorum dierum laboores.* Qio fit, ut tandem boinis omnibus dilapidatis, se ac suos agant in extremam desperattionem. Rem planè tragicam hîc obiter attendite. *c* Mulier nacta virum potatorem, die quâdam popinam adiit, ubi illuim comperit inter tesseras & pocula, reliquum, quod supererat, marsupii abligurienttem agit illa pro penuria, quia extremâ conflictabatur, impotenter ut desistat, ac lucellum aliquod sibi servet suæ ac liberorum indigentiæ: dumque: insta: pertinaciùs, pugno illam ad terram allisit; quæ, ut animum resumpsit, domum perreptavit: & ecce duo è liberis obviam clamantes, vociferantes, lachrimantes, panem, panem sibi dari postulabant, quo jam ad biduum famelici caruerant; mater viri rabie, & miserando spectaculo concitata, videns se ac viscera sua ad extrema redacta, quo miserias accideret, in iras exarsit, & cultro arrepto, utrumque jugulat. Intempestâ nocte maritus bene potus, mente ac marsupio privatus domum regressus, cubitum deducitur, jamque altum stertentem, eodem cultro confodit. Immane illud facinus ut ad judices delatum, mulierem comprehendunt, & quasi de re bene acta gloriantem morti addicunt; quæ tandem in catasta, novissima verba, ac salutaria monita ejusmodi maritis dedit, quæ utinam inhærerent, & hunc cultrum potaturi, suo gutturi, vel solâ recordatione imponerent, quam omnes sobrii, *d* & *non vinolenti* existerent!

3. *Prudentem:* Viri ascetici prudentiam virtutum omnium aurigam, Bernardus *e Abbatissam virtutum* vocitavit, quæ Patri-familias in domesticis regendis (si opus Episcopi adimplere velit) perquam necessaria est. Nazianzenus *f ars artium, scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere: animal, scilicet maximè varium & multiplex,* quod cum potissimùm in fæminam cadat, quæ *varium & mutabile semper,* magnâ viro prudentiâ opus est, ut eam regat, ut

 filios

a Apophtheg. Lycosthen. b August. in Serm. 231. c Ioannes Benedictus in summa peccatorum, l. 3. c. 8. Alard. le Roy, pere de famille pag. 101.

d 1 Tim 3. e Vide Barbosa cit. pag. 76. f Nazian. [illegible]

filios in moribus, literis, negotiis educet atque excolat: familiæ prospiciat, apto tempore, cellæ cerevisiâ, vino, granaria frumento: penuria butyro, caseo, aliisque necessariis instruantur. Nil temerè, fervidè, præcipitanter, sed præmeditatè agat, loquatur, statuat. In arduis, audiat & sequatur eruditorum consilia. Ne facilis sit ad credendum, quæ à famulis & ancillis, de liberis: ab externis de uxore: à vicinis de propinquis deferuntur, quo vitio optat Bernardus a Eugenium Episcopum summum *esse immunem*.

4. *Pudicum*. Os, oculi, manus, gestus omnes & motus corporis, imò & cogitatus, pudici sint. Os nil lascivi loquatur, oculi non inverecundè in alias conjiciantur, piaculum sibi grande ducat liberiùs & petulantiùs manum extendere: noverit & animum ita illibatum servare, ne etiam mœchetur in corde suo. Nulli libri, nullæ tabulæ in domo obscenæ sint: molle nil in liberis, in famulis, in ancillis toleret.

5. *Hospitalem*. Affines tenuioris fortunæ non erubescat, non excludat, convivio adhibeat, secum sportulas deferre jubeat. Vicinos pauperculos festivis diebus, ac hilariis feriis sua mensa reficiat, &c.

6. *Non percussorem*. Famuli & ancillæ, si sæpius & graviùs deliquerint, dimittantur, ne pugnis aut fustibus ædibus deturbati, de te velut de carnifice aut tyranno fanda & infanda evomant. Filios non impetu; odio aut rabie effervescens, fuste aut ferro percutiat, mutilet, lædat, sed, dum flagellat, *dulcedinem charitatis*, ut monet Gregorius, b *in mente reservet: & dum filium flagellat, tamen ei omnia bona sua servet, & eum heredem habere desideret.* Uxorem verberare immane scelus, quod in ipsa bruta non cadat, Chrysostomus æstimat.

7. *Non litigiosum*. Infame viro jurgare, litigare, de lana caprina contendere, quod mulierculis proprium ac familiare est: hac quippe ratione, filiis, vicinis, sibi, famæ, sanitati, paci domesticæ, pessimè consulit; quin potius odia, dissidia, ac simultates maximè domesticas sopire, ac penitus restinguere satagat: Amicos, propinquos, vicinos dissidentes componere studeat: à litibus prorsus abstineat, quod olim suis Augustinus cautum voluit: *Lites*, inquit, c *aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam.*

8. Denique, ne hîc longior sim, *suæ domui bene præpositum*. Domui non præest, nec prodest, qui semper propè abest. Qui in multam lucem stertit, mox foras progreditur, extus prandet, sero vesperè domum divertit, frequenter proficiscitur, negotiis ita distentus ut nec quid filii, quid filiæ, quid domestici agant, attendat aut sciat, nullamque eorum curam gerat. Utinam hic salubri Pauli monito resipiscat: d *qui suorum, maximè domesticorum curam non habuerit, fidem negavit, & est infideli deterior.* Alias perfect
Episcop

a Bernard. l. 2. de consol. c. 13.

b Gregor. Epist. 6. lib. 12. c Augustinus Epist. 109. d 1 Tim. 5.

Episcopi proprietates, aliis relinquo, & cum Lorino, Interprete doctissimo hîc concludo; qui pressiùs simulque expressiùs vos omnes Episcopos pronuntiat, dum illud Psaltis regii: *a Episcopatum ejus accipiet*
„ *alter*, sensu morali ad Episco-
„ patum spiritualem refert: quo
„ ratio sensualitati dominatur;
„ regit populum, dum cogit af-
„ fectionem & plebem opera-
„ tionum quinque sensuum, do-
„ mui suæ conscientiæ præest,
„ filios habet subditos rectarū
„ cogitationum, purarum affe-
„ ctionum, bonorum operum.
„ Clericos ordinat, deputando
„ contemplativas cogitationes
„ ad sortem Dei electas, & se-
„ paratas divinis officiis, laudi-
„ busque, ut incommutabili
„ veritati inhæreant: nec se
„ implicat secularibus negotiis:
„ virgines consecrat castas af-
„ fectiones, amplexibus boni-
„ tatis divinæ sociando parvu-
„ los confirmat, roborando cer-
„ titudine propositi, cogitatio-
„ nes & affectiones adhuc in-
„ firmas. Coërcet censuris v.g.
„ suspendēdo sensus, cùm pec-
„ candi præbent occasionem,
„ &c.

Hæc hactenus, prolixiùs quàm putâram, nunc ut unde exorsi sumus, propositum prosequamur, qui stat, exemplo Judæ ne cadat, sibi quisque ostendat, Doctore gentium salubriter commonente.

§. II.

Qui se existimat stare, videat, ne cadat. 1. Cor. 10.

PRæclarè è clara valle sua Doctor mellifluus, in qua tot Sanctos numerare erat, quot Monachos: adeò ut locus ille, vere sanctus diceretur, ubi sub tali Præsule, tali sub disciplina, tot innocentia, & vitæ sanctimonia viri Religiosi militarent; Nihilominus securos esse non patitur, sed aculeum, & quidem gravissimum subdit, dicens: *b Nusquam est securitas fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multo minùs in mundo: in cœlo enim cecidit Angelus, sub præsentia divinitatis: Adam in paradiso, de loco voluptatis: Judas in mundo, in schola Salvatoris.* Tum insurgit: *hæc idcirco dixerim, ne quis sibi de illo blandiatur, quia dicitur: locus iste sanctus est; quia non locus homines, sed homines locum sanctificant.*

Quisque vestrûm se circumspiciat, & quam lubrico loco consistat, accuratiori indagine expendat. Bernardus nec locum in cælo, nec in paradiso, nec in claustro, *c ubi homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, &c.* à lapsu omni tutum & immunem esse profitetur; vos verò in sæculo, in lubrico stare citra casus periculum posse, confiditis. Quis sanctiori, quis tutiori unquam sterit loco, quàm Judas? cujus à summo ad imum attendens præcipitium divus Hieronymus, omnibus nobis jure meritissimo, metum incutit, *d Episcopatum ejus accipiet alter, non solum illo tempore de Juda dictum est; sed usque hodie dicitur, & usque in diem Judicii Sit ipse Judas Apostolatum perdidit, custodiant se Sacerdotes, & Episcopi:*

L 6

a Lorinus in Psalm. 108. v.8.

b Bern. Serm. [illegible] de [illegible] genere [illegible] de [illegible] & [illegible] c Bernard. d Hier. in Psal. 108.

scopi: si Apostolus cecidit, faciliùs Monachus potest cadere.

Verum enim verò, *quanto faciliùs* tu Adolescens; qui indies inter mundi illecebras: tu puella, quæ vanitati similis facta es, ut scintilla in arundines consistis: tu ancilla, pedissequa, quæ famulo, utinam non hero heterodoxo, perfido, lascivo cohabitas, quanto *faciliùs potes cadere*? Altiùs hîc insonantem audi tubam illam Ecclesiæ; a *Quid tibi necesse est, in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere? quis unquam mortalium apud viperam securus somnum capit? quæ etsi non percutiat, certè solicitat.*

A lubrico recedamus, quia in sicco ne quidem stabiles sumus. Ubi Judas cecidit, quænam ulli potest esse securitas? b Judas *unus de duodecim* illis prælectis discipulis, infamis Magistri sui *proditor*? unus ex sanctissima illa familia, *fur & latro*? unus ex duodecim illis charissimis ovibus *lupus rapax*? unus ex tam parvo Apostolorum collegio, Apostata? unus de Ecclesiæ principibus, *Princeps tenebrarum*, & dux latronum? ex duodecim illis prædilectis filiis amantissimi Patris, c *unus Diabolus, & filius perditionis*? è tam exiguo duodenario numero, unus in æternum reprobatus! O creator, & Redemptor hominum! commorari in domo tua, & in æternum perire! tuæ sanctissimæ consuetudini, ac saluberrimo alloquio perfrui, & in æternum perire! coram oculis intueri signa & prodigia, & in æternum perire! Sacerdotali charactere insignitum, in æternum perire! Episcopatus, Apostolatus dignitate fulgere, & in æternum perire! gratiâ sanitatum præcellere, *ad dæmones expellere, leprosos mundare, mortuos suscitare*, ut SS. Patres de Juda tradiderunt, & in æternum perire!

Et tu, qui in domo versaris, ubi fœdæ tabulæ oculis objiciuntur, obscœni codices manibus inseruntur, lascivi sermones auribus instillantur, innumera sese ingerunt libidinis fomenta, te tutum, securum ac stabilem arbitraris? Timorem omnibus salutarem incutit vobis S. Augustinus, dum è domo Dei, è religiosissima sua familia, sub sanctissimi Patris disciplina, queritur stellas cæli decidisse, ut casus paucorum, sit cautela multorum: e *Magna sunt hæc judicia tua, Domine Deus, quæ cùm considero, contremiscunt omnia ossa mea: vidimus enim multos, Domine, & audivimus à Patribus nostris, (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitus quodammodo usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocâsse; postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos qui jacebant in pulvere terræ, à facie sublevantis manus tuæ Domine, mirabiliter ascendisse. Vidimus vivos morientes, & mortuos à morte resurgentes; & eos qui inter filios Dei ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quasi lu-*

a Hieron. Epist. 47. b Matth. 26. Luc. 6. 10. c Ioan. 17.

d Chrysost. in 2. Act. Apost. Serm. ... v. Raynaud. de ... e August. in Soliloq. ...

tum ad nihilum defluxisse. Quare iterum iterumque moneo, ut cum timore & tremore salutem vestram operemini: *nimis praeceps est*, inquit Cyprianus, [a] *qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse*.

Circumspectionem profectò, & attentionem majorem circa salutis ac profectionis propriæ negotium, facilè aliorum, magnorum ruina ingenerat, ac boni proprij amor, & salutis suæ cupiditas commendat; quod vel Ecclesiæ columnas fecit contremiscere: Bernardus Ser. 54. in cantica: *Pavens, tremensque aio ad meipsum: si sic actum est cum Angelo, quid de me fiet, terra & cinere? ille in cælo intumuit, ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quam in paupere ducat? væ mihi, si tam durè in potente illo animadversum est, pro eo quòd elevatum est cor illius, quid de me exigendum, & misero & superbo?* Ipsa magnorum ruina, quorum nonnulli avaritiâ, alij luxuriâ, quidam superbiâ prolapsi sunt, nobis hoc boni præstant, ut horum malo edocti, quasi remediis occurramus; quemadmodum & malus princeps, hoc commodi habet, ut ejus postea cadaver per anatomiam introspicere posteris, & causas morborum in ijs rimari, atque in se exstirpari liceat, juxta illud:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Illud itaque Paulinum altè inhæreat: *qui se existimat, stare, videat, ne cadat*. Hugo Card. [b] *A Deo stat, à se cadit, si cadit*. Bernardus: *considera, unde venis, & erubesce: ubi es, & ingemisce: quo vadis, & contremisce*.

Origines iste Adamantius, agens de eorum casibus, qui molliori sexui familiares esse non dubitârunt, ad timorem inde ceteris incutiendum, potenter perorat: [c] *Metuite, quantum potestis, eiusmodi casus exitia, & in ista subversione, labentium vos experimenta perterreant; vehementer infrenis est, cui non incutitur timor alio pereunte. Amator verò est salutis suæ, qui solicitus fit cladibus cæterorum; sicut Salomon approbat dicens: astutus videns malum puniri, vehementer erudietur*. Et iterum: *Cadentibus impijs, justi vehementer terrebuntur*.

Miramur quandoque, & attoniti spectamus ingentem ac validam quercum, turbine aut tempestate radicitus evulsam & eversam, solo prostratam, & taciti nobiscum agitamus: quàm vehemens ventorum impetus, quàm ingens turbo & tempestas fuerit, quæ talem stragem fecit! cum longè potentiori admiratione & stupore, multoque attentiori consideratione mentis oculis contemplari debemus *cedros Libani & duces gregum* (ut Augustinus loquitur) cecidisse, qui per 20. 30. 50. annos plantati in domo Domini, in charitate radicati, bonorum operum fructus ubertim produxerant. Similitudini allatæ insistit Richardus Victorinus, succisam arborem, de qua Danielis 4. considerans, Iudam quoque præsignâsse affirmat. Audiamus, quid de hac arbore dicat, & quid quisque timere debeat, discat & in-

a Cyprian. de sing. Cleric. b 1. Cor. 10.

c Origen. lib. de singul. Cleric.

& ingemiscat: a *Videbam in visione capitis mei super stratum meum: & ecce vigil & sanctus de cælo descendit, & clamavit fortiter, & ait sic: succidite arborem &c. præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructum ejus. Fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus. Væ filiis Adæ! væ conditioni humanæ!* ,, quis quæso, quantumcumque profecerit, quantumcumque ascenderit, de reliquo poterit esse securus, si tantus vir, tamque perfectus, quasi sub unius horæ momento, potuit de tanta sublimitate cadere? Recolamus ergo, qualis superiùs ea arbor describitur, quis hîc præcidi jubetur; & tunc meliùs agnoscimus, in qualicumque virtutis fastigio constitutis, momorum ruina, quàm justè timetur. In magnitudine arboris, miramur modum fortitudinis: in altitudine ejus, profunditatem sublimitatis: in aspectus dilatione, magnitudinem authoritatis. In pulchritudine foliorum, facundiam sermonis: in nimietate fructuum, multitudinem eruditionis: in esca, universorum doctrinam ædificationis: in subjectione bestiarum, rigorē severitatis: in cohabitatione volucrum, providentiam circumspectionis. *Quis ergo*, inquit, *nisi insanus, in tanto mutabilitatis ancipiti, sibi securitatem promittit, si verè aliquando talis fuit, qui postea succisus cecidit? verè ut Scriptura dicit: beatus homo, qui semper est pavidus; nescit enim, quid futura pariat dies.*

Nec minus anxium, solicitum ac circumspectum quemque nostrum vult Apocalypticus ille Angelus, dum ait: b *tene, quod habes, ut nemo accipiat coronā tuā.* Quemadmodum Sapricio accidit: fuit Nicephoro (ut Metaphrastes commemorat) familiaritas cum Sapricio Sacerdote, à teneris contracta ea cum pueris crescere, & adolescere non exiguo virtutis incremento cū adolescentibus visa. Demum præter opinionem omnium, in grave odium vertit. Interea sæva in Christianos tempestas Antiochiæ exorta, turbine suo etiā Sapricium involvit; at ille omnia fortiter & constanter pro Christo toleravit jamq; ad coronam vocabatur, cùm semel iterumq; Nicephorus ad genua ejus accidit, lachrimansque à Martyre veniam rogat, daret hanc moriturus pro Christo, si non sibi, certè ipsi Christo mortuo inter preces pro hostibus fusas. Audiebat hæc Sapricius, neque tamen qui mundum, carnem, & Cacodæmonem triumphârat, seipsum vincere voluit; sed nec verbis, nec oculo dignatus Nicephorum est.. Ergo quam jam tenere videbatur coronam, placuit cælo, alteri tradere. Cervicem præbere jussus, mortem turpi vitā redemit, & Christi Sacerdos, facere Eheu! Jovi promittit, nec quidquā per omnes superos obtestante Nicephoro, non referret, quem cælo jam posuisset pedem: non dimitteret, quam jam jam prensabat palmam. Quid fit? c *cecidit corona capitis ejus*, & è vestigio accurrit ipse Nicephorus in locum ejus, ac succedaneam victimā offerens, in alienā præmia

a Richard. Victor. lib. 2. de erudit. inter hom. c. 19. & 20.

b Apoc. c. 3. c Thren. 5.

mia involavit, atque alterius coronam accipere meruit.

Idem ne & vobis in suprema cum morte lucta accidat, attendite: ne pertinaci odio, ne invidiæ malo, ne vindictæ cælo, ne luxuriæ aut injustitiæ stimulo concitatus, coronam, quam tibi jam tenere videris, amittas, eãque diabolus tibi eripiat. Quod disertè satis eminentissimus ille è Dominicana familia *a* Doctor insinuat, in illud Apoc. 3. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* Ubi sic disserit: *Nemo, id est nullus homo. Secundo, non diabolus: quia hæc est magna diaboli invidia, quod homo coronam accipit, quam haberet diabolus, si stetisset.* Quid, quòd alios rerum temporalium penuria, bonorum jactura, improborum calumnia, morborum, aliorumque cruciatuum laniena, per impatientiam, pusillanimitatem, diffidentiam, aut desperationem, coronam, quam se tenere arbitrabantur, amittere faciat. Ut uni illi è quadraginta Sebastenis militibus, turpissimo transfugæ contigit, *b* qui aliis in gelidum stagnum demersis, cruciatus impatiens, in tepida balnea desiliit, ubi mortem, eamque æternam invenit. Interea cælo coronæ 40. delabuntur, & singulorum Martyrum capita ambiunt; dumque unam de custodibus aliquis, vacare spectat, Christianum se proclamat; simul in aquas insiliens, coronam alteri præripuit, & palmam quasi in manibus confregit. *Miserabile spectaculum*, exclamat Basilius, *c miles transfuga Christi, ovis à lupo direpta, & miserabilius à vita perpetua excidens*, coronam amisit.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Felix, qui tantorum virorum lapsus, quos adduximus, attentâ mente revolvens, suum etiam à longè casum prospectat; sic tamen ut unum hîc vos monitos velim.

a Hugo Card. in Apoc. c 3.
b Breviar. Rom. 9. mart.
c S. Basil. hom. de 40. martyr.

§. III.

Discipuli crimina in Magistrum non refundenda, nec membri vitium toti corpori aspergendum.

Hoc sæculares nonnulli, ceterum Catholici cum Heterodoxis sibi familiare habent, integram Religiosam familiam, ob unius nævum denigrare, traducere, execrari; filios, qui à Deo sæpè eo fine vocantur, ut ruinam illam instaurent, calumniis in totum ordinem gravissimis deterrent, & vi, & vinculis etiam injectis attinere nõ dubitant. *d* S. Thomas ex eo, quòd Iudas pessimus fuerit in cœtu optimo, infert, perperam maculam unius membri religiosi, in universum corpus transfundi.

Prolixiùs idem prosequitur Chrysostomus: *e Si viderit Sacerdotem indignum, non ob id etiam calumniari Sacerdotium debes: neque enim calumnianda res, sed ille solùm meretur onerari conviciis, qui tanto bono abutatur. Non enim quod Iudas proditor fuit, hoc Apostolicæ professionis cri-*

d S Thomas opusc 19. c. 20.
e Chrysost. hom. de virtut. & vitiis.

crimen, sed unius tantùm viri mens improba fuit, quod variâ illustrat similitudine: *Medici quidem multi carnifices sunt, qui pro medelis venena propinant, nec tamen artem vitupero, sed qui arte suâ iniquus abutitur. Et nauta complures navigia amiserunt, nec ideo ars navigandi damnanda est.*

Quis amœnissimum viridarium contemnat, aspernetur, quòd inter pulcherrimos flores, inter præstantissimas plantas, araneus, aut bufo reperiatur? Solidius argumentum, & ad hominem inducit Hieronymus, qui Ecclesiam non damnandam ducit ex eo, quod quidam pravi & perversi, velut zizania in medio tritici excrescant. Unde Helvidium Hæreticum, cùm virginitati bellum indixisset, quia inter virgines quasdam tabernarias esse proclamaret, sic confutat: *Ego*, inquit, *a plus dico, esse in iis & adulteras, & quod magis mireris, Clericos esse caupones, & Monachos impudicos. Sed quis non statim intelligat, nec tabernariam virginem, nec adulterum Monachum, nec Clericum posse esse cauponem. Numquid virginitatis est culpa, si simulator virginitatis in crimine est? licet autem hujus exemplum capere ab Ecclesia, & ex toto corpore, de uno membro argumentari. Nam etsi in Ecclesia multi tam perdite vivunt; ea tamen nihilominus Sancta appellatur, neque id impedit, quo minus hac fidelium universitas à Paulo Apostolo sine ruga, & sine macula dicatur: quoniam ipsa per se institutio, quo modo à Deo condita est, non quo modo à plerisque deformata est, inspici debet.*

Itaque si Ecclesia, in qua plures sunt mali, ac perversi enormibus flagitijs deturpati, tamen sine macula, & ruga, tota pulchra & amica Dei vocitetur, quanto magis Religiones, in quibus plerique boni, casti, pacifici? *Quapropter etsi contristamur*, inquit Augustinus, *b de aliquibus purgamentis; consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, quâ oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ Dominicæ, fructu olei luminatio re implentur.* Compello vos Auditores, an Senatum, an curiam secularem, Ecclesiasticam, eversam vultis, quia in ijs iniquus aut corruptus judex repertus est? An statum vestrum matrimonialem contemptibilem, detestabilem existimatis, quia plures in eo & frequentiores adulteri, quàm pravi Religiosi, numerentur? Hunc clypeum Africanus Doctor, horum calumniis objecit. Hippone in Cœnobio S. Augustini, grave inter duos exarserat jurgium, cùm alter alteri magnum crimẽ impingeret, ut necesse esset alterutrum ingentis culpæ reum esse, vel turpis facti, aut enormis mendacii. Qua de re cùm in populo non mediocris orta esset querela, Augustinus c ad eos luculentam scribit Epistolam, quâ sic illos reprehendit: *Ad quid aliud*, inquit, *sudant illi, & quid aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus; vel Clericus, vel Monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non posse omnes manifestari? & tamen etiam ipsi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec*

a Hieron. lib. adv. Helvidium.

b Augustin. Epist. 137. c Aug. Epist. 137.

nec accusant matres suas; cùm autē de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsitatis (etiam rarissimè) *sonuerit, vel veri i patuerit, instant, satagunt ăbiunt, aut de omnibus hoc credatur.*

Quæ calumnia hoc manifestiùs soccietatem nostram afflare consuevvit, quod Oceani instar, putrida cadavera in littus omnibus spectanda eiiciat: & toties in publicis curiis, cætibus, conviviis totū corpus vapulat, quoties putrre corruptumque membrum, *ne pars sincera trahatur,* præscinditur. Quo in negotio, ignorantia sola carpit, quæ non capit. Ecquis porrò non probet unum contagione infectum, tempori efferendum, ne in cæteros idem sese virus diffundat?? Etiam cum sensu, & læsione propria subinde noxius sanguis emittitur, ut totius corporis incolumitas servetur. Ita Regiinæ Lusitaniæ admiranti aliquando perennem illum, vegetumque societati florem, & caussam roganti, aptissimè respondiit Coll. Rector, *a* hanc esse, quia venam sibi societas aliquando incidit. Non absimilem similitudinem adduxit Joannes Clarius, Nobilis in Academia Lovaniensi quondam Theologiæ Doctor: hic cùm celeberrimus quidam Concionator esset dimissus, Jesuitæ, inquit, non solent aquam mundam effundere, sed fæcem & spumam solent subducere. Ut appositè olim Humbertus Ordinis PP. Prædicatorum V. Generalis: *Oportet,* inquit, *b ut Religio despumetur, ad hoc, ut in sua puritate servetur. Ubi nulla est despumatio, est impuritas multa.* Quod ipse Christus innuere visus, dum Juda ex cœtu Apostolorum digresso, subjunxit: *c Nunc clarificatus est Filius hominis.* sic pravis sublatis major lux ceteris affulgere cernitur, quemadmodum candela, quam si emunxeris, clariorem lucem diffundet.

Inutiles in vite traduces, utiliter resecantur: *nec dabit inde minus*; sed econtra, *snoeyen doet bloeyen.* Quod ipso nominis omine manifestum est. SOCIETAS JESU; Anagramma: VITIOSA SECES. Huic rei consentit summorum Pontificum suffragium, è quibus illud Gregorii XIV. suffecerit audire oraculum, qui dum hanc dimittendi; & votorum obligationem tollendi potestatem confirmat: *eam,* inquit, *d ratam & intactam esse volumus, tanquam rem magni momenti, ad Societatis* PURITATEM, *& conservationem retinendam.* Unde non incongruè Velasques noster, *a polito Vir ingenio* ad Religiones viridi observantiâ florentes, id potissimùm spectare affirmat, *b* ut luxuriantes ramos amputent, illud enim Cantic. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus* PUTATIONIS *advenit,* sic aptè connectit, *e* quasi ex eo florens Ecclesiæ ac Religionis status extiterit, quòd arescentium palmitum putatio viguerit: uti ad hunc locum annotavit Venerabilis Aponius: *Tempus putationis advenit, illud procul dubio, in quo pater agricola peritissimus putator sterilia sarmenta de vera vite Christo, ultionis amputat falce: eos scilicet, qui in se nullam*

a Imago I. sæculi pag. 100. b Humb. de erudit. Relig. lib. 5. Part. 2. c. 3.

c Ioan. 13. v. 31. d In Biblioth. script. sect. e Velasques in Philippens. c. 3 v. 2. annot. 3. n. 7.

nullam similitudinem factoris sui, filii Dei, per imitationem boni operis ostenderunt. Æstivum tempus namque putationis advenit, quando ex una stirpe corporis boni, separantur à malis, ne vicinitate malorum pereant boni. Bene peritissimus putator, qui eos amputet, qui vanitate frondium, nascentis vineæ fructus aut zizaniorum instar exurgens ac efflorescens triticum supprimerent; quam causam allegat S. Isidorus Pelusiota, adeò severè sub nascentis Ecclesiæ exordium Divum Petrum in Ananiam & Saphiram animadvertisse: a *Nam cum tunc*, inquit, *Evangelii sementem facere incepissent ac statim enata zizania conspexissent, sapienti consilio ea confestim evulserunt, ne unà cum tritico aucta, futuro igni ad ultionem servarentur.* Consimili zelo Paulus incensus clamat: b *utinam & abscindantur, qui vos conturbant*; ubi Anselmus, *sicut Dominus in Evangelio præcepit, membra, quæ nos scandalizaverint, abscindi vult, & proiici à nobis: ut quia ipsi pseudo-Apostoli scandalum generant inter eos, separetur penitus & alienentur ab eis.* Quare autem Apostolus inter suos mitissimus, hos in gladio percutere, & resecare statuerit, respondet Hieronymus: c *Fermentum à massa vicinia semovendum: secanda putrida carnes: & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecus ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat.* Errant itaque gravissimè, qui hac de causa superiores, aut Religiosum institutum, aut Patres-familias inclementiæ ac severitatis coarguant; quibus aptè respondet Origenes: d *Quæ est ista bonitas? Quæ est ista misericordia? unni parcere, & omnes in discrimen adducere.* Nec minùs opportunè e Bernard. Epist. 102. ad quemdam Abbatem: *Ne timeas esse contra charitatem, si unius ejectione; scandalum multorum recompensaveris pace: quippe qui sui forte malitiâ fratrum cohabitantium turbare facilè poterat unanimitatem*, & post pauca, nervosè concludit: *Melius est enim, ut pereat unus, quam unitas.* Atque hoc quæ hactenus de Religiosis, divinus Ecclesiastes Patribusfam. in famulis, ancillis, pedissequis, ephebis pravis resecandis ac expellendis inculcet.

Alterum est: parentes, viros integerrimos, sanctissimos, totamque familiam præclaris factis & virtutibus illustrem, notari, obscurari, turpissimè à malevolis proscindi, ob unius filii prodigi, filii perditionis nequitiam; quasi verò Aquilæ non imbellem quandoque progenerent? quasi verò ex optimis parentibus, non pessimi filii subinde editi sint: Quis obsecro sanctior Samuele? quem Theodoretus: f *Virum diviniβimum* appellat, Psaltes regius *vir secundum cor Dei*; de his tamen sic loquitur Hieronymus: g *Samuel vir beatus, & justus, filios pessimos genuit, qui non ambulaverunt per viam patris. Et David, de cujus Christus natus est semine, duos genuit filios, Amnon & Absolon, quorum alter fratris, alter patris extitit parricida.* An curam suorum illis parentibus tam piis, tam prudentibus

a S. Isidor. Pelusiot. l. 1. Epist. 18. b ad Galat. 5. 12. c Hieron. ad Galat. 5.

d Origenes hom. 7. in Iosue e Bern. Epist. 102 f Theodoretus q. 14 in 1. Reg. g Hieron. in cap. 65. Isaiæ.

dentibuss„ tam sanctis an mo. nitionemn defuisse arbitraminii? Quis justtiior Noë, qui impudentem ffillium nactus est? Moyses vir taantus, ut de eo *a* Gregorius NNyssenus & *b* Philo Hebræus: *a Moysem sp[illegible]ori fuisse omnibus,, tanquam novum natura miraaculum, incertis qualis mens habitaret in ejus corpore, humana an divina*; & tamen filios habuit taam degeneres, ut virtute pateernâ spretâ nemo aptus esset,queem sibi sufficeret. Unde *c* Chryscostomus: *Quid Moysis liberis proofuit paterna cura justitia, cujuus illis non successit imitatio? Itaque non ad ilios patris imperiumn, sed ad eum, Reipublicæ administratio migrat, qui illius erat filiuss virtute.* Ita & Adam, ita & AAbraham, ita & Heli, innumerrique de facto viri probi & samcti, improbos: perfidos, pperduelles in familia habent filiios, quorum parentes illud illustrissimi Præsulis, qui omnia ccomplexus est, in solatium adfferre possunt testimonium: *d Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quam Arca Noë, ubi tamen inter octo homines, reprobus unus inventus est. Aut melior sit, quàm dommus Abrahæ, ubi dictum est: eiice aancillam, & filium ejus. Aut melioor sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi. Esau autem odio habui. Aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, ubi lectum patris, filius incestavit. Aut melior sit, quam domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit: cujus alter filius, contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit. Aut melior quàm cohabitatio ipsius Domini Iesu Christi, in qua undecim boni, perfidum & furem Iudam tolerârunt. Aut melior sit postremo, quàm cælum, unde Angeli ceciderunt.*

Illud denique ejusmodi parentibus solatio, & obtrectatoribus freno esse debet, unum discolum ac rebellem filium, aliis non raro miserabili catastrophe, omnibus ad virtutem & probitatem stimulos subdere: quemadmodum ruina Angelorum, alios confirmâsse tradit Ambrosius, Bernardus, Rupertus, aliique, ut apud S.Raynaudum *e* videre est. Adeò ut si Judas unus sit in familia, divina providentia fiat, ut & Matthias aliquis oriatur, super quem cadat sors Domini & benedictio omnis, quique totius familiæ splendorem tueatur & amplificet. Id ipsum & nos omnes, te sanctissime Apostole, deprecamur, ut inter tot cum proditore Juda à Domino recedentibus, tecum in æternum frui mereamur sorte sanctorum.

a Nyssen. in vita Moysis. b Philo l. 1. de vita Moysis. c Chrysost. hom. 5. in Matth. d August. Epist. 137.

e Raynaudus de Iuda proditore p. 452.

FESTUM

FESTUM SANCTI JOSEPHI.

Nemo natus est in terra, sicut Ioseph. Eccl. 49.



Deque viri collo, dulce pependit onus. Ovid. 2. Fastor.

ARGUMENTUM.

QUis, quantusque sanctissimæ Dei Genitricis Sponsus, multis ante hac incognitus, Josephus extiterit, hoc primum argumento erit, quòd *Virum Mariæ* fuisse, divinâ fide manifestum sit. Etenim si in omni bene ordinato connubio, maximè paritas & similitudo conjugum inter se spectanda sit; ubi quis Josephum, *Virum Mariæ* audierit, eum & gratiâ, & vitæ sanctimoniâ, & generis excellentiâ, & animi, corporis-

corporisque castimoniâ, omnium denique virtutum abundantiâ, ei simillimum fuisse, dubitare neutiquam debet. Atque hîc Parentes obiter commonebimus, ne filias suas viro heterodoxo, homini temulento, turbulento, aleatori, scortatori, quamtumvis opulento, jungi sinant. Ipsos verò Adolescentes, & Adolescentulas adhortabimur, ut potius exemplo Josephi, Mariam sibi in sponsam assumant, suamque virginitatem castis nuptijs, Agno immaculato devoveant. Alterum est Josephum supra omnes cælites, dignitate, & auctoritate valere plurimum, quòd filii Dei Pater esse meruerit. Qua prærogativâ cùm tantum consecutus sit, ut omnia posse videatur, unum superest, ut eum nobis omni pietatis cultu demereri, omni affectu complecti, omni veneratione prosequi studeamus.

§. I. *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Gen. 2.
§. II. *a Nemo natus est in terra sicut Ioseph, qui Pater filii Dei dictus, & creditus est.* Bern. Serm. 2. super missus.
§. III *Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Psalm. 104.

a Eccl. 49.

FESTUM
SANCTI JOSEPHI.

Cùm esset desponsata Mater Iesu, Maria, Ioseph. Matthæi. 1.

SAnctus Gregorius Nazianzi Antistes, quem Basilius *vas electionis, puteum profundum, os Christi* nuncupavit: *a* Hieronymus, *Virum eloquentissimum, Præceptorem suum* deprædicavit: Ruffinus, *Virum per omnia incomparabilem, splendidissimum lumen scientiæ* indigetavit; *b* Hic Theologorum Doctor, & Orator eximius, in funebri sororis suæ panegyri, ubi illam à pluribus naturæ, ac gratiæ dotibus in cælum extulisset, maritum ejus laudaturus, in medio orationis suæ cursu subsistens, ait: *Vultis uno verbo, Virum describam? vir erat illius* (scilicet Gorgoniæ) *nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit.*

VIR ERAT ILLIUS, *cui unus rubor placebat, quem pudor affert; unus candor, quem parit abstinentia: nam pigmenta ac fucos, scenicis, & meretricibus relinquebat*

VIR ERAT ILLIUS, *quæ corpus pene sine cibo, velut materia expers retinebat, & ante mortem mori cogebat.* VIR ERAT ILLIUS, *quæ noctes insomnes divinis Psalmodiis*

a Hieron. de Script. Eccles. b Greg. Nasian. orat. 11. in fun. Gorgoniæ sororis suæ.

modiis traducebat, & tenera membra solo insternebat. Atque ut alia omittam, VIR ERAT ILLIUS, de qua in eleganti, & prolixa oratione sua præfatus est, *non ultra veritatis metas, sed infra veritatem se subsistere*, atque omnia compendio se complexum fuisse dum dixit, VIR ERAT ILLIUS Gorgoniæ; innuens, fieri non posse, ut vir tam piæ, tam integræ, tam sanctæ conjugis, pius, integer, & sanctus non sit. Potiori jure dicam ego: *vultis scire*, quantâ puritate, pietate, prudentiâ, modestiâ, sanctitate, meritis, dotibus corporis & animi S. Josephus exornatus sit? *uno verbo Virum describam*: a IOSEPH AUTEM VIR EIUS. *Vir erat illius* (nempe Dei Matris, qua nihil in terris, nec in cælis majus, aut excellentius creari, vel excogitari potest) cùm in eo omnia, ut videbimus, contineri videantur.

§. I.

Faciamus ei ADIUTORIUM SIMILE *sibi*. Gen. 2.

POquam rerum omnium Conditor Deus, primum humani generis parentem Adamum procreâsset; dixit: *faciamus ei adjutorium simile sibi*, Conjugem nempe, illi non solùm naturâ, specie, indole, genio, & ingenio similem; sed etiam donis gratiæ, & justitiæ originalis, aliarumque virtutum, quas Adamo infuderat, simillimam efformavit; divinâ suâ providentiâ aptè disponendo, ut in conjugio mores, amores, affectus, virtutes, optimè secum attemperarentur: etenim

b *Si quâ voles aptè nubere, nube pari.*

Cùm itaque Spiritus sanctus in hoc castissimo connubio sanctissimi Josephi, cum Virgine Maria Paranymphas, & pronubus exstiterit, & Dei filius hunc sibi ab æterno, ut demonstrabimus, in patrem, ac matris suæ sponsum elegerit, jure longè meritissimo usurpare possum illud Gregorij: c *Vultis, uno verbo virum* (Josephum) *describam? vir erat illius*, (non Gorgoniæ sed Deiparæ) VIR ERAT ILLIUS, quæ maculâ originali, & ab omni fomite, ac fuligine peccati, immunis fuit VIR ERAT ILLIUS, *in qua omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt reconditi*; *qua*, ut Albertus Magnus Lib. de B. Virg. c. 96. *perfectius, quã Adamus in sopore, & quam Ioãnes super pectus Domini, & quã Paulus in raptu, cognovit mysteria supernaturalia.* Scripturas omnes penetravit, & quidquid Prophetæ divinâ revelatione, ac summi Ecclesiæ Doctores humanâ, divinaq; scientiâ assecuti sunt, longè perfectiùs, d *Maria, Magistra Magistrorum, etiam Apostolorum*, ut Rupertus loquitur, cõplexa est.

VIR ERAT ILLIUS, quæ etiam corporis venustate, miraculum pulchritudinis, & *pulcherrima rerum omnium pulchritudo* exstitit. e VIR ERAT ILLIUS, quæ illibatâ corporis, & mentis puritate, ipsis Angelis antecelluit. VIR ERAT ILLIUS quæ gratiâ, virtutibus, meritis sanctitate, dignitate, omnes infinito intervallo exsuperavit

a reli

a Matth. 1. S. Tho. 1. p. q. 25. a. 3. maternitas in tribus, quæ Deus non potest facere majora.

b Ovid. Epist. 9. ad Deian. c S. Anselm. hom. super Euang. Luc. 10. d Vide Vega Theolog. Mariana pag. 401. & 41 e Greg. Nicomed. orat præsent.

a *reliquis enim gratia, & virtutes per partes fuerunt distributa; at Deipara id omne quod alteris dispersum fuit*; seseque tota gratiæ effundit plenitudo, sive, ut ait D. Thomas, *b in qua debuit apparere omne, quod perfectionis fuit*, ut proximè dicemus festo Annunciatæ Virg.

Quæ omnia, ut in virgine Matre, summa, & ineffabilia reperta sint; in Iosepho quoque, etsi suspicari, vicinissimâ tamē ratione excelluisse, ut *Adjutorum simile* Mariæ esset, & argumentorum vis, & virorum Doctorum Auctoritas comprobabit.

Audi *insignem pietate virum*, eruditione præclarum, Cancellariû Parisiensem; *c Decuit, ut Maria tantâ puritate niteret, quâ sub Deo major nequeat, intelligi, ut sanctus Anselmus ait, ita decuit, ut Ioseph tantâ prarogativâ polleret, qua* SIMILITUDINEM, *& convenientiam exprimeret talis sponsi ad talē sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatus est Christus: & ut potest colligi ex Matt. 1. beatissimus Ioseph fuit super omnes homines purus*, SIMILIS *Virgini gloriosa*. Nec minus disertè S. Bernardin. *d* Senensis: *quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tantâ unione* (conjugii scilicet) *uniret menti tanta Virginis aliquam animam; nisi & virtutum operatione* SIMILLIMAM! *unde credo, e Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione*: UT ESSET ADIUTORIUM SIMILE VIRGINI.

1. Unde credo illum labe originali detersâ, in utero sanctificatum, atque omnis fomitis expertem fuisse, ut Gerson Serm. de Nativitate Virg. habito in Concilio Constantiensi, qui hoc ipsum ex antiquo Hierosolymitano officio confirmavit. Idque Theophylus, Chrysostomus, *f* Isidorus, *g* Isolanus, Ioãnes Eckius, *h* Iacobus *i* Christo-Politanus Episcopus, *k* Christophorus de capite fontium Archiepiscopus Cæsariensis, antiquum Carmelitarum officium, Carthagena, aliique tradidêre. Quod vel ex illo Ecclesiast. 49. probari potest: *nemo natus est in terra, ut* IOSEPH, *qui natus est homo*. Itane verò, non ei similis est, quia natus est homo? an non homines universi tales nascuntur? insigne in hoc mysterium latere necesse est. Per hominem, virum intelligi volunt S. *l* Gregorius, *m* Hieronymus, *n* V. Beda, *o* Arnobius, aliique; significatum proinde per Ioseph antiquum, qui novi erat figura, illud privilegium putamus (inquit *p* Elias de Theresa) *quo uti sponsa sua simillimus foret*, hanc à Deo gratiam recepit, ut in matris utero, ab originali culpa purgatus, sanctificaretur. Unde *q* Hugo Cardinalis, illud Ecclesiastici: *nemo natus est in terra*,

a S. Pet. Damian. Ser. de Assumpt. Virg.
b S. Thom in 4. dist. 30. q. 2. a. 1.
c Gerson in Ioseph.
d S. Bernardin. to. 3. ferm. de S. Ioseph. art. 2. c. 1.
e Gerson cit. Salmeron. tom. 3. tract. 9.

f Isid. g Isolan. l. de S. Ioseph. h Ioa. Eckius serm. de S. Ioseph. i Iacob. Christo. P. lit in magnificat k Christoph. de capite font. l. 1. de perpetua Virg. Mariæ, & Ioseph.
l Gregor. in moral m Hieron. In Micheam. n Beda in Genes. o Arnob. in Psalm. p Elias de Theresa tom. 2. in præfat. q Hugo Card. in Eccl. c. 49.

terra, sicut JOSEPH, sic exponit: NEMO SIMILIS EI FUIT.

2. UT ESSET ADJUTORIUM SIMILE VIRGINI, ipsa sanctissima conjux, omnia mentis suæ secreta, & ipse Dei filius, sapientiæ suæ thesauros, & cordis sui, in quo omnia continentur, Josepho concredidit arcanum, ipso Doctore suffragante mellifluo: *a Vere de domo David, verè de regia stirpe descendit vir ille* (uti & Maria) JOSEPH *nobilis genere, mente nobilior. Prorsus filius David, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione; quem tanquam alterum David, Dominus invenit secundum cor suum, cui committeret* SECRETISSIMUM; ATQUE SACRATISSIMUM *sui* CORDIS ARCANUM: *cuique tanquam alteri David, in certa* ET OCCULTA *sapientiæ suæ manifestavit.*

3. UT ESSET ADJUTORIUM SIMILE VIRGINI, in illum aptissimè cadit illud Geneseos 49. JOSEPH *decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum*, ut formam ejus venustissimam contemplarentur; sic etenim de sponso Mariæ Eusebius Cæsariensis: *Aderat*, inquit, *b Iosepho libertas animi, pudor eximius, justitia, modestia, prudentia summa; sed pietate in Deum maximè præstabat*, ERATQUE MIRABILI CORPORIS PRÆDITUS FORMOSITATE; ut post virginem matrem nemo mortalium Christo, qui fuit *c speciosus præ filiis hominum*, similior, & per consequens formosior fuerit, ut gravissimi Auctores censuêre.

Nec hic ut passim decantatur:

d Lis est cum formâ, magna pudicitia;

4. SED UT ESSET ADJUTORIUM SIMILE VIRGINI, quantâ corporis animique puritate Joseph præcelluerit, vel hoc unicum efficacissimo argumento sit, quòd huic virginem matrem, arctissimo connubii vinculo adstrictam, custodiendam tradiderit: quã singularem prærogativam Hipponensis Antistes hisce verbis illi gratulatur: *e habe Ioseph cum Maria conjuge tua virginitatem membrorum, quia de virginibus membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria mater Christi virginitate servatâ; sis autem & tu Pater Christi, curâ castitatis, & honorificentiâ virginitatis. f* Accessit quoque morum similitudo, frequens ac diuturna familiaritas, & cohabitatio (absque ulla occasione dissidii vel rixæ) ex qua ut perversus cum perverso, ita bonus cum bono agendo, non potuit non Josephus virgini proximè, ut ovum ovo, & lilium lilio assimilari. Unde Rupertus l. 2. in Cant. ad illa verba: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*; quæ inquit, *sunt lilia, nisi dilectus sponso* JOSEPHO, *& ego dilecta? verè ambo illa, videlicet pro virginalibus nuptiis, & cohabitatione castissima.*

5. Illud insuper observandum, UT ESSET ADJUTORIUM OMNINO SIMILE VIRGINI, eám dilecto suo sponso, omnium meritorum ac divinorum charismatum, quibus Joseph non ita dotatus erat, participem fecisse, ut glo-riam

a Bernardus hom. 2. super missus b Euseb. Cæsariens. l. 7 de præcept. Evan. c. 3. c S. Iustin. M. in Dial. cont. Tryph.

d Gerson Serm. de Nativ. Virg. Bernardin. de Bust. Ifolan. f S. Aug. Serm. 14. de temp. festo Nativit. Dom. e Suares 3. p. tom. 2. disp. 1. Sec. 1.

riati possit in hisce nuptiis virginis: *a venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Idque non ex eo dumtaxat, quòd utriusque conjugis bona per matrimonium fiant communia, sed vel ex eo maximè, quòd Maria, omni, quo potuit, cordis affectu, gratias sibi à Deo ubertim concessas, ob arctissimam animorum unionem, dilectionemque, in sponsum refuderit, ut rectè dixit ac docuit *b* S. Bernardinus: *quia revera virgo, quanta erat unitas matrimonii in spirituali amore, agnoscebat & sciebat, Iosephum sibi à Spiritu sancto datum in sponsum, & in suæ virginitatis fidum custodem, & ad participandum secum in charitatis amore, & obsequiosa solicitudine divinissimam prolem Dei: ideo credo, quod totius ex cordis affectu, eum sincerissimè diligebat; cumque omnia, quæ sunt* UXORIS, SINT VIRI, CREDO, *quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei exhibebat.* Addit: *cùm virgo tot, & tanta peccatoribus impetret sceleratis, quanta putas impetraverit Iosepho sponso?*

Quæ omnia luculenter confirmat *c Doctor ille eximius* Franciscus Suarez, ut illum Paulus V. Pontifex maximus non semel compellavit; B. Virginem eximiæ gratiæ dona, & auxilia sponso suo, quem singulariter diligebat, exoprâsse, suisque orationibus impetrâsse. Nam si verum (ut revera est) unum ex efficacissimis mediis ad obtinendum à Deo gratiæ dona (cùm omnia nos habere voluerit per Mariam) esse devotionem erga Virginem ejusque intercessionem; quî credi potest sanctissimum Josephũ Virgini dilectissimum, ac devotissimum per illam non obtinuisse eximiam sanctitatis perfectionem? Refert Nazianzenus Orat. 11. de sorore sua Gorgonia, eam unum hoc ad omnia accedere cupivisse; *Vt maritus quoque perficeretur, ut sic tota corpore consecraretur, & non dimidia tantum ex parte, initiata discederet, ipsiusque aliquid imperfectum relinqueret:* atque hoc precibus impetrâsse. Si ergo hoc fuit insigne charitatis in Gorgonia, quod viri imperfectionem, quodammodo suam existimavit, quodque perfectionem ejus desideravit, & obtinuit; multo altiori ratione, ac modo, hujusmodi amor Virgini est attribuendus.

Porrò quid viro conferat integritas, modestia, pietas, probitas conjugis suæ, expressit Ecclesiast. c. 26. *Mulieris bonæ, beatus vir:* & Paulus 1. Cor. 14. *Sanctificatus est vir infidelis, per mulierem fidelem;* ut Adrianus per Nataliam, Clodovæus per Crotildem, Valerianus per Cæciliam, Sisinius per Theodoram, Marius per Martham, Ursalius per Gorgoniam.

Non possum quin, quod hisce castis & pacificis Iosephi & Mariæ nuptiis proprium est, & ad commendationem virginitatis ac dilectionis mutuæ valet plurimum, adferre insolens, & ut existimo plerisque vestrûm inauditum. Auctorem prodo *d* S. Gregorium Turonẽsem, de duobus conjugibus, qui

a Sap 7. b S. Bernardin. Serm. de S. Ioseph tom 3. c Bibliot. script. soc. Suarez 3. p. tom. 2. disp 8. sect. 2.

d Greg. Turon. de gloria Confess. c. 42.

qui se etiam mortuos complexi sunt in sepulchro: defuncto namque quodam Hilario, viro senatorio, anno vertente obiit & uxor, quæ cum eodem tumulo satis capaci conderetur, *a subito elevata vir dextera, conjugis cervicem amplectitur, quod admirans populus, deposito secessit operculo, cognovitque, qua eis castitas, qui timor in Domino, qua etiam inter ipsos dilectio fuisset in sæculo, qui se ita amplexi sunt in sepulchro.*

Quid mirum tam raros illiusmodi inter mortuos cerni complexus, qui in vivis ita discoli vixère conjuges, ut in æternum à se, & Deo separandi sint?

Huic subjungit & alterum non minus admiratione dignū, par conjugum, qui suam illibatam sponso virginum, castimoniam consecrârunt: *b Uxorem prius vitâ functam, non multo post, maritus insequitur. Porro cùm utriusque sepulchrum è diversis parietibus collocatum fuisset, & virum quidem ad meridiem, alterum ad septentrionem, miraculi novitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit. Nam mane facto, cùm ad locum populi accederent, invenerunt sepulchra pariter, quæ inter se distare reliquerant; scilicet ut quos tenet socios cælum, sepultorum hic corporum non separet monumentum. Hos usque hodie duos Amantes vocitare incolæ loci voluerunt.* Ita qui in vita castè, & unicè dilexerunt se, in morte non sunt separati. Si plures æmulatores nuptiarum Josephi & Mariæ existerent, plura ejusmodi amantium prodigia expectari possent.

Denique ut hîc concludam, quàm Virgini Josephus, gratiâ, virtutibus, meritis, sanctitate, dignitate simillimus fuerit, ex dicendis patebit.

Quæ verò hactenus audîstis, quandoquidem & solidâ ratione, & certis testimoniis comperta sint, rectiùs ac veriùs huic matrimonio congruit, quā quod de parentum suorum connubio D. Nazianzenus asseruit: *c Sic existimo, si quis ab ultimis terrarum finibus, atque ex universo hominum genere præstantissimum conjugium conciliare studuisset, nullum unquam hoc præstantius, aptiusq; reperire potuisse.*

Nunc ad vos me converto Auditores, quibus

——— d *vincla jugalia curæ,*

vos Adolescentes, Adolescentulas, vosque cumprimis parentes admoneo, ut unum illud spectetis, dum matrimonio liberi vestri jungendi, ut sit *adjutorium simile*, ut sit paritas Religionis, conditionis, virtutis, pietatis, indolis, ac morum; ne filias vestras viro heterodoxo, aut parum timorato quantumvis nobili ac opulento; aut filiis vestris hæreticam tradere velitis, quod verissimè monet, & severissimè inculcat Ambrosius: *e Cave Christiane, alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem ne accersas tibi: cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris; si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere caritas, si discrepat fides?* & pa[...]

lò p[...]

a Ferrandus de reliquiis pag. 417.
b S. Greg. Turon. l cit. c. 32. & hist. Franc. c. 43. Ferrand. cit.

c Nazian. orat. 19.
d Virg. lib. 4. AEneid.
e S. Ambr. l. 1. de Abraham c. 7.

lò pòst: *Sæpè illecebra muliebris decepit etiam fortiores maritos, & à Religione fecit discedere. Primo ergo in matrimonio Religio quaratur.*

Tum par indoles, probitas, pietas, virtus in conjuge consideretur: ne homini turbulento, temulento, aleatori, scortatori, filias vestras mites, modestas, pias, virgineas jungi permittatis: etenim

a *Non bene inæquales veniunt ad aratra juvenci.*

Quod tamen indies cernimus evenire, ut inter se Conjuges in his maximè diffideant: dum uxor piè ac probè instituta, quot hebdomadis, saltem mensibus, animum sacrâ exhomologesi expiare; maritus vix semel in anno. Uxor à teneris assueta, festis & dominicis Eucharistico epulo se reficere; maritus convivia, & popinas frequentare consuevit. Hæc sacrum Ecclesiasten numquam non de divinis disserentem audire; hic verbum Dei aversari, & ad fabulas aures, animumque convertere. Hæc, templa & sacella Mariana visere; ille campos & villas obambulare. Hæc ante cubitum, Deum precari, conscientiæ latebras discutere, signo crucis se munire; hic bruti in morem, se in stratum conjicere; quæ emphaticè Tertullianus gravi suo stylo exaravit, dicens: *b Domino non potest* (uxor fidelis) *pro disciplina satisfacere, habens à latere, diaboli servum ad impediendam fidelium studia, & officia: ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balnea; si jejunia observanda sint, maritus eâdem die, convivia exerceat; si procedendum erit, numquam magis familia occupatio advenit.* Nónne hæc, experientia quotidiana testatissima facit? stationes Christi patientis, aut afflictæ ejus Matris obeundæ sunt; maritus vini, aut cerevisiæ balnea appetit. Jejunium non modò sponte susceptum sextæ feriæ, aut Sabbathi, uxori solenne, sed etiam ab Ecclesia præceptum urget; maritus convivium instituit. Instat solennis supplicatio; numquam maritus magis distentus, nec unquam magis uxor ad custodiam domus amandatur. Quibus nuptiis, non aberrâsse dicendus est, qui ipsum cacodæmona pronubium, ac paranymphum exstitisse, teterrimum omnis turpitudinis monstrum Venerum faces præluxisse, pronuntiavit.

Aliæ profectò vobis hodie nuptiæ, ô Virgines, aliud conjugium Josephi & Mariæ, vobis parentes in exemplar propono, de quo libet cum Ruperto exclamare: *c O conjugium cæleste, non terrenum! unus spiritus & una fides erat in eis; sola illic carnis corruptio, desinit.* Nec mirum, cum Nicephorus Calixtus de hisce nuptiis dicat: *Spiritus sanctus fuit hujus connubii paranymphus, & pronubus.* Quomodo autem sese Paranymphum & Pronubum; seu procuratorem, Spiritus sanctus exhibuerit, describit S. Hieronymus in Historia de ortu B. Mariæ, ubi ait: *Pontifex ad consulendum Deum de more accessit. Nec mora, cunctis audientibus de oraculo, & propitiatorii loco, vox facta est; requirendum esse, cui* virgo

a Ovid. epist. ad Deianir. b Tertull. lib. 2. ad uxor.

c Rupert. in Matth c. 1.

virgo illa desponsari deberet, cunctos de domo & familia David nuptui habiles, virgas suas ad altare allaturos esse prædixit, & cujuscumque virgula florem germinâsset, & in ejus cacumine Spiritus Domini, specie columbæ consedisset, eum esse cui virgo desponsari deberet. Eventus autem oraculo respondit, & Spiritu sancto specie columbæ, supra illius virgulam consedente, delectus est Ioseph. Atque ita Spiritus Sancti instinctu & afflatu, Joseph sumpsit sibi Mariam in conjugem suam. *a O conjugium cæleste, non terrenum! quia conjugum vita, sive conjunctio, tota fuit cælestis, & Spiritus sanctus amborum conjugalis amor.* Quæ duæ res in omni conjugio pietatem, & in virtute progressum impediunt, solicitudo scilicet placendi uxori, & cura rei domesticæ, Josepho non modò impedimento ad perfectionem, & omnem sanctitatatem, sed summo adjumento fuêre: quanto enim ardentius castissimam sponsam suam, Dei matrem amabat, ac religiosius observabat, eo magis divinâ charitate æstuabat, & majori sanctitate cumulabatur. Omnis verò cura, labor, solicitudo, quam familiæ suæ, Jesu & Mariæ sustentandæ insumebat, actus erant fidei, charitatis, misericordiæ, Religionis, ac excelsissimarum virtutum præstantissimi, quia circa Deum, ejusque sanctissimam Matrem versabantur; atque omnis hæc consuetudo mariti cum uxore, cum prole, in verbis, oculis, moribus, divinam quandam sanctitatem spirabat.

At de terreno & carnali vestro connubio, meritò Apostolus pronuntiavit: *b Qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*, adeò ut hoc integræ dilectioni, & perfectioni repugnare videatur; quod ille manifesto satis indicavit, qui aliis ad cœnam invitatis, ac perhumaniter se excusantibus, hic ut impedimentum gravissimum allegavit: *c Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Nunquid & quosdam vos inter reperire est, qui dum ad sacras epulas, ad cælestem illam cœnam quot mensibus in refrigerium fidelium defunctorum invitantur, illud reipsâ dicunt: *Vxorem duxi; & ideo non possum venire*; indulgentiæ tali loco lucrandæ sunt, *non possum venire*; concio audienda, sodalitium Marianum, S. Josephi frequentandum, *non possum venire*; & ut verbis utar Antiocheni Præsulis: *d quoties dicimus, cur non rectè vivis? qui possum, inquiunt, alligatus uxori, liberis, negotiis?* Quod ne & vos aliquando integerrimi Adolescentes, ac etiamnum castæ virgines deploretis, Mariam vobis hodie cum Josepho in sponsam eligite, ei virginitatis vestræ annulum consignate, & sanctè adpromitto, numquam vos feliciores, nobiliores, ditiores, beatiores nuptias cõtracturas. *e* Quod vel per ludum edoctus fuit Adolescens, qui cùm inter suos, propter ædiculam Marianam, in suburbano sitam, pilâ lusitaret paulò quàm ceteri tersior, delicatiorque

a Rupert. in Matth. c.1.

b 1. Cor. 7. c Luc. 14. d Chrys. hom. 4. in Isaiam. e Vincent. Bellovac speculo l. 7. ca. 87 Ioan Magor. dist. 4. ex. emp. 2 Biderman. deliciæ.

ſiorque, cum pilam ſemel iterumque non malè redditam expuliſſet, ſenſit ab eo repercuſſu manum inſordeſcere. Ac fortè annulum in digito tum geſtabat, quem auro ſaberrimè factum, & palâ, gemmaque venuſtum, à neſcio qua parthenope incautus acceperat; eoque impensè charum, ne quà in ludo rumperet, aut certè cùm manu reliqua contaminaret, vel excuteret, decrevit exuere, ſubijtque in ſacello latebras quærere; quo dum è turba, ludoque ſe proripit, conſpicit in ara, virginis inſigne, in cujus amplexu diviniſſimus infans, hiantibus labellis ſuaviſſimè reuidens. Ergo Adoleſcens, dum inter manus gemmantem annulum verſat creber, rotatque, videt opportunè digitum indicem in Virginis effigie, præter ceteros arrectum; ita rigere, ut videretur ejus articulis inſeri gemma percommodè poſſe. Hinc ille jam ſui, & ludi, & ſociorum oblitus, ab imaginis aſpectu, paulatim ad meditanda cæleſtia abreptus, cœpit ibidèm in genua procumbere, & alias curas de aliis amoribus verſare. Equidem ſic ſecum: quem amo annulum, cui rei circumfero amens, & ne inquinetur hic, aut deperdatur tam cautè aſſervo, niſi ut vanâ me pulchritudine, vanus ipſe delectem? nempe donum id hominis eſt, & hominis cujus mecum utique, aut etiam ante me perituri. Quid ſi carnales nuptias cæleſtibus commutem, & omnium virginum ſpecioſiſſimæ, me Virginem hoc annulo deſponſem?

Dixit, & aſpectæ miratus imaginis ora,
Hæc ait, hæc auro eſt digna puella meo

Simul annulum ſibi detractum expedit, eoque extentum Virginis digitum gaudens induit; nec annulum dumtaxat ſuum commendat, ſed ſe quoque totum in cuſtodiam ei, clientelamque tradit; quin etiam ferunt, ut ſponſalia cum Virgine, quemadmodum Joſephus noſter, iniviſſe non dubites, repudiatis nuptiis (ad quas fortè tunc invitabatur) illibatæ pudicitiæ florem in Mariæ tutela conſervare decreviſſe. Id autem donum Virgini gratum accidiſſe, eventus oſtendit: vix etiamdum digito Virginis annulum indiderat, cùm primores manus articulos, cœpit paulatim imago velut adductis nervis contrahere, digitoque introſum reflexo, annulum acceptum ſic includere, ut niſi vis fieret, indexque rumperetur, elabi manu, eximique porrò nequiret. Quod inſigne ſpectaculum, ut oculos Adoleſcentis inſperato rapuit, faciliè perſuaſit, ut animum inducerer, donum Virgini placuiſſe. Igitur nihil ultra cunctandum ratus, hanc ſibi ſponſam præ omnibus mortalibus formâ, ac gratiâ longè excellentiſſimam acceptat, annulumque ſuum in æternum conſignat:

——— ſerva aurum ait, optima ſerva,
Pulchrior in digitis ſit mea gemma tuis;

Quæ ipſa ſi prius gemma non fuiſſet, jam certè contactu tuo diſceret ſmaragdus, jaſpis, & adamas eſſe.

Si quis, vel quæ vestrûm, alteri fortasse carnali, & mortali fidem addixit, & annulum desponsationis consignavit, aut acceptavit (in quibus nuptiis, quod de fide est, tribulationem nec levem, nec brevem, & hîc fortasse, & in æternum habiturus est) hâc celeberrimâ festivitate, quâ Josephus cum Deipara, *a Matre pulchra dilectionis*, annulo maritali æternam virginitatem Deo vovit, se suaque omnia, corpus & animam, affectus & amores omnes consecret, dediceríque, mille benedictionibus hisce tam castis nuptiis cumulandus.

Nunc ad alteram Josephi excellentiam, quâ major in terris (Mariam si exceperis) nemini mortalium collata est, progrediamur, quam deducit Rupertus in Matth. c. 1. *b Virum Mariæ cùm dicit, magnum & verum nomen beato Ioseph attribuit: quia si est vir Mariæ, est* PATER *Domini*.

§. II.

Nemo natus est in terra sicut JOSEPH, *qui Pater filii Dei dictus, & creditus est.* Bern. serm. 2. sup. missus.

c ORator disertissimus olim coram Philippo potentissimo Macedonum Rege, verba facturus, ubi laudum ipsius copia se obrui animadvertit, conversus ad invictissimum Monarcham, dixit: tacebo Philippe, magnificentiam & gloriam tuam: præteribo illustrem majorum tuorum prosapiam: silebo amplissimas regiones, ac regna, incredibili celeritate tuis armis subacta: silentii tenebris involvam quòd orbem universum tuo imperio subjugâsti: nihil dicam de palmis, trophæis, triumphis, quos de profligatis hostibus reportâsti, solum in supremam laudem tuam: *Hoc unum dixisse sufficiat*: FILIUM TE HABERE ALEXANDRUM: filium tam prudentem, tam potentem, tam magnanimum te habere Alexandrum. O gloriosissime Joseph! innumeri qua calamo, qua linguâ, in tuarum laudum præconia copiosè excurrerunt, regium tuum stemma, virtutum decora, corporis animíque ornamenta, supra omnes mortales extulerunt; at mihi cum oratore illo, hoc unum dixisse sufficiat: FILIUM TE HABERE DEUM; filium te habere infinitâ prudentiâ, infinitâ potentiâ, infinitâ clementiâ infinitâ opulentiâ, infinitâ bonitate & pulchritudine præditum, verbo unico, FILIUM TE HABERE DEUM. Atque hic, *d quis audivit unquam tale, aut vidit huic simile? æ*ternus ille Dei filius, Josephum sibi in patrem adlegit; inauditum hoc à sæculo, ut filio potestas & libertas sit, deligendi sibi patrem ex omni hominum genere, quem voluerit. Id si ulli mortalium per divinam potentiam, animæ v. g. à Deo, corpore nondum concepto, creatæ, concessum foret, num illa virum è vili stirpe, stolidum, deformem, perversum, parentem suum exoptaret? quin potius origine illustrem, ingenio solertem, specie venustum, moribus probum ac omnibus

a Eccl. 24. b Eccl. 40. c Sabellicus.

d Isaiæ 66.

mnibus corporis animique dotibus præstantissimum adoptaret. Ex quo quisque vestrûm facilè consequi potest, qualis quantusque Josephus habendus sit, quem æterna Patris sapientia, ipse Dei filius in Patrem assumpsit: *Conjice*, inquit Bernardus, *a ex hac appellatione, quâ meruit honorari adeo, ut* PATER DEI *& dictus & creditus sit, quis & qualis homo fuerit ille* JOSEPH. Qua sola prærogativâ tantum gratiarum, meritorum, sanctitatis, dignitatis est consecutus, ut omnes omnium Sanctorum merita (unam virginem si excipias) transcendere prohibeatur; quia ut ait S. Thomas: *b Deus unicuique Sancto confert sanctitatem, & gratiam ei muneri accommodatam, in quo illum constituit.* Idque S. Bernardinus de Josepho expressè asserit: *c Quando divina providentia aliquem ad singularem gratiam, seu aliquem sublimem statum eligit, omnia charismata donat, quæ illi personæ sic electæ, & ejus officio necessaria sunt, atque illam copiosè decorant.* d *Ut patet in Moyse, Iosue, Abraham, Isaac, & Iacob, David, & sic de aliis Prophetis. Patet etiam in novo Testamento in virgine benedicta, in Apostolis, Euangelistis, Doctoribus, & in Religionum Institutoribus. Quod maximè verificatum est in* SANCTO JOSEPHO, *qui ab æterno Patre electus est.* Quod ad Sancti hujus gloriam quantum contulerit, pluribus comprobabo, ubi nomen Patris non vanum & inane, ut nonnulli opinantur, sed privilegiis, auctoritate, potestate supra omnem paternam, refertissimum fuisse ostendero. Advertat Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 1. licèt Iosephus opinionem veri parentis solùm inter homines habuerit, qui Christi divinitatem, & admirabilem conceptionem ignorabant; appellationem tamen *Patris* non ab illis tantùm: sed etiam ab Euangelista, & ab ipsa etiam B. Virgine accepisse: Lucæ enim 2. dicit Deipara: PATER *tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* Et Euangelista dicit; *Erant* PATER, *& mater ejus, mirantes super his, quæ dicebantur.* Ex quo „ intelligi potest, inquit *e* doctis- „ simus Suarez, non sine sin- „ gulari Dei ordinatione, no- „ men hoc illi esse impositum: „ quia nec B. Virgo, nec S. Lu- „ cas absque speciali Spiritus „ S. instinctu locuti sunt. Cùm „ ergo æternus Pater summa „ sapientia, & providentia, „ hoc nomen sibi proprium, „ cum hoc viro communica- „ verit, satis significavit, ad „ quantam dignitatem eum e- „ vexerit, cum nomine simul „ officium, & curam paternam „ magna ex parte tribuendo. „ Itaque habuit affectum, so- „ licitudinem, & ut ita dicam „ *Patris auctoritatem.* Quid ul- „ tra dici, aut conferri homi- „ ni mortali potest? Probat ex „ eo, quia per verum matri- „ monium cum virgine con- „ tractum, quodammodo cor- „ poris ejus dominus effectus „ est, quia Paulus inquit; *Mu-* „ *lier corporis sui potestatem non* „ *habet,* „

a Bernardin. sermon. 2. super Missus. b S. Thom. ad Rom 8.
c. Suar. 3. tom. 2. disp. 8. sec. 2.
d S. Bernardin. tom. 3. sermon. de S. Joseph.

e Suar p. 3. tom. 2. disp. 8. sec. 1.

„ *habet*, *sed vir*. Hinc ergo factum est, ut fructus corporis „ virginei, quodammodo ad „ Josephum pertinuerit, ut enim dicitur instit. de rerum „ divisione §. cùm in suo solo: „ *quod in alieno solo nascitur*, *vel* „ *ædificatur*, *sub illius dominium* „ *cadit*, *cujus est solum*. Unde etiam si miraculosè in horto „ alicujus, fons nasceretur, illius „ esset, cujus est hortus. Quia „ ergo terra virginea, de benedictione Domini concepit, ad „ Josephum, cujus erat terra, „ fructus illius benedictionis „ pertinuit. Atque adeò filius Mariæ, fuit filius Joseph. *a O quãta dulcedine*, exclamat Divus Bernardinus, *audiebat Ioseph balbutientem parvulum se* PATREM *vocare*, Pa, Pa.

Ex quibus licet intelligere, intercessisse inter Jesum & Joseph, singulare vinculum mutui amoris, quem unquam filius patri dilectissimo, aut pater filio unigenito exhibuit, aut exhibere potuit, nam ut Rupertus ait: *b Spiritus S. paternum viro hujus, qui nascebatur infantis amorem, penitus infuderat*; qui omnem, quo unquam filii in parentes, aut parentes in filios flagrârunt amorem, longè exsuperavit: *c Non enim vehementior est natura ad diligendum, quàm gratia.* Vultis filialis amoris in patrem testimonia, vultis peculiaris favoris in Josephum argumenta producam? Hæc tanta sunt, ut omnia omnium Sanctorum longè antecellant.

d Quis non illud benevolentiæ signum stupendum existimârit, quâ Francisco Seraphico, & Magdalenæ de Ursinis concessum est, Jesulum in cunis vagientem, in excessu mentis attentiùs contemplari? Nec minus cœlestis favoris quis fortè duxerit, quo Theresæ de la Cerda, ordinis S. Dominici, videre licuit, sacris linteolis (corporalia vocant) jam lotis, & ad siccandum soli expansis, diligenter invigilanti, ne quæ muscæ inficerent, infantem Jesum virgineis ijs pannis insidentem, seque involventem? Verùm hæc Josepho quotidiana erant, toties illum in cunis, linteolis, in lectulo dormientem visit & vidit? & quod amplius est: *Arbitror & Ioseph virum Mariæ*, inquit *e* Bernardus, SUPER GENUA *frequenter illi puero arrisisse*.

Quis non se mortalium felicissimum dictitaret, & liquidissimis gaudiis totus difflueret, si speciosum illum præ filiis hominum, cum Simeone sene ulnis excipere, & complexu stringere daretur? *f* B. Ruffinus S. Francisci socius, totus in ectasim raptus, quia semel filium Dei in ulnis virginis conspexerat. At quis explicet, aut mente assequatur, quos amplexus, quæ basia Josephus divino huic infantulo, & hic Josepho reciprocè impertitus fuerit? Quoties, quàm tenero affectu, ultro in patris collum involârit, charisque suis brachiis strinxerit;

g Deque viri collo, dulce pependit onus?

Ubi illud mihi in mentem venit, potentissimos regni proceres

a Bernard. to. 3. serm. de S. Joseph. 2. 2. c. 2. b Rupert. in Matth. c 1.
c Amb lib de offic. ca 7. d Barry devotion. de S. Joseph.

e Bernard. Serm 43 in cant. f In vita Barrii cit. g Ovid. 2. fastor.

res gloriari; dum aureo vellere, quod è pectore appensum gestant, condecorantur; in hoc tamen illustrium equitum ordine, omnes uni Josepho longè concedere debent, qui non è torque aureo, vellus aliquod gemmis vermiculatum, sed è collo suo Agnum immaculatum, suavissimum Jesum divinis suis brachiis constrictum, pectori appensum gestavit:

a Deque viri collo, dulce pependit onus.

O sarcinæ pondus suave! ô onus verè leve! nullus unquam botrus è vite sua dependens, onus suavius esse potuit.

Hanc nos auream Josephi sortem, & supra omnes aurei velleris equites eminere suspicimus, & eò nos pertingere posse diffidimus; dum interim si æstimare velitis, non minores vobis favores Deus elargitur. Quid admiramini? an non vobis Agnum illum immaculatum, non è pectore gestare; sed intimo cordis sinu, quoties libuerit, stringere concessum est? At ubi fides, ubi amor, ubi ardor, ubi ille niveæ mentis candor, ubi virgineæ vestræ manus, os, oculi, quibus illum cum Josepho contracteris? Hæc à vobis filius virginis, & sponsi hujus, exigere perhibetur: *Si redemptor noster*, inquit B. Petrus Damianus, *b tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de virgineo utero nasceretur, sed etiam à nutricio virgine tractaretur, & hoc cùm adhuc puerulus vagiret in cunis: à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cùm jam immensus regnat in cœlis? mundis attingi manibus volebat in præsepio positus, quantam corpori suo nunc vult esse munditiam, jam in paternæ majestatis gloria sublimatus?* Sed pergo porrò: quantum Joannes Christo in deliciis fuerit, satis testatur breve hoc elogium: *Discipulus, quem diligebat Iesus*, qui supra pectus ejus in cœna recubuit; quem matri suæ dedit in filium: *c Mulier ecce filius tuus*. Ex qua appellatione colligunt omnes Sancti, singularem amorem, quo Christus Joannem complexus est, dum tanto honore affecit, ut nomen sibi proprium, cum illo communicârit; non vacuum nomen imponendo (quia opera Dei perfecta sunt) sed eum quodammodo in locum suum substituendo & erga matrem suam, singularem amorem, & curam tribuendo. Tum subdit Suarez: *Multo autem excellentior est parentis Christi, quàm filii virginis appellatio; non solùm quia patris appellatio majorem auctoritatem præ se fert; sed etiam, quia dignitas Christi, dignitatem virginis infinitè excedit.* Jesus quoque supra pectus Josephi non semel sed *d* toties recubuit, in ulnis toties requievit; eumque non solum ut Joannes Baptista digito monstravit, sed humeris innixum in Ægyptum fugiens, solicitudine paternâ præsentissimo discrimini subduxit. Quomodo autem intelligendum sit: *d non surrexit major Ioanne Baptistâ*, uti & de discipulis Domini dicitur: *e primum quidem Apostoli*, dissolvit Suarez, *f qui orbis universi magister*

a Ovid. 2. fast. b Dam. opusc. 17. c. 3.

c Suarez cit. sec. 1. d Matt. 11. e Biblioth. script. sect. f Suarez cit. sec. 2.

er appellatus est, dicens: Non » est, cur temerarium, aut im- » probabile censeatur, sanctum » Ioseph excipere, eumque A- » postolis comparare, vel e- » tiam præferre: quia probabile » est Iosephum perfectiorem » gratiam assecutum, quàm Io- » annem Baptistam, *quia excel- » lentius munus habuisse* videtur, » & majorem opportunitatem, » pluresque occasiones crescē- » di in gratia & charitate: quia » ut docet S. Thomas, Deus » confert gratiam ministerio, & » dignitati accomodatam.

In hac verò comparatione cum Apostolis non existimo esse temerarium, neque improbabile, *sed pium potius, & verosimile*, si quis fortasse opinetur sanctum Ioseph omnes gratiâ, ac beatitudine antecellere, *a quia probabile est, Iosephum perfe- » ctiorem gratiam assecutum*, at- » que ipsum munus, seu mini- » sterium sancti Iosephi, quate- » nus quodammodo est alterius » ordinis, posse dici Apostola- » tu perfectius.

Illud quidem fatendum, Apostolos per triennium in schola tanti magistri discipulos extitisse, suavissimâ ejus consuetudine usos & quos dixit Amicos, etiam mensæ suæ (quod ne magnatibus Regum contingit) adhibuisse. *b* Quam sigularem benevolentiæ significationem, etiam Ioannæ Galliarum Principi exhibuit, dum conviva ejus, lancem inferri fecit, quæ tria corda dulcissimi Iesu, virginis matris, ac Ioannæ sponsæ suæ continebat. Nec quis vestrûm expendit Iosephum per tot annos dulcissimum Iesum, ejusque matrem convivas habuisse, labore ac sudore suo eos aluisse. Quod si regnum cœlorum iis paratum est, qui haustum aquæ frigidæ, abjectissimis ejus famulis tribuerint, quid ni in regno cœlorum excelsissimum, & supremum in mensa Domini locum obtineat, qui eum domesticum suum tanto tempore habuit, & educavit? De quo enim tam propriè, quàm de Iosepho dici potest: *c Esurivi, & dedisti mihi manducare?* Ex quibus omnibus quidam sanctum Iosephum supra omnes Apostolos, & Angelorum choros, etiam cum corpore glorioso constituunt: ut videlicet eo ordine, quo à Matthæo cap. 1. nominantur: *d* IESUS, MARIA, IOSEPH, eodem in cœlesti gloria sedeant, & per- » fectione beatitudinis fruan- » tur: quia officio, & dignita- » te, & amore fuerunt con- » junctissimi; *e* sicut enim hu- » manitas Christi, eo abun- » dantiorem gratiam obtinuit, » quo propinquior fuit verbo » & B. Virgo, quæ proxima fuit » filio; ita existimatur S. Io- » seph, quasi tertium locum in » abundanti gratia obtinuisse, » quia post virginem propin- » quissimè attigit Christum, fa- » miliariusque tractavit, & sin- » gularem conjunctionem cum » illo habuit. *Quanto autem*, inquit Doctor Angelicus, *f aliquid magis appropinquat principio, in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principij; & sic, quod magis appropinquat soli*,

a Suar. cit. sect. 2.
b Barry devotione de S. Ioseph.

c Matth. 25. d Suar. cit sect. 2. S. Bernardin. tom. 2. serm. de S. Ioseph. a 3. e P. Morales in Matth. cap. 1. f S. Thomas 3. p. q. 27. a. 5.

soli, majorem claritatem, & illuminationem recipit: & quo magis appropinquat aliquid igni, fit magis calidum: & similiter aqua clarior, & purior profluit, quanto minus distat à fonte, & principio.

Quæ omnia evincunt, ut Iosephus gratiarum omnium fonti, & sanctitatis principio proximus fuit in terris, ita & conjunctissimum esse in cœlis. Atque hanc sublimissimam Iosephi in cœlesti aula gloriam, probat eximius ejus cultor, aliique, ex eo quod mater filiorum Zebedæi postulans, ut unus à dextris, alter à sinistris consideret, nihil ad libellum supplicem à Christo receperit: quia inquit *sedere à dextris, & à sinistris, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo,* atque hoc *paratum Iosepho & Marriæ.*

Unum superest, ut virum Mariæ, & filii Dei Patrem, omnia quodammodo, quæ in cœlo & in terra sunt, in manu sua habere paucis ostendamus, atque adeò, ut in quavis eum necessitate nobis propitium habeamus, omni pietatis cultu demereri, omni devotionis affectu complecti, omni venerationis signo prosequi studeamus, quia

§. III.

Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Ps. 104.

Themistocles dux Atheniensium, ex præpotenti amoris vi, qui omnia sibi facit obtemperare, sic argumentari solebat: *a* filius meus Diaphantus imperat matri, mater imperat mihi, ego toti Græciæ, ergo filius meus Diaphantus imperat toti Græciæ. Non omnino absimili modo, liceat mihi argumentari: Ioseph imperat Mariæ Matri Iesu uti uxori suæ; Maria imperat Iesu, ut filio; qui *fuit subditus illis*; Iesus autẽ imperat universis creaturis, quæ in cœlo, & in terra, igitur Ioseph quodammodo imperat universis creaturis, quæ in cœlo, & in terra sunt. O mirabilem, & ineffabilem Iosephi potestatem! *b* Vnde S. Ioannes Damascenus: *Maria facta est domina omnium creaturarum, cum omnium Conditoris facta est Mater.* Si ergo Ioseph superior fuit Mariâ, quia *caput mulieris vir.* 1. Corint. 12. ergo quatenus vir ejus, omnium creaturatum superior factus est.

Insuper dum Dei filium, ei subditum, Scripturâ testan-„ te cernimus, imperium Io-„ sephi quodammodo excede-„ re imperium Dei video: quia „ Deus creaturis, Ioseph verò ipsi imperat Creatori, *d obediente Deo voci hominis*; aliter quàm olim ad vocem Iosue solem sistendo. Nam quoties tibi, sanctissime Ioseph, *sol justitiæ* ad nutum tuum stetit, se movit, quievit.

Unde rectè concludit Gerson: *e Quanta fiducia Iosephi! quanta in eo vis imperandi! quia dum vir uxorem: dum pater filium orat, velut imperium reputatur.* De ipso itaque jure liceat

 usur-

a Plutarch. in vita Themist. b v Suar. cit. sect. 1. c Suar. cit. d Iosue 10. e Gerson. in Iosephina.

usurpare: *a* I T E *ad Ioseph*; *& quidquid ipse dixerit, facite.* Ipsum quippe *b constituit dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Quidquid vobis in corporis, animique bonis conferri desideratis, *ite ad Ioseph*; quia hi tres unum sunt, quidquid unus voluerit, omnes volunt: quidquid unus potuerit, omnes possunt, quoniam ille inter illos est, cui omnia dedit Pater in manu, cui data est potestas omnis in cælo & in terra. Quidni omnia modo possis, sanctissime Joseph, in cælo, per quem omnia, quæ voluisti, fecisti in terra? Profectò omnia illum posse, Seraphica illa virorum & mulierum mater, & Magistra Theresa docuit, *c* & experientiâ comprobavit: In patronum, inquit, & Dominum selegi gloriosum virum, Sanctum Josephum, ejusque me patrocinio unicè commendavi. Liquidò deinde perspexi, Sanctum hunc patrem, & Dominum meum tum ab hac me necessitate, aliisque majoribus, in quibus de animæ meæ & honore & perditione agebatur, liberâsse. Subdit, quod amplius est: *Nec memini me aliquid ab eo petiisse, cujus me compotem non fecerit.* Nam aliis Sanctis gratiam Deus dedisse videtur, ut in una necessitate invocantibus se, opitulentur; sed hunc gloriosum virum *ego experta sum,* in qualibet necessitate adjuvare & adesse. *Adeò ut Dominus nobis indicare velle videatur, quod quemadmodum illi in terra viventi subditus fuit, sic ei existenti in cælo, nil eorum, quæ petierit, deneget.* Quod etiam alii, quibus, ut ei se commendarent, suaseram, experti sunt. Deniq; hoc solum, inquit, ex amore Dei peto, ut quisquis mihi dicenti non credat, experiri velit.

Complurium hoc calamitoso tempore querela est, peculium exhaustum, penu vacuum, vacuos parvulorum ventres, qui petunt panem, & non suppetit ad frangendum; *d ite ad Ioseph*, ille copiosius frumentum quàm olim ille in Ægypto, vobis servat. Vos & parvuli vestri petite ab eo panem, *e qui panem vivum in cælo servandum accepit, tam sibi, quàm toti mundo*, & non fraudabit vos, à desiderio vestro.

Si qui fortè vestrûm calumniis impetiti, injuriis lacessiti, à potenti adversario litibus, dolis, ac falsis testibus oppressi, *ite ad Ioseph*; hic potentiùs apud filium suum, supremum Judicem, quàm olim Princeps apud Pharaonem: efficaciùs quàm quondam Tullius apud Deiotarum, non per dexteram dumtaxat, quam hospes hospiti porrexit; sed & per os, & oculos, & pectus & omnia misericordiæ viscera, quæ Josephi manibus toties commissa, perorabit.

Quicumque vestrûm fortè longo languore, acutis capitis, calculi, podagræ doloribus divexati, *ite ad Ioseph*, ille, qui verbo imperat, verbo unico vos restituet sanitati. Quos anxia cura, & solicitudo de liberis suis parentes excruciat non est, quod trepident, de salute corporis & animi securi sint,

a Gen. 41. v. 16. b Ps. 104. c In vita cap. 6.

d Gen. 41. e Bern. serm. 2. sup. miss. fus.

sint, si eos hujus sanctissimi sponsi tutelæ totos commiserint, qui amantissimum Jesum tantâ solicitudine Herodis furori intempestâ nocte subduxit, ac incredibili curâ in omnibus adfuit. Quocumque demum terrâ marique in discrimine vobis, aut liberis vestris versari contigerit, *ite ad Ioseph*, ejus auxilium implorate, & ilico etiam in rebus maximè desperatis, præsentissimum experiemini. Quod ut concludam, eventu mirabili, & maximè amabili comprobabo. a Julius Cæsar Recupitus de incendio Vesuviano, ubi duarum urbium cum populis suis, repentino flammarum vortice, eversionem enarrâsset, communem dolorem leniendum censuit faustâ commemoratione potentis tutelæ Josephi, quæ in pueri cujusdam incolumitate, inter tot clades eluxit. Rem ita subjicio, inquit, ut mihi spectatissimæ fidei sacerdos narravit, ex eorum familia, qui piè se ægrotorum servitio devoverunt, ab oculatis testibus veritatem diligentissimè perscrutatus: Herculani, urbe amplâ & opulentâ, mulier Camilla nomine, cùm inter fugam advenientes flammas vidisset, atque effugia interclusa, consilium ab ea cepit, quæ rebus extremis spem facit, desperatio. Saltu è rupe se projicit ad littus: & nepotem quinquennem, Josephum nomine, in ipsis planè mortis faucibus coacta relinquere, elatis ad cœlum oculis: *Sancte*, inquit, *Ioseph, tibi commendo Iosephulum*, nec plura. Mox tota in fugam incubuit, quàm celerrimè littus legens, timore pedibus alas addente, atque arenis vix hærente vestigio, ut periculum evasit, subiit jam sui securam prima cura puerulus, quem, quoniam rebatur jam mortuum, flebat primo ætatis flore demessum, & usurâ lucis defunctum, quam vix libaverat. Inter ejulatus, ac fletus, cùm devenisset ad pontem, sub quo inter ingentes fornices tenui Sebethus amne delabitur, compellari se sensit; eò conversa, unde notæ sonum vocis acceperat, Josephum videt suum, eumque sospitem, ac subridentem. Hæsit primò prope saxea præ stupore: tum recepto spiritu percunctatur, quis eò tam multis ereptum periculis perduxisset? Respondit alacriter puerulus: *Sanctus Ioseph* manu prehensum, per flammas medias, huc ocyssimè me duxit incolumem, ubi jam diu, te moror. Mulier puerum amplexata, mœrorem in gaudium, ejulatus in divinas laudes, fletum acerbissimum in lætitiæ lachrimas commutavit, altero feliciùs fonte deductas. *Ite* ergo *ad Ioseph*; sed ite magna cum fiducia, *ite* ea, qua par est virginis sponsum adire, corporis mentisque munditia. *Ite* summâ ad hunc cœlestis aulæ Principem humilitate. b *Ite* ad templa cultui ejus dicata; aras venerando, statuas ejus exornando, sodalitia frequentando: officia, litanias, rosaria, eleëmosynas, jejunia, aliaque pietatis opera in honorem ejus exercendo: peculiarem in cordibus vestris erga Josephum, affectum, constantemque amorem

rem

a pag. 25.

b P. Morales in Matt. c. 1. l. 1. tit. 1. n 23.

rem fovendo. a Ad quem nos inflammare posset Beata Margareta à Castro, Ordinis S. Dominici, quæ subinde torrente divinæ voluptatis velut ebria, in has voces erumpere audita est: *O si sciretis vos, quid ego in corde meo gesto, & retineo.* Quo de abscondito mysterio ut constaret, placuit à morte, peritæ chirurgi manu pectus aperire, & cor ipsum scrutari. Nec sine stupore amabili, in eo repertæ tres gemmæ prægrandes illæ, & miri splendoris. In prima visebatur imago expressa virginis longè pulcherrimæ; in secunda infantulus specie supra modum decorus. In tertia vir erat formâ spectabilis, ac majestate verendus. Et hæ cordi illius, ceu sacratiori tabulæ impressæ erant imagines, non aliâ manu, quàm summi artificis Dei. E quibus prima *Deiparam* utique referebat; Altera Infantulum *Iesum*; Postrema denique *Iosephum*, virginis sponsum, quos nimirum, dum viveret, in corde habuerat, hoc est in amoribus. Optandum omnino hæc sanctissima Trias *Iesus*, *Maria*, *Ioseph*, omnium vestrûm cordibus, indita videatur, si ejus aliquando contubernio in cœlis frui speratis.

a Balingem Kalend. 13. April. Penna in Vita.

FESTUM

FESTUM ANNUNTIATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quia respexit. Luc. 2.



—— *Quid Virgine figis in una,*
Quos mundo debes oculos? Ovid. l. 4. Met.

ARGUMENTUM.

ARgos hic vos omnes pervelim, ut mille, & mille oculis excellentissimæ Virginis formam intueamini: in qua contemplanda ipse Dei filius defixus hæret. Hanc ubi *respexit*, longè uberiori omnium cælestium donorum influxu, multoq; illustriori divinitatis radio complevit, quàm splendidus ille solis vul-

tus Lunam dum plenè eam contuetur. Quid porrò conferat, vel semel benigno divini Numinis oculo *respici*, mirabiles qui inde animorum motus exorti sunt, satis superque testantur. Nemo quippe tam ferus, tam ferreus, qui ad ejus conspectum non totus colliquescat. Quod si oculo fortè irati vindicis respici formidamus, ad Misericordiæ Matrem hodie recurramus, ut illa suos misericordiæ oculos ad nos convertat: nam *sicut omnis*, ó beatissima Maria, a *à te aversus & despectus, necesse est; ut intereat, ita omnis à te conversus, & à te* RESPECTUS, *impossibile est, ut intereat.*

a Anselm. de laud. B. Virg.

§. I. *Quia respexit.* Luc. 2.
§. II. *Gratia plena.* Ibidem.

FESTUM ANNUNTIATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quia respexit. Luc. I.

Elegantem olim formâ Virginem, fixo oculorum ac cogitationum obtutu, tam ardenter cælum contemplari solitam ferunt, ut mille votis expetierit, divinâ aliquâ metamorphosi, ipsa in cælum commutari; quæ vota & præfervida suspiria dum formæ illius amator & admirator tacitus observat, a aliud non minus nobile, imo ex cordis sinu desiderium expressit, dicens: ita ipsam omnium elegantiarum & gratiarum, corporis ac animi pulchritudine sibi animum occupâsse, ut nihil aliud in votis sit; quàm ut tot oculos quot stellæ cælo sunt, benigni superi sibi elargirentur, quibus diu noctuque nil in terris, præter hanc, quam deperibat, venustatem contemplaretur.

Ita vos hîc omnes Argos, totos oculos pervelim Auditores, ut Virginem nostram humanâ quavis formâ, longè præstantiorem, b *cælum illud splendidissimum, incomprehensum cælis, continens Deum*, omnium virtutum & gratiarum splendoribus, velut coruscantibus stellis vermiculatum, attentâ mentis contemplatione intueamini. Etenim ut ingeniosius juxta ac religiosius Poëta disertè cecinit:

a Plutarch. in enthol. græca. caussen. court. S. Tom. 4. tra. 13. sec.

b Epiphan. orat. 2. de Deipara.

a Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sidera cælo:

Hunc versum quatuordecim syllabarum, millies bis & vicies mutavit, iisdem prorsus verbis, sensu & metro servatis; ut de eo usurpare possim illud doctissimi Antistitis elogium: *b Hunc versum vel brevitate, vel veritate, tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur.* O admirandum voluminis compendium, novo prorsus & inaudito carminis miraculo! faciem mutat, & pulchritudinem servat, versus quidem mille viginti duo numerantur, & unicus est: *c* peritiores jam optici & Astrologi ad calculos cælum vocârunt, stellas numerare ausi, quas non plures quàm mille viginti duas censuerunt, eminentiores nempe ac cæteris magis conspicuas; alias quippe quam plurimas, luce claritateque indiscretè scintillantes cujusmodi & quæ viam lacteam sternunt, confusè oculis nostris objectas, mortalium quemquam numero complecti posse negavit ille, qui Abrahamo, *peritissimo*, ut Josephus & Eusebius tradunt, *Astrologo*, dixit: *Suspice cælum* (nocte videlicet innubi & sereno) *& numera stellas, si potes.* Quod quam illi, ut ajunt, ἀδύνατον fuit, per Prophetam dilucidè vaticinatur: *d Enumerari non possunt stellæ cæli:* cujus rei causam Africanum sidus adducit, dicens: *e Stellæ denumerari non possunt, quia nec omnes eas videri posse credendum est: nam quanto quisque acutius intuetur, tanto plures videt. Unde & acerrimè cernentibus, aliquas occultas esse existimatur. Exceptis his sideribus, quæ in aliqua parte orbis, à nobis remotissima oriri, & occidere perhibentur. Postremo quicunque universum stellarum numerum comprehendisse, & conscripsisse jactantur, sicut Aratus & Eudoxus vel si qui alii sunt, eos libri hujus contemnit auctoritas.* Mitto hîc aliorum Doctorum testimonia principum Philosophorum, *f* Aristotelis Græcorum, *g* Senecæ Romanorum suffragia, qui omnes cœlestium siderum calculum, inire impossibile, ac lucidissimas illas cæli faces innumerabiles esse, asseverant.

Tot tibi sunt dotes Virgo innumeræ prorsus, ac infinitæ, quas enarrare non humanæ, nedum angelicæ intelligentiæ est: Id enim vero, solito sui ingenii acumine, & propensa in Dei matrem voluntate Anselmus liberè ac libenter fatur, l. 8. de excellentia Virginis; IMMENSITATEM *gratiæ, & gloriæ, & fælicitatis tuæ considerare cupienti; O Virgo sensus deficit, lingua fatiscit.* Omnis hîc Doctorum solertia, omnis oratorum facundia conticescit: horum facilè princeps, qui humana & divina ingenio planè incredibili complexus est, in hoc immenso Marianæ laudis oceano, pro dignitate verbis velificari, aut exitum reperiri diffidit: *h Quid nos tantilli*, inquit, *quid actione pusilli, in ejus laudibus referemus? cùm etsi omnium nostrûm membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus.*

Quare

a P. Bahusius Puteani protheus. b Aug lib. 2. de civit. c. 21. c Vide Pererium in Gen. l. 2. q. 8. Bonfrer. in Gen. c. 15. d Hierem. 33. e August. lib. 16. de civit. c. 23.

f Aristot. in lib. de mundo ad Alex. & l. 2. de cælo tex. 6. g Seneca l. 6. nat. quæst. c. 26. g August. in Assumpt.

Quare Augustissimam hanc cæli Reginam, non tam laudibus exornandam, quàm vobis in silentio attentis auribus & comparatis animis contemplanplandam proponere decrevi.

Ecquid ne omnium ora, oculos animosque in Virginem convertamus, quæ ipsius summi conditoris Dei optimi maximi intuitum, nescio quibus gratiarum illecebris, & divinis quibusdam lenociniis ad se reflexit, in se provocavit, & quasi in hac universa cæli, terræque machina divinis oculis nil dignum occurreret, unam hanc Virginem hâc optatissimâ luce respexit. Sed ó magne Deus!

——— *Quid Virgine figis in una,* a
Quos mundo debes oculos?

Quo ex intuitu, quam cæli nuntius jam tum, divinarum gratiarum copiâ plenam salutavit, quanto deinde cælestium radiorum, ac opum affluentiâ locupletata fuerit, considerate.

§. I.

Quia respexit. Luc. I.

CEleberrimum illud non Africæ modo, sed totius Ecclesiæ lumen Augustinus, Marianum canticum illustrans, hoc verbum RESPEXIT expendens, solerter observat, RESPICERE plus aliquid consignificare, quàm aspicere, videre, intueri: est etenim RESPICERE ad id oculos, vultumque convertere, à quo prius eos deflexerat aut averterat. Atque ita propriissimè os, oculosque Deus ab hominibus omni flagitiorum genere contaminatis, averterat; donec tandem lapsis sex millium annorum sæculis, Dominus misericordiæ motus respexit: b RESPICERE *per gratiam, est prius abjectos & derelictos visitare; cum bona placatus per misericordiam subtracta restituit, rursum per* RESPECTUM *gratiæ ad eum se convertit.* c Quemadmodum verò prima causa aversionis superbia exstitit, sic & conversionis, & respectus in virginem, humilitas fuit, subdit enim: *d Bene ergo Maria solam in humilitatem Dominum* RESPEXISSE *testatur,* quia divinitas propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Erant alia in Virgine cœli decora atque ornamenta: Erat virginitas nulli secunda, erat obedientia singularis, erat fortitudo cedere nescia, erat fides altè radicata, spes erat inconcussa; Charitas erat Seraphinis ipsis æmula; & tamen ad hæc non videtur spectâsse numen, sed ad eam, quæ in Virgine erat, demissionem atque humilitatem. Crederes eam solam esse, in oculis, in amoribus, primisque cœli curis. Quod ipsum etiam cognoverat abjectæ in terras animæ & prope cœlestium inanes, gens in quam Judæa, quæ dum arctâ obsidione cingeretur, & in extremas deducta esset angustias sic ad Deum supplex venit: RESPICE *ad nostram humilitatem;* non saccum objecit & cine

a Ovid. l.4. metam.

b August. in Magnificat. c Benzon. in magnific. p.198. d Aug. cit. e Judith.

cinerem, quo tegi poterat: non gravioris pœnitentiæ flagella, quibus in se justè sævire: non effusas in egenos eleëmosynas, quibus cœlum emere, cœlique gratiam: non holocausta & victimas, quibus superos flectere, & Numen sibi propitium reddere; sed unicam fatiscentis animi demissionem ac humilitatem, quæ unica in oculis divini Numinis incurrisse, ad quam solam RESPEXISSE, videtur. RESPEXIT Deus, non vestem, non formam, non stirpem, non commendationem, non munera (ut homines solent) quid ergo quærit Hipponensis Doctor? qui perinde ac si cœlestem Virginem coram alloqueretur, affectu præcipuo, sic eam compellat. *a* Dic mihi, ô Mater Sancti Sanctorum, quid quæso boni egisti? quid donorum obtulisti? quos patronos adhibuisti? per quos Reges ambiisti? quâ cogitatione, quo spiritu, eò pervenisti, ut venerit in uterum tuum Dei filius, ut Mater Dei, Regina cœli, mundi Domina efficiaris? Virginis responsum subnectit: Quæris à me, quod munus obtulerim, & unde sum effecta Mater Creatoris? RESPEXIT Deus non munera, non patronos, non commendationes, non alia, quæ mihi contulit, copiosè gratiarum dona, *sed humilitatem Ancillæ suæ.* Nullum porrò divinis oculis gratius objectum, nullum amœnius spectaculum, nullus hortorum viror, florum aut cujusvis venustatis color gratior potest obversari; ut gravissimus Auctor Hugo Cardinalis testatur, dum illud psalmi 137. *Excelsus Dominus & humilia* RESPICIT, & alta à longè cognoscit, sic divinè ad mores traducit: *Humilia* RESPICIT *oculo misericordiæ, quia humilitas est* COLOR *oculis Dei gratissimus.* Unde & per Isaiam ait: Super quem RESPICIAM? Super pium, sobrium, mansuetum, misericordem, castum? minime; sed *super humilem.* Hisce quidem speciosis virtutum coloribus, virgo enituit; at humilitas divinos oculos, & Deum ipsum è cœlo devolare fecit: *b Castitate placuit, humilitate concepit* penitius, vocis hujus RESPEXIT, energiam sacri interpretes scrutati, legunt & intelligunt: RESPEXIT NIHILEITATEM *ancillæ suæ.* Hæc divi Bernardini, Seraphici ordinis doctrina est: *Sic à principio*, inquit, *c mentem ejus* (Mariæ) *in abysso humilitatis fundavit, quod sicut nulla post filium Dei creatura tantam ascendit ad gratiæ dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ: Nec insuper alicui pura creaturæ in hoc sæculo est datum, tantum gustare* NIHILUM *creaturæ, nec tantum se humiliare & ANNIHILARE*, sicut Mariæ; & infra art. 3. cap. 2. *affuit ei aspectus suæ propriæ* NIHILITATIS, *eo quod continuo habebat actualem relationem ad divinam Majestatem.* Non incongruè profectò: Teste quippe philosopho, *d locus debet proportionari locato*; unde immensam illam divinæ Majestatis abyssum, abyssus altera nihileitatis dumtaxat capere, & complecti

a Drexelii rosæ p. 2. c. 4.

b Bern. super Missus, Serm. 4. c Bernardin. tom. 2. Serm. 51. a. 1. cap. 3. d Arist. l. 4. phys. c. 6.

cti poterat. Hanc itaque nihileitatem dum amat, suspicitque V. Beda, ad illa verba, *fecit mihi magna*, pronuntiat: *a Magnum, quia Virgo; magnum, quia Mater; majus, quia utrumque; maximum, quia Dei Mater; majus, quia, cùm tanta sit, putat se nihil esse.* Adeò ut qui omnia ex nihilo creavit, omnia quodammodo ex nihilo, hoc est, ex profundissima virginis humilitate, qua se nihilo in conspectu Dei ducebat, recreavit. *b* Ad hanc abyssum DEUS RESPEXIT: RESPICIT *Mariam, & infundit gratiam.* Hinc facta est, ut Damascenus loquitur, *c abyssus gratiæ*; quam ubi ipsum divinitatis numen complevit, facta est *d abyssus immensarum Dei perfectionum.*

Miramini fortasse mortales, vani & inflati, homunciones, oculos Domini à vobis aversos, in promptu causa, vaticinante prophetâ: *e non* RESPEXIT *in vanitates, & insanias falsas*; non RESPEXIT in cincinnos capitis, in syrma vestium, in stridorem calceorum, in luxum, & lasciviam puellarum. Mirantur fortasse hæ trossulæ, *f* ut *saltatrices* templa frequentantes, & Deum vindicem propitiantes, non exaudiri se mirantur alii magnificè cum Pharisæo perorantes: *Non sum sicut cæteri hominum*, preces suas despici; nec attendunt verissimum illud Regii psaltis pronuntiatum; *g* RESPEXIT *in orationem humilium.* Hieronymus vertit RESPEXIT in orationem *hominis inanis vel vacui.* Ingeniosè ad institutum nostrum, ut ex hac apposita similitudine facilè dijudicare poteritis: Est musices peritus, qui organum, clavicymbalum, cytharam, testudinem, tibiam, fistulam, aliudvé instrumentum musicum, digitis pulsare, voce inflare, concentum aliquem argutum modulari tentat, dumque singula explorat, nescio quid absonum, dissonum, hiulcum, obtusum audit resonare; Penitius quid vitii, aut obicis sit indagans, deprehendit organum, aut clavicymbalum centonibus oppletum, testudinem ac cytharam chartis refertam, tibiam ac fistulam intus variis quisquiliis plenam. Haud aliter usu venire consuevit: Hîc orationi cytharam (ut cum Gregorio loquar) aut organum pulsaturus accedit, & fœdis animum centonibus (*vodden*) occupatum habet: Alter caput litibus, codicillis, apochis, aliisque chartis repletum: alii curas familiæ, domestica negotia, rumores forenses, precationibus infarciunt. Hæc omnia evacuanda, animus his omnibus vacuus ac inanis sit, necesse est; requiruntur *h* hic *vasa vacua non pauca*, si pretioso gratiæ liquore, si cælestis consolationis oleo replere exoptamus; qua super re melleum Doctorem differentem audite: *i Unde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? profectò nec avarus, nec inops est gratiæ distributor; sed ubi vasa vacua desunt, stare oleum necesse*

a Beda in cap. 1. Lucæ. b Bern. Serm. 51. in cant. c Damasc. orat. 2. in assumpt. d Chrysost. in hort. anim. e psalm. 39. f Chrys. hom. 8. in Epist. 2. ad Titum. g psal. 101.

h 4. regum 4. i S. Bernard. Serm. 6 de Ascensione.

esse est. Undique se ingerit amor mundi, per fenestras irruit, mentem occupat. Præoccupatum nempe sæcularibus desideriis animum, delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus; summa imis; ut pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram.

In vas immundum, acidum, fœtidum, pravo liquore tinctum, quodcunque infundis, acescit & corrumpitur. Pretiosus balsami liquor, nauteæ: Generosum vinum, muriæ: Aqua vitæ, cynnamomi aut alius præstantissimus succus, absynthio misceri non poterunt. Ita nec vera vanis, æterna caducis spiritualia corporalibus. Quantum cælestis roris in animum admiserit, tantum vani aëris, & futilis auræ exhalati comperies, quique ad summum repleri gestiunt, planè se vacuos reddere nitantur: *a Nam vacuæ mentes exuberante gratiâ, usque ad summum re[...]entur: atque multorum corda, quæ prius fuerant, vacua vascula, unguento Spiritus plena sunt.*

Qua propter vento & vanitate turgidi; *b exinanite, exinanite,* quicuncque vestris lucubrationibus vanum vobis nomen parere studetis; quicuncque casti, sancti, cati, prudentes audire, & digito monstrari vultis: quicuncque dignitates, prælaturas, præturas, animo versatis, quicuncque linguæ, vel calamo popularis auræ plausum aucupamini, *exinanite, exinanite:* hæc studia *exinanite*, has cogitationes *exinanite*, hæc omnia vana desideria & vota *exinanite*, *c* modestiam magnæ Matris æmulamini, *quæ* EXINANIVIT SE *exemplo filii sui, formam Ancillæ accipiens.* Quod quo efficacius facere valeamus, clamemus ad Dominum, ut miserias nostras oculo misericordiæ respiciat, & illud Regii psaltis usurpemus: *Domine,* RESPICE *in me, & miserere mei, quia oculi tui multo plus lucidiores sole*; hi tenebras discutere, hi lucem affundere, hi divinitatis radios in corda mortalium solent evibrare. De Cæsare Augusto scribit Suetonius, fulgorem quendam oculis ejaculari solitum: *d Oculos,* inquit, *habuit claros & nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris: gaudebatque si quis sibi contuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum submitteret:* cùm enim in militem aliquem Cæsar fortiùs respexisset, atque ille quasi radiis perstrictus, oculos dimisisset, ab Augusto causam rogatus; respondit: quia fulgorem oculorum tuorum ferre non possum; quod ille fortè adulandi animo, & assentandi studio; hoc de Christi oculis, ex vero pronuntiavit *Hieronymus*; *e igneum quiddam, atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas relucebat in facie* Quæ autem hisce radiantibus oculis vis, quæ virtus fuerit, & vel semel iis respici, quid vicissitudinis, & cœlestis catastrophe contulerit, auscultate.

f Benignissimus redemptor noster *vidit hominem sedentem in telonio.* Ecquibus quæso oculis? aureè

a S. Gregor. in Ezech. hom. 2. v. Sanctium in lib. reg. l. 4. c. 4. b Psal. 31.

c Richard. à Sancto Laur. l. 4. sub init. d Sueton. in vita Cæsaris. e Hieron. in Matt. c. 21. f Matt. 9.

aureè hic præsul Ravennas : *a Vidit hominem Iesus, sed plus divinis oculis, quàm humanis,* generis nobilitatem, opum affluentiam, vestium elegantiam, sæculi potentiam, non attendit, non æstimat, non respicit divinis oculis, quò solùm prope mortalium oculi collimant; sed vidit *hominem*, dicit Euangelista, *non dicit Matthæum*; additque, *sequere me. non dixit, affer ad me: quia Matthæum, non Matthæi sacculos quærebat.* Auri fulgor Matthæi oculos in telonio sedentis detinebat, quem ut vidit Dominus, ita Matthæum perstrinxit, ut ad omnia humana caligaret; solum Deum agnosceret : *Vidit illum Deus*, inquit Chrysologus, *ut ille videret Deum.* O vim! ô virtutem oculorum Domini! Vidit hominem avaritiæ sordibus immersum, vidit in scelerum luto volutantem, vidit in densa hujus mundi nocte cæcutientem : *b Vidit ille hominem, ut peccata hominis non videret.* Quid mirum omnem animi noxam, quæ nox est, ilico evanescere, ubi *c oculi Domini multo plus lucidiores sole,* in eum evibrantur? *d Vidit illum Dominus misericordiæ oculo, ut peccata hominis non videret*; blandæ Matris indulgentiam æmulatus, quæ in filio, quem nimio amore deperit, nævos & maculas, non videt: aut si videt, dissimulat, & connivet.

e O Domine Jesu, hoc benigno oculo me dignare, RESPICE IN *me, & miserere mei.* Hæc ardentissimè, & subtilissimè aliquando divinus doctor Augustinus expendit: *f De Deo, divinus* RESPEXIT *me*; quid est, *respexit me, antè enim te non videbat? aut rursus attendebat, & precibus tuis commotus est, ut in te oculos mitteret? videbat te & antè, sed,* RESPEXIT *me, dicis, dilexit me.* Et *homini, qui te videt, & rogas eum, dicis, ut misereatur tui,* RESPICE *me: videt te, & dicis,* RESPICE *me. Quid est,* RESPICE *me? dilige, attende, miserere mei.*

O Domine Iesu, quantum interest à te respici, & ab homine! respicit te homo, & si splendidum, opulentum, fortunis, honorum titulis affluentem videt, unà etiam invidet; Respicit te homo, & si plebeium pauperculum, imperitum, calumniis oppressum, de gradu dejectum videt, ilico despicit. Aliter profectò ille, qui præcipit : *g ne* RESPICIAS *Vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum : nec juxta intuitum hominis ego judico.* Respicit te salax mulier, & nescio, quem oculis suis fascinum menti ingerit. Alias longè faces, alias amoris flammas, omnium bonorum affluentias, divinæ benignitatis radios, oculi Domini, multò plus ardentiores sole, ejaculantur. Ante faciem solis, vides nivem colliquescere, glaciem resolvi; se[d] oculi Domini, faciunt & jam saxa liquescere, rupes mollescere. Supra omnem glaciem & crystallum, in durissima[m] petram, pectus Petri obriguerat : RESPEXIT, *dominus Petrum*, & derepente omnem duritiem emolliit, omnem rigorem instar nivis, ac cera[e] in amarissimas lachrimas [fe]c[it] col[...]

a Chrysolog. Serm.28. b Chrysol. cit. c Eccl.23. d Chrysol. cit. e Psalm 24. f Aug. in Psalm 65.

g 1 Reg 13.

colliquescere: magno quippe teste *a* Gregorio; *cordis duritiem, cùm* RESPICIT, *emollit*. O vos obdurati corde, & animo insensibiles! Hunc Dei oculum in vos provocate, hic solus *insensibilitatis nostræ duritium, cùm* RESPICIT, *emollit*. *b* Quid septentrionali frigore, Schyticis nivibus, cor Magdalenæ constrictum, resolvit? audi, quid de ea cantet Ecclesia.

Pater superni Luminis,
Cùm Magdalenam respicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque *solvis pectoris.*

Vides turbine, aut grandine prostratas segetes, vides flores, fructices recens plantatos marcescere, & capite demisso languere, ac deficere: sol oritur, & omnia eriguntur. Iacebat Petrus prostratus, & oculo erectus est, cecidit Iudas, & ne osculo commovetur, unde altiorem vim oculorum Dei. S. Leo *c* considerans, exclamat: *Vt Petrum* RESPEXIT, erexit. Non unus cum Petro, in terram dejectus, oculo Domini erectus est, hoc primæ veritatis testimonium est, Eccl. 11. *Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Domini* RESPEXIT *illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus, & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum.* Mediolanensis Antistes *d* Amb. lib. de Apolog. David. c. 8. Verba sponsæ: *Nolite me considerare, quod fusca sum, quia decoloravit me sol.* Cant. 1. sic legit: *Nolite aspicere me, quia obfuscata sum, quia non est intuitus me sol.* Haud aliter Petrus usurpare potest, nolite mirari, si formæ pristinæ venustas abiêrit, sol suam lucem subduxit. *Ergo obfuscamur*, dicit Amb. *quando non videmur à Christo*; sed *quando videmur, albescimus*; quemadmodum sinum soli expansum. Hinc si Petrum percuncteris: unde ista animi labes, mentis fœditas, ut Magistrum negaveris? rectè respondebit: *non est intuitus me sol*; qui ut respexit, ilico dealbatus est. Plus dico, non ea vis solis est, ut aspectu suo orbem concutiat, & terræ motum inducat, quemadmodum conditor solis, vel oculo dumtaxat *e* RESPICIT *terram, & facit eam tremere.* E purpuratorum senatu doctor egregius B. Hugo *f* sic exponit: RESPICIT *oculo misericordiæ terrena corda, & facit ea tremere*, per timorem sanctum, & salutarem; facit ea tremere sub potenti manu Dei, facit saxea corda cum tremore se subdere, & subjicere cum omni humilitate ad pedes Redemptoris. RESPICIAT te, optat *g* Augustinus, & *faciat te tremere*: *Melius enim est tremor humilitatis, quàm confidentia superbiæ.* Principi Ionathæ res satis mira accidit, præruptam & acclivem rupem subeunti. 1 Reg. 14. Enimvero in rupis vertice, offendit Philistæorum manum, animis efferatam, vultibus truculentam, armis formidandam, quid ulterius? Uno armigero stipatus per confertissimos hostium cuneos erumpit illæsus: *O miraculum*, exclamat

a S. Greg. l. 8. mor. cap. 8. b Greg. cit. c S. Leo hom. 9. de passione. d Amb.

e Psal. 103. f Hugo Cardin. in Ps. 103. g Augustin. in Psal. 130.

mat scriptura, quid deinde? sine hasta, sine clypeo, sine gladio, horrendam edidit stragem: *O miraculum incredibile!* inermis prostravit armatos, & profligavit; Miraculum sanè, & iterum miraculum, maximè admirandum: quis tamen perpetravit? 70. verè explicant: *Videbant contra faciem Ionathæ, & cadebant*; ac si fulgor oculorum, quòd ex oculis principis emicabat hostes pavidos, ac trementes prosterneret. Quis autem nostri principis aspectus? quæ facies? qui oculi? ii profectò, qui amorem concilient, qui vitam non auferunt, sed conferunt, ut scitè Ambrosius in psalm. 45. *Ejus aspectus, salus nostra est.* Quare clamet quisque ad Dominum: *a Lumine tuo aperi oculos meos, quando possum videre te, nisi* RESPEXERIS *me?* Hæc hactenus longior, quàm putarem, ad mores velificatio. Nunc denuò oculos, animosque in Virginem convertamus, & ex dictis concludamus, si homines vanos, flagitiosos, gravissimos peccatores, saxea corda, vel uno oculo divina bonitas respiciens, adeò immutavit, emolliit, tantam iis lucem, ac gratiæ ubertatem contulerit; quantam omnium cœlestium donorum, abundantiam, Matri suæ ab æterno electæ, ac prædilectæ, Dei filius communicârit.

§. II.

Gratiâ plena. Luc. I.

Splendidum illud divi Richardi, *b* Mariam filio Dei conferentis encomium est, *nihil tam simile soli, quam luna:* Unde quæso hoc, quomodo, quando, quare? quia sol, quem mundi oculum appellant, eum radiis directis, nullo obice interposito RESPEXIT; quo luna plena, orbe pleno, luce plena, candore plena, influentiis plena, & *c lux lunæ, sicut lux solis* constituitur, atque usque eò illustratur, ut Aristoteles *d secundum solem*, & quasi alterum de numine numen, gloriosissimè resplendens, ac longo intervallo cætera astra antecellens, compellare non dubitavit; quod peritissimus naturæ interpres *e* confirmat, dum lunam, *orbe pleno immensam* pronuntiavit. Hæc potiori jure B. Petrus, S. R. E. Cardinalis *f* Damiani, Virgini Matri accommodat, dicens: *Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen & magnitudine praeminet, & splendore: sic utramque naturam Virgo singularis exsuperat, &* IMMENSITATE *gratiæ, & fulgore virtutum.* Quam gratiæ plenitudinem, & quandam quasi immensitatem, quo melius anima complecti valeamus, disquirendum est, quo in statu, rerum omnium conditor Deus lunam creârit, an in novolunio, an verò in plenilunio? Priori sententiæ accedit *g* Augustinus, ratione ductus hâc philosophicâ, quòd natura semper incipiat ab imperfectiori, ac sensim ad perfectionem perducat; ita non abs re esse, si *Deus imperfecta fecerit, quæ postmodum ipse*

a Aug. Serm. 121. de Temp. b Richard. a S. Laurent. l. 7. de Laudib. Virg.

c Isaiæ 30. d Arist. l. 4 de generat. animal. c. ultimo. e Plinius l. 2 c. 9 f Pet. Damiani Serm. de Assump. Virg. g S. Aug. de Genesi ad lit. lib. 2, c. 15

ipse perfecerit. Alteram partem, cum aliis plurimis amplectitur *a* V. Beda, *b* Albertus Magnus ejusque *c* maximus discipulus, doctor Aquinas, qui 1. p. q. 70. a. 2. ad 5. docet, *quod luna fuerit facta plena, sicut & herba facta sunt in sua perfectione, facientes semen* (non enim glans sed quercus creata est) *& similiter animantia, & homo, non infans, sed vir perfectus à Deo conditus est: licet enim naturali processu, ab imperfecto ad perfectum deveniatur simpliciter; tamen perfectum prius est imperfecto,* & omnipotens manus omnia primùm modo maximè supernaturali, ex nihilo produxit.

Haud aliter, dum altissimus è cœlo in terram prospexit, & Divinitatis suæ oculos in eam, quæ *d luna est perfecta in æternum,* direxit, quamque sibi in matrem ab æterno delegit, convertit, primo conceptionis instanti, divini fulgoris radiis circumfusam, & gratiæ candore plenam fuisse, & SS. Patrum, & Ecclesiæ convincit auctoritas. Ad quam veritatem stabiliendam, doctissimus *e* Suarez docet, accommodari illud Psalm. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*; quia, inquit, fundamenta sanctitatis virginis, posita fuerunt, ubi alii Sancti consummantur; in eundem sensum exstat irrefragabile magni Gregorii testimonium, qui lib. 1. Reg. cap. 1. hoc Isaiæ vaticinium: *Et præparatus mons Domini, in vertice montium,* sic exponit: *Potest hujus montis nomine, beatissima Virgo designari. mons quippe in vertice montium, fuit beatissima Virgo Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit.* Quia plenitudo gratiæ, quæ in aliis fuit finis & terminus, illi initium ac fundamentum fuisse videtur, ait Suarez; Ratio verò propria hujus conclusionis, ex D. Thoma desumenda est, ut festo conceptionis tractavimus, & ex B. *f* Laur. Justiniano: quia beata Virgo, in instanti suæ sanctificationis, ut futura Dei Mater, plus amabatur à Verbo, quàm ullus Angelus, vel homo (qui in gratia creati) sed gratia respondet amori, ergo. Apertè idem sentit celeberrimus, ac sanctissimus Ecclesiastes *g* D. Vincentius, expendens illud Ps. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Ubi sic ait: *Fluminis impetus, quia totum flumen divinarum gratiarum effusum est, super eam in sanctificatione. In sanctificatione aliorum Sanctorũ, infunditur una gutta gratiæ divinæ* (si cum plenitudine Mariæ conferatur) *at in Virgine Maria, fluminis impetus* sic tandem concludit: *creditur, quod eâdem die* & horâ (quâ nimirum fuit concepta) *fuit sanctificata super omnes Sanctos, & Sanctas, & etiam Angelos.*

Memoria repetite, si placet, quanta fuerit gratiæ copia divinitus concessa, priscis ante legem, atque in ipsa lege patribus: quanta deinde sanctissimis Apostolis, quanta Martyribus,

a Beda de ratione Temp. b Albert. M. 2. p. summ. tract. 1. q. 59. c S. Thom. 1. p. q. 70. a. 2. d Psal. 88. v. 38. e Suares. 3. part tom. 2. disp. 4. q. 27. a. 1.

f B. Laur. Iustinian. Serm. in Nativit. Virg. g S. Vincentius Serm. 1. de Nativit. Virg.

ribus, atque ut compendio dicam, quanta tot sanctorum hominum millibus, quanta tot millibus Angelorum. Ea sanè omnis in cumulum, & in unam animam collecta, quàm ingens (fides superûm) illic vis, & quædam quasi immensitas! At unius tamen virginis, non dico exeuntis è vita, sed ut gravissimi Theologi stabiliêrunt, primo conceptionis momento, major exstitit gratia.

Ex quibus facile conficies, si tanto cœlestium donorum fulgore, in ortu suo, quasi in plenilunio gratiarum creata, Virgo præ omnibus Dei Sanctis refulserit, quanta in singula momenta gratiam accumulando, atque exinde ipsum gratiarum fontem, Deum complectendo, plenitudine redundârit.

Unde lacteus Virginis Alumnus pulchrè addubitat, quo pacto Angelus Deiparæ dicat: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, quam pridem gratiâ plenam consalutârat? *superius dicta est*, a inquit, *fuisse gratiâ plena, & nunc quomodo dicitur, Spiritus Sanctus superveniet in te? numquid potuit repleri gratiâ, & necdum habere Spiritum Sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? si autem iam Spiritus Sanctus in ea erat, quomodo adhuc tanquam noviter superventurus repromittitur? an forte ideo non dixit simpliciter*, veniet, *sed addit* super? *quia prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam?*

b Hanc porrò gratiæ plenitudinem, è triplici fonte uberrimè scaturire comperio. Ac primùm quidem omnia dona Spiritus Sancti, in candidissimam hanc animam infusa, Rupertus c fatetur: dum super illud Cant. 1. *Ecce tu pulchra es, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*, sic ait: „Pulchra (ô Maria) decore virgineo, pulchra „Unigenito filio, adhuc addo „illud pulcherrimum: *Oculi* „*tui columbarum*. Quinam sunt „oculi columbarum, nisi dona „septem gratiarum? isti oculi „mei, sunt oculi tui, oculi co- „lumbarum, oculi omnium „gratiarum: omnium quippe „gratiarum vel spirituum tu ef- „fecta es particeps, ex quo me „castis visceribus suscepisti.„ Expressius d B. Petrus Damiani serm. 2. in nativit. B. Virginis, dum ei accommodat illud Proverb. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*, sic ait; *Septem namque virginalis hæc domus, suffulsa columnis extitit: quia venerabilis Mater Domini, septem Sancti Spiritus donis, id est, sapientiæ, & intellectus, consilii, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, atque timoris Dei dotata est.* Ex eodem fonte derivat doctor gentium, divisiones gratiarum, quas Deus non omnes singulis, sed pro voluntate sua in varios per partes dispersit: *Alii*, inquit, e *datur sermo sapientiæ, alii prophetiæ, alii genera linguarum, alii gratia sanitatum*; in Virgine, omnium divisionum rivos, seu gratiæ gratis datæ confluxisse, & f D. Athanasii, & g D. Thomæ & h D. Hieronymi, quem hîc audire suffe-

a S. Bernard. ferm. 4. super Missus, b 1. plenitudo gratiarum.

c Rupert l. 1. in cant. c. 1. d B. Pet. Damian. serm. 2 in Nat Virg. e 1 Cor. 12. f Athan. serm. de deip. g 3. Th. 1. p. q. 27 a. 5. h S. Hieron. serm. de Assumpt. Virg.

ſuffecerit, ſententia eſt: *cæteris per partes præſtatur, Mariæ autem ſimul ſe tota infudit gratiæ plenitudo.* Gratiâ linguarum ſub primis Eccleſiæ incunabulis, Apoſtoli cunctis gentibus admirationi fuêre, quâ & ſuperiori ſæculo, novus Indiarum Apoſtolus Xa verius claruit: dono prophetiæ Bernardus, Dominicus, Ignatius excelluêre. Gratiâ ſanitatum alii celebres fuêre; Apollonia dentium, Agatha uberum, Lucia oculorum; Godoleva gutturis dolori medetur. *a* Sic Antonius de Padua pro rebus perditis, Alexius pro filiis erronibus, Gertrudis contra glires, Rochus pro peſte, Barbara pro fœlici morte invocantur. Hi ſingulis malis medentur, Maria omnibus. Hoc Alberti magni, & ipſius *b* Antonini judicium eſt, qui ſic ait: *Concludit igitur Albertus, quod univerſitatem gratiarum gratuitarum, & gratis datarum omnifariam habuit.*

Ad hanc itaque *c Medicinam mundi*; quâcuncque infirmitate detenti recurrite: Maria non modò quoſvis morbos curare, mortem depellere, ſed ipſos mortuos ſuſcitare, imò & ab inferis valet revocare; ut apud *d* Mendoſam noſtrum doctè & diſertè tractantem, videre eſt.

Alterum *e* fontem, & theologicarum, ut ajunt, & moralium virtutum, novimus Spiritum Sanctum in varios derivaſſe: Abraham fide, Moyſes manſuetudine, Elias zelo, Job patientia, alii aliis virtutum ornamentis excelluêre.

At in Maria *tota ſe plenitudo omnium virtutum infudit*: Ubi enim Deum utero concepit, tunc ait *f* S. Athanaſius, *deſcendit Spiritus Sanctus in Virginem, cum omnibus ſuis virtutibus eſſentialibus, imbuens eam gratiâ, atque idcirco gratiâ plena cognominata eſt: eo quod impletione Spiritus Sancti, omnibus gratiis abundaret.*

Enumerat *g* Toletus præſtantes in veteri lege fœminas, ſingulas aliqua virtute præpotentes, Abigail prudentiâ, inquit, „Judith fortitudine, Ruth ho- „neſtate, Anna religione, Ja- „hel ſapientia, Eſther chari- „tate proximi, &c. at in vir- „gine, inquit, omnium vir- „tutum Excellentiæ collectæ „ſunt. Ab hac Magiſtra virtu- „tum, iracundi manſuetudinem, laſcivi caſtimoniam, queruli patientiam, puſillanimes fiduciam, cæteriſque morbis animi quiſque medelam inveniet: nam ut de ea ſuaviſſimè *h* Bernardus: *Quod vel paucis mortalibus conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari, tanta virgini fuiſſe negatum, quæ à nullo illuſtrium Sanctorum excellitur in privilegiis, gratia.*

Unum jam ſupereſt, *i* cùm tanta ſit Virginis Matris, & gratiarum & virtutum plenitudo, ut omnes omnium cœlitum, ac beatarum mentium dotes ac merita, in unum collecta, non modò adæquet, ſed infinito prope intervallo antecellat. quanta illa extiterit & redun-

a V. Suarez 3. p. tom.2. diſp. 20. ſec 1. &c. *b* Antonin. 4. part. tit. 15. c. 19 *c* Bonav. in Pſal. 50. *d* Mendoſæ viridar. lib. 2. problem. 5. *e* 2. plenitudo.

f S. Athan. ſerm. de deipara. *g* Toletus in Lucam c.1. annot. 67. *h* Bernard, epiſt. 174. *i* 3. plenitudo.

redundârit, ubi duos & septuaginta annos, continuis actibus majorem semper ac intensiorem gratiam accumulavit, ubi nescio, quod cœleste prodigium seu ostentum Ecclesiasticus proponit, dicens: *a Luminare, quod minuitur in consummatione*, quasi quid minuendo perfici ac consummari posset. Acutè Richardus à S. Laurentio: *Luminare, quod minuitur in consummatione, de Maria intelligo: minuitur, id est, humiliatur, & non decrescit; quasi diceret Sapiens: cùm audisset Maria tantam sibi promissam celsitudinem, quod fieret Mater Dei, seque per humilitatem nominans Ancillam minuisset, ex hoc consummata est; & facta* LUNA PLENA: *quia in hoc verbo concepit filium, crescens mirabiliter in consummatione.* Nullum unquam defectum aut deliquium passa, sed *luna perfecta in æternum*, & tum vel maximè, dum se minuit ac humiliavit, gratiâ & virtute excrescens. Errat profectò, errat, qui maria ac flumina decrescere fortè existimârit, dum radiis solis illustrata, rariores vapores in cœlum emittunt, cùm eos illic condensatos *agmine dulci*, & cum fœnore nubes refundant; & ipsa, quæ in mare refluunt flumina, aut ad suum fontem recurrunt, uberiori copiâ revertuntur. Bonav. in Speculo virg. c. 3. illud Eccles. 1. *Omnia flumina currunt in mare*, sic exponit: *Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam; flumen gratiæ Angelorum intrat Mariam: flumen gratiæ patriarcharum & prophetarum intrat Mariam: flumen gratiæ Apostolorum intrat Mariam: flumen gratiæ Martyrum intrat Mariam: flumen gratiæ confessorum intrat Mariam: flumen gratiæ virginum intrat Mariam: omnia denique flumina intrant in mare, id est, omnes gratiæ intrant Mariam*, quæ hoc uberius semper redundârunt, quòd omnia gratiarum fluenta, fonti suo, auctori Deo accepta referret. Quod ipsum commendat *c* Bernardus: *Magna res amor*, inquit, *si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat.* In comperto est, omnia quidem sidera, suum à sole lumen mutuare, at in Luna insuper hoc Plinius peculiariter observavit: *omnem suæ lucu haustum eo regerit, unde suscipit.* Quod Rupertus, Dei Matri propriissimè accommodat: in amoris quippe cantico, vix dixerat sponsus: *d Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es*; *cùm ilico* omnem suam pulchritudinem in fontem refundit, dicens: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. e* Ubi Rupertus: *Verè ergo dicis* (inquit Mariæ) *Ecce tu pulchra es: & dic tibi, Ecce tu pulcher es: quia tu pulchritudo mea es, quod ego pulchra sum, totum tibi attribuendum est.*

Dic & tu filia, eleganti formæ venustate prædita: *quod ego pulchra sum, totum tibi* (Domine Jesu) *attribuendum est*; dic tu mercator: quòd ego dives & fortunatus sum: *totum tibi attribuendum est*; dic tu nobilissime Domi-

a Eccl. 43. v. 7. b Richard. à S. Laur. l. 4.

c Bern. serm. 83. in Cantic. d Cant. 1. e Rupert. l. 1. in Cant. 1.

Dominæ, quòd ego valens sim & firmis viribus: *totum tibi attribuendum est*; dic tu causidicæ, Ecclesiastice, religiose: quòd ego ingeniosus, eruditus, facundus sum, *totum tibi attribuendum est*. Nihil hîc meæ industriæ, studio, viribus volo adhærescere, ut præclarè monet Bernardus serm. 13. in Cant. *Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte de te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat.* Et post pauca: *quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem suscipit per fenestram? aut si glorietur nubes, quod imbres genuerit?* Matrem Domini benedictam inter mulieres, aliaque Virginis encomia, visenti ad se Mariæ, Elizabeth copiosè exponit; Sed quid responsi ad hæc Virgo dederit, solerter S. Thomas de villa nova admirans, divinum ejus ad cognatam canticum annotavit: *quàm venustè*, inquit, *quàm pulchrè senioris cognatæ palinodiam* canit? *quàm pie, quàm humiliter impensas sibi laudes, in bonorum omnium largitorem Deum detorquet?* quidquid virtutis, quidquid gratiæ, quidquid dignitatis, quidquid Excellentiæ in Maria, id totum in suum refundit auctorem, unde uberiori copiâ, omnia in illam redundant.

Hic vos paucis compello auditores, si quid cælestium, aut naturalium donorum, si quid suavis dulcedinis, & liquidæ voluptatis in oratione, si quid in adversis consolationis, si quid in rebus divinis perspicaciæ, si quid gratiæ, virtutis, insuper temporalium bonorum, nobilitatis, opulentiæ, venustatis, fœlicitatis, solertiæ, benignus Dominus vobis, ac vestris elargitus est, ne quis evanescat in cogitationibus suis, ne hæc quasi sibi propria ducat, & glorietur, quasi non acceperit, testante ac obtestante *a* Apostolo: *Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quæ verba Patriarcha Venetus *b* perappositè tractavit, dicens: *Inaniter laborat, qui laudem captat humanam: quoniam de alieno, non de suo laudari concupiscit. Quid enim habes, ait Paulus, quod non accepisti? supervacuè siquidem damnabiliterque te extollis, cùm temporalibus, sive naturalibus, seu spiritualibus gloriaris bonis. Agnosce ergo, homo, universorum conditoris gratiam, eique da gloriam, quatenus potiora merearis accipere.* Omnia ad suum recurrunt principium, rivuli, fontes, flumina, in mare revertuntur, ut iterum fluant, sic augmentum consolationis, gratiæ, virtutis; incrementum fortunarum, fœlicitatis, bonorum omnium consequemur.

Sed pergo porrò, & quantam per istiusmodi, aliarumque virtutum actus, quos omnes referebat in Deum, plenitudinem virgo acceperit, prosequamur.

c Sanctorum patrum sensus ac scholasticorum consensus est, Deiparam, per omnes ac singulos actus humanos, quos à primo instanti sanctificationis, per omnem vitam exercuit, augmentum charitatis, gratiæ,

a 1 Cor. 4. *b* B. Laur. Iustinian. in nativit. Virg. *c* V. Suarez. 3. p. tom. 2. disp. 18. Sec. 2.

tiæ,& gloriæ meruisse: quia nullos habuit actus indeliberatos, nec datur indifferens in eo, qui perfecto modo operatur; ergo omnes fuêre meritorii, ut de ea gravissimus *a* doctor affirmârit: *Ad tantam contemplationem fuit sublimata, ut etiam in utero Matris perfectiùs, quàm unquam fuit contemplatus aliquis in perfecta atate: magisque in contemplatione Dei excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando; hoc ipsa in Cant. testatur: Ego dormio, & cor meum vigilat.* Nec quidquam fuit in virgine, quod eam impediret, ac retardaret, quo minus divinæ gratiæ cooperaretur, quantum posset: quia nec fomitem neque ullam potentiarum, aut affectuum deordinationem habuit; sed ut *b* Sanctus Bernardinus testatur: *Nihil unquam elegit, nisi quod ei sapientia divina demonstrabat, tantumque semper dilexit Deum, quantum à se diligendum existimavit.* Quid autem amplius in homine viatore desiderari potest, quo se ad recipiendum gratiæ augmentum disponat, quàm quod cum divina gratia operetur, quantum juxta mensuram divinæ motionis potest. Angelicis illis mentibus, exiguum temporis spatium, momentum oculorum, ut complures Theologi volunt, ad merendum à Deo concessum; eò tamen Seraphim ad eam gratiæ & gloriæ excellentiam ascendit, ad quam vix ulli mortalium, multis annorum lustris, piè sancteque vivendo, pervenire queant. Ex quibus sic licet argumentari, *c* si eo tempore, quo Maria Dei filium concepit, plures gradus gratiæ, in animo ejus exstiterint, quàm in omnibus hominibus, & Angelis simul sumptis, quantum in ultimo vitæ suæ momento cumulum possederit. Tradunt Mathematici solem in æquatore, horis viginti quatuor, conficere viginti sex millena millia, ducenta nonaginta sex millia, centum viginti quinque milliaria; majorem autem esse velocitatem in firmamento, ubi stellæ, viginti quatuor horarum spatio, conficiunt milliaria millies millena millia, & præterea decem & septem millena millia, quingenta sexaginta duo millia, & quingenta, unde fit, ut singulis quadrantibus conficiant decem milliones milliarium, quingenta nonaginta novem millia, sexcenta & novem milliaria. Itaque si Deiparæ menti, in eliciendis actibus, vel acquirendis gratiæ gradibus, detur tanta celeritas, quanta inanimatis illis corporibus, elicuerit singulis quadrantibus, supra decem milliones actuum, & 24. horarum spatio supra mille milliones actuum: per quos, si unicuique actui non respondisset nisi unicus gradus gratiæ, acquisivisset singulis diebus supra mille milliones graduum gratiæ. Nunc, qui volet, *d* calculum ineat per septuaginta duos annos; quos vixisse traditur (& constat meruisse

a S. Bernardin. tom. 2. serm. 52. cap. 2.
b Bernardin. cit. c. 3.

c P. Ioann. Bap. Donatus lib. de eminent. Virg. d Albert. M.l. de B. Virg. Antonin. Bernardin. Amb. cit. à Suares. cit. sec. 2, Recupitus I. p. lib. 5 q 9.

fuisse etiam dormiendo) efficient viginti sex milliones millionum, & præterea ducenta octoginta millia millionum; neque is, qui admirabilem se exhibet in celeritate unius corporis, minùs admirabilis censendus est, in celeritate motuum animæ, & illius in *qua fecit magna, qui potens* est, ut fusius alibi *a* tractavimus. Quæ cum ità sint, manifestè concludit Suarez, *b* ex luculentis SS. Patrum testimoniis, B. Virginem in fine vitæ pervenisse ad summam plenitudinem, & ut ita dicam, penè immensam gratiæ perfectionem, Doctor Seraphicus in speculo Mariæ Capitulo 5. *immensa certè fuit gratia, quâ ipsa fuit plena; immensum enim vas, non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum; Maria autem vas immensum sit illud, quo est plenum; Maria autem vas immensum fuit, ex quo illum, qui cælo major est, continere potuit*; quod hisce probat argumentis. *Tu immensissima Maria capacior es cælo: quia, quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti; tu capacior es mundo, quia, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo. Oportuit utique, quod gratia ista, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.* Huic facem præluxit *c* Seleuciensis Antistes, qui ineffabilem gratiæ ejus immensitatem declarat, dicens: *Virgo sancta totam sibi hauserat Spiritus Sancti gratiam*, quam cùm finitam dicere nefas sit, quæ totam hausit, infinitudinem quandam exhausisse, dum Deum intra viscera sumpsit, censenda est, nec est, quòd quis Apostolos Spiritu Sancto repletos, aut Stephanum plenum gratiâ, aliosvè Sanctos in comparationem adducat: nam quantum Mater Dei horum plenitudinem excesserit, unus Bernardus *d* luculenter docebit: *Legimus* in actis Apostolorum & *Stephanum plenum gratiâ*, & *Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto; sed longè dissimiliter à Maria: nec in Stephano* habitavit plenitudo Divinitatis *corporaliter, quemadmodum in Maria; nec Apostoli conceperunt de Spiritu Sancto, quemadmodum Maria.* Nullam verò horum cum Virgine Deipara similitudinem institui posse; illud Damasceni *e* evincit: *Dei Matris, & servorum Dei, infinitum est discrimen.* Ex quo & aliud rectè consequitur, præ omnibus cœli civibus collectim sumptis, unam virginem Mariam apud Deum filium suum longè esse gratiosissimam; ubi animo & cogitatione percipere licet (liberæ enim sunt cogitationes hominum) Virginem Deiparam aliquid postulare à Deo, v. g. pro homine sceleratissimo interpellare; totamque illi cœlestem curiam resistere (sicut apud Danielem unus Angelus, alteri resistebat) potentiorem tamen, majorisque efficaciæ ac valoris apud Deum, futuram esse Virginem, quàm reliquorum omnium orationem, ut *f* Suarez noster evidenter probat, & D. Anselmus *g* confirmat, dicens; *Adeo potentem esse*

a Lux Euang. 1. p. dom. 1. post Epiph.
b Suarez cit. sec. 4. c Basil. in catena ad illa verba; Exultavit Spiritus meus.

d Bernard. Serm. 3. super Missus. e S. Damascenus orat. 1. de dormitione Virg. f Suar. 3. p. Tom. 2. disp. 18 sec. 4. g S. Anselm. de excellent. Virg. c. 12.

esse Deiparam per impetrationem, quàm ipsemet Deus per omnipotentiam. Quæ cùm ita sint, uti hanc omnem gratiarum plenitudinem ac immensitatem, Deus Virgini contulit, qui eam, ut supra diximus, RESPEXIT, sic rogamus te, ô Maria mater gratiæ, ut oculo misericordiæ nos respicere digneris, *a ut plena tibi, superplena nobis, de plenitudine tua omnes accipiamus*; ideo ad te affectu ardentissimo clamamus: *b Eja ergo advocata nostra, illos tuos* MISERICORDIÆ OCULOS *ad nos converte: non enim dubito, quod, si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum officium retardare. Mirabiles, nec non amabiles tuorum radii* OCULORUM! *quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam salutem. O Domina quàm beati sunt, quos viderunt* OCULI TUI! *hos ergo* OCULOS *ad nos converte.* Nemo adeò ferus ac ferreus, quem si tu Virgo benigniori oculo respexeris, non in virum alterum commutaris. Vultum suum, os oculosque quandoque justus vindex ab homine scelerato avertit; Sed Maria neminem despicit, sed ut Mater est gratiæ ac misericordiæ, peccatores ad se transfugas benignè respicit. Probatione servit historia quàm Cæsarius se puero quinquenni contigisse commemorat:

c Ut paternam hæreditatem majori licentiâ decoqueret juvenis, militiæ nomen dederat: in hac brevi omnia delapidârat, quapropter dum suæ eum apud suos pudet inopiæ, cogitat in longas positas regiones mendicatum abire. Hæc dum animo cogitat, occurrit hujus decoctoris quondam villicus, sed præstigiis & magicis artibus infamis: hic Domini sui consilium expiscatus, jubet bono esse animo, promittitque fortunas deperditis ampliores, si modò velit bene suadentem audire. Itur igitur in opacam silvam, evocatur ex Orco malus genius, qui juveni opem suam addicit; eâ tamen lege, ut Deum abjuret. Horret ad hæc juvenis, & hæret; sed à villico suo incitatus, dæmoni morem gerit: Enimvero non eo scelere satur malignus Helluo, aliud expetit, urget miserum, ut etiam Christi matrem ejuret. solet enim, ajebat, hæc *Mater gratiæ & misericordiæ*, tam stricto mihi vinculo, quàm tu jam es, devinctos exsolvere. Territus ad hæc miles nec prætio cacodæmonis, nec prece villici adduci potuit in nefarium scelus. Quare pressus criminis conscientiâ, actutum se è silva proripit. De via in templum ingreditur, in quo ante aram principem se prosternit, ubi Deiparæ imago visebatur filium suum ulnis complexa. Hic in lachrimas solutus, totus pudore suffusus, tremulâ inter singultus voce, ardenti corde Dei genetricis misericordiam obtestatur, ne se mortalium omnium sceleratissimum despiciat; sed suos oculos in se convertat: & *d* RESPICE, inquit, *in faciem Christi tui*; nec irritæ fuêre preces. Ecce tibi, dum

a Bernard. Serm. in Annunt. de aquæ ductu. b Bonavent. 3. p. stimul. divini Amoris c. 19. c Cæsarius hist. memorab. l.2. c.12. Psalm 83.

dum lachrimas inter suspiria hæret, venit in templum homo prædives, qui agros illius miseri emerat; reperit Adolescentem hunc ante Deiparæ imaginem prostratum, audit omnia gemitibus & ejulatibus personare, eumque Divæ patrocinium sibi ardentissimè implorantem. Et ô prodigium! Imago virginis extemplo animari, & pro conclamato apud filium sic perorare: Miserere, Fili, hujus miseri miserere. At quod, pessimi ominis indicium, faciem oculosque Dei filius ab impio avertit, perjurum illum, sibi fidem ejurâsse dictitans, instabat nihilominus Maria, ac potius agendum rata, assurgit, & ad pedes provoluta: per virginea, quæ lactârant, ubera, per amorem, quo se semper complexus fuerat, ut perdito huic, sceleris indulgentiam donet, quàm obnixè deprecatur, quandoquidem à fidelitate sibi debitâ abire detrectaverit. Adhæc Deifilius, Matremè terra sublevans repulsam, inquit, ô Mater, à me ferre non potes, & ad peccatorem conversus, in gratiam recepit, patratique sceleris veniam donavit. Hoc audiens Juvenis ille, dolore simul & gaudio perfusus, actis quàm devotissimè cœlitum Reginæ gratiis, templo egreditur. Subsequitur è vestigio, qui in templo latuerat curiosus spectator, militem compellans: Ecquid, inquit, turgent usque adeò oculi, effusarum lachrimarum indices? Ignarus ille se in sacra æde ab eo deprehensum fuisse, tumoris causam elusit. Tum alter rei à se visæ seriem enarrat, additque, quandoquidem tanto te favore prosequitur Mundi Domina, cui omnia mea consecrata cupio, en tibi tua, quæ à te emeram, gratis restituo, filiamque meam unicam, cum opulenta dote tibi adstipulor, hæredemque te ex asse bonorum omnium constituo. Attonitus ille duplici beneficio, in soceri sui domum novus gener concedit, bonaque sua & uxorem abducit, collati à Deipara beneficii præsentia monumenta, & ad majorem ipsius amorem promovendum perpetua illicia.

Aptissimè itaque *a* Rhichardus à S. Laurentio: *Adeò blandi erga omnes sunt* OCULI *virginis nostræ, ut licet oculi Domini sint super justos, oculi tamen hujus Dominæ, sint super peccatores; sicut* OCULI *bonæ Matris super puerum, ne cadat, vel si ceciderit, ut eum relevet. Unde ipsa servienti sibi ait: In via hac, quâ gradieris, firmabo super te* OCULOS MEOS. O Domina mea! O Mater mea! si hosce benignissimos oculos ad me converteris, si eos super me firmaveris, non timebo, quid faciat mihi caro, non timebo, quid faciat mihi Dæmon, quid faciat mihi homo; non timebo in die malo, in hora illa novissima, quam omnes timent. Juvat itaque iterum iterumque exclamare: *Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes* OCULOS *ad nos converte, & Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende;* quæ verba dum ex ardenti pectore S. Gertrudis eructaret: *b* Virgo Mater

G 5

a Richard. à S. Laurent. l. 2. de Laud. V. [illegible] *b* Ludsf. [illegible] in vita lib. [illegible] c. 3.

,, Mater filio suo suavissimè adblandiens, ipsum versùs terram inclinavit, ad nos dicens: Illi sunt misericordissimi oculi mei, quos ad omnes me invocantes, salubriter inclino; unde uberrimum fructum consequuntur salutis æternæ; ut quos illa respexerit, perire ex a S. Anselmi sententia, quodammodo impossibile videatur: *Sicut enim*, inquit, *ô beatissima Virgo, omnis à te aversus & à te despectus, necesse est, ut intereat: ita omnis ad te conversus, & à te* RESPECTUS, IMPOSSIBILE *est, ut pereat;* quid si homo potator aut scortator sit? *impossibile est, ut pereat;* quid si adulter aut mœchus sit? *impossibile est, ut pereat;* quid si perjurus & blasphemus? *impossibile est, ut pereat,* sed oculo misericordiæ tuæ perstrictus, salubriter respirabit, & *à te* RESPECTUS beatissimo filii tui aspectu in æternum perfruetur.

a Anselm. de Laud. Virg.

FESTUM

SOLEMNITAS RESURRECTIONIS DOMINI JESU CHRISTI.

Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori CLARITATIS *suæ.* Philipp. 3. vers. 21.



Transit, non frangit.

ARGUMENTUM.

ILlustre resurgentis Domini symbolum, Solem oculis, animisque vestris objicio: in quo unico, quatuor corporis gloriosi dotes, quas hîc considerandas suscepimus, Doctor Seraphicus *a* complexus est: *Lux* quippe *habet illas quatuor proprietates, sicut patet in radio. Scilicet* CLARITATE *a-*

M

quia illuminat. IMPASSIBILITATEM, *quia nihil ipsum (ne quidem ignis) corrumpit.* AGILITATEM, *quia subito vadit.* PENETRABILITATEM, *quia corpora diaphana, sine eorum læsione pertransit.* Quibus ut aliquando *corpus humilitatis* nostræ dotari, & gloriosissimo Christi corpori, configurari queat, quisq; in se earum proprietates, dum in terris vivit, exprimere conetur: *Impassibilitatem* per invictã omnis adversitatis tolerantiam; nam ut divinus Ecclesiastes: *Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissionem, scilicet excellentia,* IMPASSIBILITATIS. *a* 2. CLARITATEM, per ardentem orationem, qua homo, velut alter Moyses, ex consortio sermonis Domini totus collustratur. 3. AGILITATEM, per promptam, & pernicem ad omnes nutus Dei, voluntatem. 4. PENETRABILITATEM consequetur, si corpus animale, quod habet bestiales motus inordinatæ concupiscentiæ, resurgat spiritale, id est, totaliter subjectum spiritui, quod in nullo præstabit impedimentum, aut obstaculum animæ, sed omnia penetrabit.

a S. Vincent. Dom. in albis Serm. 5.

§. I. *Prima dos corporis gloriosi, est* IMPASSIBILITAS, *juxta illud Pauli:* Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione, 1. *Cor.* 15.

§. II. *Altera dos corporis gloriosi, est* CLARITAS: Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria. *Ibid.*

§. III. *Tertia dos est* AGILITAS, *quam teste S. Thomâ, Apostolus his verbis innuit:* Seminatur in infirmitate, surget in virtute. *Ibid.*

§. IV. *Quarta dos est* PENETRABILITAS, *ut patet ex eo:* Seminatur corpus animale, surget spiritale. *Ibid.*

SOLEMNITAS RESURRECTIONIS DOMINI.

Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori CLARITATIS *suæ.* ad Philipp. 3.

INter omnia sublimia, subtilia, recondita fidei nostræ mysteria, Christi servatoris (qui est primogenitus vivorum & mortuorum) omniumque in die novissimo mortalium Resurrectio, usque adeò admiranda est, ut captum omnem Gentilium Sapientum, longe exsuperârit: Paulus quippe doctor gentium, de Resurrectione acturus, disertè *a* fatetur: *Mysterium vobis dico*; Atheniensibus adeò exoticum, ut Paulum *b* velut *seminiverbium*, vel ut Augustinus *Seminatorem c Verborum*, blateronem, nugivendulum, alii ut Magum, Ariolum, *novorum dæmoniorum Annun-*

a 1 Cor. 15. v. 51. b Act. 17. c Ibid.

Annuntiatorem: nonnulli ut impostorem, qui in futura resurrectione montes aureos promittat, sicut Bonzii apud Japones faciunt, exsibilârint. Quos inter, ipse Festus, eum ut stultum & fanaticum explosit, dicens: *a quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* quod ita contra, præter, & supra omnem rationem humanam est, ut Tertullianus *b* asserat, omnes Philosophos, Resurrectionem impossibilem existimare: *Ut carnis* inquit, *restitutio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur.* Parum hoc; *c* ipsam Apostolorum fidem, hoc arcanum transcendit: quibus in credenda Christi Resurrectione, tanta fuit difficultas, & ignorantia, ut viderentur illis *d deliramenta*, quæ de hac dicebantur, nec nisi post signa manifesta, ac palpabilia, crediderunt. Id olim summus *e* Hispaniarum, imò orbis terrarum orator, pronuntiavit: *inter omnes articulos fidei, majoris difficultatis fuit ad credendum articulus Resurrectionis; non solum infideles, Pagani, & Philosophi, non potuerunt credere hunc articulum, imò etiam nec Apostoli.* Nam Luc. 24. nuntiantibus fæminis Christum resurrexisse, *visa sunt ante illos quasi deliramentum verba illa, & non crediderunt.* Ecquis enim satis assequatur, quæ Thomas Aquinas, Augustinus, Ambrosius, aliique Ecclesiæ Doctores tradiderunt, corpora, quæ sex annorum millia, in terra computruerunt, ambusta, in cineres redacta sunt, quæque à feris, à tyrannis in mille partes discerpta, à volucribus & piscibus absumpta, aut à Brasilis Antropophagis, qui humanâ carne victitant, aut etiam, quod in extrema fame factum legimus, comesta in alterius substantiam conversa, denuò ea corpora propriâ carne, pelle, ossibus, & nervis resurrectura? Ut propheta de se testatur: *f de terrâ surrecturus sum, & IN CARNE MEA videbo Deum Salvatorem meum.* Quod si lubet, cum Ambrosio alterum etiam *g* Prophetam audiamus, qui ait: *& facta est super me manus Domini, & eduxit me in Spiritu Dominus, & posuit me in medio Campo, & hic erat plenus ossibus humanis, &c. & ecce ossa arida* jubentur *h* audire, quasi sensum habeant *audiendi, & hic accessisse eorum unumquodque ad suam compaginem, Prophetico sermone signatum. sic enim habes: & accedebant ossa unumquodque ad suam compaginem: & vidi, & ecce super illa nervi, & viscera nascebantur, & ascendebat super illa cutis desuper.* Tum exclamat: *Magna Domini gratia, quod futuræ Resurrectionis, propheta testis adhibetur.* Quibus ut vel naturali ratione utcunque respondeamus, valet illud Augustini; *i Tota hujus mundi administratio, testimonium est Resurrectionis futuræ.* Ubi in argumentum adducit, vites, aliasque arbores, hyemali tempore velut mortuas, vere novo repullulare, revirescere, & quodammodo reviviscere. Bullos florum, radices anemonum, quasi

a Act. 26. b Tertull. lib. de præscrip. hæret. c. 7. c V. Suar. 3. p. tom. 2. disp. 44. sect. 6. d Luc. 24. e S. Vincentius Dom. in albis serm. 4.

f Job 19. v. 25. g Ezech. c. 37. h Ambr. lib. de fide resurrect. i August. serm. 34. de verbis Apost.

quasi siccas, marcidas, & emortuas, sole repente flores germinare: *Videmus certè*, inquit, a *hyemis tempore arbores spoliari pomis, nudari foliis; sed eas etiam verno tempore, speciem Resurrectionis exprimere: quæ primo quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, vestiri foliis, & postmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de Resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore, quo Deus disposuit, producuntur? dic mihi, ubi latitant, antequam producuntur? certè herba, quæ antè vixit & moritur, rursus reviviscit ex semine: sic etiam & justi corpus reviviscit ex pulvere.* Alii, aliud Resurrectionis symbolum, argentum vivum inducunt, quod etiam in minutissimas arenulas, & quasi atomos manu deducas, ut in pulvisculos, uti corpora nostra, evanescere videatur; mox ubi se contigerint, in pristinam formam confluunt, & quasi reviviscunt. Mediolanensis Antistes b omnia prope, quæ in oculos incurrunt, Resurrectionis symbola obiicit: *quid gratius luce? quid sole jucundius qui quotidie occidit? decessisse tamen à nobis, non molestè ferimus, quia eum redire præsumimus.* Atque utinam quoties manè experrectus, solem intueris, Resurrectionis memor, illud Pauli usurpes: quia corpus illud animale, surget aliquando spirituale. c *Sed miraris, quemadmodum putrefacta solidentur, dispersa coëant, absumpta reparentur; non miraris, quemadmodum semina vapore, & compressu terræ soluta viridescunt? quid igitur miraris, si homines quos acceperit, terra restituat, cum seminum corpora quæcunque susceperit, vivificet, erigat, vestiat, muniat atque defendat ardore? sequitur illud, quod gentiles plerumque perturbat, quomodo fieri possit, ut quos mare absorbuerit, feræ dilaceraverint, bestiæ devoraverint, terra restituat?* Hæc, quæ planè impossibilia, atque incredibilia videntur, illustre, quod hîc primum occurrit, Resurrectionis testimonium, d S. Stanislaus Episcopus comprobabit: quem cùm Boleslaus Poloniæ Rex in sexcentas omnino partes dissectum, avibus & feris vorandum objecisset, quatuor Aquilæ triduo toto ea frusta asservârunt intacta; tum illa in unum corpus coaluêre, suis quæque locis compaginata: quodque mirabilius, digitus unus in lacum projectus, & à pisce devoratus fuerat; Sed paulò pòst piscis captus, inque ejus ventre repertus digitus, & suo loco restitutus, atque unitus est. Hæc altioris Virtutis prodigia obstupescimus, cùm etiam corpora non in partes dumtaxat concisa, sed in favillas, & cineres redacta, ratione naturali resuscitari perhibeantur. e *Avis in Regione Arabiæ, cui nomen est phœnix, redivivo suæ carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit, reviviscit: solos non credimus homines resuscitari? atque hoc relatione crebrâ, & scripturarum auctoritate cognovimus, memoratam avem quingentorum annorum spatia, vitalis usus habere præscripta, eamque cum sibi finem vitæ adesse, præsaga quâdam naturæ suæ æstimatione cognoverit, rogum sibi de thure, & myrrha, & cæteris odoribus adornare, com-*

a August. cit. b S Ambr. de fide resurect. c Ambr. cit.

d In vita Surius tom. 2. e Ambr. cit.

completoque opere, pariter ac tempore, intrare illam, atque emori: ex cujus humore, oriri vermem, paulatimque eum in avis ejusdem figuram concrescere. Nec minùs evidenti ratione probat M. Gregorius, *a* facilius esse rem corruptam restaurare, quàm ex nihilo creare, unde sic argumentatur: *Longè minùs est Deo reparare, quod fuit, quam creâsse, quod non fuit. Aut quid mirum, si hominem ex pulvere refecit, qui simul omnia ex nihilo creavit?* & alibi: *b Mirari solent, qualiter caro reviviscere possit ex pulvere. Mirentur igitur altitudinem cœli, motum terræ, abyssos aquarum, omnia, quæ in mundo sunt, ipsos quoque Angelos creatos ex nihilo. Minus est valde, aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo fecisse.* Mitto *c* hîc, quod S. Thomas *d*, Augustinus *e*, & S. Ambrosius *f* tractat, nullos in Resurrectione sanctos, mutilos, monstrosos, nec nanos, nec gigantes; sed & infantes in mensuram ætatis, plenitudinis Christi, optima corporis totius, ac venustissima symmetria, mares, & fœminas resurrecturos: *ibi enim nec infans, nec senex, nec parvus erit, qui non impleat dies suos, utpote filius Resurrectionis, & in mensuram perveniat plenitudinis Christi: ut nec desint alicui annorum spatia, nec supersint. Cùm ergo in genere humano aliter, & aliter nascamur homines, in carnis Resurrectione, una omnibus, & similis erit Resurrectio*, omnesque similes erimus speciosissimo, ac gloriosissimo corpori Salvatoris nostri; de quo divinus Ecclesiastes S. Vincentius: *g Fuit corpus Christi subtile, agile, clarum, & impassibile, sic beati in futura resurrectione, dotabuntur quatuor dotibus in corpore*, ut S. Thomas in 4. dist. 44. & 3. p. q. 45. art. 1. nam *subtilitatem* habuit, quando de clauso vir- „ ginis utero (& sepulchro) „ exivit. *Agilitatem*, quando „ super undas maris ambulavit. „ *Claritatem*, quando in monte „ Thabor resplenduit facies sic- „ ut sol. *Impassibilitatem*, quan- „ do de manibus Judæorum „ ipsum præcipitare, seu lapi- „ dare volentium, evasit. Si er- „ go in Resurrectione renova- „ ri desideramus, secundùm „ has nobilitates corporis; nos „ hac in vita, eas spiritualiter „ in anima repræsentemus. „

a S. Greg hom 26. in Evang. Suar. cit.
b S. Greg. hom. 20 in Ezech.
c Suar. 3. p. tom 2. disp 44. sec. 8.
d D. Thom. in 4 dist. 43 &c.
e August. l. 22. de civ. f Ambr. de fide resur. fragment. tom. 5.

§. I.

Prima dos corporis gloriosi IMPASSIBILITAS.

De hac nos certiores facit Doctor gentium: *h Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione.* Lessius *i* de summo bono observat, Apostolum conferre corpus semini, quod terræ committitur, & quodammodo „ moritur, ut ex eo nascatur „ herba, culmus, spica, gramen, „ quercus. Ita corpus nostrum „ ubi anima excesserit, terræ „ mandatur, & Deus suâ virtute facit illud surgere, & redire ad pristinum vigorem & florem, post hac nunquam marcescibilem,

g S. Vincent. serm. 2. in festo paschat.
h 1. Cor. 15. i lib. 3. cap. 3.

lem. Audi hac super re *a* oratorem aureum ; Corpus humanum dum sepelitur , & quasi semen in terram conjicitur , ut corrumpatur , in vermes & cineres , surget redivivum sicut granum frumenti ; quod si mortuum fuerit , in culmum , & aristam reflorescit , nec ullam ampliùs sentit corruptionem : quam dotem, pro dignitate sua, hoc pluris æstimabimus , quo corruptibilis corporis morbos , & miserias, frequentiores ac majores attendere voluerimus. Audiendus hîc cum primis divinus Plato, qui verissimè pronuntiavit , *Corpus humanum omnium miseriarum esse officinam*; quæ innumeras anxietates, cruciatus, morbos , & mortes complectitur. Testis *b* Galenus, qui vel in uno oculo , duodecim supra centenos animadvertit morbos. Plinius *c* trecentos toto corpore , id est , propè infinitos observavit. Accedit, nunc famem, nunc sitim, nunc æstum, nunc frigus, nunc lassitudinem, inquietudinem, dolorem; timorem, choleram, melancholiam, atque ex his intemperiem aliam ex alia exagitare. Jam, si lubet, animum ad id , quod futuri sumus , intendamus. *d Oportet corruptibile hoc, induere incorruptionem ; & mortale hoc, induere immortalitatem.* Corruptibile hoc , non affliget ampliùs fames, neque sitis , nullus æstus torrebit , sed qui hîc famelici, & extremam penuriam passi , ille se Prophetæ *e* Vaticinio solentur : *Non esurient, neque sitient amplius ; non cadet super illos sol , neque ullus æstus.* Quoties nunc molesta ac diuturna febris excruciat , occurrat animo ; *oportet corruptibile hoc,* &c. Quoties acuti dolores dentium, renum , internorum viscerum lancinant, illud Pauli identidem volvatur : *Oportet corruptibile hoc* , &c. Quoties gravis carnis lucta , internis stimulis noctes & dies castam mentem inquietat , ad fortiter dimicandum Vires addat illa cogitatio : *Oportet corruptibile hoc , induere incorruptionem.* Hâc spe , quasi testâ solidâ, absterfit Job , mortalis & corruptibilis corporis saniem. *Testâ* inquit *f* Hieronymus , *radens putrida carnis saniem , miserias suas resurrectionis spe , & veritate solatur.* Dolor omnis , & tota morborum agmina , ipsa cum morte & omni corporis inquietudine , regno illo proscribentur. *g Mors ultra non erit, neque clamor neque dolor erit ultra.* O quantò nunc miseri mortales pretio vel prece , podagræ, chiragræ, calculi, capitis, aliisque nephriticis doloribus sese expedire ; quanto impendio *h modicum corruptibilis vitæ,* paucos vitæ hujus ærumnosæ annos, menses, dies mercari satagunt! Ludovicus XI. Galliarum Rex, extremo morbo conflictans , in dies singulos Medico suo quingentos aureos donabat, ut arte suâ paucos vitæ dies protraheret: *Nec potuit pretio, vel breve tempus emi.*

Usque adeò brevis hujus , ac calamitosæ vitæ usura amatur: Tanto pauci dies emuntur , & æter-

a V. Corn. In 1. Cor 15.
b Galen. in introduct.
c Plinius lib. 26. cap 1.
d 1. Cor. 15. e Isaiæ 49.

f Hierony: ad Pammach.
g Apoc. 7. h 2 Mach. 6.

æternos annos negligimus! Stulta magis mortalium vota, & insana quorundam studia, qui in corpore mortali immortalitatem sectantes, omni arte & industriâ, herbas medicas, quintam rerum essentiam, aurū potabile adinvenire studuerūt, ut humidum radicale, quod virtute ligni vitæ, in paradiso restaurandum fuisse tradunt, quovis pretio conservare possent.

Chinenses, populi gentiles, qui *a cælestium inanes*, terrena sapiunt, illos sophos ac sapientiæ Magistros, summis honoribus, muneribusque prosequuntur, qui hominis immortalitatem quàm efficacissimè probare, & in speciem solidissimè adstruere videntur. Hos inter repertus est, qui ut Regis gratiam aucuparetur, & ingens solertiæ suæ minerval referret, imposuit se longo & indefesso studio, tandem potum immortalitatis adinvenisse. Hanc divinissimam potionem, cùm Rex, ut Nectar aut Ambrosiam, avidissimè exposceret, unus aliquis è primis aulæ proceribus, ei perfamiliaris, impostoris hujus fraudem nequidquam detegere conatus, Rege fortè aliis intento, in abacum vicinum involat, poculum arripit, & bonam amystidem è potu immortalitatis sibi propitiat. Rex ad facinus in furorem actus, hominem è vestigio obtruncâsset, nisi hoc dilemma opportunum pro clypeo objecisset; frustra in se strictum mucronem intentari, si potio hæc immortalem reddiderit: sin verò eam virtutem minimè habuerit, sed Regi fraudulenter impositum fuerit, iniquum fore, innocentem perimere. Quâ ratiocinatione Regem convicit, & ab errore ad hanc saniorem mentem reduxit, mortales nos omnes esse, atque eâ lege natos, ut mille Mortis telis indies expositi simus.

O cæcas hominum mentes! ô pectora cæca!

Non gentiles dumtaxat, sed & Christianos complures etiamnum est reperire, qui si vitæ hujus, quantumvis amaræ, immortalitas venalis esset, cœlum cœli Domino relinquerent, & mille millibus eam mercarentur; quos hisce verbis perstringit Ambrosius: *b Vitium hoc est nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ illius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quàm voluptatis.* Non recogitantes, superesse aliam vitam, longè diversam, vereque beatam, omni curâ, cruciatu, morbo, miseriâ, liberam.

Beata sors! nullis pòst hanc mortem legibus subjacere, non ferro, non igne, non aquis, non veneno, vi nullâ lædi posse. Sed beatorum corpora, vel in mediis inferorum flammis illæsa, vel mari medio tuta, vel inter mille curulium tormentorum globos secura, vel medio serpentum cumulo salva consistent, ut quæ nec pati, nec lædi possint amplius. Toto cœlo, tota hâc beatitudine longissimè aberrant, qui diabolicis præstigijs, altis ut vocāt nominibus, se invulnerabiles

a Pontani Attica bellaria part. 2. c. 16. Synt. 1.

b Amb. de bono mortis l. 2.

biles reddere nituntur, quos infelici exitu, corpore & animo ad æternos cruciatus deturbato, passim à dæmone delusos, miserè periisse comperimus. Hodie, inquit Delrio, *a* quidam impii milites, se fore invulnerabiles putant, si arma certo ritu incantent, vel si ferant interulam lineam horrendis inscriptam imaginibus, quàm vocant *inferni camisiam*; vel si periapta quandam ferant, variis characteribus magicis, seu *magnis* (sic magi loquuntur) *Dei nominibus insignita.* Tum subdit: novi studiosum juris, nomine Quirinum, utriusque juris Baccalaureum, qui cùm tali membranulâ fretus, audacter se jurgiis, & pugnis immiscuisset, sæpe ictus, nunquam saucius; tandem Romæ à 1573. in symposito, minimo vulnere fuit interemptus, & in æternum perditus. Ea propter has artes Necromanticas, signa magica, alta nomina, quæ corpus perdunt, & animam perimunt, meritò execramur. Sed unum, vos paucis percunctari libet, si unus aliquis eam gratiam, hanc virtutem à Deo, & benignis superis sibi impertiri cœlitus exorâsset, ut inter ferream bellicis machinis excussam grandinem, per medios enses & tela, per ipsos flammarum globos, illæso corpore securus graderetur, quis eum hominem non fortunatum, quis non beatum, & divinum prorsus existimârit? hanc ubi in sanctis, etiam in hac mortali vita suspexeritis, quemque vestrûm longè felicius adipisci posse, ostendere aggrediar. Danielis 3. illustri exemplo fuêre tres pueri in fornacem missi, qui adeò adusti non sunt, ut aurâ suavi demulcerentur, ac rore placido perfunderentur. Joannes Apostolus, ut post Tertullianum scribit Hieronymus, in ferventis olei dolium immersus, purior ac vegetior exivit: Polycarpum, flammæ rogi ardentis, in fornicem sese attollentes, non modò non læserunt, sed protexerunt, ut *b* Eusebius Cæsariensis tradit: Teclam in mediis flammis illæsam Cyprianus, Gregor. Basil. aliique testantur. Innumeros hîc adferre possem, *qui in medio ignis, non sunt æstuati*, nec capillus de capite adustus; sed brevitatis memor, lectorem ad Bzovium remitto, de signis Ecclesiæ l. 15. signo 61. *de dotibus corporis gloriosi* cap. 5. Instar omnium una erit Christina, quã verè mirabilem dixêre: demortua in vitam redux, orbis portentum fuit: nam ut alia omittam, *c* volucrem illa pernicitate suâ vincere, & jam fornaces succensas ingredi, jam glacie duratas aquas subire; modò è patibulis se suspendere, modò facinorosorum rotis membra illigare: interdum per sentes & vepres volutari, canumq; dentes in se armare. Atque ex his omnibus (licèt non sine acerbissimo cruciatu, quod Deum rogârat) illæsa exivit. At corruptibile hoc nostrum quod modo ne atomum in oculo, ne arenulam in renibus, nec scrupum in calceo, nec minimam acûs puncturam in digito tolerare valet,

a Delrio disp. mag. l. 2. c. 21.

b Euseb. hist. Eccl. lib. 4 cap. 14.

c Iacob. Vitriac. Card. Surius 24. Julii.

valet, dotem illam *impassibilitatis* perfectissimè consequetur; quæ, inquit *a* Lessius, non solùm dissolutionem substantiæ excludit, sed etiam omnem impressionem, & perpessionem molestam; adeò ut neque ferro, neque igne, neque aliâ vi creata lædi, aut dolore, aut molestiâ affici poterit; Longè perfectius, quàm corpus Adam, in statu innocentiæ exstiterit: in quem, si nunquam peccâsset, ut feræ, aliaque noxia non sæviissent; corpus tamen egebat cibo, potu, somno, & sensim in se, actione caloris resolvebatur, & diffluebat, unde egebat instauratione. Insuper & peccare, & pati, & mori poterat, ut patuit. Hoc autem nullo modo convenit corpori glorioso. Aptè hinc ad mores divertit magnus *b* Vincentius, dicens: *moraliter istam excellentiam* IMPASSIBILITATIS, *possumus nos habere*; Ut autem quisque nôrit, quomodo hanc gloriosi corporis dotem consequi possit: *merito*, inquit, *patientia, quod aufert sentimentum doloris, &* PASSIBILITATIS; *nam qui verè est patiens, non* SENTIT INIURIAS, *sicut impatiens, qui statim ascendit ad quintam*, sed patientia nos hoc tam præstanti dono, tam excellenti dote, etiam in mortali corpore condecorat: si ad fortunæ tela impassibiles, ad inimicorum impetus impassibiles, ad obtrectantium linguarum spicula impassibiles, ad omnes morborum aculeos, impassibiles, ad omnes adversitatis ictus impassibiles nos præbuerimus.

Quo suo nos exemplo exstimulat, Regina Martyrum quæ inter omnes acerbissimos, quos ulli unquam mortalium pertulêre cruciatus, invictâ patientiâ, veluti impassibilis existens, hâc beatitudinis dote, teste *c* Bonaventurâ præter alias, meritò condecorata est: *Iis enim Maria in hac vita ornata exstitit virtutibus, quæ cum dotibus corporis, similitudinem habent: fuit enim* CLARISSIMA *per sanctitatem*: SUBTILISSIMA *per humilitatem*: AGILISSIMA *per pietatem*: IMPASSIBILIS PER PATIENTIAM. Hanc porrò dotem patientibus promissam S. Vincentius sacrarum literarum confirmat testimonio; scriptura etenim dicit: *Patientia vobis necessaria est; ut reportetis promissionem, scilicet huius excellentiæ* IMPASSIBILITATIS. Facile hîc est diserto oratori, appositè ad suos, omnia quamtumvis aspera, & ardua inducere, ad quæ si immoti, imperturbati, insensibiles perstiterint, de dote impassibilitatis, potiori merito quàm beati: atque ipsi Christo, adhuc in carne existentes, se similes poterunt gloriari. Quod quanti meriti, ac momenti sit, mentem quisque suam, non meo, sed principis Theologorum, Thomæ Aquinatis *d* conformet judicio, qui opusculo de impassibilitate ait; *Christus à nullo externo agente pati potest, non ab igne, non ab aqua, non à gladio, &c. Tu ergo, cum non possis prorsus esse impaßibilis, esto tamen cum*

a Lessius, de summo bono l.3. c.3.
b S. Vincentius dom. in albis serm.3.
c S. Bonav. in speculo c.6.
d S. Thom. opusc. de impassibil.

cum quadam IMPASSIBILITATE *patiens*. Tales exstiterunt, qui perfectum passionum suarum dominium possidentes, ad omnia impassibiles existebant, ut aliquando diximus.

a Nunc verò, quâ ratione corpora beatorum, totâ æternitate in vigore suo conservanda sint, subtiliter tractant Theologi. Ad captum facere videtur, id fieri posse: *b Si Deus suo potenti influxu pergat totum temperamentum in suo statu conservare, adeo ut etiam gutta aquæ, in medio fornacis ardentis, sit illæsa cum frigore, & orbiculari figurâ permansura.* Quare sicut nullâ ratione fieri potest, ut perseverante illuminatione, pereat lumen; ita fieri nequit, ut perseverante influxu conservativo, res pereat, aut etiam alteretur.

Quamquam per dotem alteram *subtilitatis*, corpus humanum, igne, ferro, aliisque armis corporalibus inviolabile redditur: hoc enim cælesti munere dotatum, alia corpora penetrare, & pervadere instar spiritus, sine ulla sui læsione potest: aut ut Lessius, vel potius ipse *c* Doctor Seraphicus ait: *Non magis poterit lædi gladio ferreo, quàm radius solis, gladio vitreo*, quæ & ipsius *d* S. Vincentii similitudo est: *Sicut radius solis non potest scindi gladio, nec submergi aquâ, nec comburi igne, nec etiam coinquinari putredine: sic nec corpus gloriosum ense potest scindi, nec aquâ submergi, etiamsi descenderet in profundum maris, nec igne potest comburi, nec etiam ignis inferni potest sibi nocere, si vult illuc intrare ad videndam damnatos.* Ubi solerter observat, hanc excellentiam in Christo resurgente eminenter significari, dum dicitur: *stetit*, nos in hoc mundo non stamus, sed continuo fluimus. 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur.* Stare, perstare, manere incorruptos, in eodem statu Sanctorum est, juxta illud; *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; nostrum, dum hîc vivimus, *corpus corrumpitur*; *e omnes* CORRUPTI *sunt, & abominabiles facti sunt.* Omnis *f* CARO CORRUMPIT viam suam, homines *corrupti* sunt mente, corrupti manu, corrupti moribus; Hodiernâ luce, ut ad imaginem Christi resurgentis, CORRUPTIBILE hoc, possit *induere* INCORRUPTIONEM. *g* Nolim vobis varios modos exponere, quibus Ægyptii conabantur cadavera defunctorum suorum tueri, ab omni labe corruptionis, quæ simul cum suis superbis pyramidum substructionibus, ab edaci tempore corrosa, corrupta, in cineres resoluta sunt; sed eos vobis in memoriam reducam, qui vitæ integritate, morum castimoniâ, cœlestis pabuli alimoniâ, incorruptibiles facti sunt: qualia sunt corpora Sanctorum, abjecta, inhumata, omnibus temporis, aëris, aquarum, bestiarum injuriis exposita, prorsus incorrupta, integra, velut vivida, ac spirantia permanserunt. *h* Sanctus Ubaldus, Episcopus Eugubinus; è vivis excesse-

a Lux Euang. p. 1. Dom. 20. post Pent.
b Lessius de summo bono l. 3. c. 4. n. 26. 27.
c S. Bon. in 4. dist. 49. a. 2. q. 2. n. 29.
d S. Vincent. dom. in albis serm. 3.

e Ps. 13. f Gen. 6. g Bozius de signis Eccl. l. 15. sig. 63. c. 7. Herod. h Bsov. cit.

xcesserat annos trecentos ,, quinquaginta duos, cum lo-,, culo ejus aperto, ego, inquit ,, Bzovius, bis aspexi vivida, ,, immaculata ejus membra, ac ,, propius intuitus sum, Sacer-,, dotum manibus attrectari, & ,, in omnes partes versari, per-,, inde ac si caro nunc viva es-,, set. Dixerit Propheta re-gius: *a Homo sicut flos egreditur, & conteritur*, quia ut flos, sic forma marcescit: tamen san-cti *b* Huberti corpus 153. annis post mortem, cum vesti-bus sepultum, & floribus re-spersum, non solùm intactum; sed & vestes ne tinea corrosæ, & flores planè recentes reper-ti sunt. Virgineum Cæciliæ cor-pus, à Clemente VIII. post nongentos annos incorruptum, & sanctitatem spirans, reper-tum est; & ne nostra negliga-mus, *c* magnus ille India-rum Apostolus Xaverius, mor-tuus, in viva calce tumulatus post multos menses, ne ungue corroso, colore vivido ac rubi-cundo, cum summa omnium gentilium admiratione, & Neo-phytorum exultatione apparuit. At quis satis alterum *d* Franciscum Seraphicum, post tot sæcula Divis adscriptum mi-retur, & obstupescat, corpore etiamnum integro & erecto sanctissimum perstare? nullis humanæ industriæ fulcris in-nixum, solâ divini Spiritus vi sustentatum, facie totâ, oculis, & manibus junctis, in cœlum semper intuentem, supplicantis in morem, nullâ vetustatis vi debilitatum, quod profectò tan-ti est, ut, cùm sit viventium sta-re, defunctorum subitò humi procumbere & jacere nemo tamen vivens repertus sit, qui per annum perstiterit in preci-bus immobilis. Mitto alios in-numeros, quos fusè auctores commemorant. Ad materiam Resurrectionis, potissimum fa-cit, septem fratrum historia: hos Decius à patre, fide minimè pa-ternâ proditos, obstructo spelæo conclusit. *e* Iverant sæcula jam duo & ampliùs, quando hæresis ab orco surrexit, quæ surrectu-ros, olim à tumulo mortuos ne-gavit. Somnium hoc esse, septē hi, quos *dormientes* dicimus, monstrârunt, qui tum in tempo-re, sive à morte longa, sive so-mno prodiêrunt. Illi noctem se unam dormîsse rati, Decium adhuc somniabant. Quare Malchum ex suo numero Ado-lescentem, exploratorem in urbem mittunt, & commeatui præficiunt. Hic dum vigilare pro urbe crucem videt, dum nullum tonare Jovem, sed Christum audit, mirari unius noctis Metamorphosim, & vel adhuc dormire, vel in alterum orbem, aut certè urbem dela-tum se credere. Mox, cùm Mo-netam antiquitate suâ incogni-tam protulisset, suspicionem reperti thesauri dedit. Hic ille apud proconsulem ad Decium provocare, qui utique nôsset adhuc, quem heri unà cum fratribus, quòd Christo mili-tarent, baltheo spoliâsset. Ob-stupuit ad hæc urbis Antistes, & Malchum ad montem secu-tus, è ruderibus æneas lami-nas, cum his rem omnem in lucem profert. Adest ipse Impe-

a Job 14 v. 2. b Rosvveyd annales Bel-gii, c Bzovius cit. d Besius signo 65. c. 9.

e Idem signo 63. c 7. & sig 65. c. 9. Ra-derus in aula sancta Theodosii ca 13. observ. Baron. annal. anno Chri. 253.

Imperator Theodosius, quo spectante beati juvenes eodem loco obdormierunt. Sed cum his mortuis, etiam hæresis de Resurrectione mortuorũ, mortua est. Lepidum hoc addit Raderus, S. Eduardum Angliæ Regem ipso die Paschæ, regio diademate insignitum, ac procerum coronâ stipatum, lauto epulo accubuisse: cùm extemplo, animo à sensibus avocato, rebus divinis totus intentus, præter omnium exspectationem, in effusum prorupit risum: cujus causam mensis remotis Antistiti qui aderat, & Heroldo Comiti & alteri cænobiarchæ exposuit dicens; septem illi juvenes in monte Cœlio, ad Ephesum, Decio imperante compositi, ducentos (alii sexcentos legunt) annos, in dextro latere quievêre, nunc hâc ipsâ horâ, quâ in risum solutus sum, in sinistrum versi, quatuor & septuaginta annos eo habitu jacebunt. Attonitis rei novitate omnibus, cœpit tam disertè, exerteque singulorum statum, habitum, formam, speciemque, & cultum corporum describere, ac si eodem semper cum illis contubernio, convictuque usus esset. Sed tres illi Regis familiares, legatione Constantinopolim ad Imperatorem missâ, Ephesum suos destinavit, qui fide certâ compererunt, septem hos eo situ, & habitu jacentes, quo illos Eduardus descripserat. Quanto nunc hominum concursu, corpus viri sanctimoniâ celebris, paucos annos, aut menses incorruptum repertum frequentaretur? quanta in veneratione apud omnes haberetur? quantâ omnium hominum opinione celebraretur? tales nos non brevi ævo, sed omni æternitate, incorruptibiles, immortales futuri sumus, si hîc non ligno vitæ, sed pane vitæ identidem pasti, ac refecti fuerimus.

Quæstio non vulgaris agitatur: an licitum sit in senectute, ad vires restaurandas, vesci carne humanâ, & bibere sanguinem juvenum? & an prodesset? Respondet Lessius de jure & justit. lib. 4. cap. 3. dub. 2. *Licitum est haurire sanguinem humanum, ex vena adolescentis detractum, ut concilietur vigor corpori senili, unde quidam medici, ut Marsilius Ficinus lib. de sanitate tuenda, hoc tanquam singulare medicamentum, ad illum finem præscribit.* Nemo quisquam inficias iverit, quin caro, & sanguis Christi, plus vigoris & vitæ, vel gutta una contineat, quàm quidquid à corpore quamtumvis vegeto, ex ipso vitæ ligno elici potuerit: Johann. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet* VITAM ÆTERNAM, qui cibus & potus, ut ait *a* August. IMMORTALES *facit &* INCORRUPTIBILES, super omne nectar, & Ambrosiam, de quo Aristoteles tacitè reprehendit Hesiodum, docentem, Deos, qui eo cibo & potu vescuntur, reddi immortales: quia quidquid cibo corporeo vescitur, naturâ suâ senescit, dissolvitur, & moritur.

Corruptibile hoc denique, aliquando incorruptionem, peculiariter iis in membris servavit, quibus heroicâ virtute, aut

a August. tract. 26. in Joann.

ut sui victoriâ eluxit; occurrerat fortè *a* Ludovico Anstiti Tholosano Regina, salacior fœmina, quam dum commodè declinare nequiret pro lypeo clausum oculum objecit. Magnum integritatis indicium! post quadringentos annos à morte, oculus vividus incorruptus, ac instar adamantis lucidus conspectus est; Adolescentibus ac virginibus, si incorruptibiles esse velint, semper in oculis habendus S. Stephanus Hungariæ Rex, tam profusâ in pauperes manu erat, ut desineret Midas inaurare, quæ hîc dare; Hanc salem ab auri metallo, quod sub terra incorruptum, virtutem mutuavit, ut manus in sepulchro semper incorrupta permanserit. His è societate nostra tertium adjungo. *b* P. Ludovicum de Medina; è prima Abulensium nobilitate: qui Italiâ, Hispaniaque omni lustratâ, ac novo in orbe magnis rebus gestis, annum agens supra quadragesimum, locum quieti societatem delegit: Ubi inter varia pietatis exercitia, & rara virtutum exempla, *c* hoc tamen Deus illum præcellere voluit veritatis indicio, quòd demortui linguam, post duodecim annos, omni corpore in cineres redacto, rubicundam, ac vegetam servarit: de quo constabat, nunquam tota vita prudenter ac scienter mẽdacium protulisse. *d* Hæc omnia exsuperasse videntur, quæ de Doctore Seraphico feruntur multis fortè inaudita: cùm Martinus Suessanus, orationem panegyricam haberet, in laudem Divi Bonaventuræ, recensitis aliquot prodigiis, id subjunxit: non committam, ut silentio præteream stupendum, ac memorabile quiddam. Dum corpus hoc venerabile transferretur, ad novam Ecclesiam, centesimo & sexagesimo ab obitus ejus anno, reliquâ corporis parte alioqui exesâ atque corrosa, caput tamen solidum capillamentum habens, labia, dentes, & lingua in nullo, à vitali statu, aut colore demutata, reperta sunt. Erat profectò divinæ clementiæ illud os, à putredine servare, quod ad salutem fidelium, atque in divinis laudibus semper vividum fuerat repertum.

Omnes nos immortalitatis candidati, in hac vita oculos, manus, linguam, os, membra omnia, à vitiorum corruptela, integra & intacta servare studeamus; nihil oculi lascivi, nihil manus obscœni, vel etiam furtivi, nihil lingua mendacii, perjurii, blasphemi, nihil os contumeliæ, maledicentiæ proferat, ne sit *sepulchrum patens guttur* nostrum; sed totus homo futuræ incorruptioni præludat; quod efficacissimè faciunt, qui hîc virginitatem Angelicam æmulantur, immortales etenim esse incipimus per castitatem, juxta illud *e* Bernardi: *Virgines, Angelis Dei efficiuntur æquales*; quia scilicet à carne, & omni illius contagione remotissimi, haud aliter ac illi, qui per resurrectionis gloriam, cœlum jam tenent: nam quod hi obtinent à beatitate,

a Cantiprat. lib 2. apum c. 30. §. 33.
b Histor. Soc. tom. 2. l. 2 n. 16.
c A. 1482. exstat Apost. diploma in bulla Sixti IV.
d P. Petavius annali a. 1274. n. 29.

e Bernard. de interiori domo c. 45.

tate, illi à virginitate. Unde sic eos elatâ oratione. compellat Divus a Cyprianus: *Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis, vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis: per sæculum enim, sine sæculi contagione transitis, cum castè perseveratis, & Virgines Angelis Dei estis æquales.* Atque hoc splendidissimo elogio S. Joannem Baptistam, Angelium Euangelicum exornat b Bonavent. *Lux fuit, & mentis, & carnis integritate* IMPASSIVA. Atque hæc virtus simul aliam perfectionem, seu dotem complectitur: nempe *claritatem,* ut cum sapiente jure exclamem: *O quàm pulchra est casta generatio!*

§. II.

Altera dos corporis gloriosi, est CLARITAS:

c SEminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria. Id est, *in* CLARITATE; Quæ aliis scripturæ locis dilucidè adstruitur. Matth. 13. *Tunc fulgebunt justi, sicut* SOL *in regno patris eorum* & ad Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori* CLARITATIS *suæ.*

Hujus aliquando specimen, scintillam, aut radium evibravit in Monte Thabor, & quales aliquando illi similes futuri essemus, amictus lumine sicut vestimento, præmonstravit, ut præclarè venerabilis Beda: *Transfiguraturus Salvator, gloriam futuræ, & nostræ resurrectionis ostendit.* Ad quam gloriam, & vultus, totiusque corporis claritatem, ut pertingere valeamus, modum, methodumque divinam suggerit Doctor mellifluus sermon. 25. in cantica: *Sancti,* inquit PER ORATIONEM, *gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformantur, de* CLARITATE, IN CLARITATEM.

Unde quæso, Moysis vultus tanto splendore refulsit, ut radios undique solis instar ejacularetur? An hoc ei vitæ Austeritas, an prolixa jejunia contulerunt? minimè; sed d *ex consortio sermonis Domini,* quem locum e Chrysostomus appositè exponit: *Deprecatio,* inquit, *hoc illi præstitit,* quâ homo cum Deo loquitur, & solem illum divinum fixè contemplatur, juxta illud Apostoli 2. Corinth. 3. *Nos autem revelatâ facie, gloriam Domini speculantes, transformamur de* CLARITATE IN CLARITATEM. Ubi D. Thomas & August. verbum illud *speculantes,* non à specula, sed à speculo derivari volunt: quemadmodum enim, si sol in speculo reluceat, alterum solem speculum refert, ita animus orantis, qui lucem illam æternam speculatur, in eam totus transformatur, ut non semel cœlesti prodigio manifestatum est. f Regina Arragoniæ, aliique testes oculati S. Vincentium Ferrerium, orationi intentum, divino lumine solis instar circumfusum, non semel conspexêre. D. Antoninus ex eadem Dominica familia, dum Deum precaretur

a Cyprian. tract. 2. de habitu virginit. b Bonavent. Festo S. Ioan. B. p. c 1. Cor. 15.

d Exodi 34. e Chrys. de fide Annæ f Bzovius de signis Eccl. l. 15. sig. 6 & 63. cap. 5.

visus est supernâ luce totum cubile perfundere. *a* Philiberti Abbatis apud Rhotomagum, im templo precantis oculi, tanquam duo sidera fulgere visi. B. Edæ Lovaniensis *b* corpus, tanquam lucerna intus accensa, inter orandum splendebat. Idipsum S. P. N. Ignatio, Xaverio, S. Joannæ, Hedvvigi Poloniæ Reginæ, Coletæ, Luduinæ, aliisque innumeris accidit, qui noctem mediam, fulgore cœlitus irradiati, meridie clariorem reddidêre. Quæ dum in mortali corpore contingere videmus, minus illud *c* Anselmi demirabimur: *In illa vita, pulchritudo justorum, solis pulchritudini, qui septulo quàm modo splendidior erit, adaquabitur.* Quam sententiam *d* S. Vincentius adeò luculentam esse asserit, *ut omnes Doctores dicant, quod septies erit clarius sole, corpus gloriosum. Quod si Deus loco solis poneret corpus gloriosum, magis mundum illuminaret, quàm sol. Sic erit,* inquit, *Resurrectio mortuorum*; tot tunc soles in cœlo Empyreo oculos beatorum non tam præstingent, quàm suavissimè afficient, ut Theologi loquuntur: *e Illa lux corporis gloriosi, non lædet oculum; sed confortabit.* Expressiùs hoc docuit B. Laurentius Justinianus, *f* ubi de corpore glorioso, hunc in modum eleganter scribit: *Nimiâ quoque* CLARITATE *fulgebit, ita ut solis septies transcendat splendorem; non autem lumine suo intuentium reverberabit aspectum. Sed ineffabili quodammodo confortabit, clarificabitque: erit tota ejus substantia corporis, oculis visibilis; Adeo ut viscerum, cæterorumque membrorum harmonia, conditoris declaret magisterium admirandum.* Quæ & D. Thomæ doctrina est, in 4. d. 44. qu. 2. a. 4. manifestâ visione Cardinalis *g* Damiani rem demonstrat: cùm S. Romualdum illustrem Juvenem, Ravennatium Ducis filium, Religiosus quidam ad monasticam vitam adducere optaret, in templum eum deduxit, ubi corpus S. Apollinaris Episcopi & Martyris reconditum, spondens fore, ut hîc sanctus, illi se videndum præberet, si vicissim polliceri vellet, se Monachum futurum. Ipsis jam in oratione defixis S. Apollinaris à feretro prodire visus est, pontificiâ veste indutus; sed tanto fulgore conspicuus, ut præ illo, sol obscurus videretur. Deinceps Romualdus, quoties solem conspiciebat, videbatur sibi præ splendore illo, vermem noctilucam, aut aliquid etiam minus intueri. Aptam hîc similitudinem adducit S. Cyrillus Jerosol. *ut ex apparentibus crederetur, quod exspectamus, vermibus parvulis* (noctilucis) *dedit Deus æstate* LUCIDUM CORPUS, *ut eo splenderent; qui multo magis illustrabit hominem justum.* V. Pineda in Job cap. 19. vers. 26. Unum Angelum vidit Joannes Apoc. in assumpto corpore, cœlo delapsum, & terra illuminata est à gloria ejus.

Ex quo alterum in corpore glorioso considerandum occurrit,

a Pet. de Natalib. c. 85. b In vita.
c Anselm. lib. similit. ca. 50. d S. Vincent. Dom. in albis serm. 3 e Suar. p. 3 disp. 47. cap. 4. sect. 2. f B. Laurent. Justin. lib. de discipl. & perfect. monasticæ convers. cap. 23.

g B. Pet. Damian. in vita S. Romualdi cap. 2.

H

rit, non modò illud clarum, tersum, lucidum; sed & pellucidum, perspicuum, ac diaphanum fore, ut omnis totius corporeæ machinæ symmetria, intrinsecum illud naturæ artificium, longè perfectius, quàm ulla unquam anatomia deprehendi ac conspici queat, appareat. Virum hac in causa oculatum, Augustinum induco, qui lib. 22. de civit. cap. 30. *Omnes illi*, inquit, *qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt extrinsecus, & intrinsecus, per corporis cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ & mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem, rationabilis pulchritudinis delectatione succendent.* Formosum enim vero spectaculum: nam si olim princeps medicorum *a* Galenus, humani corporis fabricam, crudam per anatomiam rimatus, attonitus exclamârit; *Laudent alii Deos suos thure & victimis, ego laudabo stupore, & admiratione*, quomodo integerrima beatorum corpora, instar vitri pellucida, *rationales mentes, in laudem tanti artificis non succendent?* Hipponensi Præsuli accedit summus Pontifex Gregorius, qui lib. 18. mor. cap. 27. explicans illa verba Job 28. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum*, ait: *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, & quisque erit* CONSPICABILIS *alteri, sicut nunc non potest esse conspicabilis sibi.* Itaque credibile est, corpus humanum, cum omnibus venis, nervis, arteriis, fore instar purissimæ crystalli, singulis partibus suis, coloribus, & figuris distinctis, summâ luce perspicuis ac relucentibus: *cogitandum* est, inquit *b* Lessius, *corpora beatorum cum omnibus suis partibus interioribus, & exterioribus, fore* INSTAR CRYSTALLI PURISSIMÆ. Videre insuper erit in anima alterius, conceptus & ideas divinas, quæ picturas omnes Titiani, & Raphaëlis Urbinatis, nimium quantum antecellent: *Uniuscuiusque* mentem *ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet; sed hoc non esset, nisi essent* PERVIA, ut rectè disserit *c* Bonaventura, *ergo*, quantum putatis voluptatis caperent mortales, potissimum auro & argento inhiantes, si & fundum maris, instar limpidissimi fontis, & universam terræ molem, instar purissimæ crystalli pellucidam cernere contingeret? quàm avidè hîc gemmas, uniones, auri, argentique venas observarent! His tamen multo gratius, multoque præstantius spectaculum exhibuit S. Theresia, eximiæ, & raræ sanctitatis virgo, cujus animum P. Franciscus Ribera, & P. Alvarez, ita perspectum habuêre, *d* ut hîc ostensis suis vitreis perspiciliis, adstantibus dixerit; *Talem, tamque* PERSPICUAM *esse animam Theresiæ* beneficio speciali divinæ gratiæ; in qua aurum charitatis, omniumq; virtutum gemmæ, ac uniones relucebant.

Perspicuos & nos in hoc corpore mortali esse convenit, si ali-

a Galen. lib. de format fœtus.

b Lessius opusc. posth. de beatit. q. 4. a. 6. dub. 3. & de summo bono l. 3. cap. 5.
c Bonav. in 4. dist. 49. a. 2. principali.
d Lancicius de profect. in virtut. c. 5. num. 42.

si aliquando dote claritatis potiri speremus: in verbis, in promissis, in moribus, in omnibus actionibus, intima cordis sinceritas reluceat.

Cœlestis Aquila *a non usitatâ pennâ*, depingit eos, quorum cor inscrutabile, & velut mare spatiosum, ubi reptilia quorum non est numerus & ubi nulla bolide fundum nunc valeas investigare, fore aliquando sicut *b mare vitreum, simile crystallo*; quando intimi cordis sinus; & subdolæ fraudes, & simulatæ amicitiæ, & fictæ devotiones detegentur; & veluti in limpidissimo fonte, relucent in fundo elegantes lapilli, aut viles silices, ac sordes, ita & virtutes, ac vitia, omnium oculis manifesta erunt. Dum quis ad solem, vitrum, aut lucidissimam crystallum contemplatur, in ea quid non transparet? minutissimi nivæ, & atomi notantur. Quòd hi aciem mentis nostræ effugiant, caligo facit, quodque ne radius vel unus divinæ gratiæ, interiorem domum nostram illuminet.

Laudat *c* Plutarchus, nec injuria Julium Drusum Tribunum plebis, cujus ædes, cùm multis locis, vicinorum oculis paterent: artifex ei adpromisit, se ædes ab omni vicinorum conspectu immunes, ac liberas, mercede quinque talentorum, redditurum; Brutus vir Innocentiâ vitæ clarus; decem, inquit, talenta libens adnumerabo, si totam hanc domum conspicuam, & quasi crystallinam reddideris, quo cives omnes, quemadmodum vitam instituam, contemplentur.

Quis vestrûm Auditores sic vivere præsumat? *nemo*, inquit *d* Seneca, *aperto ostio vivere audet*, omnes lucem plerumque odimus, & mortalium oculos subterfugimus; indigni profectò ii, qui dote claritatis donentur. Ceterùm, qui hâc tam insigni prærogativâ, aliquando condecorari ambiunt, digito velut intento, quomodo eam sibi comparare possint, ostendo: Si primùm in omnibus actionibus nostris *intentionis puritas* eluxerit, cui ea, supra ipsum solem illuminandi vis & energia est, ut corpus nostrum densum adeò, & opacum, non modò luce perfundere, sed lucidum solis instar reddere queat, ut S. Lucas testatur: *e Si oculus tuus fuerit simplex, totum* LUCIDUM *erit*, quæ ne actum agamus, alibi fusè deducta reperies. 2. si *f* prælati, prætores, præceptores, patresfamilias, superiores omnes, de quibus dictum est: *g Vos estis* LUX *mundi*: subditis, virtutis ac probitatis exemplo præluceant. 3. si rudes & ignaros subditos, discipulos, liberos ancillas, famulos ignorantes doceant & instruant aut Catechesi, elementis fidei, piis monitis per concinatores imbui sinant: Tales quippe, *h qui ad justitiam erudierint multos*, FULGEBUNT *quasi stellæ in perpetuas æternitates*.

a Horat. b Apoc. 4.
c Plut. in præcept. polit.

d Senec. epist. 43. e Luc. 11.
f Festo S. Martini.
g Matth. 5. v. 14.
h Danielis 12.

§. III.

Seminatur in infirmitate, surget in virtute.

INnuit hîc Apostolus, teste S. Thomâ, dotem *Agilitatis*; quæ à Theologis definitur esse: *a* facultas ad motum localem expeditè, velociter, ac facilè exercendum. Videtur autem hæc facilitas in duobus consistere; primò quòd nullum laborem, vel lassitudinem sentient beati, unde fiet, ut, quamdiu voluerint, possint in hoc pernici motu durare. Quod significatum est illis verbis Isaiæ cap. 40. *Current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*; quod totum provenit ab impassibilitate, ut per motum non alterentur corpora. Secundò consistit hæc facilitas, in summa velocitate motus, juxta illud: *b* *Assument pennas ut Aquilæ*; ad quod plurimum conferet *subtilitas*, quâ fit, ut omnia penetrent, nec quidquam resistat, ut *c* doctissimè Lessius: hinc intelligi „ potest, quî fieri possit, ut tan„ tâ celeritate, ad quamvis di„ stantiam moveantur; nam „ per omnia, instar luminis se „ traiiciunt, sine divisione cor„ porum, per quæ transeunt. Hinc Hieronymus contra Vigilantium, ait: *Sanctos esse ubique, quia in ictu oculi sunt, ubicumque voluerint*. Quemadmodum visus, instanti unico, volat ad ipsas stellas firmamenti, quod [illegible] prædicatoris confirmat *d* Auctoritas: *Nam sicut radius, subito pertransit ab oriente, in occidentem; & oculus, subito de terra videt stellam: sic subito, ad nutum, corpus erit, ubi anima voluerit*; volabit, quò volet, atque illic in momento cœlites toti agiles, velocissimè ferentur. Sunt & filii hominum, alia prorsus agilitate ac velocitate præditi, qui si dignitates, si munia, si beneficia sæcularia, Ecclesiastica, morte cujusdam interveniente ambiant: quot ilico Parisios, Madritum, aut in urbem cursores? quàm multi currunt, si rumores de insperata victoria, aut etiam grande infortunium obvenerit, quàm celeri nuntio ea fama volat? si causa aliquot millium decisa, si aliquot gravioris momenti negotium feliciter peractum, quot literæ, citò, citò, citò, citatis equis destinantur? quorum cursum velocem, sed extra viam, ridet ille, qui *e* piè ac prudenter dixit: *Pro modica prabenda longa via* CURRITUR, *& pro vita æterna, vix pes à terra levatur*.

Cursorum tria genera Lipsius *f* statuit: *Peditum, equitum, animantium*. De peditibus præmitto, quos Græci teste *g* Livio, *Hemerodromos vocant, ingens uno die spatium ementientes*. „ Quantum, inquies? dicam: „ exemplum primum sit in Phi„ lippida quodam, qui in bel„ lo Persico ab Atheniensibus „ Lacedæmonem, auxilij pe„ tendi causâ missus, *confecit* „ *biduo, stadia mille, ducenta, se*„ *xaginta*. Indies hoc videmus, pennis suis corpora volucrum.

a [illegible] p. 3. [illegible] 4. b Isaiæ 40. c Lessi. opusc. posth. de beatit. [illegible] a. 6 num. 5. d S. Vincent. serm 2 [illegible]

e Thomas a Kemp. de imitat. Christi. f Lipsius Epist. cent. ad Italos, & Hispan. epist. 59. Nicolao Mecanstro Romar. g Livius l. 31.

crum, in cœlos evolare, ac pernicissimè ferri; sic tamen ut volucres illæ altiles, saginati anseres, præpingues capones, sua mole, & pondere, humi resideant, nec valeant in altum conscendere. Haud secus accidit iis, qui se hîc gula, & crapula aggravantes: *a Curvæ in terris animæ; & cœlestium inanes*, se farcire, & opplere student; unde & illis, quod avibus evenire solet, si lutum aut liquor alas infecerit, evolare frustra nituntur. Homo temulentiæ luto, aut luxuriæ visco immersus, ne quidquam sursum nititur, defixus in limo profundi. Hinc illud severum Christi monitum; *b Attendite, ne forte corda vestra* GRAVENTUR *in crapula, & ebrietate.* Magna est agilitas equorum currentium, major volucrum, major sagittarum (& præ his, major globi machina bellica excussi) sed omnium velocissimus, solis cursus, qui horâ conficit quinies centena, octoginta octo milliaria horaria; & minuti spatio, 8480. milliaria. Sed corpora beatorum, hæc omnia multis parasangis, pernicitate exsuperant. August. lib. 22. de civit. cap. vlt. *Certè*, inquit, *ubi volet spiritus, ibi protinus erit & corpus.* Et Anselm. lib. similitud. cap. 51. *Ipsis Angelis Dei, æquè celeres erimus, qui dicto citius, de cœlo ad terras, & è converso delabuntur.* Sagittis quandoque literæ in urbem obsessam, per aëra celerrimè immissæ; sed longè major celeritas erit beatorum corporibus, qua Angelis pares, brevissimo tempore è terra in cœlum, sese quasi ejaculantur: non enim per passus, aut vestigia, inquit *c* Lessius, sed totum *corpus simul, uno impetu in locum* SAGITTÆ *fertur.*

Tu itaque si de beatorum corporum incredibili celeritate cogitas, finge tibi navem per immensa patentis æquoris spatia, remis velisque concitatissimè fluentem, finge reginam avium aquilam, toto illo plumarum remigio instructam, contentissimo corporis nisu, acerrimo cupiditatis ardore ruentem in prædas: finge telorum è balistis emissas grandines, fingas istas, quæ à Poëtis memorantur, alas fulminum, & tuum, quando liberum est, animum, & illam animi pupillam, mentem, fulgure velocius per disjunctissima quæque, tam brevi momento discurrentem: hanc si beatorum celeritate contuleris, testudinem cum Pegaso velocissimo, aut aquila pernicissima comparaveris. Hanc si qui hîc parvuli aliquando in corpore suo agilitatem spectent, & exspectent, sagittarum instar celeres ad parentum jussa, & nutus evolent: *d velut filii excussorum*; quocumque missi, in promptu sit illud *Volo.* Similiter omnes subditi, in parendo agiles, ac veloces sint: sic enim quemque eorum commonet Ecclesiasticus: *e In omnibus operibus tuis esto* VELOX; qualis exstitit Asaël ille, à potentissimo rege David inter tres suos triarios, & fortissimos heroës recensitus: *f quia* VELOCISSIMUS *fuit, quasi unus de* ca-

a Persius Sat. 2. b Luc. 21. v. 34.

c Lessius opusc. posth. de beatit. cap. 4. a. 6. dub. 4. d Psal. 126. e Eccl. 31. v. 27. f 2. Reg. 2.

capreis, quæ morantur in silvis. Hac in parte complures Dei servi, omnino mirandos, & verè *a Angelos veloces* sese præbuerunt: quorum vel Elenchum, si ordiri voluero, infinitus sim. Unum habeant famuli, & ancillæ, quem meritò suspiciant, *b* & admirentur S. Bercharium Luxoviensem, qui vinum de cado in urnam depromens, à superiore accitus, urnâ relictâ, festinus accurrit. Vinum verò sicuti fluebat, repletâ urnâ non est effusum, sed stetit, ac si gelu concretum esset.

Conjuges sibi *c* unam Franciscam Romanam in exemplum proponant, quæ orationi cum Deo vacans; quintò ob domestica negotia à marito avocata promptè, celeriter, velociter advolavit; utque ad consuetas preces rediit, versum, quem intercisum reliquerat, aureis characteribus fulgentem reperit. Huic alterum, filiabus Christo devotis proprium adjungo, & finio, quod de virgine Deo dicata ex Joanne Teulero refert Ludovicus Blosius: hæc divino amore flagrans, ut Christum videret, eum speciosi pueruli formam indutum præsentem habuit, cumque ex obedientia, alio cum festinatione accerseretur, puerulo Jesu, ait: En dulcissime Domine mi Jesu, obedientia me vocat, tu interim me hîc exspecta obsecro, si placet, donec ad te redire liceat. His dictis præproperè, celeri cursu, quod facere jussa, peregit. Dein magna cum celeritate, ad cellam reversa, ingenti luce vidit totam collucere: atque ipsum amantissimum Jesum, reperit in ætate perfecta, tanquam elegantissimum Juvenem 24. annorum adstantem. Qui interrogatus ab ea, quid ex pusillo, tam grandis factus esset? respondit: Filia charissima, expeditæ ac velocis obedientiæ tuæ, & promptitudinis virtus, me brevi tempore tam grandem effecit.

Hæc agilitatis futuræ præludia, hæc optima ad illam beatorum dotem, cœlis aliquando consequendam incitamenta, quâ corpora nunc obedientiæ spiritu, & divini amoris impetu, ad omnem Dei nutum promptissimè rapta, erunt sicut Angeli Dei, & instar fulguris corruscantis, momento unico rapientur ab oriente in occidentem; quod ne quibusdam impossibile fortasse videatur, unâ, alteráve similitudine, Hipponensis Antistes rem elucidat; quam ex eo primùm petit, quòd Angelicæ mentes, gravia corpora celerrimè movere (ut Angelus ille, qui Abacuc immenso spatio brevissimè transtulit) vastissimos cœli orbes, velocissimè semper indefessi girare queant: *d Si Angeli possunt sine labore rapere corpora animalium, & constituere ubi voluerint* (quod vel dæmones possunt) *cur Sanctorum spiritus, sine ulla difficultate posse ferre, quo voluerint, & sistere corpora sua, non credamus?*

Aliam similitudinem ducit, à gravi aquarum mole, quam videmus in nubes concretam, per aëra volitare, quidni eâ levitate corpora Sanctorum ferri,

a Isai. 5. v. 2.
b Marulus lib 4. cap. 3.
c In vita 9. Martii.

a August. l. 13. de civit. c. 38.

ferri, nec jam ampliùs corruptibilia, aggravare desinant? *a quorum quaso elementorum pondere, atque ordine efficitur, ut torrentes violentissimi atque undosissimi, antequam sub aëre in terris currant, super aëra in nubibus pendeant*, & pondere suo, ac gravi mole sic devolutæ, rursus solis radiis per vapores attractæ, in nubes leves commutentur? aptissimæ profectò, ad mentes nostras in obsequium fidei captivandas similitudines: atque una salubre documentum, non obstare hanc molem corporis, quin animus sæpe cum Apostolo in cœlos evolet, quò etiam Sanctorum corpora in divinorum contemplatione sequebantur, ut, dum adhuc in terris degimus, *b conversatio nostra in cælis sit*. Quod fiet, si terrena desideria, quæ *c deprimunt sensum*; si sensibiles voluptates, si corporales curas, si iniquitates, quæ *d sicut* ONUS *grave* GRAVATÆ *sunt super nos*, seponamus: hæc porrò causa est, quòd mens in Deum suum, liberè nequeat evolare: *e onera patitur, pondera sustinet, ad ipsum Deum cogitandum, quanta impediunt?* Quæ impedimenta & onera, ut abiiciamus, excitat nos mellifluus doctor, eorum exemplo, qui curis omnibus humanis sepositis celerrimè è terris in cælum, animo abripiebantur: neque enim corpora, quæ corrumpuntur, illas aggravat animas, aut terrena inhabitatio, sensus eorum tanquam multa cogitantes deprimit. Sublatum est impedimentum omne de medio, occasio universa sublata, materies nulla relicta est, quæ eorum *affectum* AGGRAVET, *vel* DEPRIMIT *f intellectum*, quod est etiamnum in terris agilitatis dotem participare.

a Aug. l. 22. de civit. c. 11.
b Philipp. 3. c Sap. 9.
d Psalm. 37. v. 5. e Aug. in Psal. 102.

§. IV.

Seminatur corpus animale, surget spiritale.

VNde ut spiritui sit simile, requirit facultatem penetrandi alia corpora, absque ulla læsione, vel figuræ immutatione: quæ facultas vocatur à doctoribus SUBTILITAS. Hac beatorum corpora dotanda, probat idem Apostolus ad Philippenses 3. *Reformabit corpus humilitatis nostra, configuratum corpori claritatis suæ*; quod expressè de dono subtilitatis, intelligit *g* S. Ambrosius: *Per Resurrectionis corporea qualitatem, impervia usu clausa* PENETRAVIT. Et S. Damascenus lib. 4. de fide cap. vlt. *Hoc enim designat spirituale* (quòd sit impassibile, & subtile) *quale Domini corpus post resurrectionem*, CLAUSIS PORTIS INGREDIENS.

Apertissimè verò ad propositum S. Vincentius die S. Paschæ serm. 2. seminatur corpus „animale, id est, habens bestiales motus inordinatæ concupiscentiæ. Sed resurget spiritale id est, totaliter subjectum spiritui, quod in nullo præstabit impedimentum animæ; sed omnia penetrabit. Ut Deus manifestis prodigiis in Sanctis suis declaravit. Bozivus de signis Eccl. lib. 15. signo 61.

f Bernard. g Ambr. in Lucam c. 10

cap. 5. quod accidit corpori Christi, ut obsignato sepulchro, & januis clausis glorioso corpore penetrârit, id & Alexandro Pontifici summo accidit, qui è carcere clauso, in ædes Quirini clausas, ad Hermetem penetravit. S. Dominicus cùm iter faceret, unà cum quodam ex ordine Cistercienfi, ac de via fessus ædes reperîsset occlusas, precibus se dedit, & protinus nullo aditu patefacto, mirabiliter ipse & comes intrò se reperêrunt. Columba, virgo Reatina, è cubiculo undique obstructo, Perusium pervenit. Simile quid de Catharina Raconisiâ, S. Ludovico aliisque commemorat, sed illud, quod Metaphrastes scribit, omnem superat admirationem: Hibernabant Edessæ in præsidio milites Gothi; ex his quidam, speciosæ puellæ captus amore, cœpit eam miserrimè deperire. Cùm nulla daretur via, quâ posset illâ potiri, in conjugem illam sibi efflagitavit: Reclamârunt parentes & propinqui, indignum rati, ut homini barbaro puella traderetur; victi tandem precibus, aut minis, assensum dedêre. Mater à cujus gremio ægerrimè abstrahebatur, non priùs illam barbaro dedit, quam duxisset in templum SS. Samonæ, Curiæ, & Abibi Martyrum, ibique datis sanctis illis fidei jussoribus, eam bene habendam Gotho, dum primum dedit. At efferus ille voti compos, ubi libidinem exsatiavit, abreptam in patrium solum, procul à suis puellam, pessimo, atque atrocissimo consilio, vivam sepulchro inclusit: quippe qui domi aliam conjugem haberet. Ubi Edessena filia, post innumera lamenta, plurimosque ejulatus, ad opem Sanctorum confugere, illos obtestari, fidejussionem præstitam vociferationibus miserandis inclamare. Et ecce adstitêre illi, in veste lucidissima, ac bono animo esse jusserunt; moxque somno correpta, è sepulchro probè obserato, reperit se bene manè è remotissima regione, in patrium solum penetrâsse. Cujus rei gestæ ignarus Gothus, postea veterem stationem, ipsamque filiam revisens, agnitus supplicio affectus est. Omnium quidem Philosophorum sententia, atque ut ipsi experimur, certissima est, non dari naturaliter corporum penetrationem; sed quemadmodum id per donum subtilitatis, divinâ virtute fieri possit, vobis in symbolo proposui: dum solem exorientem objeci, radiis suis vitrum prorsus illæsum penetrantem: *Transit, non frangit.* Quam comparationem doctissimus a Lessius adducit, agens „ de beatitudine: Illud corpus „ poterit se per alia corpora „ transfundere, sine ulla sui, „ vel alterius læsione: *sicut lu- „ men sese per vitrum fundit, sine „ ulla sui vel vitri læsione*; Quod „ exemplum esset omnino si- „ mile, si sententia Platonica, „ lumen esse corporeum, vera esset. Propositum Emblema, mirâ confirmat historia, Rupertus Abbas Tuitiensis cœnobii, juxta Coloniam, ordinis S. Benedicti, vir in divinis scripturis, Spiritu Sancto per visionem illustran-

a Less. de Beatit. qu. 4. art. 6. dub. 5.

lustrante doctissimus, atque ipse *a* Cardinalis Baronius: sic etenim *b* Rupertus in commentario, quem tunc scribebat de divinis officiis his verbis: Sed ecce, inquit, dum hæc scribimus, jucundo, per quendam fratrem nostrum, gratia Resurgentis nobis arridet miraculo. Testor illam beatam ac deliciosam noctem, in qua Christus ab inferis victor ascendit, me nihil super hoc mentiri; fratris tamen ejusdem nomen tacebitur, quoniam & hoc obnixè precatur, res autem ejusmodi est: hoc sancto Paschæ sabbatho, anno millesimo centesimo undecimo, in Ecclesia S. Laurentii, ad præcedentes ejusdem diei matutinas, extinctis de more cunctis luminaribus, dum eorum ultimum extingueretur, & ad canticum Euangelij, hæc Antiphona à Domino Abbate Berengero imponeretur: *Mulieres sedentes ad monumentum*: ecce repente ante pedes illius projectum cecidit ipsius, quo firmiter substrictus erat, cingulum. Ille solutum esse, & cecidisse suspicatus, inclinavit se, ut tollens illud, rursum sese accingeret: cumq; manus injecisset, ut illud sibimet circumdaret, nodum, ut erat, fortiter adstrictum, non cedere sibi, ultra, quàm dici potest, admiratus est. Intendenti & secum cum stupore magno reputanti, quid hoc sibi vellet cingulum, quod forti nodo corpus suum arctè cinxerat, non soluto nodo, sed firmiter, ut fuerat, constricto, ante pedes projectum? Ecce vox facta est, & sibilum tanquam auræ tenuis, audivit dicentem sibi:

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro,

Siquidem hæc (ut ipse referens testatus est) admiratio mentem ejus persæpe subibat, quomodo verum Domini corpus, clauso resurgere monumento, clausis potuit januis ingredi ad discipulos. Alias nec minùs congruas similitudines „ congerit *c* S. Vincentius: „ Subtilis est aër, inquit, vel „ ventus transiens per rimam, „ vel parva foramina: subtilior „ est lux, quæ transit per fene„ stram vitream, per quam non „ potest ventus transire; sed ad„ huc subtilior est vox homi„ nis, vel sonus campanæ, „ quam vos auditis in camera, „ & *januis clausis, intrat eo.* Audit Mater è cubili clauso, puerum in impluvio vociferantem, audis è musæo tuo occluso, intrà domesticos parietes, pulsum campanarum. Hæc virtus, hæc vocis subtilitas est, quâ, dum lubet, uti licet, & cœlos ære fusos penetrare: *d quia oratio humiliantis se nubes* PENETRAT; donec tandem eâ beatorum sorte fruamur, ut etiam corpore, omnes aggeres, omnes obices, omnes januas, & muros omnes penetremus; uno duntaxat excepto, qui hâc tantâ nos beatorum felicitate privabit, atque *e hic murus aheneus esto*; PECCATUM scilicet lethale, quod inter nos, & Deum, ita dividit, ut totâ æternitate ad eum penetrare non valeamus, juxta illud *f* Isaiæ: *Iniquitates vestræ* DIVISERUNT *inter vos, & Deum vestrum.* Hunc obicem

 si-

a Baron. an. 1111. n. 47. 48. 49.
b Rupert. de divin. offic. l. 8. c. 4.
c S. Vincent. ferm. 3. dom. in albis.
d Eccl. 35. e Horat. l. 1. Epist.
f Isa. 59.

si quis, quod Deus avertat, in se reperiat, demoliri satagat, & cum Psalte regio, hodie exclamet: *a in Deo meo transgrediar* MURUM, secumque firmiter statuat, hunc murum, Deo adjuvante, nunc eversum, nunquam erigere. Hæc prolixiùs quidem, quàm putarem; sed pro materiæ dignitate breviuscomplexi sumus. Unum superest, ut vos paucis, cum Seraphico doctore inflammem, & quoties hanc solis lucem intuemini, toties quatuor illæ, quas hactenus beatorum corporum excellentias deprædicavi, animo obversentur: *b Lux* quippè, *habet quatuor illas proprietates, sicut patet in radio scilicet* CLARITATEM, *quia illuminat:* IMPASSIBILITATEM, *quia nihil ipsum* (ne ignis quidem) *corrumpit:* AGILITATEM, *quia subito vadit:* PENETRABILITATEM, *quia corpora diaphana, sine eorum læsione pertransit.* Quibus uti confido, omnes omni æternitate perfruentur.

a Psalm. 17.

b Bonav. in 4 dist. 49, a. 2. qu. 1.

FESTUM

FESTUM SECUNDUM PASCHÆ.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem? Luc. 24.



——*natale solum dulcedine cunctos*
Ducit. Ovid. de Ponto, l. 1. el. 4.

ARGUMENTUM.

Omnes nos in hoc orbe peregrinos esse, & sacrarum literarum oracula, & sanctorum patrum testimonia, & quotidiana mortalium omnium, alio proficiscentium experientia, rem compertissimam facit; Interim quotusquisque se in domo sua, velut in diversorio commorari, opum; fortunarum, supellectilis omnis, quamtumvis pretiosæ usuram, velut peregri-

peregrino sibi concessam, ac brevi deserendam, arbitratur? Tu quisquis es, Nobilis, rusticus, dives, pauper, doctus, indoctus, *a* PEREGRINUS *es super terram, sicut omnes Patres tui.* Etiam stans, sedens, dormiens, progrederis, navigantium more, inquit *b* Ambrosius: *Sicut in navibus dormientes, ventis aguntur in portum, etsi nullus quiescentibus sensus est navigandi; tamen cursus eo. urget ad finem, & impellit ignaros; sic vita nostra spatio defluente, ac proprium unusquisque finem, cursu labente deducitur.* Unum dumtaxat solerter hîc observandum, ne dum amœnitate ducimur viæ, obliviscamur patriæ.

a Psalm. 38. b Ambrof. in Psalm. 1.

§. I. *Omnis homo* IN HAC VITA PEREGRINUS *est, ait Aug. in Psalm.* 55.

II. *Quæ partes, ac proprietates veri peregrini?*

III. *Molestias viæ, amor patriæ, peregrinantibus breves, ac leves facit.*

FESTUM SECUNDUM PASCHÆ.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem? Luc. 24.

BEnignissimus Redemptor noster, hîc inter homines conversatus, varia obivit munia, varia, ut sacræ paginæ testantur, sortitus est nomina: nunc Agricolæ, quandoque Magistri, nonnunquam Medici, subinde Mercatoris: quin etiam se *a* pastorem nuncupat; Matthæus *b* illum Regem compellat: Lucas *c* denique eum Peregrini habitu efformat; quo in schemate eum olim videns in spiritu, divinus vates *d* attonitus exclamat: *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Et de se ipse per alium Prophetam *e* vaticinatur: *Quasi* PEREGRINUS *fui in oculis eorum.* Fuit tota vita peregrinus in terra homo cælestis, maximè peregrinas in se dotes complectens: quid porrò magis peregrinum, quàm homo comprehensor & viator? quàm homo miser, miraculis stupendis corruscans? denique quid peregrinum magis quàm Deus homo?

Primum in ortu suo natali peregrinum se Salvator exhibuit, extra patriam natus Bethlemi, non Nazarethi, ubi conceptus: natus in aliena domo, seclusus publico diversorio. Deinde in infantia, pueritia, adolescentia, educatus extra natale solum. Ipso verò prædicationis exordio, Capharnaum profectus, ibi quoad vixit, proprias ædes, ne quidem conductas habuit: usus ædibus socrus Petri, aut alterius discipuli; & aliquoties Jerosolymam

a Ioan. 10. b Matth. 21. c Luc. 24. d Ierem. 14. e Iob 19.

lymam veniret, aut Bethaniam diverteret, alieno tecto utebatur, non consistens certo loco. Euangelium pedes, instabilis ac vagus, inops & egenus, tota Palæstina circumferebat.

Tandem *a* PEREGRINUS IN JERUSALEM: Etenim quemadmodum peregrini ignoti sunt, sic Christus ignotus fuit in Jerusalem; ignotus principibus Sacerdotum, ignotus Pharisæis, ignotus scribis, neque enim Messiam plene cognoverunt. Psalm. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis: &* PEREGRINUS *filiis matris meæ*, quem nudam extra civitatem, in aperto campo cruci affixerunt, in alieno monumento tumulárunt. Exinde redivivus, hodiernâ die discipulis peregrinantibus, peregrinum se adjunxit. Ubi illud observandum occurrit, ut Agricolæ, Magistri, Medici, Mercatoris, pastoris, Regis partes hîc in terris egerit; nusquam tamen, nec unquam specie, aut habitu se talem exhibuisse; unius duntaxat peregrini personam indutus, à Resurrectione sua euntibus in Emmaus apparuit. Etenim ubi Marcus *b* ait: *Duobus ex illis ambulantibus, ostensus est in alia effigie*, Cajetanus exponit, quòd *in forma* PEREGRINI, *seu advena visus est*. Hugo Cardinalis *c* ait: *Habitum* PEREGRINI *habuit, propter quem videbatur alius, nec agnoscebatur*. Venerabilis Beda in Lucam: *Revera* PEREGRINUS *erat Christus discipulis, à quorum naturæ fragilitate, perceptâ jam Resurrectionis gloriâ, longe distabat.* Disertissimè omnium ac divinissimè *d* Hipponensis Antistes: *Hospes in terra esse voluit Dominus cæli*, PEREGRINUS *in Mundo, per quem factus est Mundus.* Ecquis non admiratione, ac stupore attonitus hæreat, cæli Dominum, Mundi Domitorem, de ipsis inferis ac morte acerbissima gloriosissimè triumphantem, non regio diademate redimitum, non purpurâ, auro, gemmisque distincta, alióve gloriæ ornamento indutum, sese spectandum præbuisse, sed pauperis peregrini formam induisse? quid cum victoriæ Laurea, vilis petasus, cum sceptro baculus, cum triumphatoris purpura, peregrini sagum? atque ut paucis complectar, quorsum amabo vos auditores, Christus hodie peregrinus apparuit? B. Laurentius Justinianus *e* Patriarcha Venetus hanc causam adducit: *Vt nobis hic peregrinantibus de se exemplar proponeret.* Ex oculis quidem discipulorum evanuit, at ne peregrini nobis unquam species excideret, sub speciebus Eucharisticis, veste prorsus peregrinâ eaque levissima, adinvento divinitatis hactenus incognito, nobiscum ad consummationem sæculi peregrinari voluit Quod melieus *f* Doctor expendens, ait: *Tenebantur oculi eorum, quia Dominus erat in habitu* PEREGRINI: *& cùm eum quotidie perspicimus in altari sub speciebus panis & vini, nobiscum habitat in habitu* PEREGRINI. Causam *g* noltis? *Vt nobis hic peregrinantibus de se exemplar proponeret*; Ut omnia hæc

a Luc. 24. b Marci 16. c Hugo Card. in Marci c.16.

d August. Serm. 1.5 de temp. e B. Laur. Iustin. l. de perfectionis gradibus c. 10. f S. [illegible] hom. de duob. discip. euntib. in Emmaus. g B. Laur. Iustinian. cit.

hæc terrena ut verè fluxa & transitoria contemnamus, in mundo hoc quasi in diversorio pernoctemus, atque ad cælestem illam patriam contendentes, peregrinationis hujus incommoda, ac itineris molestias leves & breves ducamus.

§. I.

Omnis homo in hac vita PEREGRINUS *est* : ait August. in Psal. 55.

GEneseos c. 47. Patriarcha Jacob cum omni familia in Ægyptum profectus est, ut filium suum Josephum, quem mortuum & à fera miserè discerptum luxerat, vivum atque in regno Pharaonis potentissimum principem, à Rege primùm salutaret; mox itaque Joseph Regi nuntiavit parentes suos cum omni familia è Chanaam, in terram Gessen advenisse, ibique voluntatis regia jussa præstolari: unâ etiam quinque fratrum suorum natu maximos stitit coram Rege; quos ille interrogans: Quam, inquit, artem factitatis? illi ut à fratre jam edocti erant. Pastores sumus, inquiunt, servi tui & nos, & majores nostri, *ad* PEREGRINANDUM *in terram tuam venimus*. Non diu pòst, quoque patrem suum in conclave regium introduxit. Rex faustissimâ precatione senis acceptâ, primùm illud interrogare habuit: Bone senex, *quot sunt dies annorum vitæ tuæ?* respondit: *Dies* PEREGRINATIONIS *vitæ meæ, centum triginta annorum sunt, parvi & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus* PEREGRINATI *sunt*.

Jure meritissimo Jacob cursum vitæ suæ 130. annorum, peregrinationem quandam, eamque brevem dictitavit, respectu Patrum suorum, qui supra nongentos annos vitæ computant; & his omnibus eos nihilominus peregrinos fuisse asseverat. Quod vivaci sensu, & altâ mente repôstum servavit olim Guerricus quidam præcellens philosophus: hic cùm audîsset legi: a *Factum est omne tempus, quod vixit Adam Anni nongenti triginta, & mortuus est: facti sunt omnes dies Seth, nongentorum duodecim annorum & mortuus est, factique sunt omnes dies Enos, nongenti quinque anni, & mortuus est. Facti sunt omnes dies Cainam, nongenti decem anni, & mortuus est. Facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est*: quam clausulam *& mortuus est*, secum assiduò ruminans, ac post peregrinationem adeò etiam longinquam, eos transiisse reputans, brevi cursus sui portum prospiciens, sub sancti Dominici auspiciis velificare occœpit. Psaltes Regius idem, quod Jacob, censuit, atque apud summum Regem, idem palam confessus est: b *Advena ego sum apud te, &* PEREGRINUS *sicut omnes patres mei*. Nec minùs sapienter c Salomon: PEREGRINI *sumus coram te, & advenæ, sicut omnes patres nostri*. Toto aberrat cœlo, qui sibi patriam in exilio fingit, qui manentem civitatem in itinere

a Chronica frat. Domican. b Psal. 38. v. 13. c Paralip. 29.

itinere somniat: mundus omnibus diversorium, omnes hîc hospites sumus & peregrini, transeundum est. Rem tetigit & expressit *a* Augustinus: *Vnusquisque hîc, & in domo sua* HOSPES *est; si non est* HOSPES, *non inde transeat; si transiturus est*, HOSPES *est*. Quot amplissimæ hujus urbis ædes conspicaris, tot tabernas, tot diversoria numerare est, transeundum est: *Non te fallas*, HOSPES *es, velis, nolis; sed dimittis illam domum filiis tuis* HOSPES *hospitibus*. Hac super re Christianum Apophthegma vir nobilis nobilem edocuit. Toparcha quidam *b* facultatibus abundans, dictus Gerardus à Kampis amplas sibi ædes ac percommodas è fundamentis exstruxerat, omni supellectile, non modò necessariâ, sed perquam sumptuosâ insuper, adornârat: ad has regio luxu epulis instructis, propinquos sibi territorii dominos invitavit, ut geniali haustu novam fabricam irrigarent. Capaciorem fortè sub bellaria, fistulam manu prensans, convivas percontatus est, quid sibi quid fortunæ suæ abesse putarent? an non se ut terrestrem Deum omnes suspicerent, ac verè existimarent? omnibus passim applaudentibus, unus emunctæ naris, & mentis candidæ, hæc cedro digna liberè prolocutus est: cognate mi, has quas adeò commodas, & ad amussim, & normam vestram, ædes amplissimas jactitas, mihi imperfectæ videntur, quia foramen aliquod prius obturandum est, ut opus omnibus numeris absolutum censeatur. Ec quodnam illud, quærit Gerardus? ostium, inquit alter, per quod ex hoc diversorio, brevi ad cœmiterium transiturus es, & hanc, quam tuam domum, & habitationem dicis, alteri relicturus es. Quod viri sanè prudentis effatum, ita Gerardi animum pupugit, ut peregrinationis memor, sæculo spreto, ad religiosum claustrum commigrârit. Utinam id omnes in animum inducant suum, tot quot ædes ac domos dicunt, & ducunt suas, tot esse diversoria, è quibus aliò transeundum est. Hinc ridet Africanus *c* Antistes eum, qui se jactat possidere domum: *quam domum tuam?* inquit, *quam mihi dimisit pater meus. Et unde habuit hanc domum? Avus noster eam illi dimisit; recurre ad proavum, inde ad atavum, & jam nomina non potes dicere. Nonne inde potius terreris, quia multos ostendis* TRANSISSE *per illam domum? pater tuus hîc eam dimisit*, TRANSIVIT *per illam, sic & tu* TRANSIBIS. *d* Genuæ Ligurum ædibus magnificis præfixit, instaurator præsagus futuri, hoc poëtæ hemistichium:

Nulli certa domus.

Et vero ab eo, brevi ad alienos, domus illa transiit, cessitque Principibus d'Oriâ, ac ipse aliò commigrare compulsus. De iis, qui in diversorio hospitali fuêre, vulgo jactatur: transiit, *hy is gepasseert*. Vides præcipuis diversoriis præfixa insignia, seu gentilitias tesseras, talis Comitis, Marchionis, Principis; sed ipsi transierunt, nec quid superest nisi illud Sapientis, *e memoria* HOSPITIS *unius diei*.

a S. Aug. Serm. 31. de verbis Domini. b Poissers larva mundi in præf. c S. August. in Psal. 122. d de l'Angre inconstance tom. 1. e Sap. 5.

dici prætereuntis; quod ingenioso ac religioso epitaphio posteris consignavit Albertus Archiepiscopus Moguntinus, & S. R. E. Cardinalis, *a* qui sepulchro inscribi voluit, PERNOCTAVI *hîc in mundo, omnes sequimini.* Consimile quid in viri nobilis ac præpotentis exsequiis fieri videmus, ubi Dominus domus transiit, gentilitiæ tesseræ domibus præfiguntur, sed ipse transiit, *hy is gepasseert:* & ante ipsum, qui ædes hasce illi dimisit, pertransiit; transiêre & alii, transibis & tu: *b non te fallas, hospes es, velis, nolis: cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis,* nec mansurus manes, *nec mansuris relinques* Mercator opulente, *non te fallas, hospes es:* Expertissime Domine, *non te fallas, hospes es.* Consultissime Domine, *non te fallas, hospes es.* Amplissime, nobilissime Domine, *non te fallas, hospes es:* transeundum est, domus tua non habitatio, sed hospitium, diversorium est. Quod ut ad mores, pleniùs prosequamur; In urbe hac, quàm varia reperire est hospitia, vario nomine, prætenso signo indigetata? Alii hospitantur *in Cæsare*, alii *in Cygno*, quidam in *Leone*, nonnulli in *pavone*, &c. in *Cæsare* hospitantur ambitiosi: in *cygno* vel ansere, qui liquido gaudet (*altijt met den beck in 't nat*) ebriosi: ad *leonem*, divertunt iracundi; ad *pavonem* superbi: *ad caput aureum* (*in 't gulden hooft*) declinant avari: ad *porcum*, luxuriosi. Prostat Antverpiæ signum ædibus, [illegible] ovis duos inter lupos depicta subjecto lemmate, in *mille periculis* (*in duysent perijckelen*) hîc hospitantur filiæ, inter lascivos procos constitutæ, hîc juvenes inter puellarum greges versantes. Vos animæ Deo devotæ, Christo desponsæ, quo subinde divertitis? nonne aliquæ in viridi pergula? (*in 't glorietten?*) quæ diligunt vanitatem. Nonnulli *in media luna*, quæ suis semper in defectibus manent, nec ullum in virtute progressum faciunt. Aliæ in *psittaco*, omnino garrulæ: quæ iam in *alveari* (*in den soeten inval*) commodi proprii amantes: in *testudine* tardæ: alii in *Angiportis* (*in 't straetjen sonder eynde*) quæ sibi aliisque molestæ, querulæ, sine fine dicentes. Maxima verò mortalium pars, in *mundo inverso* (*in de verkeerde vverelt*) qui terrena cœlestibus, fluxa æternis, corpus animæ, carnem spiritui anteponunt, peregrinationem hanc velut mansionem amant.

Quisque hîc, cùm hospes sit, ex diversorio transeat: qui hactenus in *cygno vel Ansere* hospitati, nunc temperantes, divertant ad *avem paradisi* (*den paradijs vogel*) qui vescitur aurâ: qui in *leone*, nunc in columba sine felle: qui ad *caput aureum* declinârunt, nunc ad *manum auream*, in egenos profusi, divertant: qui in *porco*, nunc in *lilio*: quæ inter mille pericula, nunc hospitentur in *unione* (*in de perle*) qui conchylii inclusus candorem servat: quæ in *semiluna*, nunc in *plena*: animæ [illegible] garrulæ, quæ in *psittaco*, [illegible] sterum in *pisce*: quæ inte[illegible], nunc in *cervo vel aquila* [illegible] commodi amantes in *cruce* (*in 't gulden cruys*) omnes denique, qui in

a Fabriferia 2 Pasch. b S. Aug. Serm. 31. de verb. Dom.

mundo.

mundo inverso & perverso, tandem in converso (*in de bekeerde wereldt*) hospitentur. Perversè nimiùm hic mundus inversus decipit te, dum ædes tuas, horrea tua, villas tuas, fundos tuos, prædia tua, ut semper mansurus incolis, & mansionem hîc tibi perpetuam, mundum hunc stabilem fingis, nec omnia hæc ut verè transitoria consideras, cùm primum veritatis oraculum sit: *a Mundus* TRANSIT, & omnia, quæ in mundo sunt.

Steden en Rijcken,
Hebben haer lijcken.

Scitè *b* Seneca: *Quæcunque videmus ac tangimus*, FLUUNT Opes, delitiæ, voluptates, honores, *c omnia fluminis more feruntur.*

Eusebius Emissenus *d* humana omnia aquæ comparavit, quid mirum si fluant? hoc aureum ejus pronuntiatum: *Quemadmodum aqua manibus hausta quanto magis premitur, tanto citius defluit; sic mutabilia cuncta, quanto magis ratio prosequitur, tanto magis amittit.* Exemplum à te ipso sume, quisquis es, ô homo! vide, ut instar aquæ in terram dilabaris, è qua recurras nunquam: *e Omnes sicut aquæ dilabimur.* Cui congruit illud Augustini in Psalm 109. *de torrente in via bibet.* Ubi sic ait: *Torrens*, PROFLUXIO *mortalitatis humana est. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur: & aliis morientibus, alii nascuntur. Quid hic tenetur? quid hic non decurrit?*

——f eunt anni more FLUENTIS *aquæ:*
Nec quæ præteriit rursum revocabitur unda,
Nec quæ præteriit hora, redire potest.

S. Hilarius *g* querulas Israëlitici populi voces expendens, *super* FLUMINA *Babylonis, illic sedimus, & flevimus*, sic ait: *Flent omnes, qui se captos in Babylone sentiunt, & sedent super* FLUMINA: *omnia enim sæculi, & corporum bona, instar* FLUVII *sine aliqua cursus sui statione* PRÆTERFLUUNT *& transeunt. h* Quâ piâ commentatione Adolescentes duo, illustri stemmate prognati, è fluxis ad æterna animum appulerunt: cùm etenim anno 1280. alter Carolus nomine (qui postea Abbas Villariensis) alter Gerardus, ex hastiludio reversi, amœnissima prata, rivosque obequitarent, pacti inter se silentium, bene longo tractu, tacitâ rerum humanarum contemplatione abrepti, processerant, cùm alter alterum tandem percunctatur, quid cogitârit, quid animo voluerit. Respondit Gerardus, quòd in arboribus, pratis, floribus, fluviis, figuram hujus mundi, quæ præterit & transit, sibi repræsentâsset. Idem Carolus secum attentâ mente expenderat, atque ambo spretis perituris ac fluxis sæculi bonis, Religionem amplexi, æternis inhiârunt. Idipsum sanctus Augustinus *i* cuique vestrûm inculcat: *Quid vis, utrum amare temporalia, & TRANSIRE cum tempore? an mundum non amare, & in æternum vivere?* nam ut rectè Doctor gentium admonet; *a* PRÆ-

a 1 Ioan. 2. v. 17. b Seneca Epist. 59. c Horat. d Eusebius Emissen. l. 11. de præp. Euang. c. 7. e 2 Reg. 14. f Ovid. l. 3. de arte.

g S. Hilarius in Ps. 36. h In Annalib. cœnobii Villariensis Pennequin amour divin. p. 1. c. 2. i S.Aug. in 1. Ioan. 2.

a PRÆTERIT *figura hujus mundi*; sicut in solemni supplicatione tot personatos, tot mercatores, tot plebeios, tot nobiles, Senatores, Canonicos, Prælatos spectamus; sed omnes prætereuntes: è mercatoribus hujus urbis, paucis annis quot præteriêre? quot è plebe, è nobilitate? nil stat:

b Omnia sic IBANT, *sic* IBIMUS, IBITIS, IBUNT.

Quare fatuos hujus mundi amatores, sic compellat *c* Cantuariensis Episcopus: *Nolite conjuranter mundum diligere, quando ipse, quem diligitis, non* POTEST CONSTARE; *in cassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse, quem amatis.* Quando ipsum, quod diligitis, aurum & argentum non constat, quando ipsum, quod diligitis, fugit & fluit, volvitur & revolvitur; *d quid porro tam incertum quàm* RES VOLUBILIS? *nec immeritò ipsa pecunia rotunda signatur, quia* NON STAT. Denique quid tam volubile, quam orbis ipse qui assiduò

Volvitur & volvetur in omne volubilis ævum.

Copernicus præcellens Astrologus, & in mathematicis disciplinis facilè princeps; systema quoddam cœleste oculis subjecit, quod maxima orbis ingenia exagitavit, & in admirationem rapuit, docet ille, ac demonstrat, cœlos omnes velut ære fusos, immotos consistere, omnesque stellas aut planetas, quos rapidissimo cursu assiduò volunt circumferri, fixos, stabiles, ac velut gemmas metallo insertos, seu adamante vinctos immobiliter conquiescere; orbem verò terræ, cum montibus, & silvis, templis, turribus, ac palatiis, celeri motu circumgyrari, nosque in hac velut insula fluitante, aut vasto Myoparone consistentes, existimare cœlum, solem ac stellas pernici motu agitari, eò quòd nos ipsi unà cum terra provehamur: quemadmodum navigantibus accidere solet, quibus è portu jam provectis, vicina littora & turres, & arbores præterire videntur, ut ille apud poëtam:

e Provehimur portu terræque urbesque recedunt.

Quam speculationem sanè ingeniosam, ut alii nullo nimiam fundamento explodant, nobis perquam utilem, ac verissimam ad mores doctrinam suppeditabit, illudque verissimum comprobat, *quia mundus* TRANSIT.

Est illud sensuum vitium, ut stare credat, quod naturâ fluxum est, nec sentiunt moveri, quod cursu fertur velocissimo: *f Interdiu solem*, inquit *Philo*, *noctu lunam, stare imaginantur oculi corporis; cùm tamen nemo nesciat, horum siderum cursum esse concitatissimum, qua totum cœlum intra unum diem obeunt.* Eadem in terrenis nos dementia exagitat, stare putamus, quæ celerrimè feruntur & præterfluunt, nosque cum illis velut navigio ferimur, unde Bernardus *g* unumquemque compellans; *Homo es* NAVIGANS, *sicut & omne humanum genus in hoc mari magno & spatioso*; sive sedeat, sive stet, seu ludat

a 1 Cor.7. b Epitaph. Antverp.
c S.Anselm. in c.12.ad Rom.
d August. in Psal. 83.
e Virg.l.3. f Philo lib.de conf. ling.
g S. Bern. Epist.222.

ludat, seu comedat, vigilet vel dormiat, navigans semper provehitur; ut pleniùs ac planiùs Mediolanensis Antistes a tradidit: *Sicut in navibus dormientes, ventis aguntur in portum, etsi nullus quiescentibus sensus est navigandi; tamen cursus eos urget ad finem, & impellit ignaros: sic vita nostra spatio DEFLUENTE ad proprium unusquisque finem, cursu labente deducitur.* Vides in navi Antverpiensi, Brugensi, Bruxellensi; garriunt, ludunt, edunt, bibunt, & appulsi sunt, antequam resciunt. *Tu dormis*, inquit Gregorius, & *tempus ambulat*; tu garris, & *tempus ambulat*; tu ludis, & *tempus ambulat*; tu potitas, & *tempus ambulat*. tu sternis, quiescis & *tempus ambulat*. Opportunum hîc, quod homini peregrino accidit, qui in exteras terras proficiscens, vastum nemus ingressus fuerat, ubi nocte ingruente, totus defessus & exhaustus, in clivo quodam resedit, ut somnum caperet, manè experrectus, stetit attonitus, alio se in loco esse, longè dispari ab eo, quo elapso vespere conquieverat: anné, inquit, somnio, aut quis oculos fascinat meos? ubi rupes, quam heri hîc prope spectavi? ubi castrum, quod eminus conspexeram? unde hæc nova loci facies? ac tandem clivum, in quo resederat intuitus, advertit se dorso ingentis testudinis indormiisse, quæ eum noctu adeò provexerat, ut locum manè non agnosceret. O si quisque nostrûm oculos aperiat, & attendat testudinem hanc, vitæ nostræ sensim sine sensu, nobis quiescentibus ac dormientibus semper gradientis symbolum esse, quam vigili curâ quisque temporis rationem haberet: Hoc motivo idem Doctor, Andream virum nobilissimum ab Imperatoris obsequio, „ ad portum religionis perduxit: *Cur*, inquit, b *magnifice fili, non consideras, quia mundus in fine est? vita nostra NAVIGANTI similis est: is, namque qui NAVIGAT, stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur. Ita ergo & nos sumus; quia sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes, per momenta singula quotidie ad finem tendimus.* Ubi igitur finis nostri dies advenerit, ubi „ nobis erit, quod modò cum „ tanta cura quæritur, & cum „ solicitudine congregatur? non „ ergo honores aut divitiæ „ quærendæ sunt, quæ dimittuntur; sed si bona quærimus, „ illa diligamus, quæ sine fide „ habebimus. Unde magis „ suadeo, ut magnitudo vestra „ in suo proposito, in parvo „ tempore, delectabili receptaculo *peregrinationis* vivere „ studeas, & quietem & tranquillam vitam ducere: sacris „ lectionibus vacare, cœlestia „ verba meditari, in æternitatis amore te accendere. „ Hæc magnifice fili loquor, „ quia multum te diligo, & „ quia in procellas & fluctus „ cordis tendis, verborum meorū funibus te ad littus revoco: „ & si trahentem sequi volueris, quæ pericula evaseris, quæ „ gaudia inveneris, in ipso quietis

a Amb. in Ps. 1. v. 1.

b S. Gregor, lib. 6. Regist. Epist. cap. 190.

quietis tuæ littore positus agnosces.

Quam ex supremo orbis oraculo, vobis commonitionem factam, si attentâ mente perpenderitis, omnes cum viro hoc nobilissimo, ad portum salutis feliciter appulsuri estis.

Haud absimile quid S. Bernardus *a* Sophiam fœminam, genere illustrem, & locupletem admonet, cùm ea Deo se dicare constituisset: *Modica*, inquit, *& transitoria, terrena sunt, quæ despicis; maxima æterna, cælestia sunt, quæ appetis, plus dicam, & vera dicam: tenebras deseris, & lucem ingrederis, de profundo fluctuum emergis* ad portum.

§. I.

Quæ partes ac proprietates veri peregrini.

NEmo quisquam existimet, errones, vagos, ac mendicos, esse peregrinos hosce, quales multis Europæ Regionibus concursare videmus, stipem corrogantes, aut animi levitate terras peragrantes, de quibus verè jactatur: *Qui multum peregrinantur, raro sanctificantur.* Sed ingenuos, nobiles, illustres, animo supra res terrenas erecto, cælesti patriæ natos, vobis hîc peregrinos induco: etenim *b qui hîc in via, id est, in vita*, se, ut verè est, peregrinum agnoverit, ejusque partes omnes explêrit, eum non modò perfectionis studiosum, sed eximiæ sanctimoniæ magistrum habendum esse comprobabo. Cujus rei testem habeo è priscis illis Asceris, virum omni exceptione majorem, Abbatem Olympium; hic, ut refert *c* Sophronius, a quodam rogatus, quâ ratione vitam rectam instituere, & perfectam sanctitatem consequi valeret? respondit: *si ubique te* PEREGRINUM *esse memineris*; Si quis vestrum, ó viri divitiarum! ó potentes sæculi, qui avaritiæ & luxui studetis, brevi in virum sanctum evadere cupit, *ubique se* PEREGRINUM *esse meminerit*; Si quæ vestrûm, ó filiæ vanæ, & vagæ, è mundi hujus fluctibus, portum salutis certum sibi perroptârit; PEREGRINAM *se esse meminerit.* S. Augustinus *d* omnes justos hîc sese peregrinos exhibuisse docet, dum illud Psalmi 118. *Incola ego sum apud te &* PEREGRINUS *&c.* sic exponit: *Iste, qui dicit: Inquilinus ego sum apud te, &* PEREGRINUS *sicut omnes patres mei, non ait: sicut omnes homines; sed dicendo, sicut omnes patres mei, justos procul dubio vult intelligi, qui eum tempore præcesserunt, & in hac* PEREGRINATIONE, *gemitu pio sempiternæ patriæ suspirârunt: de quibus scriptum est ad Heb 11. Secundùm fidem mortui sunt hi omnes, cùm non accepissent promissiones; sed longè eas videntes, & salutantes, & confitentes: quia hospites, &* PEREGRINI *sunt super terram. qui enim talia dicunt, ostendunt, quia patriam quærunt*; Ostendunt, quia mundus illis exilium est. Unde S. Bernardus asserere non dubitavit, omnes Sanctos hîc veros peregrinos exstitisse, sic enim ait cap.7. de modo benè vivendi: *Sancti viri,* PEREGRINI *sunt, & hospites in hoc sæculo: unde*

a S. Bernard. Epist. 114. b Aug. Serm. 2. de consol. mortuorum.

c Sophron. in prato spirit. c. 12. d S. Aug. in Psal. 118.

unde reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte facere voluerit: quia Sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, nec locus mansionis. Quæ cùm ita sint, videndum est, sicut hi, ita & nos, partes ac proprietates veri peregrini adimplere valeamus.

a Disertissimus ac divinissimus Ecclesiastes Vincentius Ferrariensis *b* primam peregrini conditionem, quâ omnibus innotescit, est *vestis simplex*, inquit, *& grossa & vilis*. Plerique vestrum in arca habent varia vestium genera: hyemales, æstivales, feriales, dominicales, nuptiales, synthefes, Epidromides, Theristra, abollas, mutatoria, more maximè vario, maximè splendido; sed si peregrè proficiscendum, si in terras exteras peregrinandum est, relictis omnibus, viliorem penulam, cinerei coloris, crassiorem lacernam, rude sagum, itinerarium pallium assumitis; atque reliquum, quod vobis superest vitæ, peregrinandum est, quid ergo de vario & pretioso habitu solliciti estis? stultus profectò & amens ille peregrinus ab omnibus jure haberetur, qui integras vestium pretiosarum sarcinas, centum aut ducenta pallia secum asportaret, brevi omnibus spoliandus. Talis apud Romanos Lucullus exstitit, quæ prætori in spectaculo exornando centum pallia petenti; ducenta obtulit: sunt, qui asserant tot habuisse, quot dies in anno; Neronem verò nullam unquam vestem bis induisse. Sed hic & ille brevi omnibus exui, miserabili fato cursum conficere. Hujus insaniæ participes, censendi forent peregrini, qui mores sæculi spectando, & modos indies novos, exorientes, æmulari, studerent; qua de stultitia, cùm alibi copiosiùs dicendum sit, sufficerit oratoris aurei protulisse judicium: *Prima*, inquit, *c virtus, & tota virtus est*, PEREGRINUM *esse hujus mundi & hospitem, & nihil habere commune cum rebus hujus sæculi.* Nihil commune habere cum modis & pompis hujus sæculi, nihil commune habere cum sarcinis, quæ iter nostrum retardant.

d Atque hæc est altera veri peregrini conditio; omnibus quippe perspectum est, illud vulgaris parœmiæ: *Parvo itineri, non est opus magno viatico*; quod aliis verbis S. Gregorius hom. 32. in Euang. expressit: *In cassum multa portantur, cum juxta est, quo itur.* Si quis cum familia ad leucam unam alteramve in suburbanum, aliudvè vicinum prædium peregrè procedit, non aliquot dolia vini, non integras oves, non saccos auro congestos secum devehit, sed corbem seu sportulam aliquam in unum diem instruit, superflua enim cætera forent, & oneri. Quod scitè *e* Claravallensis Abbas adnotavit: PEREGRINUS, inquit, *potest facilè occasione viatici, plus quam oportebat & detineri quærendo, & prægravari portando.*

Verum enim vero quos hîc una cura, & solicitudo assiduò exagitat, ut dolia doliis accumulent, cellaria Massico Faler-

a I. conditio peregrini, vestis vilior. b S. Vincent. dom. 20 post Trinit. serm. 6.

c Chrys. hom. 24. in Epist. ad Heb. 11. d 2. conditio. e S. Bern. serm. 7. in quadrag.

Falerno, Chio, Rhenano, Mosellano, rubello despument: solaria, horrea frumento crepent: cistæ auro & argento congestæ sint, quàm parum se peregrinos, atque exiguum quid itineris spatium superesse meminerunt. Hos saluberrimo consilio instruit divinus *a* Doctor Augustinus, cuivis diviti modum rectè pecuniis utendi præscribens: *utere*, ait, *nummo quemadmodum* VIATOR *in stabulo* (in hospitio) *utitur mensâ, calice, urceo, dimissurus, non permansurus.* Fit subinde, ut quis peregrinus à viro nobili, ab Ecclesiæ Prælato hospitio excipiatur, mensæ adhibeatur, lautè & splendidè habeatur; ædes optimè instructas, supellectilem pretiosam, lances, orbes, pateras, argentea omnia conspicatur, sed his utitur non ut propriis, his utitur *dimissurus, non ut permansurus.* Haud aliter voluit Gentilis Seneca *b* nos rebus uti, quibus abundamus: *Quidquid circa te jacet rerum, tanquam* HOSPITALIS *loci sarcinas specta, transeundum est*, & eò quò tendimus, semper in mente, semper in ore, semper in oculis esse deberet. Bernardus *c*: PEREGRINUS *ad patriam suspirat, ad patriam tendit; vestitum & victum habens, non vult aliis onerari: Beatus ille, qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domino: quoniam advena ego sum apud te, &* PEREGRINUS *sicut omnes patres mei.*

d 3. Conditio peregrini est, non morari in via, non amœnitatibus ruris, aliisque illicitis, aut deliciis distineri, quod non minus clarè, quam præclarè Hipponensis Præsul *e* commendat: VIA *quippe est vita præsens, qua ad patriam tendimus, & idcirco hîc occulto judicio, frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus: solent enim nonnulli Viatores cum amœna fortasse prata in itinere conspiciunt, pergendi moras innectere & à recepti itineris rectitudine declinare.* Hîc mihi in mentem redit, quod *f* Reginaldetus narrat, hunc fere in modum: duo fratres peregrini unà iter ingressi, quorum unus intelligens & providus, alter minùs sanæ mentis, homo rudis & bardus; delati ad bivium altercari cœperunt, quâ eundum esset. Amens ille viam primâ fronte amœnam, ingrediendum ratus; heûs tu, inquit ad fratrem, hac eamus, invitat jucundissima semita, en merum viridarium, quo nonnihil apricemur. At iste providus frater inquit, rectà properandum est, festinandum est; hæc viæ facies blanda est, at aliò declinat, & ad pessimum hospitium deducit. Itaque tibi mihique suaserim hanc potiùs nonnihil asperam, sed rectam ac tutam insistamus, ut tandem ad præfixum pergamus terminum, & commodum & securum divertamus hospitium. Sed fatuus sententiæ suæ tenacissimus, ego, inquit, oculis meis malo, quam tibi credere, hac

co,

a S. Aug. tract. 40. in Ioann.
b Seneca Epist. 103.
c Bernard. de modo bene vivendi. c.7.
d 3. conditio.

e Aug. de consolat. mortuorum serm. 1. Greg. c. 23. mor. c. 11. in cap. 33. Iob. f Petr. Reginaldetus in speculo.

eo, ſequere. Sic alter quamvis invitus, ne fratrem ſuum deſereret, comes fuit, dum progrediuntur, in prædonum inſidias deveniunt; ab his in carceres, ſed diverſos rapiuntur. Poſt aliquantum temporis, è vinculis educti, ad, neſcio, quod tribunal ſiſtuntur judici. Hic alter fratrum, prudens ille & ſanæ mentis: Mi Domine, inquit, in has ærumnas frater ille meus, homo fatuus me conjecit: peregrini ambo viam ingreſſi ſumus bonam & tutam; at ille camporum deliciis illectus, hac prædonibus infeſta, pertinaciter inſiſtere voluit, ita refractarium ſecutus veſtram nos prædam fecit: quare ſi moriendum eſt, ille horum omnium cauſa, pro me mortem ſubeat, contrà fatuus; Imò, inquit, non mihi, ſed fratri meo moriendum eſt: nam ſi tam ſapiens eſt, qualem ſe gerit, cur me tam facilè ſecutus eſt? cur perſuaderi ſe paſſus eſt? cur reluctatus non eſt? cur viam ivit, quam ſcivit latronibus infeſtam? Ad hæc alter: O Domine judex, inquit, verba mea contumaciter rejecit, nullâ ratione ab errore abduci potuit. Cui ſtolidus; Si me, ait, reclamante, tu viam tenuiſſes tutiorem, ego vel invitus, rediiſſem, & te ſine mora ſecutus fuiſſem, tu meæ mortis es cauſa. Mox prudens, tu ſtolide, inquit, tu cauſa es mortis meæ & perditionis. Ita utrimque verbis acriter decertatum eſt.

His auditis Judex, ſententiam in hæc propè verba pronuntiavit: Tu fatue vanis illecebris, & deliciis abreptus, noluiſti ſapienti credere, & tu ſapiens ſecutus es fatuum, ideoque pœnas mihi dabit uterque. Ita prorſus ſupremo judicii die, corpus & animus alter alterum incuſabit, quòd per amœnam & floridam hujus ſæculi viam ſeductus, in tartareos illos latrones inciderint, atque ad ſupremi judicis tribunal deducti, audient fatalem in ſe uterque ſententiam: quia corpus fatuum, omne conſilium animi ſprevit, & cæco impetu, mundi blanditias ſectatum eſt: & animus ſapiens ſe induci, & ſeduci paſſus eſt, uterque reus mortis ſempiternæ, igni tradetur inexſtinguibili. Hiſce fratribus utinam inter vos non complures ſimiles, imo longè ſtolidiores reperirentur! quorum ſtultitiam S. Gregorius a perſtringit his verbis: *Stultus* VIATOR *eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens, obliviſcitur ire, quò tendebat*; qui hîc velut pueri in plateis, cum ſodalibus luſitantes, obliviſcuntur ire, quò miſſi erant; aut ut alii, in pratis floſculos, aut in litore conchulas, colligendo, moras nectunt, dum abeundum aut pergendum eſt. Nec pudebit lucem his, ab Epicteti b lucerna affundere: *quemadmodum in navigatione, ſubducto navigio, ſi aquatum exieris, obiter fortaſſis cochleolam colliges, aut bulbum; animo autem in navigium intento eſſe oportet, ac continenter ſollicito, ne gubernator vocet, ac tum omnia illa*

a S. Greg. hom. 14 in Evang. b Epictet, c. 12.

illa relinquere, ut ne vinctus tanquam oves in navim conjiciaris. Ita etiam in vita, si tibi vice cochleæ, aut bulbi, detur uxorcula, aut puer, nihil impediet. At si gubernator vocarit, curres ad navim, relictis illis omnibus, neque respicies. quod si senex es, cave unquam à nave, recedas longius, ne quando vocatus deficias. Qua aurea doctrinâ nihil aliud inculcat, quam ne rebus hisce perituris, affectu nimio adhærescamus. Idipsum altiori stylo a Gregorius magnus commendat: *In via es, ô homo, ambula, ut pervenias ne te nox in via occupet.* Stare, sedere, moras hic nectere non licet. *Beatus* b PEREGRINUS ex ordine Servitorum, nomine & re, se verum peregrinum exhibens, triennio toto legitur nunquam sedisse, quietem verò nocturnam in silice reclinando exiguam capiebat. Vos dum in multam lucem stertitis, dum per horas, imo totos dies in conviviis, in symposiis sedetis, vos peregrinos esse non recordamini, interim nox ingruit, portæ claudendæ.

Foris in diversorio supra vestibulum domus, pro signo extentam vidi ingentem amphoram, cum hac Epigraphe: *Hæc ista est remora*; acutè & argutè. hæc enim remora, peregrinos quosque, & pedites, & equites, & integros currus in serum vesperum remorari cogit, dum tandem sonat c *novissima hora*, & porta clausa est. In urbe quavis celebriori, priscæ ac probatæ consuetudinis est, ære campano, sub obscuro vespere signum dari, quòd novissima hora sit, portas urbis brevi occludendas, accelerandum, properandum, & prædia, & prata, & pocula deserenda; quod si vel camporum amœnitate, aut sodalium compotantium illecebris, quis omnis solicitudinis expers, moras nectat, dum sol in occasum vergit, admotis hîc calcaribus, contentione animi summa, corporis defatigatione gravissima in urbem curriculo festinat; sed eccum, ubi appropinquat, advertit, quia d *clausa est janua.*

Tum remoram, tum serò compotationes & socios suos execrari, suam à chara conjuge, à liberis, à familia, à patria, à domestica quiete quoddam exilium deplorare, diversorium circumspicere, nec invenire: aut sub Jove frigido, aut semirutum tugurium lassus se recipere cogitur. Quæ incommoda, ut gravia sunt, longè tamen graviora incurruntur ab iis, qui mundi, ac carnis illecebris irretiti, in hujus vitæ via tam diu moras nectunt, donec à cælesti patria extorres, à beatorum contubernio exclusi, non in pauperis tugurium, sed in horrendum tartarum cogendi sunt.

Quid est amabo, quod te remoretur? quod te tardiùs ad patriam facit properare? hunc detinet affectus conjugis, *hæc ista est remora:* illum affectus viridarii, prædii, florum, *hæc ista est remora:* alium affectus auri & argenti, *hæc illa est remora:* alterum affectus mulierculæ, aut vilis scorti, *hæc illa est remora:* atque hæc nos retardant & remorantur, ut nunquam ad illam beatam patriam pertingamus.

a S. Greg. in Psal. 1. v 1. b Barry l'année sainte P. 4. c. 7. c 1 Joan. 2.

d Matt. 25.

mus. Hoc amarè queritur mellifluus a Bernardus: *Peregrinus etsi non admiscetur civibus, aliquando tamen delectatur videre, quæ fiunt, aut audire ab aliis, aut ipse narrare, quæ viderit: & his & hujusmodi, etsi penitus non retinetur, detinetur tamen, & retardatur: & dum minus memor patriæ, minori accelerat desiderio: nam & tanto tempore potest in his delectari, ut jam non solùm remoretur, & minus cito veniat, sed & remanens ex toto, nec tardè quidem perveniat.* Quod ne nobis contingat, audiamus principem Apostolorum, piè ac paternè hortantem, & obsecrantem 1 Petri 2. *Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas & PEREGRINOS, abstinere vos à carnalibus desideriis.* Quâ brevi parænesi omnem pro omnibus perfectionem contineri b B. Laurentius Justinianus præclarè demonstrat: *Videte*, inquit, *quam opportuna sit salvandis præsidentibus, & subditis: sæcularibus, & religiosis: incipientibus atque perfectis, præsentis PEREGRINATIONIS illa cognitio.* Hæc enim vera cognitio, & sedula cogitatio, animum ab omni visco rerum terrenarum valet immaculatum conservare. Unde c Bernardus: *Felices, qui se præsenti sæculo nequam, Advenas & PEREGRINOS exhibent, immaculatos se custodientes ab eo.* Et paulò post nervosè conclusit: *Abstineamus ergo à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, tanquam advenæ & PEREGRINI. PEREGRINUS siquidem viâ regiâ incedit, non declinat ad dextram, neque ad sinistram; si fortè jurgantes viderit, non attendit: si nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit*, d *quia PEREGRINUS est, & non pertinet ad eum de talibus.*

Quod quo efficaciùs fiat, mundi hujus oblectamenta benignissimus, *pio consilio & occulto judicio* Deus, mille tædiis, molestiis, amaritudinibus aspersit, atque hujus peregrinationis cursum innumeris, infirmitatis, paupertatis, difficultatis, omnisque adversitatis spinis obsepsit: e *Electis ad se pergentibus, Dominus, hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate viæ pascitur, magis eum diu pergere, quam citiùs pervenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in patria:* ne, dum puerili more hîc in littore conchilia legit, æstus marinus & navigium destituat; ne dum in pratis hujus mundi, perituros brevi flosculos carpimus, Elysiis beatorum hortis excludamur. Scio affatim hîc materiarum diserto oratori, sed & in annum sequentem servient, quæ ex visceribus caussæ annectenda putavi, ut more meo rem exhauriam.

§. III.

Molestias viæ, amor patriæ, peregrinantibus breves & leves facit.

PEregrinum passim ambulare vias difficiles in comperto est,

a Bernard. Serm. 7. in quadrag. b B. Laur. Iustin. de compunctione Christianæ perfect. qualiter anima reformetur. c Bern. Serm. 7. in quadrag.

d S. Greg. infra cit. e S. Greg. lib. 23. Mor. c. 15. in Iob. c. 33.

est, viæ sæpissime superandæ tractæ, cœnosæ, lubricæ, asperæ, saxosæ, inæquales, acclives, declives vallibus, aquis, paludibus, montibus, glacie, nivibus, impeditæ. Ita prorsus viatoribus, ad cœlum viæ difficiles, in omni statu calcandæ sunt.

Justus Lipsius *a* eruditionis facilè princeps, molestissimum iter suum festivè prorsus describit, hunc in modum: Ego, mi Heurni, inquit, quod vos medici miremini, vivo. Passus enim ea in hoc itinere sum, quæ nemo olim Cynicus, aut patientiam professus. Omnia humana mala me exagitârunt: ab aëre, ab aquis, à cibis. Venti & pluviæ perpetuæ: cibi non dicam barbari, sed vix humani. Valetudinem meam nôsti, & quàm ea præcipuè mihi firmanda delectu dapum. Ecce autem in hospitiis (sic appellabo, etsi revera stabula illa aut haræ potius) primo intuitu poculum aliquod obtrusum cervisiæ calentis; nec recusare fas est, nisi elegisses expelli. Hic gustulus erat, & ad ignem cum aurigis aliquot ferophipascis, eadem illa potius sæpius iteranda, cum solenni elegantia ad singulos potus, porrectæ manus. Interea mensa sternebatur (nec dicam de mappa, nosti) etiam calor meus inhiabat in cibum. Sed heu! primum ferculum è lardo spisso, pingui, & addo, crudo. O rem mei stomachi! quid facerem? poscere aliud nefas, specto igitur, & taceo, & buccellas aliquot panis frango, atque utinam panis! Sed revera, mi Heurni, si colorem, si pondus, si totam faciem vidisses, juro tibi, pejerâsses de pane. Alter ille, gravis, acidus, & formatus in massam, quaternos aut quinos pænè pedes longam, quam ego non elevâssem. Hæc in mensa, plura non addo, ne longior sim. Vis lectum? planè electum lecticæ pleræque in ordinem ad utrumque latus; juxta eas vaccæ, equi, vituli, supra pulli & gallinæ: subter (testor fidem) porci: de pulvino aut linteis, oro te, noli quærere mendicorum nostrorum tegetes longè meliores, ac puriores, aut centones. Itaque per dies totos octo vestem non posui. Jam illud Corollarium pulchrum, quod duas noctes dormivi in aperta navi, sive cymba, in Honta flumine; sub puro Jove, idque cœlo pluvio & ventoso. Brevissimè & verissimè Seneca epist. 96. *Omnia ista in longa vita sunt, quomodo in longa* VIA: *& pulvis, & lutum, & pluvia.* Quid ad hæc omnia peregrinationis incommoda Lipsius noster dixerit nisi unum illud: *Peregrinus sum, nihil peregrinantium à me alienum puto.* Ita & nobis omnibus sentiendum, quidquid demum occurrat adversorum: peregrini sumus, & peregrè vivimus, velimus, nolimus molestiæ, incommoda toleranda sunt. Hinc frequentes illæ, & toties repetitæ peregrinantium voces, & vota: *Oost, vvèst, t' huys best.*

Verissimè *b* Augustinus de peregrinatione mentionem injiciens: *Omnis*, inquit, *qui ad supremam pertinet civitatem*, PEREGRI...

a Lipsius cent. 2. epist. 15. ad Heurn.

b Drexel. tom. 2. pag. 141.

REGRINUS *est mundi, & dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena; inter multa illecebrosa & multa fallacia, Deum nosse & amare, paucorum est.* Quæ non illecebrosa & fallacia, qui non inopinati eventus, & tristes exitus, peregrinis accidere consuevêre? equorum lapsus, pecuniæ defectus, militum occursus, currus eversus, membra contusa, atque in his omnibus nisi te peregrinum memineris, *Deum nosse & amare paucorum est.*

Ruffinus *a* & Palladius *b* peregrinationem susceptam per superiorem Thebaidem, ita depingunt, ut non difficile lectori lachrimas excutiant. Septies de vita actum videbatur, diebus quinque per solitudinem errabant, prope proximè fuit, ut fame, sitique necarentur, paludes & senticeta occurrebant, quæ & viam morabantur, & dolores incredibiles afferrebant; nam nudis pedibus incedebant, frigore propemodum extincti. Erat autem via tam aspera, & vepribus adeò robustis plena, ut non pedes tantùm nudos læderet, sed ipsos etiam calceos terebraret ac rumperet. Insuper & cœno hærebant, usque ad umbilicum mersi: diebus quatuor in aquis ambulabant, in insulam desertissimam delati, triduo toto dies noctesque sub dio, inter ventos, pluvias, & nimbos, hyemali sævo frigore, initio mensis Januarii perdurabant; nec insidiæ deerant: prædones, & latrones insedebant vias, peregrinos illos longo itinere, sed frustra insecuti; & ne quid miseriarum peregrinis abesset, naufragium quoque accedebat, quod eos in Nilo pæne submersit: à tribus crocodilis etiam ingens immi nebat periculum, quod non sine peculiari Numinis tutela eva serunt: Atque inter hæc omnia, duo hi peregrini, *quod paucorum est, Deum nosse, & amare* noverunt.

Tum ut & nos inter ærumnas, & discrimina corporis ac animæ solemur, cœlestis patriæ memoria subeat; fideli homini, & peregrino in sæculo, nulla est jucundior recordatio, quàm civitatis unde peregri natur. Sed recordatio civitatis in peregrinatione, non est sine dolore & suspirio; spes tamen reditûs certa *c peregrinando tristes consolatur*. Alterum peregrinantium non leve incommodum, sunt comites importuni, garruli, infidi, molesti, tetrici. Atque ut vulgari proverbio: Facundus comes in via pro vehiculo est; ita garrulus & importunus etiam in curru pro sarcina; consimiles quisque devitare, à se amoliri, diverticula quærere solet, ut declinet. Et quot indies molestissimos ac maximè infidos comites patimur, quos devitare ac declinare nolumus? *d Vera* PEREGRINATIO *est omnis, quod vivimus: nam sicut* PEREGRINI *in sæculo, sedes habemus incertas, laboramus, desudamus, vias ambulantes difficiles, periculis plenas; undique insidiæ, à spiritualibus, à corporalibus inimicis, ubique erroris caliculi sunt*

pre-

a Ruffin. l. 2 eccl. g. b Pallad. cap. 1500. apud Rosweyd.

c Aug. in psal. 145 d Aug. tom. 9 de consol. mort. Serm. 1.

præparati, uxor, liberi, fratres, sorores, cognati, amici, in via ad cælum sunt comites; sed sæpe molestiores, quàm ipsi hostes, *inimici hominis domestici ejus.* Ubi non possum non Christianum illud Senecæ a documentum inserere, si in itinere pravos socios declinemus: dum in hac vita peregrinamur, ne pravos animi affectus, intimos nobis in itinere socios adsciscamus: *Si vis*, inquit, PEREGRINATIONES *habere* jucundas, tuum comitem sana: *hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro, sordidoque convixeris: hærebit tumor, quamdiu cum superbo conversaris: nunquam sævitiem in tortoris contubernio pones: incendent libidinem tuam, adulterorum sodalitia. Si vis vitiis exui, longè a vitiorum exemplis recedendum est. Avarus, corruptor, sævus, fraudulentus, multum nocituri, si prope te fuissent, intra te sunt*; tecum peregrinantur: sileri non molestum, qui malus est, abesse vis, & contrarium persistum, qui intus est, non studes declinare. Socrates, cuidam querenti, quòd peregrinationes sibi non profuissent, respondit, non immeritò: *b Tecum enim peregrinabaris.* Unde rectè dicit: *Quàm benè cum isto ageretur, si à se discederet*; hoc est, à pravis affectibus, à noxiis consuetudinibus recederet. Augustinus in Psalm 120. Multùm *peregrinata est anima mea*, sic ait: *Ne peregrinationem corporalem intelligeres, animam dixit peregrinari; corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus; si amaveris terram, peregrinaris à Deo: Si amaveris Deum, ascendis ad Deum.*

Accedit, qui in diversorio commoratur, ut libens per breve tempus, incommodum aliquod patiatur, quo hospite honesto, ac nobili, de meliori loco prospiciat, sub gradibus dormiat, ut alteri lectum cedat. Bernardus serm. 6. advent. *Nobilem hospitem habes, ò caro! nobilem valde, & tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua; anima verò* PEREGRINA, *& exul, apud te est hospitata.* Tum quæ quotidianâ experientiâ verissima, & ad mores aptissima, subnectit: *Quæso te quis rusticus, si fortè nobilis, & præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus, vel in ipsis cineribus accubabit; cedens hospiti suo locum* (sicut dignum est) *potiorem: & tu ergo fac similiter.*

Tertium incommodum, ut alia mittam, sunt prædones, grassatores, latrones, luporum, canum, molossorum, ursorum, aliarumque ferarum, latratus, est incursus. Quisquis ad cælum tendit, ad omnigenas se paret injurias, & obtrectantium latratus, & invidorum morsus, peregrini sumus, nusquam ab injuriis, & calumniis securi; insuper Stygii latrones vias obsident, insidiantur, impetunt, & nonnunquam graviter lacessunt. Sed has omnes insidias peregrinus non timet, qui non habet, quod amittat, cui adhæreat, *cantabit vacuus*, ceteras omnes molestias, injurias, calumnias amor patriæ solatur: *c Qui non gemit* PEREGRINUS, inquit Augustinus,

a Senec. Epist. 104. b Seneca cit.

c Aug. in Psal. 148.

stinus: *non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo.* a Franciscus Seraphicus dicere solitus: PEREGRINI *officium* „*est colligi sub alieno tecto, pacificè transire, & anhelare ad pa*„*triam*; Quod Romæ, eloquentiæ Princeps, Roma exul, magis carendo, quàm fruendo didicit. Quemadmodum & Pelignus vates dum queritur:

> b *Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos*
> *Ducit, & immemores non sinit esse sui.*

Ipsi Ethnici, mundi hujus se peregrinos dictitabant, & aliam longè, quàm nos manet, sibi patriam, aut amœnissima Tempe, aut campos Elysios finxerunt, quorum desiderio tenebantur. c Didymus Rex Brachmannorum, ad Alexandrum Magnum scripsit in hæc verba: *Non sumus incolæ hujus mundi, sed advenæ; nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo libeat consistere, sed transire; properamus ad patriam lares*; & quam sibi quæso patriam præfigebant, nisi fortè consimilem illi, qualem Mahumetani commenti sunt, brutalibus deliciis affluentem?

Altiùs nonnihil sensisse ac sapuisse visus d Tullius: *Ex hoc mundo*, inquit, *discedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. O præclarum illum diem, cum ad illud divinorum concilium, cœlumque proficiscar!* At quanto faciliùs, quanto ardentiùs nos Christiani, toto animo, omnibus votis, & desideriis in terram illam *fluentem lacte & melle*, ad domum illam non manu factam, ad beatam illam, ubi omne & æternum bonum reconditur, patriam ferri debemus? e *De facili nemoque ad æternæ patriæ gaudia* [illegible] *poterimus, si hujus* [illegible] *nos* PEREGRINOS [illegible], *&* [illegible]. Nequis porrò [illegible] longinquam profectus, [illegible] ad suos revisere, propinquos complecti, in patriam salvus reverti? quà [illegible] illius Carthaginensis f [illegible] cit: *Quis non peregre constitutus, properet in patriam regredi? quis non ad suos migrare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos suos liceret amplecti? patriam nostram paradisum computamus, parentes jam Patriarchas habere jam cœpimus, quid non currimus, quid non festinamus? Magnus illic nos charorum numerus exspectat, jam de sua immortalitate securi, sed adhuc de nostra salute solliciti.* Atque præ his omnibus, quæ nobis chara enumeravit, omnia in se continet immensa illa Dei majestas.

Cum Theodosius victor, de maximo Tyranno Romam triumphabundus intraret, habens in comitatu suo juvenem Valentinianum, filium Gratiani: Romæ erat Latinus Pacatus Francus, singularis orator: qui rogatus, ut Panegyrim in laudem Theodosii haberet, id perlubenter & præstanter præstitit, sic suam perorationem „concludens: *O mea felix* PE„REGRINATIO! *O bene sus*„*cepti labores mei! Quibus interfui bonis! quibus gaudiis perfruor,*

 quæ

a Cornel. in 1. Petri 2. v. 11. b Ovid. c Valadier. Advent. die Iovis 1. d Cic. de senect.

e B. Laur. Iustinian. de compunctione Christian. perfect. f S. Cyprian. Serm. 4. de mortalit. in fine.

... quæ reversus Galliæ urbibus mi-
„ racula dispensabo? quantis stu-
pentium populis, quàm *multo cir-*
cumdabor auditore? cùm dixero: *Romam vidi*, THEODOSIUM VIDI, *& illum* PRINCIPIS FILIUM. Verum enim vero ut gaudia, & delicias cœlestis patriæ mittamus, *a de Rege, qui medium residet, dicere vox nulla sufficit: effugit omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit, decus illud, illa pulchritudo, illa gloria, illa magnificentia, illa majestas: ultra enim omnem Sanctorum est gloriam, ipsius inæstimabilem conspicere conspectum, & splendore majestatis ejus irradiari.*

Quid mirum, si Sancti in hac misera peregrinatione in illum toti exarserint?

Quid mirum, si Psaltes regius, cum alto gemitu identidem ingeminet: *b Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Hieronym. vertit *peregrinatio mea.*

Quid mirum, si Paulus exclamârit: *c Cupio dissolvi, & esse cum Christo?*

Quid mirum, si S. Augustinus *d* identidem ingeminârit: *Tædet me, Domine, valde vitæ hujus, & istius ærumnosæ* PEREGRINATIONIS.

Suspiremus & nos, anhelemus, & nos, clamemus & nos: *e O patria nostra; patria secura! à longe te videmus, ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus, & intimis cum lachrimis si quomodo ad te perveniamus.*

Patriarcha Venetus ubi veras & solidas voluptates enarravit; illa, inquit, prorsus in sæculo futuro promittuntur, & in regione vivorum, in domo Dei, in civitate sanctâ à qua *peregrinamus*, *f* quamdiu *in hujus præsentis exilii vivimus loco. Agnoscamus igitur nos* PEREGRINOS ESSE *in hoc mundo, & anhelemus* PEREGRINATIONIS *nostræ taliter cursum perficere, quatenus in illius civitatis portas feliciter intrare valeamus.* Non discedat à cordibus nostris hujus veritatis mysterium, ut nihil libeat nobis, quod in præsenti videtur delectabile, pulchrum seu jucundum, neque itineris *nostri retardetur profectus*: imitantes eum, qui spiritu Dei plenus, gemebundâ voce dicebat: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.*

a Aug. de Sanctis Serm. 37. in festo omnium Sanctorum. b Psal. 119. c Philip. 1. 23. d August. medit. c. 21.

e Aug. soliloq. c. 35. f P. Laur. Iustinian. de compunct. supra cit.

FESTUM

FESTUM TERTIUM SOLENNITATIS PASCHÆ.

Pax vobis. Luc. 24.



Non ſemper imbres. Horat. l. 2. Ode 9.

ARGUMENTUM.

IN immani illo humani generis cataclyſmo, in immenſa illa aquarum eluvie, quæ orbem univerſum obruit ac perdidit, Noëmus arcæ beneficio, & ſingulari Dei patrocinio, cum ſuis ſalvus, & incolumis, columbam emiſit, quæ virentem olivæ ramum detulit, indicem pacis, quæ mundo reddenda erat, aquis jam detumeſcentibus, & pluviis rareſcentibus? a *ne ſemper imbres.*

a Horat. l, 2. Ode 9.

 Colum-

Columbam hanc, ceſſantibus jam Erythræi, ſeu rubri maris, pretioſi ſanguinis fluctibus, benigniſſimum Redemptorem, Principem pacis deſignari comprobabimus, qui è paſſionis diluvio emergens, *a pacificans per ſanguinem ſuum, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.* Diſcipulis, velut in arca congregatis, hoc, ore ſuo, virentis olivæ ſymbolum, ſuis ipſe detulit: *Pax vobis.* Hæc prima fuit beatiſſimi oris ſalutatio, *hoc primum verbum*, inquit Chryſoſtomus, *poſt reſurrectionem dixit, crucis,* & purpurei Oceani *merita colligens, quæ ſunt pax.* Cùm autem, teſte Auguſtino, *b tantum ſit* PACIS *bonum, ut nihil ſoleat gratius audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſſit melius inveniri*; unicum, ac ſummum noſtrum ſtudium eſſe debet, triplicem pacem, quam trina ſua impartitione, *Pax vobis, pax vobis, pax vobis, Deus* PACIS *&* dilectionis commendavit, ſedulò in omnibus ſpectare.

a Col. 1. b Aug. l. 19. de civit. c. 11.

§. I. *Gratia vobis, &* PAX *à Deo.* Ad Rom. 1.

§. II. *Cum omnibus* PACEM *habentes, maximè cum domeſticis.* Rom. 12.

§. III. PAX *Dei, exſuperat omnem ſenſum.* Ad Philipp. 4.

TERTIUM FESTUM PASCHÆ.

Pax vobis. Lucæ 24.

UBI in orbem terrarum *a* ingreſſus *princeps a* PACIS, mundus antea turbulentis motibus afflictus, bellisque laceratus, & præ furioſis populorum odiis fœdè ſciſſus atque diſcerptus, in unum coiit, in fœdus mutuum coaluit, & quaſi publico ſummi omnium Imperatoris edicto, pax ubique ſancita, & ſtabilita eſt. Miſit Caduceatores Empyrei ſui dominatûs *Angelos* PACIS, qui denuntiarent *b pacem hominibus bonæ voluntatis*; ac illud cantu, & beatarum mentium lætiſſimo choro, atque ſymphoniâ, fieri voluit; ut muſicam, omnium concordiam, ſibi indici mundus intelligeret. Lutetias *c* quidem lætitia ingens inceſſit, ubi anno 1559. ſub Henrico II. Galliarum Rege, per compita platearum, viginti quatuor tubicines, Urbi Pariſienſi, optatiſſimæ pacis felicitatem denuntiârunt. Aſt aliam longè, non vicenis ſed centenis, & millenis lituis, *multitudo d militiæ cæleſtis,* non urbi ſed orbi univerſo pacem proclamavit: PAX *hominibus bonæ voluntatis*; Pax maximè univerſalis, omni hominum genti, nationi, conditioni; quod ſolerter, ut aſſolet, Hipponenſis Antiſtes obſervavit: *Non nobilibus tantùm,* inquit;

a Iſaiæ 9. b Lucæ 2. c Bulengerus l. 10. p. 316. d Lucæ 2.

inquit;hinc enim pace ſecluderētur innumeri, & mercatores, & mechanici : *Non divitibus*; ſic porrò miſeri ac mendici, pacis bono fruſtrarentur,a ! quod iſti unicè anhelant ; *non ſapientibus*; nam ſic per paucos complecteretur ; *ſed* PAX *hominibus* omnibus,cujuſcunque ſexûs , ætatis, conditionis, nationis ſunt. Itaque *a* DEUS PACIS *& dilectionis*, ſimul in mundo viſus , carne veſtitus, ſimul & pax effloruit. Unde piè & eleganter *b* S. Leo: *Natalis Domini, natalis eſt* PACIS; *ergo ſinguli fideles, offerent, patri* PACIFICORUM *concordiam filiorum.* Hanc verò pace partâ, lætiſſimam Emanuelis adoreâ, regius vates animo providerat, & jam inde Epinicion hoc cecinit : *Orietur* c *in diebus ejus juſtitia, & abundantia* PACIS. Abundantiſſima certè pax , in omnes effuſa , & longè major, quàm quæ Salomoni tributa fuit; de quo in ſacris annalibus dicitur, *habuiſſe d* PACEM *ex omni parte in circuitu* ; hæc enim donata pax à Chriſto Servatore , neque locis definitur ullis, aut terminis circumſcribitur. Inſuper ſi omnem Redemptoris noſtri vitam conſideremus, in hac pace ſtabilienda , atque firmanda, tota poſita fuiſſe videtur;quam in medio Eccleſiæ, ut vitæ arborem,altè figi, & [illegible] rare voluit. Hoc illius palmarium fuiſſe opus , in quo dies, noctesque elaboraret , [illegible] Chryſoſtomus , qui reddens rationem,cur PACIFICI, *filii* [illegible] in Evangelio [illegible] *e* inquit, *Unigeniti hoc proprium opus fuit, diſſidentia copulare, conci-*

liare pugnantia. Rectè filii Dei ſunt,qui unigenitum imitantur. Juſſit pacem omnibus nuntiari, prædicari per Apoſtolos , in ſalutatione dici & optari : voluit omnes eſſe filios pacis , & de proſapia ſua divina : Diſcipulos ſuos mittit binos & binos,ut pacem & concordiam deſignaret; nec aliam rationem reddit Auguſtinus, *f* cur duo fuerint arcæ Cherubin. *Duo ſunt* , inquit, *ut ſocietatem charitatis commendarent.* Eoſdem ſine auro, & virga miſit ; ut , quemadmodum præclarè notat *g* Ambroſius, *incentiva litis , & inſtrumenta eriperet ultionis.* Quamcunque urbem,aut ædem ingrederentur, pacem inhabitantibus ſignificari,ac precari juſſit. Idem paulò pòſt , ex hoc mundo abiturus, pacem diſcipulis, atque ut rem ſibi chariſſimam , *teſtamentum* PACIS legavit : *h* PACEM *relinquo vobis*, PACEM *meam do vobis*; quam pacem D. Baſilius , eleganter vocat eximium & præſtantiſſimam donum. Denique in extremo vitæ actu , in cruce pendens , *victima* PACIS, manus ſuas expandit , ut notat Proclus *i* Conſtantinopolitanus egregius Pontifex; *ut totum mundum in ulnas raperet ſuas*; quò nimirum ſecum omnes,atque inter ſe, mirorum concordiâ ſtringeret,ac devinciret.

Tandem à morte Victor glorioſus, & triumphator exiſtens, cum reviſit primum diſcipulos, pacem illis impertivit: PAX *vobis*. Hæc prima fuit beatiſſimi oris [illegible] *Hic primum* [illegible] , inquit Chryſoſtomus, *l*

I 5 [illegible]

a 2. Cor.13. b S. Leo ſer. 6. de Nativit. [illegible] 3 [illegible] 4. e Chry. eſt. [illegible] m. 11. in Matth.

[illegible]

post resurrectionem dixit, crucis merita colligens, quæ sunt PAX. Quippe stratis humani generis hostibus, domitâ morte, spoliato Erebo, voluit significare, pacem esse omnium laborum suorum meritum, Passionis fructum, commune omnium emolumentum. In immensa aquarum eluvie, quæ orbem universum obruit ac perdidit, Noëmus arcæ beneficio, ab illis liber, columbam emisit, quæ virentem olivæ ramum detulit, indicem pacis & quietis, quæ mundo reddenda erat, aquis jam detumescentibus. Hieronymus expendens illud, quomodo columba redierit ad arcam, *a portans ramum olivæ, virentibus foliis*; more suo disertissimè excurrit. PACEM *b terræ columba nuntiat*; quia oliva semper habita lignum fœderis, & symbolum pacis. Commendat autem caritatem suam Deus; quòd, cùm inimici essemus, reconciliati simus Deo: quod videtur hoc loco significari, cùm è diluviis, columba virentem præfert oleam, pacem videlicet & amorem, ex ipsamet colluvie omnium vitiorum. Noëmo potior Christus ab effuso illo, atque immani sanguinis diluvio, ex arca, hoc est sepulchro redivivus, ad instar candidissimæ columbæ, ramum ore prætulit, quò pacem suis ac nobis omnibus denuntiaret; ut clarè, ac præclarè Fernandez *c* noster in „ Genesim exposuit. Columba „ fuit Dominus Jesus, cum è „ Passionis diluvio emergens, è „ mortis faucibus, atque ex „ ipso Tartaro redivivus, im„ mortalis & gloriosus, in san„ ctum illud cænaculum, clau„ sis januis, ubi erant discipuli „ congregati, intravit, dicens: „ PAX VOBIS. En columba! en „ oliva virens in ore! *Fluctuan„ tem*, ait *d* Chrysostomus, *eo„ rum mentem firmavit* PAX VO„ BIS; *pacificans per sanguinem „ suum, sive quæ in terris, sive „ quæ in cælis sunt.* Et eam qui„ dem triplicem pacem. Primam ipsius, quâ nobis cum Deo est quàm optimè; deinde, quâ cum proximo & domesticis nostris; tertiam, quâ nobiscum in animo pacato, & interiori conscientiæ tranquillitate perfruamur, quam innuisse visus est Jesus, imò & attulisse, cùm discipulis iterum, ac tertiò sic bene precatus est: PAX VOBIS.

Ac primam quidem illam omnibus hodierna die ex animo gratulor, quam hac solennitate paschali, cum Redemptore nostro inivistis, &, ut spero, ita firmâstis, ut æterna pace tandem potiri valeatis. Itaque

§. I.

Gratia vobis, & PAX *à Deo.* Ad Roman. c. I.

JAm inde ab inchoantis mundi exordio, suavissimæ hujus *e* pacis fructus, maximè è funesta belli dissimilitudine, enituit: nam cùm pax fuit inter Deum & hominem, vigebat paradisus amœnitatibus suis, defluebant rivi Ambrosiæ atque lactis, Arbor vitæ præludebat immortalitati, Sol lucebat è cælo benigniùs, & illapsus vehiculo radiorum suorum in terræ sinum.

a Gen. 8. v. 8. b Hier. adv. Luciferian. c. 2. c Fernand. in Gen. c. 8. v. 8.

d Chrysost. ad Coloss. 1. e 2 Pax cum Deo.

ſinum, fœcundæ illius innocentiæ abblandiebatur. Hinc veſtiri omni florum genere pictura ti campi, matureſcere fructus, geſtire atque exultare innocuæ animantes, ridere omnia.

a *Ver erat æternum, placidique tepentibus auris*
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.
Non tuba directi, non æris cornua flexi, &c.

Adamus, & matrona Virago, viventium Mater, ævo beatiſſimo perfruebantur, velamento innocentiæ decorati, & cum benigniſſimo, & benevolentiſſimo Deo amicè agebant. Quod & quanta fuerint hujus pacis beneficia, vim omnem eloquentiæ humanæ tranſcendit. Plena libertas, aurei ſæculi dominatus, perennis tranquillitas, & infinitæ aliæ dotes, vita cæleſtis beatæque conſimilis. Verum enim verò cùm felix ille placidi orbis triumphator, & incola, à Deo deſcivit, & ruptâ pace, Conditori ſuo bellum indixit, quo univerſos poſteros ejuſdem militiæ, an malitiæ dicam? commilitones conſcripſit, ut morte geniti, Marti deſtinati, Numinis hoſtes naſceremur; tum Deus, terrificâ voce, metuendus ſcelerum ultor, atque è dulci & amabili patre, durus Judex evaſit. Tum bellum inteſtinum, concupiſcentiâ frenum excutiente, hominem exagitavit. Videre ſubitò licuit inſinuare ſe metum, turbulentam iracundiam, aliaſque animi commotiones: diſcordiâ everti familiam, perimi à germano fratrem; orbem ferro, clade, funere compleri; ſimul cum blanda & jucunda pace, exceſſiſſe omnium virtutum chorum, ſcelus & fraudem induci, omniumque malorum Iliadem enaſci; quæ dulcis olim, & divina pax impediebat. Metuendæ erant illæ quàm maximè inimicitiæ, quæ inter Deum & hominem intercedebant, adeò humano generi horrificæ, ut parens univerſitatis, cujus vel unius nutu omnia pendent, infeſto & inimico etiam animo, atque ad puniendum incitato, empyreæ domûs, cæleſtiſq; patriæ ævo ſempiterno exules atque ad abyſſum miſeriarum damnatos antequam natos deſtinârit.

Donec tandem revolutis jam quinque millibus annorum, *b Deus* PACIS *& dilectionis*, has inimicitias ita ſubtulit, & ita pacificavit, quæ in cælis & in terris, ut inter Deum hominemque pax nulla major, nulla firmior conciliata, vel arctior excogitari poſſit. Cujus rei miraculum expreſſit magnificum Theophylacti *c* pronuntiatum: *Cùm priùs humana natura inimica fuerit Deo, nunc ita conciliata eſt, ut & Deo adjuncta ſit, & incarnato unita.* Quo vinculo pacis, quid potentius excogitari poteſt? Solent Reges inveterata odia, & multo ſanguine cruenta bella, melioribus tædis exurere, & arctiſſimo, amiciſſimoq; matrimonii fœdere componere, atque ita pacem regnis & populis dare. Sic Julia Cæſaris filia, Pompeio nupta, ſoceri, generique concordiam, nexu conjugii tenebat. Sic Philippus II. Hiſpaniarum Rex cum Henrico II. Gal-

a Ovid. l. 1. Metam.

b 2 Cor. 15. c Theophyl. in Luc. c. 2.

liæ Rege florentissimo, arma posuêre, & galeæ ensesque, cruore deterso, olivæ frondibus redimiti, cùm filia Regia Philippo Regi, Duce Albano pronubo, in pignus amoris, & pacis donata est.

Alias profectò Rex Regum, ad pacem firmandam, cum Natura humana nuptias contraxit, de quibus Divum Augustinum divinissimè juvat audire disserentem. *Conjunctio nuptialis*, inquit, *a verbum & caro: hujus conjunctionis thalamus virginis uterus. Etenim caro ipsa, verbo est conjuncta: unde dicitur; Iam non duo, sed una caro.* Ut verò hæc nuptiarum fœdera ritè peragantur, consensum sponsæ intercessisse, Doctor Angelicus observavit. *Congruum*, inquit, *b fuit, B. Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura; ut ostenderetur esse spirituale matrimonium, inter filium Dei, & humanam Naturam: & ideo per annuntiationem exspectabatur consensus Virginis, loco totius humanæ Naturæ.* Atque hoc stupendo matrimonii nexu, partes adeò sibi adversantes copulando, pacem orbi reddidit, Apostolo attestante: *c Ipse est* PAX *nostra, qui facit utraque unum.* Unde perappositè sublimis *d* Doctor: *Ad hujus nuptias commota, universa exultare visa est creatura; namque Angelorum chorus, ex his nuptiis,* PACEM *designat hominibus bonæ voluntatis.* Angeli enim olim, à Domino exercituum mittebantur ad clades flagitiosis hominibus infligendas, ad evocandum è cœlo ignem, quo non modò cohortes militares, sed provinciæ quoq; integræ adurerentur; quibus in rebus illi spiritus, natura sua placidi, & incredibili humanitate, justitiam tamen, Deique munus reverentes hostili velut odio, in hominum perniciem irruentes, sanguine improborum gladios suos cruentabant; at cùm divinum illud, Deum inter & hominem, connubium initum est, *e* PACIFICANS, *quæ in cælis & in terris sunt*, tunc inusitatâ benevolentiâ hominibus dexteras, & pacem dederunt, tunc rediêre in gratiam, tunc eosdem fraterno quodam amore sunt prosecuti, tunc gratissima, lætissima, quæ unquam exaudita, omnibus regnis, regionibus, ac populis cælestes alites nuncia, præpeti pennâ detulerunt.

Præsul *f* Antiochenus agens de columba, quæ ad arcam reversa, fidam se Noëmo tabellariam probavit, sic ait: *Fidus iste nuntius bonas attulit litteras, decerptum ex oliva surculum reportans.*

Imperatores Romani, ut refert *g* Alexander ab Alexandro, si quam victoriam obtinuissent, laureatas literas missitabant, ut solius epistolæ aspectus, lætum quid loqueretur. Ejusmodi laureatas, quò celeriùs, quò certiùs etiam ad obsessos destinarent, columbis non raro usi sunt, quæ tabellarij vices sustinuerunt, & per aëra, si quid arcani deportârunt. Damascenos, Syriosque, literas omnes ad amicos, columbis, tanquam nunciis &, cursoribus sub

a Aug. in Psal. 44. b S. Thom. 3. p. q. 30. a. 1. c Ad Ephes. 2. d [illegible] tom. 6. Orat. ad Cate. h. contra Pagan. cap. 10.

e Rom. 12. f Chrysost. hom. 26 in Gen. cap. 8. g Alexand. ab Alexand. l. 1. genial. dier. cap. 27.

ſub alis alligâſſe *a* legimus; ut epiſtolæ celeri pennâ venirent, quò deſtinabantur. *b* In obſidione Mutinenſi Antonius & vallum, & omnem cuſtodiam ſepſerat, etiam flumini retia adhibuerat, ne quis ex urbe elabi poſſet, aut nuntium emittere: at Brutus obſeſſus, Conſules, quorum caſtra per hominem monere non poterat, columbis eſt uſus internuntiis, epiſtolis eorum pedibus alligatis; quæ evolantes, ad caſtra pervenerunt, & obſeſſis ſuppetias, fauſtaque nuntia detulerunt. Sed nobis in tenebris,& in umbra noctis conſidentibus, nullus unquam gratior nuntius, nullus è cælo delapſus tabellarius gratiora nova attulit, quàm Redemptor noſter, quàm *c* *columba illa,* quæ inter Deum & hominem, PACEM *terræ nuntiat:* Hanc pacem tanto ſui impendio nobis comparavit, ſanguine ſuo conſignavit, morte ſuâ acerbiſſimâ confirmavit; cùm interim mortales, hanc pacem, quæ filio Dei, Redemptori ſuo, tam carò ſtetit, tam levi de cauſa aſpernari,violare, infringere non verentur; dum tu avare, tu mercator, tu Cauſidice, tu Judex, exiguo lucro injuſtè parto; tu temulente, liberaliori vini hauſtu; tu ſcortator, ſpurcâ unius noctis voluptate, aliove flagitio, *d* hujus *tantum* PACIS *bonum, ut nihil ſoleat gratius audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſſit melius inveniri*, poſtponere, & ſine fronte in caput veſtrum rebellare armaque contra omnipotentem ſumere non dubitatis.

Teſtem habeo Prophetam regium: *e* *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, totâ die conſtituebant prælia.* Peccatores in Deum impii, in ſeipſos iniurii, in proximum malitioſi, qui divinis juſſis infandas ſuas voluptates, opes,honores,ſcelusſque anteferunt, ex corde ſuo faciunt quandam armorum officinam, quibus vulneretur pietas, ſtillet amici cruor,ſalus intereat, cœlum gigantum more impetatur, & ipſe Deus, quaſi ad ſingulare certamen provocetur. *f* *Tetendit* (impius) *adverſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt.* Orator aureus ait, hæc bella non acie geri, armiſque, ſed hominum inſidiis, in foro, in curia, domi per improbitatem, verbaque telis acerbiora. Hæc tela, ſtrictoſque enſes miratur, execratur ſacer ille Vates,dum *g* ait: *Gladium evaginaverunt peccatores*; in quæ verba;pretioſam Adamantii *h* doctrinam, libet obſervare: *Quomodo autem putandi ſunt peccatores evaginare gladium? dum tam impudenter, & abſque ullo verecundiæ velamento, iniquitates ſuas perpetrant; nec erubeſcunt, aut reverentur; nec tanquam in vagina nequitiam ſuam recondunt & contegunt,ſed ſuperbo & elato ſpiritu, velut gladium quendam denudant.* Dum palam è pharetra, ſulphureas libidinis ſagittas emittunt, virulenta calumniæ, & detractionis tela ejaculantur:*exacuerunt tanquam gladium, linguas ſuas*,in Chriſtum,& Sanctos ejus.

Quæ

a Sandæi pæl. pag 677. b Plin l. 10. cap. 37. c Hieron. ſupra cit. adv. Lucif. cap. 8. d Auguſt. lib. 19. de civit. cap. 12.

e Pſalm 139 v.3. f Iob 15. g Pſalm. 36. h Origen. Hom. 2. in Pſalm. 36.

Quæ bella cum Deo, tam acerba, tam atrocia, tam exitiosa sunt, ut nec noctu, nec interdiu, peccatorem sinant vel momento conquiescere; dum ubique Numinis sibi adversantis vindicem manum, quam effugere non potest, imminere meritò reformidat: nam *a quis restitit ei*, & PACEM *habuit?* Quod verissimum experiuntur scelerati, qui lethali noxâ (quæ est gravissima Dei injuria) admissâ, cùm sint Numinis hostes, non possunt non esse inquieti; cùm Deum pacis, ab animo ejecerint: idque Prophetico oraculo confirmatur: *b Non est* PAX *impiis, dicit Dominus.* Hoc experientia, hoc cujusque conscientia, hoc Patrum sententia clamat, & pronuntiat: hoc S. Chrysostomus subiicit ante oculos, & veluti theatrum inducit beatulum illum, ut multi opinabantur, Epulonem Euangelicum: *Ne mihi dixeris*, inquit, *illum mensâ sumptuosâ frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre; sed explica mihi illius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem. Videbis, velut in judicio, mentem ad thronum Conscientiæ conscendisse regalem, tanquam judicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, latera conscientiæ radentem ungulis, cum nemo sciat, nisi quod Deum hac videre noverit*, &c. Pergit in adultero idem graphicè describere. Sed de hoc Conscientiæ tumultu, & gravi bello intestino, fusè alibi *d* diximus.

Adeò verum est, quod in animo iterum lubet infigere: *Non est* PAX *impiis, dicit Dominus.* Nam tametsi nulli audiantur litui, tubæque sonantes, nec decuriatæ cohortes, armatæque legiones videantur, ait tamen perditæ conscientiæ viros, qui Dei legem, honoremque despuunt, continuò intestinum bellum circumferre, quod si quis vestrûm (quod cogitare vix ausim) hactenus cum Deo suo gesserit, hodiernâ luce, pacis Columba orbem obvolitat, & omnibus quantumvis à se diffidentibus inimicis, olivam pacis porrigit, quam ut & tu prensare, ejusque suavissimo, ac sapidissimo fructu frui valeas, in amica sua salutatione gratiam promisit: *Gratia vobis &* PAX *à Deo.* Ubi Hugo *e* Cardinalis: *Gratia præcedit, &* PAX *sequitur; quia sine gratia non est* PAX; *hæc est fundamentum* PACIS. Quæ duo Apostolus iterum iterumque conjunxit, ac ipsi Tito precatur: *Gratia &* PAX; ut D. Thomas *f* scitè observavit, dicens; *Hæc sæpe conjungit, quia omnium spiritualium donorum principium est gratia, &* PAX FINIS. Qui ergo ambit cum Deo pacem tam pretiosam, tam suavem, tam salutarem *g* (*quia nomen* PACIS *dulce est, & res salutaris*) necesse omnino est, ut thronum gratiæ accedamus, per sacram exhomologesin Deo nostro reconciliemur; nam, ut rectè *h* Chrysostomus, PAX *Dei*, *est*

a Job 9. v. 4.
b Isaiæ 48 vers. 18.
c Chrys. Hom. 1. de Lazaro.

d Lux Euang. p. 2. Dom. 4. post Epiph.
e Hugo Card. ad Rom. 1. f S. Tho. ad Titum 1. v. 4. g Cicero Philippica 2.
h Chrysost. Epist. ad Philip. 4. v. 7.

ſt reconciliatio Dei cum homine.

Quam cùm vos omnes habere confidam, unum ſupereſt, ne eam ullo unquam tempore infringamus, ſed firmam, inviolatamque, dum pace æternâ in cœlis potiamur, ſervemus; quod quemadmodum fieri queat, brevi & nervosâ ſententiâ regius Pſaltes a expreſſit, dicens: PAX *multa diligentibus legem tuam, Domine.* Quamdiu etenim mandatis ejus, ac legibus obtemperaveritis, pacem multam, hoc eſt, amplam, copioſam, abundatiſſimam, plenam & perfectam poſſidebitis. Atque ut cum D.Leone b concludam: *Quid eſt autem, dilectiſſimi,* PACEM *habere ad Deum, niſi velle, quod jubet, & nolle, quod prohibet? ſi enim humanæ amicitiæ pares amicos, & ſimiles exigunt voluntates, quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent?* Quam pacem, dum unicè ſpectat Michael Palæologus Imperator, eam ſibi, regno ac mundo ſpreto, ut perfectiſſimè omnes Dei voluntates adimpleret, comparavit, diviniſſimam hanc ſibi in diſerto teſſeram aſſumens; CHRISTUS PAX VERA. Et vobis, ſi à curis ſæculi animum avocaveritis, vera & ſincera pax erit.

a Pſalm. 118.v.165.
b S. Leo ſerm.6. in Nativit.

§. II.

Cum omnibus PACEM *habentes, maximè cum domeſticis.* Rom. 1.

ORbis Chriſtianus c tot tamque diuturnis bellis ac cladibus oppreſſus, ſupplices cœlo manus tendit, & calidiſſimis lacrymis, ac ardentiſſimis votis, pacem jam toties efflagitavit. Germania, illa quondam (ut ajunt) vagina populorum, mater fœcunditatis, domicilium literarum, & Martis officina, nunc latè ſqualentibus campis mœret, tot dirutis urbibus, tot viris exhauſtis, tot conſumptis opibus, tot templis disjectis, tot ſacrariis expilatis, miſerandum Fortunæ ludibrium, extremo ſpiritu te Deum pacis interpellat. Anglia Solymam calamitatibus vicit, & ea pertulit, quæ facere ſupra omnem barbariem ſit, tot illic ſub tyrannico acerbiſſimo jugo, primævæ religionis fortiſſimi defenſores taciti ingemiſcunt, & hoc identidem cum Eccleſia ingeminant: PACEM *tuam noſtris concede temporibus.* Francia jam toties ancipitem belli aleam experta horreis exuſtis (cùm tamen

Vyt de ſtroije banden
Compt de vveelde van de landen)

viſceribus exhauſtis, ac mutuis ſuorum diſsidiis afflictata, feſſa tandem exclamat:

——— *Pax una triumphis*
Innumeris potior.

Belgium per cicatrices, jam tot annis peritur, & lenta inter funera contabeſcit, Ubique dira vaſtitas, ſoluta legum vin-

c 2. Pax cum hominibus.

vinculis audacia, tot de claris urbibus busta, non nisi miserorum sanguine restinguenda, lamentatur & vociferatur, Pax, pax.

a ——— PACEM *te poscimus omnes:*

pacem omnes inclamant, pacem omnes anhelant.

Sed nunc ad vos orationem meam converto, & quemque vestrûm compello, Auditores: quid conferet, si Anglus cum Hollando, Suecus cum Polono, Persa cum Turca, Francus cum Hispano inter se paciscantur, & firmissimam pacem stabiliant, si frater cum fratre, lite contendat, vicinus cum vicino, civis concivem calumniis proscindat? uxor & maritus, frater & soror, ancilla & famulus, inter se gravissimo odio dissideant? totam domum injuriis ac litigiis compleant? Pacem illam domesticam, & concordiam expressit sacra pagina his verbis: Finito diluvio *b*, *recordatus est Deus Noë, cunctorumque animantium, & omnium jumentorum, quæ erant in arca.* Ubi D. Ambrosius *c* hanc quorundam quæstionem in medium adducit: *Moventur plerique, qua de causa non dixerit Scriptor, quòd etiam uxoris & filiorum Noë, memor fuit Dominus?* & statim respondet: *Cùm dixerit, quod Noe memor fuerit, in Auctore & præside domus, necessitates ejus reliquas comprehendit. Etenim cum omnes invicem sibi chari sunt, una est domus; cùm autem discrepant, separantur & dividuntur in plures domos. Ubi ergo est charitas, ibi senioris nomine, de quo pendent ceteri, domus omnis significatur.* Unde observatione dignum est, in Arca Noë, omnia genera animantium convenisse, volucrum, ferarum: quod apud Gesnerum, & Aldrouandum videre est. Hîc leo & agnus, lupus & ovis, lepus & canis, simul morabantur. Hîc canis feli, hœdus pardo, columba accipitri, gallina milvo juncta, inter se, & cum hominibus pacificè versabantur, & mutuâ pace, omnibus extra elementis frementibus, fruebantur; juxta illud S. Bernardi: *Nihil vos à foris conturbare poterit*, quod si verò hæc inter se diffidere, in se mutuò desævire cœpissent, qualis tumultus, quæ vociferatio, quanta commotio, qualis strages ac laniena, ex bello hoc intestino, mutuaque discordia exorta fuisset? tota navis, quâ orbis vehebatur, velut compage ruptâ, fluctibus hausta periisset. Cui rei aureo dicendi flumine velificari videtur Chrysostomus, *d* dicens: *Ecclesia velut navis in mari posita, portat credentes, portat baptizatos in una charitate, in uno remigio sanctitatis, in funibus charitatis, in velo orationis, in arbore crucis, in anchora fidei, in tabulis* PACIS. Priusquam navigaturi navim conscendunt, fortè contrarium iter ingredi parabant: ubi verò navim intrârunt, unam omnes voluntatem habent, ad unum omnes portum tendunt: & sicut omnis navis apparatus, & omne nauticum instrumentum, pretiosæque merces frustraneæ essent, ac fluctibus hauriendæ, si vel solæ tabulæ dissolverentur; ita in Ecclesia, & in omni familia, pace ruptâ, omnia bona

a Virg. l. 11. Æneid. b Gen. 8.
c Amb. l. 1. de Noe, c. 18.
d Chrys. hom. 1. in Symb. Apost.

na temporalia, fortunæ, supellex omnis, litibus, litigiis, discordiâ, diffidiis, brevi perduntur & pereunt: ut enim omnibus affluas, si pax desit, facilè diffluent, ac suavissimo fructu, quem ex iis capere consuevisti, privaberis. Hoc *a* D. Gregorii Nysseni, ipsius Xenocratis majus judicium est. *Quid enim*, inquit, *hominibus ex iis rebus, quibus frui atq; potiri student, vitâ pacificâ dulcius? quodcunque nominaveris ex iis, quæ in vita suavia & jucunda sunt*, PACE *indiget, ad hoc ut jucundum sit*. Etenim si suppetant *divitiæ, bona valetudo, uxor, liberi, domus, parentes, ministri, amici, horti amœni, quæcunque demum voluptatis inventa sunt, quæcunque delitias sectantes recreare possunt, si* PACIS *unum defuerit, quid inde lucri est aut quid prosunt, bello quo minus fruamur impediente?* Quid omnia prosunt, turbis domesticis, odio, zelotypiâ, diffidentiâ, discordiâ impediente? quæ omnia paucis complexus Doct. Angel. *b Bonorum omnium mater*, PAX EST, *sine qua cetera omnia inania*. Illa est unica benedictio domûs & familiæ, ut non sint simultates, & dissensiones: quod in animo, atque opinione habuisse video Divum Basilium, *c* magnæ mentis, sanctimoniæque Præsulem, qui exponens illud regij Vatis oraculum: *Dominus benedicet populo suo in* PACE, ait; inter omnes divinæ benedictionis species, perfectissimam esse pacem, quam benedictionem hodiernâ luce Dominus singulis vobis impertiit, ut singulorum ædibus inscribi possit: *d* PAX *huic domui*; pax inter maritum & uxorem; pax inter fratrem & sororem; pax inter generum & socrum; pax inter servos & pedisequas; pax etiam inter vicinos: PAX *huic domui*.

Leo Byzantius *e* cùm audîsset Athenienses, violatâ communi pace, sediciones agitare, tumultu, odiisque distrahi, ut fuit an amenioribus studiis egregiè imbutus, & concinnus ad persuadendum, eò se contulit, *f* & in Athenæo publicè peroravit. Erat ille corpore brevissimus, cervicibus crassis & obesis, ac prætumido ventre: unde cùm primùm in suggesto honorato conspectus fuit, risus consecutus est, & faceti joci Atheniensium, in statura pumilionis nova, & peregrina, at ille nihil territus salibus Atticorum; Illuditis, inquit, Athenienses, brevissimam staturam meam; ego verò & uxorem habeo, quæ tantum ad genua mea pertingit. Hîc autem omnes vehementiùs riserunt: verùm ille sapienter: Et tamen, inquit, si quando inter nos discordia excitata est, non modò *g tota vix satis est domus*; sed civitas ipsa nobis angusta est. Hoc dicto, velut proœmio usus, atq; introitu suæ orationis, de necessitate pacis, & utilitate concordiæ, multa eloquentissimè disseruit. Quæ & nos verissima experimur, & comprobamus, amplissimas etiam Magnatum ædes, ubi discordia, & Erinnys locum habet; per angustas pauperum verò casas, ubi concordia & pax

a S. Gregor. Nyssen. l. 8. beatit.
b S. Thom. in Luc. cap. 10 (Pax huic domui.) c S. Basil. in Psalm. 28.

d Luc. 10. e Plutarch de civili instit.
f Cresollius Antholog. To. 2. pag. 435.
g Seneca Med.

pax degit, latas & lætas domesticis videri consuevisse. *a* Domesticam hanc pacem, ab Ethnico mutuare non erubescamus. *b* Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nonagenariam, ipse natus annos sexaginta septem, gloriatus est, *quod nunquam cum matre in gratiam rediisset*; eò quòd nunquam eam offenderat; quòd nunquam cum sorore sibi penè coæva, fuisset in simultate. Hanc vocem se ab eo audiisse scribit Cornelius Nepos. Utinam quisque vestrûm in vitæ fine illud usurpare possit! utinam illud contestari maritus! *Nunquam cum uxore in gratiam redii.* Utinam id usurpare frater! *Nunquam cum sorore in gratiam redii*, &c. At quòd maximè indignum, indies contrarium evenire cernimus, & pacem hanc, inter maximè conjunctos levi verbo, sinistro responso, re futili, frivolâ de causa labefactari, & violari audimus.

Miseret me, puderque sæpe reputantem, quàm frivola fuerit apud multos, ingentium bellorum origo. *c* Bellum Trojanum, commune bustum Asiæ & Europæ, in nobili scorto exarsit. Hoc mille navibus repetebatur; hujus extincto pudori, tot heroum vitæ parentabant. Tot pudicæ, hostium libidini patebant, ut redderetur impudica. Arabiam invasit Alexander, ut Præceptoris admonitionem, qui puero profusionem thuris objecerat, jam vir factus, thuriferæ regionis dominatu, haud cunctanter elueret. Ægyptii, ob felem occisam, cæco & truci Marte, Romanos adorti multa hominum millia fœd mactârunt.

Ad Oceanum ingenti armo rum strepitu, & immenso re rum omnium apparatu, magni itineribus Caligula contendi ut conchas, lascivientis Na turæ ludo pictas, colligat; Ta rentinam cladem Romani nau tico percussi convicio moliun tur. Alexandrini contra Gal lienum rebellant, ob insulsa heri, & servi, de calceorum elegantia contentionem. E ne multa commemorem, Gui lielmus ille Anglorum Domi tor, omnium præterquam su potens, dictum facetum ma ximi Principis, innumeris cla dibus ultus est. Erat ille præ pingui corpore, & aqualicul supra modum tumente: qua ob rem, cùm de ejus morbo in audisset Philippus Rex Gallia rum: *Sinamus*, inquit, *puerpera decumbere, partui, ut ex mole ven tris apparet, jam vicinam.* Ill ad hæc furore amens, surrectu rum se dixit soluto puerperio innumeris facibus stipatum quibus Galliam incendere Nec defuit dicto fides: nam sta tim ac convaluit, vago exer citu Franciam ingressus, lugu bri feritate ulciscendi, cædibu & incendiis operatus, ipse tan dem suo ardore consumptu est. Videtis, quàm exigu scintilla, quantum bellorum concitârit incendium. Rabie hanc omnes detestamur, & be luinam illam barbariem exe cramur, dum interim tu, *ut leo in domo tua; evertens dome sticos tuos*, minori non rarò d cau

a Plutarch. b Cornel. in Epist. ad Coloss. 3. v. 25. c Causin. Angelus Pacis.

d Eccli. 4. v. 35.

causa, in servos, ancillas, in uxorem, in liberos, in proprium sanguinem sævis, & pace ruptâ, bellum intestinum, ob vitrum fractum, ob edulium insipidum, ob canem à vicino percussum, in ædes tuas inducere non dubitas. Quæ optimus morum Magister disertè notavit *a* Seneca: *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus torus, aut mensa negligentius posita, eversus calix*, & alia, quæ commemorat, *in rabiem agunt.* Confirmat idipsum *b* Hieronymus: *Calix frangitur*, mensa subvertitur, *verbera resonant, & aqua tepidior, sanguine vindicatur.* Denique duo verba satis sunt, ad pacem firmissimam, & multis annis, ac lustris stabilitam, penitus infringendam: *c Meum ac Tuum, innumera gignens bella*, ut inquit Chrysostomus. Quid enim in eadem domo, fratres arctissimo vinculo constrictos, in eadem tribu familias, in eadem republica cives, in eodem Regno provincias, in eodem Imperio regna, in mundo Imperia commisit, armavitque in mutuum exitium, *nisi Meum, & Tuum?* pax nostra vitrea est; vitro nihil faciliùs fit, uno halitu conflatur: nil etiam facilius frangitur, nec quidquam difficilius reparatur. Uni filio plus legatur, quàm alteri: illi filiæ uniones, crux gemmea donatur; illico pax ut Adamante vitrum, scissa & fissa est. Unde, nisi ob *Meum, & Tuum?* Quare rectè sentit Christianus Philosophus, pacem in orbe fore, si hæc duo pronomina ex mundo tollerentur.

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Expresserunt hoc velut in scena, duo caritate, & simplicitate eximij Religiosi, ex antiquis illis, in Patrum vitis, nominatis Monachis, de quibus sic refertur. *d* Duo senes multis annis simul conversati sunt, & nunquam inter se litem habuerunt; dixit autem unus alteri: Faciamus & nos unam litem, sicut homines faciunt; & ille respondit fratri, dicens: Nescio, qualiter fiat lis. Et ille dixit: Ecce pono in medio laterculum, & ego dico, *Meum* est hoc; tu autem dic, Non; sed *Meum* est. „ Inde fit litis initium. Posuerunt ergo testam in medio sui, & dicit unus eorũ: *Meum* est hoc; & alter dixit, Nõ; sed *Meum* est. Et ille respondit ei, etiam: *Tuum* est, tolle ergo, & vade, & discesserunt, nec contendere inter se potuerunt. Nimirum si proscribantur pronomina *Meum & Tuum*, contentionis auferetur occasio. Pluris, amabo, quàm testam, quàm vitrum fractum, etiam quàm uniones & margaritas, hanc domesticam pacem æstimate, & unanimes in domo, pacem habetote; adeò enim *Deus pacis* sibi complacet, dum vir & mulier sibi sunt consentientes, ut palam contestatus sit: *e In tribus placitum est spiritui meo; concordia fratrum, & amor proximorũ, & vir & mulier* BENE SIBI CONSENTIENTES; ac tales conjuges, *f* ipsis Anachoretarũ jeju-

a Seneca l. 2. de Ira, c. 25.
b Hieron. ad Eustoch. de virg.
c Chrysost. orat. de S. Philogonio.

d Rosvveyd. in vitis Patrum, Pelagius l. 17. n. 21. e Eccl. 25 v. 1. & 2.
f Vide Rosvveyd. Vit. Patr. lib. 6. pag. 6557.

jejuniis, orationibus, omnique vitæ austeritati hac pace præcellere, manifestâ visione S. Macarius edoctus est.

Denique ut cum S. Augustino *a* potentiùs in animos vestros descendam; hanc quam sic amatis, & diligitis pacem, *ipsam sectemini, ipsam desiderate, ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in uxoribus, ipsam in filiis, ipsam in servis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite*, & juxta Apostolum, *b cum omnibus* PACEM *habeamus*, ut filij Dei & esse, & nuncupari valeamus. Hoc ipsius primæ veritatis effatum est: *c Beati* PACIFICI; *quoniam filii Dei vocabuntur.* Quos autem hîc pacificos dicat, Sanctus *d* Hieronymus exponit; *Pacifici dicuntur beati, qui primum in corde suo, deinde inter fratres dissidentes, faciunt* PACEM. Quòd verò eosdem Dei filios nuncupârit, *e* S. Bernardus causam hanc assignat: *Merito filii Dei nomine vocabuntur, quia filii Dei opus impleverunt: ipse enim est, per quem reconciliati nos, pacem habemus ad Deum.* Quam pacem ita commendant sapientes, ut absque illa vix vita vitalis esse videatur. *f Cum omnibus* PACEM *habete, & Deus* PACIS, *& dilectionis erit vobiscum.* Nullum majus, evidentiusque argumentum divinæ præsentiæ, in piorum hominum corde, animæque penetrali, quàm lætissima hæc pax, & dulcissimæ quietis usura. Nimirum illud Davidis oraculum certum est, & è divinæ mentis intelligentia promptum: *Factus g est in* PACE *locus ejus.* In hac quiete animi pacifici, est honoratum Numinis diversorium, in quo libens, & deliciis omnibus circumfluens inhabitet, & securè conquiescat.

Nunc ad tertiam, eamque intimam tranquillissimæ conscientiæ pacem, veniamus, quæ quantæ dulcedinis, pretij, ac momenti sit, vel illud sapientissimi ac pacifici Regis testimonium evincet.

§. III.

PAX DEI, *quæ exsuperat omnem sensum*, ad Philipp. 4.

Hîc cum primis *h* memini Nicolai V. summi Pontificis, *i* qui perturbatum Ecclesiæ statum cùm inte[illegible] composuisset, adeò clarus extitit, populusque Romanus eâ concordiâ & pace ita lætatus est, *k* ut sequenti nocte, ejus diei quo hæc audita sunt, nimirum 23. Aprilis, anni 1449. cum faculis per urbem in equis incederent, clamantes, *Vivat Nicolaus!* atq; omnes festivis ignibus, pacifico Pontifici prælucerent. Quod tum contigit, ut in communi omnium pace, omnes Ordines, gestienti lætitiâ triumpharent, hoc fit in unoquoque nostrûm, cùm ejectis flagitiis, domitisque animi motibus, serenâ tranquillitate, pax consecuta est. Hæc Pax sublimior, quæ passionum excludit illecebras, perturbationesque mitigat, quàm ea, quæ barbaricos sedat incursus: plus enim est

a August. in Psalm 147. b 2. Cor. 13. c Matth. 5 d Hieron. in c. 5. Matth. e S. Bern. Serm. 1. de omnibus Sanctis. f 2. Cor. 13. g Psalm. 75.

h 2. Pax secum. i Platina. k Cresollius Anthol. Tom. 2. pag. 497.

est clauso intrà se hosti resistere, quàm remoto. Quare in divinis literis, hæc Conscientiæ Pax, cum gaudio, intimaque mentis lætitia, sæpe copulari solet; maximè apud D. Paulum, qui sic ad Romanos *a* scribit: *Deus autem spei, repleat vos omni* GAUDIO, ET PACE; & ad *b* Galatas: *Fructus autem spiritus, est charitas*, GAUDIUM, PAX; cùm significare vellet, verã & solidam animi lætitiam, velut in proprio domicilio, in charitate, & pace versari. Quò referri potest illud ad Colossenses 3. cùm dixit; PACEM *exultare in cordibus nostris*; adeò ut cor lætitiâ, ac voluptate exilire, & tripudiare quodammodo videatur.

Quod Salomon quoque in sacris suis proverbiis insinuat: *c Secura mens, quasi juge convivium.* Mens nullius gravioris noxæ sibi conscia, pace interiori perfruens, quasi in opiparo, atque exquisitissimo esset convivio, & in perpetuis lautitiis, ac lætitiis viveret, continuâ ac intimâ animi jucunditate perfunditur: non saliares dapes, non delicatorum scitamenta, tot & tantas, & tam liquidas habent voluptates; quibus Ambrosiam affundit Mediolanensis *d* Antistes: *Quis puritate, & simplicitate pectoris, dulcior fructus? quis cibus suavior, quam iis quem animus bene sibi conscius, & mens innocentis epulatur?* ubi homo sceleratus, inter omnes delitias, ac cupedias, acutissimis conscientiæ stimulis agitatus, instar Damoclis, cervicibus suis non acinacem, sed Dei fulmen cernit imminere. *Sonitus e terroris semper in auribus impii, & cum* PAX *sit, ille insidias suspicatur.* Tametsi ridere omnia videantur, & concinni fluctus in placido velut mari alludere, non malacia est illa, sed potius Delphinorum pompa, ludicrumque prænuntium tempestatis. O si introspicere liceret hoc intestinum bellum! quem non tumultum oboriri, consurgentes volitare furias, perturbationes inter se arietare, frangi & dissipari quietem, & jura pacis violari cerneremus? ut verissimè *f* Augustinus pronuntiârit; *jucundius gaudere hominem de* BONA CONSCIENTIA *inter molestias, quàm de mala inter delicias*; & multò jucundiùs agricolam, in molli conscientiæ culcitra, super manipulos suos conquiescere, quàm hi tenacissimi Eucliones, saccis auro congestis indormiant. Aureâ suâ eloquentiâ Chrysostomus, *g Animi tranquillitatem*, inquit, *& lætitiam, non principatûs magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quippiam rerum humanarum afferre consuevit, præterquam* CONSCIENTIA BONA: *quam certè qui puram habet, ut pannosus sit, ut cum fame luctetur; tamen tranquillior, beatiorque est iis, qui inter delicias degunt.* Solymæus Rex inter Saulis insidias, inter sicas lateri imminentes, securus cantat, & animum quasi lautissimis, ac exquisitissimis epulis reficit; sic enim ille, cùm à Saule premeretur,

a Ad Rom. 15. b Ad Galat. 5.
c Proverb 15. d S. Ambros. in Psalm. 45.
e Ib 15. f August. de catech. rudib. g Chrysost. Hom. 1. in Epist. ad Rom.

tur, cecinit: *a Super aquam refectionis educavit me*. In quæ verba Ambrosius: *b Hæc refectio spiritualis est, hæc refectio mentis internæ*; quæ à bonæ conscientiæ gustu, & interiori pace oriebatur. Quid? quòd conscientiæ loricâ munitus, omnia inimicorum tela elidat, omnes invidorum calumnias eludat:

c ——— *Hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Artificiosam calumniam excogitavit olim Josephus *d* contra fratres suos, jubens in sacco Benjamini scyphum suum argenteum recondi, ut de illo, tanquam de furto, innocens puer argueretur. Invento igitur scypho, turbati sunt omnes fratres; unus tamen Benjamin impavidus, ne verbum fecisse reperitur. Rem expendens Theodoretus: *Aperte*, inquit, *ostensa est* CONSCIENTIÆ *testimonii potestas.* Quasi diceret; alii fratres, etsi furti in se culpam non agnoscerent; aliorum tamen scelerum conscii, turbabantur; at vero Benjaminus, nullius sceleris morsu stimulatus, intrepidus consistebat. Ecquid vos conturbare poterit? Quid in terra quietius, & securius bonâ conscientiâ? clamat *e* Bernardus: *Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, qua & ipsâ morte magis erigitur; quàm deprimitur.* Quæ ergo nec mortem, nec diabolum, nec ipsam gehennam timet, quomodo ad leviores insultus, ad hominum calumnias conturbabitur? quomodo non præfidenter cum Hipponensi *f* Præsule jactabit? *Senti de Augustino, quidquid lubet; sola me* CONSCIENTIA *in oculis Dei non accuset.* Mirum est, quod narrat D. Hieronymus de S. Malcho, ejusque conjuge profugis. Erant ambo vitæ continentiâ eximii, in faucibus cujusdam speluncæ, in cujus interiori recessu rugiebant leones, exsertis unguibus ad rapinam; atque in exteriori vestibulo fremebant & sæviebant latrones, districtis ensibus ad lanienam. Quid verò hi conjuges? inter tot pericula, inquit *g* Hieronymus, *pudicitia tantum* CONSCIENTIA, *pro muro septi, eventum rei præstolabantur.* Et quidem hoc vallo Conscientiæ muniti; utroque discrimine erepti sunt, leonibus in hostes sævientibus, & utrique conjugi parcentibus.

Ascendente Domino in naviculam, facta est tempestas magna; *h Et erat ipse in puppi, super* CERVICAL *dormiens.* Euthymius, & Theophylactus, cervical illud ligneum fuisse volunt; alii funes nauticos, sed Barradius *i* in rem nostram ait, molle, ac blandum pulvinar, cui Christus suavissimè indormit, *esse bonam conscientiam*: in in qua, dum vir probus quiescit, etiam inter Oceani minas, & exundantes undique tempestates, immotus ac pacatus indormiscit. Unde perappositè lectulo cælestis Sponsi, à Salomone Rege pacifico comparatur; *Lectulus noster floridus*; quo typum

a Psalm. 22. b Ambr. in Psal. 36.
c Horat. l. 1. Epist. d Gen. 44.
e Bernard. ad Eugen.

f Aug. lib. uno ad Secundinum Manich. c. 4. g Hieron. in vita Malch.
h Marci 4. v. 38. i Barradius hic.

pum bonæ conſcientiæ exprimi, mellëus Doctor *a* eleganter docet, dicens: *Lectulus reſperſus floribus*, BONA CONSCIENTIA *eſt, bonis referta operibus.* Huic cervicali, huic lectulo Petrus indormiit; qui inter duos milites conſtitutus, vinctus catenis duabus, poſtero die ad extremum ſupplicium rapiendus (quis non obſtupeſcat?) tam altùm dormiebat, ut Angelus eum trahere, ac vellere debuerit; *b percuſſoque latere Petri*, à ſomno excitare. *Lectulus Petri reſperſus floribus*, BONA CONSCIENTIA *erat.*

Apud Athenæum *c* legimus, Reges Perſarum, eò prolapſos deliciarum, ut ad caput cubilis regii conclave haberent, medio pariete diſtinctum, eâ capacitate, quæ quinque lectos contineret; in eo ſemper quinque millia talentûm auri aſſervabantur. Sunt noſtro calculo, trigeſies, & bis millies milleni, ſeptingenties quinquagies mille coronati, ſeu tringinta tres milliones (non florenorum, ſed aureorum) & ſeptingenties quinquagies milleni coronati. Hoc autem conclave, CERVICAL *regium* appellabatur. Sed num hoc pretioſiſſimum cervical, hanc opulentiſſimam culcitram, Regi ſomnum conciliâſſe arbitramini? Potentes ſæculi, ac viros divitiarum percunctamini, num ciſtis ſuis, auro oppletis, num ſaccis ac crumenis pecuniâ refertis, ſecuri indormiant? Auguſtus *d* certè de ſe fatſus eſt, quòd inter regias gazas, inter aureos acervos, inter gemmeam ſupellectilem, ſomnum capere non poſſet, unde, Macrobio teſte, cum ob ingentes curas, multas noctes duxiſſet inſomnes, per diem forte in auctionem venit, ubi comperit culcitram vendi Equitis Romani; quem multo licèt ære alieno obſtrictum, in multam lucem, altùm indormire acceperat. Hanc itaque ſibi emi voluit, experturus, ſed fruſtra, num hæc ad quietem conferret. Ad hanc captandam, aptiorem thorum, mundam Conſcientiam offert *e* Hugo Victorinus: *Hic eſt lectulus; hic in candidiſſimis munditiæ linteaminibus, & in lectulo* CONSCIENTIÆ, *veræ* PACIS, *capies ſomnum.*

O felix qui ita dormit, & ab omni tumultu liber, altâ hîc pace fruitur! O thorus, omnibus Pontificum pulvinaribus gratior, omni regiâ culcitrâ mollior, omni lectulo Salomonis illuſtrior! Hunc lectulum non viri fortes, & bellicoſi per circuitum ambiunt, nulli hîc armorum ſtrepitus, nulli timores. *Talis eſt animus ſapientis*, inquit *f* Seneca, *qualis eſt mundi ſtatus ſupra lunam: ſemper illic ſerenum eſt. Nunquam ſine gaudio eſt; quod non naſcitur, niſi ex* BONA CONSCIENTIA. Ecce quæ pax à mente, nullius mali ſibi conſcia; ea certè, quam nihil interturbet, nihil terreat, nihil commoveat; Olympi inſtar verticis, omnes nubes infra ſe habet; quod uberius è lacteo fonte juverit haurire *g Nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ* CONSCIENTIA *fremat corpus, trahat mundus,* *terreat*

a Bern ſer. 47 in Cant. b Act. 12. S. c Athenæus l. 12. Dy. noſoph. d Macrob. l. 2. Saturn c. 4.

e Hugo lib. 2. de clauſtro Animæ c. 10. f Seneca ep. 59. g Bernard. de interiori domo c. 23.

terreat diabolus, *illa erit secura*; illa læta gestiet, & exultabit; Paulus igitur, ut præco, sublimi e loco exclamat: *a* PAX CHRISTI *exultet in cordibus vestris*, & palmam ferat. Iræ motus, impetusque violenti, mansuetudine retundantur; pax involitet coronata, mille gemmis redimita, bonis affluens & secura. Cujus victricis & gloriosæ, ita laudem pangit *b* D. Augustinus: PAX *est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis: hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras.*

Denique ne longior sim, magnificum illud, aureumque dictum S. Pauli, menti occurrat, quo uno, tanquam epitome arcanâ, mihi omnia complexa videntur: *c* PAX *Dei*, *quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda, & intelligentias vestras.* Nihil majus, sublimiusque dici potuit, quàm pacem Dei, exsuperare omnem sensum, omnem intellectum. Excedit omnium ciborum cupedias, omnem aurium illecebras, omnes oculorum delicias, omnium sensuum liquidissimas voluptates. Unde, quod miremini, homo Ethnicus pronuntiavit, & decantavit:

> d *Hæc est summa boni, mens quæ sibi conscia recti.*

Imò tantum est bonæ Conscientiæ gaudium, ut eam possidens, cælesti gloriâ perfrui videatur. *Gloria nostra*, inquit *e* Paulus, *hæc est*, *testimonium* CONSCIENTIÆ NOSTRÆ: quâ, ut cælites de beatorum gaudiis, quodammodo exultandum esse, tradit Augustinus; qui postquam bonam Conscientiam, appellavit paradisum deliciarum, thalamum Dei, palatium Christi, habitaculum Spiritûs Sancti, tandem *f* exclamat: O CONSCIENTIA SANCTA, *in terra adhuc es*, *& in cælo habitas! gaude*, *O anima sancta*, *sancta* CONSCIENTIA *decorata*, gaude cælesti, & æternâ gloriâ. Ubi vides, non solùm temporalem, sed æternam etiam gloriam, bonæ Conscientiæ tribui. Nec immeritò: nam (sicut mala Conscientia, lethali scelere obstricta, gehenna est (ut alibi diximus) ita &, nullius sibi conscia, cælum est, & beatorum veluti gaudiis perfruitur, ac omni abundantiâ pacis potitur. Unde *g* Ambrosius: *Non*, inquit, *secundum forensem abundantiam*, *æstimanda est beatitudo singulorum sed secundum interiorem* CONSCIENTIAM, *quæ innocentium*, *& flagitiosorum merita discernit*, *vera atque incorrupta pœnarum, præmiorumque arbitra.* Et alibi, paucis multa: *h Vitam beatam efficiunt, tranquillitas Conscientiæ*, *& securitas innocentiæ.* Ut vulgò, non injuriâ, hæc parœmia ventiletur: *geen goet geen eer*, *geen excellentie voor een goede Conscientie.* Verùm, hoc nemo experitur uberius, nemo hanc præviam beatitatem delibat suaviùs, quàm is, qui nunc ex hoc sæculo migraturus, securus ad Judicem pergit. Hoc Chrysostomi testimonium est, hæc digna viro sententia, qui ad populum Antiochenum sic *i* ait: *Nihil*

a Coloss. 3.
b August. Serm. 57. de verbis Domini.
c Philip. 4. d Juvenal. Sat. 13.
e 2. Cor. 1.

f Aug. Serm. 10. ad Fratres in eremo.
g Ambros. l. 1. Offi. cap. 122.
h Ambros. l. 2. Offic. cap. 1.
i Chrysost. hom. 37.

Nihil bonâ suavius CONSCIENTIA; *& si vultis hoc discere, hinc migraturum interrogemus, & commonefacientes lautæ mensæ, quâ quondam oblectabatur, & honoris, & gloriæ, & bonorum operum, quæ unquam fecit; rogemus, in quibus magis exsultet? & in illis quidem videbimus erubescentem; in his verò gestientem.* Tunc maximè capies, & sapies, verissimum illud Sapientis: *a Secura mens, quasi juge convivium,* cùm omnes cibi desipient, omnia humana fastidies.

Ezechias, cùm mors, terribilium omnium terribilissimum, oculis obversaretur, sibi bene conscius, ex imò pectore precari, ac protestari cœpit: *b Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te, & quod bonum est in oculis tuis fecerim;* Nulli injuriam intuli, nullius famam denigravi, nullum præceptum violavi; aut si quid sceleris admisi; calidis lacrymis expiavi. Chrysostomus hanc Ezechiæ brevem precationem, fiduciæ plenam ostendens, *c* ait: *Non mensæ deliciarum plenæ recordabatur, non eximiæ gloriæ, sed justæ, ac* RECTÆ CONSCIENTIÆ.

Compello hîc quemquam vestrûm, si hodie moriendum, si antè terrificum illud tribunal consistendum, num tua, ô Mercator, Conscientia secura? nihil injusti lucri, nihil damni illati remordebit? num tu Juridice, Causidice, nullas hîc pupillorum, ac viduarum justas querelas reformidas? atque ita quisque se discutiat, & inveniet verissimum illud *d* Prophetæ: *Tunc mentietur opus olivæ*; qui hîc in vita altam habuêre pacem: qui jactabant passim illud, *e* PAX, PAX, & *non erat pax*; quia *non est pax impiis*, injustis: sceler atis, peccatoribus: contra verò, inquit *f* Bernardus, BONA CONSCIENTIA *secura erit, cum corpus morietur; secura, cum anima coram Deo præsentabitur; secura, cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi judicis statuetur. Futuræ benedictionis non est utilius remedium, nec certius testimonium* BONA CONSCIENTIA. Hanc qui possidet, inter omnes mortis terrores, & cacodæmonis infestationes, securus pronuntiare poterit, cũ Psalmista: *g In* PACE, *in idipsum dormiam, & requiescam.* Hanc veram, & sinceram pacem expertus olim, Ordinis S. Dominici Religiosus, de quo oculatus testis B. Thomas Cantipratanus: Vidi, inquit, Lovanii, Ordinis nostri fratrem, Servatium nomine, dilectum valdè mihi, & amicitiâ familiarem. De illo beatissimo Viro, Fratres qui triginta quinque annis illi convixerant, testati sunt, eum omni hoc tempore, ita *pacificè* vixisse, ut neminem unquam vel leviter commoverit, aut perturbârit. Humilitatis, & mansuetudinis tantæ fuit, quantæ nunquam hominem meminerim me vidisse. *h Hic ad extrema deductus, cum à Fratre quodam rogaretur, ut sibi, super* STATUM PACIS SUÆ CONSCIENTIÆ *responderet? dixit humiliter, & devotè: Pax certa & firma est inter me, & nostræ salutis*

a Prov. 15. b Isaiæ 38. c Chrysost. hom. 63 ad pop. Antioch.
d Habacuc. 3.

e Jerem. 6. v. 14. f Bern. de intern. domo c. 23. g Psalm. 4. v. 9.
h Cantiprat. l. 2. Apum, c. 1. n. 13.

auctorem; nec ullo modo diutius ab ejus contemplatione frustrabor: atque ita in pace æterna requievit. Si hujus Conscientiam tu in extremis emere posses, quantum daturus es?

O si nos tunc Conscientiam Ambrosii possidere possemus, qui candidissimâ mente dicebat: *Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus!* si Conscientiam Francisci, Dominici, Ignatii nobis comparare possemus! quid acturi essemus? Audite Philosophum Romanum a ad Lucilium: *Nolo tibi unquam deesse lætitiam; sed volo illam tibi domi nasci, de tuo gaudere, de teipso, & de tui optima parte.* Post pauca, quid sit illud, interrogat, & unde istud intimum gaudium subeat? Ex BONA CONSCIENTIA, inquit. Quibus tamen unum observandum subnectit: *Bona mens, nec commodatur, nec emitur; & puto si venalis esset, non haberet emptorem.* Si quis Jurista ad Licentiam adspirat, nec multùm insudârit, dictata alterius sibi commodari petit: si quis tenuioris fortunæ, convivas mensæ adhibet, lances, scyphos, fuscinulas, aliamque supellectilem, ab amicis, aut vicinis sibi commodari postulat; at Conscientia bona *non commodatur.* Et si venalis esset, si Conscientia S. Catharinæ Senensis, Bononiensis, Genuensis, S. Theresæ, aut alterius integerrimæ Virginis, venalis esset, quid vos filiæ vanæ, & sæculares, daturæ estis? num cincinnos vestros, num cyclades Damascenas? Si Conscientia S. Casimiri, Edmundi, Aloysii, venalis esset, quid vos Adolescentes daturi? num carnis delicias, parentum gratiam, mundi titulos, & dignitates? quo pretio empturi? omnibus divitiis, jejuniis, ciliciis, sanguine, vitâ? existimem cum Seneca, si tanti venalis esset bona Conscientia, non haberet emptorem. Ecquis enim tot precibus, lacrymis, jejuniis, pœnitentiis, heroicis virtutibus illam emeret? Imò verò quis non tanti eam tunc emisse peroptaret? ut usurpare possit illud regij b vatis; *In* PACE *in idipsum dormiam, & requiscam;* ut multum hîc *terris jactatus,* & alto, in portu beatæ patriæ valeat quiescere, & æternâ pace, in cælesti illa Jerusalem gaudere. De qua dum Hipponensis Præsul, aliquando ad suos verba habuit, & illud more suo copiosiùs pertractaret; c *Qui posuit fines tuos* PACEM, omnes continuò læto plausu, & clamore personuerunt, pacis nomine exhilarati, & incensi magnâ illius cupiditate.

Clarissimum tanti Pontificis locum, non possum à me impetrare, quin hîc adducam: sic igitur è sublimi Throno d dixit: *Qui posuit fines suos* PACEM. *Quomodo exultatis omnes? hanc amate fratres mei. Multum delectamur, quando clamat de cordibus vestris* PACIS *dilectio. Quomodo nos delectavit? nihil dixeram, nihil exposueram, versum pronuntiavi, & exclamâstis. Quid de vobis clamavit? dilectio* PACIS; *quis ostendit oculis vestris? unde clamatis, si non amatis? unde clamatis si non videtis? invisibilis est* PAX. *Quis est oculus quo visa est ut amaretur? neque enim a[d] cl*

a Seneca Epist. 23.

b Psalm. 4. v. 9. c Psalm. 147.
d Augustin. in Psalm. 147.

clamaretur, nisi amaretur. Hæc sunt spectacula, quæ exhibet Deus rerum invisibilium. Quantâ pulchritudine intellectus PACIS, *corda vestra percussit?* quid jam *ergo loquar de* PACE, *aut de laude* PACIS? *prævenit omnia verba mea vester affectus, non implebo; non possum, infirmus sum. Differamus omnes laudes* PACIS, *ad illam patriam* PACIS. *Ibi eam plenius laudabimus, ubi eam plenius habebimus. Incohatam in vobis, si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus? Ecce hoc dico, ô filii dilecti! ô filii regni! ô cives Ierusalem!* quoniam in Jerusalem *visio* PACIS *est, & omnes, qui habent, & amant* PACEM, *benedicuntur in ea.*

 FESTUM

FESTUM
S. MARCI EUANGELISTÆ.

Animal primum ſimile LEONI. Apoc. 4.



Ex ungue LEONEM.

ARGUMENTUM.

COEleſtis noſtri leonis robur, vires, vigorem; jubas, ſ
ctus, rugitus, ſi vel per umbram delineare tentem, i
menſus ſim; ſuffecerit *ex ungue*, ut ajunt, LEONEM, ex p
lice gigantem, ex linea Apellem dignoſcere, quam co
jecturam ac regulam, ex peritorum præceptis, adeò i
fallibilem commonſtrabo, ut, quicumque in ulla ſcientia ſum
in quocumque virtutis ſtudio, omnique perfectionis, ac ſancti
tis

tis magisterio eximij excelluerint, ex unico præcellentiæ, aut heroicæ fortitudinis actu, velut ex ungue leones dignoscendi fuerint; utpote qui unicus, hoste potentissimo debellato, ceteros omnes in servitutem redegerit, & velut Rege apum capto, de toto agmine triumpharit. Unde & cujusque vestrûm unicum illud studium sit, oportet, ut, quod in vobis vitium maximè militare, ac dominari perspexeritis, in illud omnes animi, corporisque vires conferatis ad debellandum, & expugnandum. Typum hujus argumenti, nobis sacri Regum annales proponunt, dum Davidem inducunt, cum immenio illo gigante, Phylistæo, qui Israëlitarum terror erat, congredientem: quo solo prostrato, reliquum omne imbelle vulgus in fugam actum est. Suum quisque nostrum Phylistæum patitur, qui protervè insultat: hoc devicto ac prostrato, reliquum passionum tumultuantium vulgus, facilè cedet, aut cedetur.

§. I. *S. Marcum, velut ex* UNGUE LEONEM *dignoscendum?*
§. II. *Omnes sanctimoniâ vitæ illustres, ab insigniori aliquo facinore exorsos, velut ex* UNGUE LEONES *dignoscendos esse.*

FESTUM S. MARCI.

Animal primum simile LEONI. Apoc. 4.

De Marco olim Tullio dixerit Antiquitas: hic ille est Marcus dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur par imperio Romano ingenium, os magnum, sapiens, beatum, nectare, & Ambrosiâ diffluens; ex omnium sæculorum, ingeniorumque virtutibus collecta in unum perfectio. Vir de quo dubites, an ipse totus ex eloquentia, an ex ipso tota eloquentia sit confecta. Hinc jure longè meritissimo, Silius Italicus, ingenioso commendationis genere, Marci Tullii laudes, explicare volens, eum à voce commendavit:

a *Tullius æratas raptabat in agmina turmas*
Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto,
Indole pro quanta juvenis! quantumque daturus
Ausoniæ populis ventura in sæcula civem!
Ille super Gangem, super exauditus & Indos,
IMPLEVIT TERRAS VOCE.

Ubi Romanæ eloquentiæ principem laudare potuisset ab consulatu feliciter gesto, ab administrata provincia, à vindicata ab interitu patria, aliisque permultis, his omnibus silentio

a Silius Ital.

preſſis, eo ſolum nomine commendatur, quod

Implevit terras VOCE.

Nunc verò liceat mihi hodiernâ luce, de ſancto noſtro Marco, oratore divino illud pronuntiare encomium, quod olim Hieronymus de Marco Tullio: *a Demoſthenes tibi præripuit, ne [illegible] primus orator, tu [illegible].* Sed parum hoc, præripuit inſuper & Marco Tullio, Evangeliſta Marcus divinâ ſuâ facundia, ut omnium oratorum qui fuerunt ac futuri [illegible] primus & ſolus ſit; cujus [illegible], virtutem, energiam, [illegible] gorem, non humanæ eloquentiæ eſt enarrare:

b Non mihi, ſi linguæ centum,
ſint oraque centum,
Ferrea vox.

Ut cecinit Mantuanus, *ſi cuncta corporis mei membra verterentur in linguas*, ut inquit *c* Hieronymus, *ſi linguis hominum loquar, & Angelorum*, ut ait *d* Paulus, nihil dignum divo Marco potero enarrare, omnis Marci Tullii, in hoc uno Marco noſtro, dignè collaudando infans & muta erit eloquentia.

E purpuratorum ſenatu, Cardinalis *e* Damianus B. Marcum *cæleſtem Tubam* vocitavit. Procopius non tubæ dumtaxat, ſed & tonitruo vocis ejus clangorem comparavit, cujus hoc de Euangeliſta exſtat Elogium: *vox tua* TONITRUI *ſonitum dedit, & Euangelii tui lumen* ſupra *ſolis radios effulſit.* Unde quid mirum ſi ſubdat? *decet de* MARCO *illud dicere: in omnem terram exivit ſonus ejus, & in fines orbis terræ verborum ejus utilitas.* Hæc vox *ſola ſupra omnes alias Rethorice facultatis voces, tibi congruens eſ utilitas ſermonum.* Miramur in unum Marcum Tullium, majeſtatem Platonis, ſuavitatem Iſocratis, vim Demoſthenis, ſubtilitatem Lyſiæ, Hyperidis venuſtatem, Theophraſti elegantiam, Demetrii myrothecia, coaluiſſe; ſic tamen inſtructa, non eò ſe Tulliana facundia effudit, non tantum orbi univerſo utilitatis contulit, ſcio eam humanæ facundiæ vim in ipſo enituiſſe, ut curiam Romanam, in quam collibuiſſet ſententiam, pertraheret, jamque capitis condemnatos nonnullos, quos inter Q. Ligarium, vitâ donârit, & abſolverit. Verùm enim vero ſi divinam dicendi vim, & cæleſtem eloquentiam, *f* in D. Marco attendamus, tantâ excelluiſſe comperiemus, ut innumeros æternâ morte condemnatos non modo judicio abſolverit, ſervârit, ſed & mortuos vitæ reſtituerit.

Inter quatuor myſtica animalia, quæ Ezechiel vidit, D. Marco leonis ſymbolum, propriiſſimè convenire perhibetur ſic enim de eo B. Laurentius Juſtinianus patriarcha Venetus qui dum aliquando ad Calixtum III. Pontificem adveni præſentibus Cardinalibus, splendido hoc exceptus e Encomio: *Salve decus, & glori præſulum.* Hic de celeberrimo Venetorum patrono ſi ait:

h L E O *Marcus figuraliter nun cupatur, ob rugitum vocis ſuæ, qu decet pœnitentiam agere, deſerer vitia*

a S. Hierony. de vita Cleric. b Virg. Georg. lib. 2. c Hieron. Epiſt. ad Euſtoch. d 1. Cor. 13. e Pet. Damian. Serm. 2. de S. Marco.

f Ribad. in vita. g Spondan. ann a. 1455. num. 1. h B. Laur. Iuſti ſerm. de S. Marco.

vitia, repugnare Diabolo, futurum devitare judicium.

Leonem illum à rugitu vocis nuncupat, qui tantæ virtutis est, ut Plinius solertissimus rerum naturalium indagator, tradat Leonem rugitu suo catulos velut mortuos suscitare: *Leo rugiet quis non timebit?* Quot verò leo noster mysticus rugitu vocis suæ gentiles ac idololatras Christo ac sibi verè mortuos suscitârit, gravis author a Dionysius Carthusianus testatur, dicens: *Marcus innumeras, gentilium multitudines convertit ad Christum.*

Nónne mortuos in vitam revocavit, dum quod de nullo Sanctorum legisse me memini, purpuratus pater sanctimoniâ vitæ eminentissimus, de illo disertè tradit? b *quod Deus tantam verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prorogavit*, ut omnes (Ethnicos, quantumvis perfidos, perjuros, blasphemos, sceleratos) *qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam ac totius sanctæ conversationis instantiam, tanquam ad monasticæ perfectionis fastigium pervolarent*, quæ enucleatè Ribadinera noster exponit.

Hinc vanè se jactârit Marcus Tullius exclamando:

O fortunatam, natam me consule Romam!

quanto religiosiùs, ac gloriosiùs D. Marcus exclamare posset:

O fortunatam, natam me præside Romam!

O fortunatam Aquilejam, Alexandriam, Ægyptum!

O fortunatas Venetas te præside natas!

Te divo tutelari RESPUBLICA VENETORUM. Anagramma VERE CAPUT LUMEN ORBIS. At talem, tantumque virum quis complectatur?

§. I.

S. *Marcum velut ex* UNGUE LEONEM *cognoscendum.*

ISaias cap. 21. *clamavit:* LEO, *super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus*; quod prophetæ vaticinium sacri interpretes divo Marco non injuriâ tribuerunt. c Hic leo non modò Ægyptum densissimam vitiorum silvam, sed horridum cacodæmonum spelæum ingressus, quid clamore, quid rugitu suo fecerit, attendite, ipsam loci faciem vel à profano poëta discite:

d *Quis nescit veluti Bithynice, qualia demens*
Ægyptus portenta colat? crocodilum adorat.
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus Ibin.
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci:
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ;
Oppida tota canem venerantur. Nemo Dianam.
Porrum & cæpe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

a Dionys. Carthus. sermon. 3. de S. Marco. b B. Pet. Damian. serm. 2 de S. Marco.

c v. Dionys. Carth. festo S. Marci.
d Iuvenal. sat. 15.

Quæ omnia vana ac insana numina, Marcus clamore suo, ut Procopius testatur, prostravit: *a Leo rugiet, quis non timebit? quaque illis erant inania & vana simulachra, solo adæquavit.* Quid adhæc? quid faciam? an immanem illum leonem semel & simul hâc meâ oratione, velut tabula adumbrabo? officit magnitudo. An singulas ejus partes incisè, membratimque divisas exprimendo, delineabo? impedit multitudo? quid igitur faciam? qui nec magnitudinem dicendo emetiri, quia immensa, nec multitudinem possum narrando adæquare, quia infinitam oporteret esse orationem meam; neutrum autem, nec temporis sinunt angustiæ, nec mea permittit in dicendo tenuitas; faciam igitur, quod egisse Thimantem pictorem longè celeberrimum, annalium referunt monumenta, qui cùm non posset unius perexiguæ tabulæ cancellis, immanem undequaque Colossi molem concludere, altam 200. cubitis, duodecim annis pretio trecentorum talentorum, id est centies octaginta millibus aureorum perfectam, quæque, teste *b* Plinio *jacens quoque miraculo fuit: cujus digiti majores quàm pleraque statua, & pauci* viri, eodem *c* teste, *pollicem ejus vix complecterentur,* consilium à necessitate prudens mutuatus, pollicem dumtaxat, quem Thyrsis suis satyri metiebantur, expressit, ut quanta esset reliqua totius corporis magnitudo, ex hoc uno, velut ex pollice gigantem, pronâ conjecturâ assequeretur?

a Amos 3. b Plinius l. 34. c. 7.
c Queccius de præstantia homin. c. 10.

Infinitus quippe sim, si vires, si virtutes, si animos leonis nostri adumbrare voluero, ex uno actu heroico, velut ex linea Apellem, ex pollice Gigantem, *ex ungue* LEONEM, vobis non tam cõtemplandum, quàm admirandum proponam. Compertum est naturam quandoque omnes vires suas in uno singulari & rariori effectu, expromere, qui passim inter naturæ miracula, ac terræ prodigia à nobis recensetur; sic fidâ relatione accepimus, in Indiis mali arborem reperiri, quæ subinde unum dumtaxat pomum profert, sed tam stupendæ magnitudinis, molis tantæ, ut à robusto viro vix portari queat: qui fructus est opus ex totis naturæ viribus procedens, & vel unicum centenis, ac millenis aliis præcellit, totamque ipsius naturæ potentiam manifestò declarat. *d* At longè potentiores, ac præstantiores vires gratiæ, quæ in anima quandoque, dum se totam exerit, multò stupendiores virtutum solidarum effectus, & heroicos interioris fervoris fructus producit, quorum unicus, hominem virtute verè magnum, sanctimoniâ mirum arguere posse, jure censeatur. Vultis nunc ex unico actu, qualis quantusque vir Marcus extiterit, cognoscere? ut supremam, quæ in terris est, sacerdotii dignitatem devitaret, non imitando, sed mirando humilitatis exemplo, sibi pollicem præscidit: sic enim de eo Cardinalis Damiani. *e Amputâsse sibi*

d Barry solitud. post diem 3. Exercitatio de fervore spirit. ad opera generosa. e B. P. Damian. serm. 1. de S. Marco.

sibi pollicemo legitur, ut sacerdotio reprobus haberetur, sed mox à S. Petro restituto, *tantum in eo potuit prædestinata supernæ dispensationis electio, ut Episcopus factus, Alexandrinam fundârit Ecclesiam.* Ex hoc autem unico divi Marci *a* articulo, velut ex pollice gigantem, & *ex ungue* LEONEM facilè metietur homo vanitati similis factus, qualem non unum honores & dignitates tam sæculares quàm Ecclesiasticas ardentiùs ambientem, quàm Marcum spernentem, subinde dicentem audivi, optare se cum jactura articuli, seu digiti sui, ad tale officium, seu beneficium posse promoveri, aliave re posse potiri; non longè abeundum est, fuit Bruxellis non multis abhinc annis Comes, hoc facto parum illustris, qui digitum sibi præscidit, eumque literis insertum, ad nobilem & nubilem filiam quam ardenter deperibat, missitavit; quantum hic in animo ardoris habuerit, quantus qualisque vir fuerit, ex pollice dijudicare potestis. Seneca (*sic dictus, quia se necavit*, inquit S. Bonaventura; *b dum mortem; quâ moreretur, elegit*) leones inducit, quos ex uno heroico facinore, velut ex ungue facit dignosci, nosque hortatur, ut consimili aliquo illustri facto excellamus: *c Dic tibi ex iis, quæ terribilia videntur, nihil est invictum, singula vicere jam multi: ignem Mucius, crucem Regulus, venenum Socrates, Exilium Rutilus, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid. Rursus ista quæ ut speciosa & facilia trahunt vulgum, à multis & sæpe contempta sunt: Fabritius divitias Imperator rejecit; Tubero paupertatem, & se dignam & Capitolio judicavit, cum fictilibus in publica cœna usus est, ostendit dœbere his hominem esse contentum; Honores Reip. pater Sextius. Nos quoque aliquid ex his faciamus animosè: Simus inter exempla: quare deficimus, quare desperamus? quidquid fieri potuit, potest.* Nos quoque ex his aliquid faciamus animosè, unde possint ex ungue leonem cognoscere, *simus inter exempla.*

Amplissime Domine, vis ex ungue leonem, ex uno actu incorruptæ justitiæ nôsse quis vir fuerit Pecchius Brabantiæ Cancellarius? ad hunc dum Laniones Mechlinienses, quorum lis jam dirimenda erat, præpinguem bovem misissent, ut eum ad postes domûs alligatum conspexit, manu suâ ipse funem incîdit, bovem abigi & amoliri jussit; quo unico justitiæ argumento, de tota viri integritate omnibus contestatum fuit. Vis & tu, te omnibus civibus, viris nobilibus, religiosis, prælatis, planè (ut juramento confirmâsti) incorruptibilem præbere? Actum aliquem heroicum exerce, dolium vini, torquem aureum, crumenam aureis refertam, dimitte, si uxor acceperit, remitte; & hoc unico integritatis actu, vulgus verum & sincerum, de toto homine tulerit judicium, *ex unge leonem.*

Consultissime Domine Advocate, nunquid inter tuos eminere, plurimum consuli, maximo æstimari desideras? Actum illum S. Elzearii Comitis illu-

a S. Vincent. serm. de S. Marco.
b S. Bonav. sermon. 1. de comm. unius martyris. c Seneca epist. 98.

illuſtrem imitare, qui menſæ aſſurrexit, ut cauſæ pupillorum patrocinaretur, nec niſi re confectâ recubuit, id ſatis eſt, ut ſibi ac liberis auream fortunam conflârit, atque omnes, velut *ex ungue leonem* ſuſpexerint. Tu mercator in lino, in lana, in panno, in piſce, in merce quacunque ex bonis jure conquiſitis ditefcere ſatagis: At ſi complures ad te emptores, undique confluere expetis, actum unum ſinceritatis, pietatis, magnificum demonſtra, quo hominem vacillantem ingenti ſummâ mutuâ fulcias, adverſa fortuna dejectũ ſubleves. Vos famuli, quâ ratione fidelitatis ac prompti obſequii, apud Dominos veſtros certum teſtimonium obtinebitis? modum ac methodum ab homine Turcico *a* intelliges: literas Solymannus Turcarum Imperator, feneſtræ innitens lectitabat, cùm derepente turbine irruente è manu evolârunt, à vicinis dynaſtis curriculo per gradus concurritur; At Mahumetes vir Prætorianus, præcipiti ſaltu ſe è feneſtra dejecit, alioſque prævertit: quo unico actu, & tractu, ita Imperatoris animum occupavit, ut primas regni effectus ſit.

E contrario quoque, ex uno actu vitioſo, ex una graviori noxa, ex uno enormi ſcelere furem, perjurum, adulterum, totum; hominem cognoſces. Ille judex nuper tale munus ſibi oblatum admiſit, *ex ungue leonem*, ille adoleſcens talem filiam corrupit, *ex ungue leonem*; ille deprehenſus ſemel pejerâſſe, *ex ungue leonem*; ille cum aliena uxore liberior, *ex ungue leonem*, ille propriæ uxori pugnum impegit, *ex ungue leonem*; ſic ab uno membro diſtorto, contorto, totus homo ſtrabo, cocles, claudus dicitur. Alexander à Calliſthene, quo familiariſſimè utebatur, amicè monitus divinos illi honores non competere, crudeliſſimo mortis genere eundem trucidavit, ex quo unico infami & immani facinore, philoſophus Romanus Alexandri barbariem, velut *ex unge leonem* æſtimandam proponit; *Hoc eſt*, inquit, *b Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet: nam quoties quis dixerit, occidit Perſarum multa millia, opponetur & Calliſthenem: quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tum magnum regnum erat, opponetur & Calliſthenem: quoties dictum erit, omnia Oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ uſque ad Orientis terminos protulit, dicetur, ſed & Calliſthenem occidit. Omnia licèt antiqua Ducum, Regumque exempla tranſiêrit, ex his, quæ fecit, nihil tam magnum erit; quàm ſcelus Calliſthenis.* Ita quiſque penes ſe ſtatuat, ſi vel unum enormius crimen ſemel admiſerit hunc adoleſcentem, illum Mercatorem, cauſidicum, Senatorem, velut ex ungue leonem cognoſces, *nam quoties quis dixerit:* Adoleſcens ille perhumanus eſt, adoleſcens ille ingenii benignæ eſt, opponetur & fornicarius eſt, virginem violavit. *Quoties quis dixerit* Mercator ille, ille cauſidicus Sacris intereſt quotidie, opponetur, & perjurus eſt. *Quoties di-*

a In hiſt. Turc. Barry ſolit.

b Seneca quæſt. nat. l. 6. c. 23.

dictum erit, Vir ille senatorius pupillos & orphanos tuetur, *opponetur*, & adulter est, alienam corrupit. Sit vir doctrinâ celeberrimus, prudentiâ in paucis eximius, corporis afflictatione singularis, charitate proximi insignis, si uno in tetro flagitio vel semel deprehensus, de fama, de integritate, de probitate totius hominis actum, *ex ungue leonem nosti*: & hunc quoties conspexeris, sive orationi intentum, sine proximo juvando distentum, occurret semper animo, & tale flagitium admisit.

§. II.

Omnes sanctimoniâ vitæ illustres, ab insigniori aliquo facinore exorsi, velut ex UNGUE LEONES *dignoscendi sunt.*

EXpende sacros omnes omnium Sanctorum *a* annales, inquit auctor religione, & eruditione insignis, liquidò deprehendes quemque ferè ab actu aliquo heroico, sanctioris vitæ exordium duxisse. Abrahamum unica, qua de paterno affectu triumphavit victoria, qualem quantumque effecit, Josephum unica ab infami pellice fuga, quanta castimoniæ, ac integritatis laude per orbem cumulavit? Danielem unica pro lege Dei invicta constantia, quo non honoris apud Deum & homines evexit? Davidem unica, quam de Saule sumere poterat, vindicta remissa, in qualem vatem, & virum secundùm cor Dei erexit?

Quod si legis gratiæ exempla spectemus, innumera occurrent, unum alterumve delibâsse sufficiet; Mulier illa in civitate peccatrix, dum *b pia impudentia irruit importuna convivio, opportuna beneficio*, hoc unico actu de se, de mundo, de carne ita triumphavit, ut è vestigio apud Christum gratiam invenerit, & mutata sit in alteram: *c Venit Maria & altera Maria, venit mulier, sed redit Maria.* Alexius adolescens genere ac opibus potens, patrem nactus Euphemianum senatorii ordinis, sponsam regii sanguinis jam ducturus, unico eoque generosissimo repudii actu, cupidinem cum matre calcavit, unde tantus post & in tantum sanctitatis prodigium evasit, quam vero illud generosum facinus exstiterit, observatione dignum est, nullis Ecclesiæ fastis ullum Sanctum *generosum*, nisi hoc festo Alexii reperiri. *Nos quoque aliquid ex his faciamus animosè; simus inter exempla.*

Vos parentes compello, si Dominus unicam ac charissimam prolem è sæculo in religiosam cellam, aut præmaturo fato in cœlos evocârit, affectu omni eam cum Abrahamo, Deo victimam ultro offerte; *d* Beatam Michelinam æmulantes, quæ cum impotenti affectu in filiolum unicum ferretur, Deum rogavit, cum sibi præriperet; quod ubi factum omnem suum exinde amorem, in Christum transtulit, & singularem sanctitatem consecuta est. Si cacodæmones, si pravi socii insidias struant; jejunium

a Paulus Barry cit.

b Aug. l. eo. ho. 23. c Chrysolog. ser. 77. d Chronic. Min. Nierenb. de Amore Jesu cap. 8.

num violandum, potu se ingurgitandum, Dei leges infringendas dictitent, unico generoso actu semel evince, & in omnem vitam, omnemque æternitatem triumphabis.

Est, qui dies, menses, & annos trahit miseram animam, occulto scelere oppressam, semel cum Magdalena verecundiam vincat, & actu unico mutabitur in virum alterum. Si quis vestrûm gravì injuriâ lacessitus, inveterata dudum odia animo foverit, hoc à se semel impetret, ut primus hostem salutet, mensæ adhibeat, in amplexum ruat, ex animo remittat. Hæc omnia Christianæ fortitudinis facinora, invicta divi Marci a antecellit constantia, quam hîc paucis, pro instituto meo exponam, ut ex *ungue leonem* dignoscere valeatis. Dum ipsa resurgentis Christi solemnitate, Alexandriæ ad aram faceret, nefarii ac sacrilegi Ægyptii, laqueo cervicibus injecto, immaniter eum per celeberrima urbis compita raptârunt, ut Martyr toto corpore laniatus, multo cruore manaret. Quid ad hanc tam barbaram lanienam Marcus? num crudelissimos carnifices calumniis insectari, diris devovere, torvum intueri? nihil horum: *sed pro tanto beneficio singulares Deo gratias agebat.* Satis dixi, *ex ungue leonem.* Quem pro injuriis, gratitudinis actum, adeò superis placuisse cognovimus, ut è cælesti curiâ ad eum Angelus delapsus, nomen suum albo Sanctorum inscriptum monstrârit, & Christus ipse suo pugili apparens, magno fuerit solatio. Expende, quæ in animum passio potentiùs prædominetur, quo vitio maximè exorbites, quæ prava consuetudo altissimas radices egit, quod caput omnium perturbationum sentias, atque in hæc, vires omnes, conatus omnes converte, capite præciso facilè cetera omnia enervantur. Prostrato Goliatho, è vestigio omnes Philistini se in fugam dedêre: quemadmodum & Assyrii, Holopherne truncato. Ubi illud gratissimum Epinicion observandum, quod puellæ Hierosolymitanæ Davidi triumphanti accinuerunt: b *Percussit Saul mille, & David decem millia.* David unum occiderat Gigantem, unde hæc amplificatio? Lyranus ad rem nostram ait: *Unius Gigantis occisionem tanti æstimandum, ac si decem millia occidisset.* Hoc spectabat c Rex Syriæ, qui Israëlitis bellum moturus, præcepit militibus in neminem, nisi in solum Regem arma sua verterent, hunc omnes peterent, quo devicto insigni victoriâ potiti sunt.

Haud aliter in spirituali pugna agendum est, in ducem ipsum collimandum, belli caput impetendum est. Quod Georgium Castrioltam factitâsse legimus, quem ex rebus fortiter & præclarè gestis, Turcæ *Scanderbegum*, hoc est, Alexandrum magnum appellârunt. Vitæ ejus scriptor narrat, eum hostilis exercitus ducem semper impetere consuevisse, asserendo: *Caput semper primum incidendum; cæterum corpus eo sublato, per se ruere: neq; nosse se ullum animal in universa natura quod capite sublato*

a Ribadin. in vita.

b 1. Reg. 18. c 2. Paralip. 18.

sublato vivat. Omnium internorum hostium, qui animum exagitant, plerique unum ceteris ferociorem, atque omnium caput in se quisque experitur: hic iracundiam, alter invidiam, alius avaritiam, ambitionem iste, ille libidinem sibi bellum movere, & calidissimè impugnare non ignorat; nostis, quid agendum sit? Viribus & animis opus est, ut uno ictu immane illud caput præcidatur; quod ab homine maximè barbaro, Christiani discere non erubescant. Rem omnem verbis Abrahami Bzovii, *a* Religiosissimi ac eruditissimi scriptoris, vobis proponam.

b Cùm Mahometes 1453. expugnâsset Constantinopolim, cum æterna Principum Christianorum infamia, fuit inter spolia hujus magnificæ urbis, inventa Virgo quædam eximiæ pulchritudinis. Nomen ei erat Irene, quæ annum ætatis 17. agebat; eamque dux aliquis Mahometi donavit. Hic ut juvenis lasciviæ plenus, visâ virginis formâ, eam sibi asservari jussit, donec belli turbas componeret. Imperii rebus ordinatis, illam sibi adducendam curavit, atque ita ardenter amavit, ut nec dies nec noctes sine ea posset esse. Duravit hic amor triennium, adeò augescens; ut planè habenas Imperii laxans, negligeret Mahometes, curam ejus Bassis committens. Vulgus rem ægrè ferre; quòd non tantùm imperium negligeretur, sed Bassæ etiam, injuriis in populum ditescerent. Clamabant & Janizzari, Imperatorem inutilem esse. Videbatur denique res, non murmur, sed potius seditio appellanda, nihilo tamen magis quisque monere audebat, metuens crudelitatem hominis, qui venustate illius Grecæ ita dementatus erat, ut zelotypia flagraret, & citius imperio, quàm illi renuntiâsset. Interim cuncti in ipsum conspirare, flagitantes alium magis industrium Imperatorem; qui bona parta non tantùm conservaret, sed etiam augeret. Ambulante autem Mahomete quodam die in horto, accessit Mustapha vir magnanimus, cum Imperatore educatus; indicans, si liceat, se velle quid salutare exponere. Clementer à Mahomete exceptus, modestè ei exposuit conspirationes cunctorum; propterea quod triennio adhærens blanditiis fœminæ, remiserit omnino suum generosum animum. Cogitet, quàm peccet, cogitet gloriam majorum tanto sanguine partam. *Vbi nunc*, inquit, *ardens illa cupiditas est Italiam subjiciendi, & Romæ coronam accipiendi, tam Occidentis, quàm Orientis? non sic amplificatur imperium, sed præda relinquitur, si Ottomannus generis vestri author sic amoribus indulsisset, non haberes tu hodie superbum Græciæ imperium, nec ille Galatiam & Bithyniam subjugâsset. Non etiam Orcanes, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam; ad Hellespontum usque, non Amurates Syriam, Thraciam, Rasciam, Bulgariam. Non se opponere ausus fuisset Bajazites Tamerain, 400. millia Schyticorum, & 600. millia peditum ducenti. Omitto expeditiones Mahometis. In Serviam, VValachiam, Lydiam, Ciliciam. Omitto Amuratis, pa-*

a Bzovii Annal. a. Chri. 1456. n. 1. tom. 17. pag. 147. b Bandellus.

tris tui potentiam, qui tantopere Græcos contudit: domans Phocenses, Bœotiam, Ætoliam, Atticam, Caramaniam; qui etiam Sigismundum Regem vicit, Burgundiæ Duce capto, & Vngariam infestavit. Hisne tu adjeceris aliquid Græculæ lenociniis dementatus? an potius viribus exhaustis, evervatâ militari fortitudine, majestate per libidinem imminutâ, & domi intestinum: & foris externum bellum contra te exspectas? Græcine tuo imperio obtemperabunt, si remissius ages? Christianorum principes, non de tuo exitio cogitabunt? quid quod & Papa dicitur eos contra te excitare? quod si vires suas cum Persa, tuo capitali hoste, aut cum Soldano jungant. Expergiscere tandem ab hoc veterno, & ad ingenium tuum redi, Gloriam antenatorum, quam illi amplificato imperio nomini Otthomanico pepererunt, aut reliquerunt, noli amplius deformare, sed potius illustrare, atque augere fortioribus factis perge. Postremo ne in malam partem accipias, quæso, quæ pro debito tibi officio, salutis causâ dixi. His auditis, mirè tortus fuit Mahometis: hic veritate fidi servi Mustaphæ, illic venustate illius Græcæ. *Mustapha*, inquit, *etsi irreverentor mecum locutus es; tamen conservabit te communis mecum educatio, & hactenus præstita fides. Ante solis per zodiacum circuitum, tibi & aliis demonstrabo, me posse mihi ipsi imperare. Da operam, ut cras omnes Bassæ, ducesque copiarum mearum, sint in magna aula palatii mei.* Tunc abiit cum Irene sua, & blandissimum se illi, plus quàm aliàs unquam commonstravit: atque majoris etiam clementiæ ostendendæ causâ, postridie cum ea prandere voluit; jussitque, ut post prandium se pretiosissimis suis vestimentis & ornamentis decoraret. Obediit misella, nesciens funeris apparatum sui. Aula Principibus completa; mirantibus singulis, quid hoc sibi vellet, cùm tam diu Imperator inclusus, in publicum non prodiisset; Ecce tibi Mahometes ingreditur, manu Græcam tenens, quæ præter exquisitissimum ornatum, naturâ quoque bellissima erat. Ipse tenens sinistra manu Græcam stetit in medio aulæ, reverentia suorum usitata exceptus: *Vos reprehenditis me* (inquit oculis in gyrum furenter conversis) *quod amore victus fuerim. At quis vestrûm si haberet tantam pulchritudinem in potestate; tam in amore frigeret; ut non citius ter de ipsa cogitaret, quàm semel oblivisceretur? quisque mihi liberè suam sententiam dicat.* Illi cuncti admirari, & stupescere; clamare, omni ratione excusandum, qui cum ipsa tempus consumeret. Tum barbarus ille: Nunc vobis notum faciam, inquit, nulla re humana sic me capi posse, ut non sequar vestigia majorum meorum; cùm gloriam Ottomanici nominis, adeò impressam animo meo habeam, ut nihil nisi sola mors illam inde delere possit. Hoc ita dicto; una manu comam Græcæ præhendens flavam, digitisq; implicans; altera verò acinacem de latere suo educens, illi ictu unico

a *Abstulit ense caput, truncumque reliquit arena,*

cum horrendo spectantium tremore. His adjecit: *Videtis nunc, num Imperator vester possit suis affectibus imperare, an non.* Atque illico

a Virg. lib. 11. Æneid.

illico ingenti exercitu collecto, deliciis omnibus posthabitis, in campum processit. Si quis vestrûm Auditores nescio quibus amatoriis phyltris, & carnis vinculis adstrictus detinetur, hæc non lente dissolvat, sed ictu unico discindat, atque omnium perturbationum caput exemplo Mahometis, generosè resecet; ancillam, pedissequam, cui consuevit, domo exturbet; quam convenire solebat, ut pestem devitet. Vos juvenes, ac virgines, quos cælestis sponsus interno impulsu ad se trahit, unico glorioso saltu, è carnis deliciis, è mundi illecebris, ad Religiosum claustrum transilite. Quisque denique in se descendat, expendatque, quid perfectionem, sanctitatem, salutem suam remoretur; quod præcipuum vitium prædominetur, illudque sibi ex consilio Cassiani impugnandum statuat, qui in collatione Serapionis Abbatis, coll. 5. c.4. *Ita*, inquit, a *nobis adversùs hæc arripienda sunt prælia, ut unusquisque vitium, quo maxime infestatur, explorans, adversùs illud arripiat principale certamen.*

Nec timendum, dum contra unum decertas, alios in te hostes insurrecturos, ut alibi docet idem Cassianus *b*; sed fit, quemadmodum Cicero pro Cluentio, laudat in bello rectè decimationem reorum militum institui, ut unius supplicio, ceteri terreantur: statuerunt majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur: ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniiret. Ut in ichnotrophio, seu piscium vivario fieri videmus, ubi pisces confertim ad escam accurrunt: at ubi unum hamo arreptum conspexerint, ilico omnes diffugiunt. In unum itaque, quo ceteri coërceantur, invigilandum & animadvertendum est. Rege Apum capto, ceterarum agmen subjecisti. Ad hoc viri Ascetici varias *c* praxes, & methodos suggerunt, illudque cumprimis efficax SS. Patriarcha Ignatius assignavit: ut in libello quot diebus, quis notet, quoties in illud vitium, quod impugnat, aut consuetudinem, quam exstirpare contendit, lapsus sit; ac deinde diem diei, hebdomadam hebdomadæ, mensem mensi conferendo; arbitrariâ sibi pœnâ, aut afflictatione corporis, siquidem emendationem non perceperit, inflictâ. *d* D. Claudius Labourlotte Chiliarcha sub Rege Hispaniarum in Belgio, cùm statuisset inveteratam jurandi ac blasphemandi consuetudinem generosè superare, consilio viri Religiosi, qui ei à confessionibus erat, hoc medium avidè arripuit: ut, quoties ei juramentum aut verbum blasphemum excideret, nodum aureum vesti detractum, pauperi erogaret. Quâ praxi inveteratam illam consuetudinem triumphavit.

D. Smelsingh *e* summus prætor Transysulanus, jam temulentus à fratre suo Germano, calumniâ quâpiam lacessitus, totus in furias actus, eundem confo-

a Cassian. coll. 5. cap. 4. b Cassian. coll. 5. c. 14.

c Praxis præcipuum aliquod vitium superandi. d Teylingen. Paradys. l. a, c. 26. e Ibid.

confodit. Posterâ luce sibi redditus, ut facinus cognovit, ita ebrietatem aversatus est, ut hanc sibi pœnam irrogârit: exinde in omni vita vel vinum vel cervisiam nunquam delibaret, quod constanter ad mortem usque servavit.

Vir magnæ prudentiæ ac sagacitatis navem Gauda aliò profecturus conscenderat: cùm paululum provectus, nautam interrogat, cujas esset? respondit ille se Flandrum: id, inquit alter, miror, te Flandrum esse, nec jurare, ac nomen Domini temerè usurpare. Ad hanc peregrinam objectionem reposuit nauta: cùm primùm in Hollandia versarer; jurabam, ac pejerabam strenuè præ omnibus coætaneis meis; at sæpe sæpius correptus, etiam à vulgo, qui ex lingua mea, & jurandi consuetudine me Flandrum manifestè affirmabant, ita me suppuduit, ut firmiter in animum induxerim: tam diu sola frigida sitim restinguere, dum malum illud radicitus exstirpassem.

Nider. lib. 4. formic. cap. 3. refert de quodam nobili, qui cùm à teneris jurandi consuetudinem, aliosque lacessendi, imbibisset, id vitii in senio gravissimè execrari cœpit, sibique hanc mulctam statuit; eo die carnibus abstineret, quo relapsus foret: voluitque à famulis commoneri; idque tam tenaciter observabat, ut & in mensa Principis non infringeret, atque ita tandem de vitio & dæmone triumphavit.

Quod de jurandi consuetudine, hoc & de omni pravo habitu, & vitio inveterato sentiendum est. Unde Christianè gentilis Seneca *a* nos monet: *Videamus, quid sit, quod nos maximè concitet. Alium verborum; alium rerum contumeliæ movent, hic vult nobilitati suæ, hic formæ suæ parci; ille elegantissimus haberi cupit, ille doctissimus; Hic superbiæ impatiens est; hic contumeliæ; ille servos non putat dignos, quibus irascatur; Hic intra domum sævus est, foris mitis: ille rogari injuriam judicat; hic non rogari contumeliam. Non omnes ab eadem parte feriuntur. Scire itaque oportet, quid in te imbecillum sit, ut id maxime protegas*, id maximè impugnes, id sensim exstirpes, & exsuperes. *b* Vir provectioris ætatis, ad Religionem, animum adjecerat, nec quidquam in disciplina monastica se molestiæ vereri dictitabat, modo indies super mensam 5. pocula pro refectione sua sumere posset: quoniam usu longo, liberaliori potationi assueverat. Prælatus id illi indulgendum putavit; sic tamen: ut sensim sine sensu ab hac mensura eum revocaret: indies tres, quatuorve cerei guttas, in propriam illi amphoram, dum vacua erat, stillari mandarat. Factumque anni vix revoluti spatio, amphoram hanc non plus cervisiæ continere quàm mensuram cæteris communem, Tirone interim hujus stratagematis prorsus ignaro. Quod ut tandem illi indicatum est, Prælati industriam collaudavit, & de victoria lætus, ceteris sese conformavit.

Alii sibi acicula, aut acûs punctura,

a Seneca l. 3. de ira, c. 10. b Teylingen. Paradys. l. 2. c. 29.

ctura, sanguinis sibi guttam eliciunt; aut ardentis cerei stillas in vivam carnem decidere permittunt, si in id vitii impegerint. Altera praxis: breve tibi temporis spatium statue, quo firmiter proponis certum vitium devitare, hanc virtutem exercere, occasionem declinare. Amore amantissimi Jesu, *hâc horâ* exsequar alacriter, quæ obedientia imposuit, vel patienter omnia tolerabo, oculos à tali spectaculo avertam, silentium servabo, ne illud mihi, quod Petro exprobretur: sic non potuisti *unâ horâ* vigilare mecum, aliquid tolerare, silere? clamando ad Dominum cum Judith, insigni Heroina: *a Domine Deus confirma me in* HAC HORA. Idem in exercitio virtutum valet, atque ut ad propositum revertamur, una eaque præcipua spectanda. Moris est in omni bene ordinata Republica, si qui opifices admittendi sint, prius artis suæ specimen per actum aliquem Magistralem, *een meester stuck*, exercere consueverunt: nec quis in scientiarum palæstra ad Licentiatûs, seu Doctoratûs lauream admittitur, quin prius Doctrinæ suæ specimen per actum aliquem Magistralem dederit; ex quo solo & unico, de viri eruditione & capacitate decernunt. Nôsse vis, qualis, quantusque vir *b* Franciscus Xaverius extiterit? Ex unico actu Magistrali, illum totum cognoscite, dum Romæ in nosocomio deserviret, ut naturæ, ac stomachi, ad ægri curam nauseantis imbecillitatem vindicaret, manantem copiosè ex fœtidissimo ulcere saniem, labris exsuxit. Eo quisquis perfectionis eniti voluerit, primum illud, quod naturam maxime adversari senserit, velut uno haustu resorbeat.

c Xaverio in Indias socium P. Joannem Fernandez nemo nôsset, nisi vnus illum Magistralis actus, ipsis etiam Barbaris, velut cœlo delapsum proposuisset: Etenim dum fortè concionanti, Japonum aliquis in faciem exspuit; ille renidenti ore, omnem injuriam cum sputo absterfit. Quo singulari modestiæ exemplo, barbari non modò latentem viri sanctitatem venerati, sed & eam, quam tradebat divinæ fidei veritatem amplexati sunt. Nos levi injuriâ perstricti, asperiori verbo, lacessiti, excandescimus; exigua quidem res esset, in his se superare; sed ex minutis hisce, sæpe apud viros vitæ sanctioris peritos de magna & solita, quam continet, perfectionis mole judicatur.

d In vestibulo templi Salomonici, efficta vitis, botris hinc inde dependentibus, quorum quisque acinus mensuram humanæ staturæ exsuperabat, unde viri fabricæ periti assecuti sunt, quantâ secundum symmetriæ proportionem, magnitudine, ipsa moles templi Hierosolymitani exstruenda foret. Superior Religiosus ex unico eminenti Tyronis actu, quo prædominantem in se passionem devincit, rectè velut ex acino conjecturam fecerit, quantum ædificium spirituale superexstruendum sit. *e* Adolphus Hol-

a Iudith. 13. b Tursell. in vita.

c Hist. Soc. l. 21. n. 104. d Ioseph de bello Iud. c. 6. e Crantzius de rebus Saxon. l. 8. c. 7. circa an. 1250.

Holsatiæ Comes vir orbi spectabilis, in Minorum Fratrum cœtum adlectus etiamnum tiro, uno actu specimen dedit, quantus in Religione futurus esset. Fortè mendicatum exierat, & poculum lactis in stipem erogatum circumgestabat; cùm illi in phaleratis equis, nobilium comitante catervâ, occurrêre filii: hic pudore suffundi, & humanum quid pati se persentiscens, ut verecundiam expugnaret, lactis poculo totum corpus perfudit, factumque exinde est, ut mendicare non erubesceret, deque potentissimo hoste excellentiæ propriæ existimatione, triumphavit. Est quem passim in excelsis divini obsequii Exercitiis, laudis gloria titillat, hic simul & semel, hoc, vel simili heroico actu omnem vanitatem eventilet, quo *a* Joannes Friderici Ducis Albani filius se superavit: qui cùm grandi tactus pietate, in FF. Prædicatorum institutis vivere decrevisset, ac de more sordidis culinæ ministeriis exerceretur, invisentem se parentem, eadem in veste, quâ coquo inserviebat, constans animi ac frontis, filius excepit; vel hoc ipso habitu testatus, se novum hominem induisse. Hinc illud aureum *b* B. Petri Damiani monitum: *Tentet Novitius sæpe majora, ut, quæ minora sunt, reddantur eorum collatione facilia*; quemadmodum qui in scopum collimat, sagittam altiùs effert, ut mole suâ in via decidens, tandem scopum attingat: idemque in tormentis bellicis usu venit. Tum traditam à se doctrinam multis exemplis probat: v. g. Tepidam & turbi„ dam bibat, ut frigidâ sit con„ tentus: cantabritium panem „ edat, ne respuat communem: „ in pavimento dormiat, ut il„ li cento sufficiat. Ac tandem concludit: *c Quisquis ergo vult facile sibi cujusque laboris Exercitium reddere, aggrediatur intrepidus altiora tentare.* Quisque penes se expendat, quem animi motum in se ferociorem experiatur, eumque semel subdat, ac debellet. 1. Reg. 15. mandat Deus per Samuelem Prophetam, ut Saul ipso facto perderet Agag Regem Amalec, non parceret, viris aut fœminis, nec pueris, nec lactentibus, nec armentis, nec pecoribus; & referunt sacri Annales: *d Pepercit Saul, & populus ejus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus & arietibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea; quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt.* Istud verò magis detestandum, leviora, quæ animum infestant, exili ac puerili mortificatione quandoque debellari; sed potentiores hostes, passiones prædominantes aggredi, detrectamus. His ergo ut consulatur duo oculos collimandos in id quod pretiosissimum, & affectus nostros sibi potentiùs devincit. Hinc Samuel statim accessit Saulem, & eum objurgans ex Dei mandato, jussit, coram se adduci Agag, Regem Amalec: *Et oblatus est ei Agag pinguissimus & tremens, & in frusta concidit eum Samuel coram Domino.*

a Chron. Prædic. Lyræus de imitat. Christ. pag. 139.
b B. Petr. Damian. tract. 13. c. 22.
c Damian. cit.
d 1. Reg. 15.

no: Fecitque de eo sacrificium Deo. Expende, quis vester Agag, qui immolandus sit: Agag iste, tuæ arrogantiæ & superbiæ: istius iracundiæ & vindictæ: Alterius libidines ac luxuriæ: hujus tenacitates & avaritiæ, &c. Contra has belluas forti impetu, omni nisu semel generosè decertandum: *a Solebat dicere Fabianus, contra affectus, non impetu, sed subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu avertendam aciem:* Ita viri sancti dum zelo Dei accensi, tum spiritu divino in illos irruente sæviebant in carnem suam ut latentem intus hostem occiderent, actusque maximè heroicos exercebant, admiratione sæpe digniores quàm imitatione. Ad hos, ut & nos inflammâret S. P. Ignatius hoc documentum scripto nobis reliquit, in Epistola, quam dedit anno 1547. 3. Martii ad Patres nostros Lusitanos, excitans eos ad studium perfectionis: *Rarum aliquod, & eximium facinus, ex vivido, sanctoque fervore profectum, sexcentis vulgaribus, minutisque, antecellit* (seu ut est in Hispanico) *plus valet unus actus intensus, quam mille remissi, & debiles: ad quem enim virtutis gradum multis annis piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine, diligens mirabiliter volat.* Talium è numero fuit ferventissima illa Maria Bonaventura, quæ unica meditatione, & concepto quod in omnem vitam servavit, virtutis ac perfectionis proposito, omnino sancta evasit, ut jam videbimus. *b* Maria Bonaventura Romæ Monialis, in Monasterio S. Franciscæ Romanæ Ordinis S. Benedicti: Nobilibus hæc orta parentibus anno 1626. insigni specie corporis, & raro ingenii acumine ac judicio prædita: Astrorum cognitione, & scribendorum Italicè versuum peritia pollens; & ob generositatem animi, ac morum suavitatem, cum eximia prudentia conjunctam, omnibus valde chara; sed spiritualibus rebus, ac personis parum addicta, ne dicam ab iis abhorrens: & amœnis conversationibus cum domesticis, & sæcularibus plus æquo dedita. Hæc cùm casu mihi, inquit P. Lancicius (vir in tractandis animis Religiosis versatissimus, & divinis prodigiis à morte clarus) quem aliàs fugiebat, confiteri cœpisset, viderem que in ea indolem ad præclara quæque aptissimam, suasi Mariæ, ut aliis Monialibus, quibus Exercitia spiritualia tradebam, se jungeret: restitit initio, & cum cacchinno rejecit. Tandem inducta, in apertum cum natura, ac dæmone certamen descendit, & ipso mensis Martii initio anno 1626. Exercitia inchoavit. *c* Atque ut ex uno actu, velut *ex ungue leonem* cognoscas, primo die, cùm per horas aliquot, summa mentis attentione, in prima meditatione fundamentum, ac finem, ad quem creata erat, & mediorum sibi divinitus concessorum, & à se neglectorum multitudinem ruminasset, tanto derepente lumine, & fervore

a Seneca lib. de brevit. vitæ c. 10. b Lancic. opusc. spirit. 6. c. 22.

c Mirabilis Conversio per unam meditationem diligenter & ferventer factam.

vore se repletam sensit, ut generosissimè statuerit, perfectissimam vitæ rationem, ab anteacta planè diversam amplecti. Ac stabilitâ coram Deo hâc resolutione, illo ipso die, hunc animi sensum mihi aperuit, his verbis: *Pater non oportet ampliùs jocari cum Deo, agnovi, quid à me velit, quid nolit, volo tota esse Dei, & totis viribus conari, ut sine mora evadam sancta, non qualiscumque, sed magna, & cito.* Inde se in cubile suum recipiens, hanc sui oblationem scripsit Italicè, post mortem primùm repertam: *Ego Maria Bonaventura serva indignissima Crucifixi, convicta tandem à divina gratia, in conspectu SS. Trinitatis, B. Virginis meæ matris, S. Francisca, & S. Maria Magdalena peculiaris Advocata, & totius curiæ cælestis, propono tibi, & offero Iesu sponse animæ meæ, à me infinities offense numquam ampliùs tradendi affectum meum ulli creaturæ extra Deum, ubi agnovero intercedere offensam, & tui servitii remoram: quod propono & desidero obire, cum maximo, quo potero, fervore, adjuta divinâ gratiâ sine qua cognosco me ne quidem unam cogitationem posse dirigere ad cælum. Et hanc oblationem, & propositum quod facio, avellendi me ab omnibus, quæ me possunt à tuo sancto elongare obsequio, tam libenter facio, ut si post mea obsequia totâ vitâ impensa tibi, volueris me detrudere ad infernum, ero contentissima, dummodo in me tua sancta voluntas adimpleatur. Quocirca hanc meam scripturam, mea propria manus, tibi dono & consigno Iesu Creator, & animæ meæ Redemptor, eamque in tuo sanctissimo latere depono: rogans per pretiosissima merita sanguinis tui, ut mihi condones omnia peccata mea, nec permittas dilecte Deus meus, te unquam a me amplius offendi, cum amplius non sim mea, sed tota tua. Amen.*

Quo verò fructu per decem dies in hisce spiritualibus exercitiis perrexerit, ex effectu & mirabili ejus conversione patebit.

Proposita hæc fecit, & ad amussim servavit.

Primum. Sectandi summam animæ puritatem. 1. Purgando à præteritis, & omne veniale imposterum detestando, ac devitando, adeò ut Lancicius a testetur, eam à deliberatis venialibus omnino immunem fuisse. 2. Etiam abstinendo à peccatis materialibus: hoc est à rebus, quæ in se malæ videntur, sed formalem culpam adjunctam non habent, dum fiunt ex primi motus impulsu, sine advertentia, & usu liberi arbitrii. 3. Attendendo passionibus naturalibus, ut non tantùm ad culpam non pertraherent, sed neque quietem animi perturbarent. 4. Satisfaciendo etiam pro omni reatu peccati unquam admissi. 5. Vitando omnes res in se non malas, sed minùs rationi ac decentiæ congruentes.

Secundum Prop. Omnes internas & externas actiones facere modo perfectissimo possibili, adæquatè, & planè juxta lumen sibi divinitus concessum: habendo pro Idea & exemplari non tantum sanctos eximios, sed ipsum Deum hominem.

Tertium Prop. Amare crucem in omnibus ac per omnia, cum desiderio patiendi plurima

a Lancic. tom. 1. pag. 512.

ma pro Deo, & omnem possibilem amaritudinem, sine ulla excusatione, sed animo libenti, absque ulla mercede, aut præmio gloriæ proposito, ut cito ad magnam sanctitatem pervenire possim, &c.

Hæc ita constanter ac ferventer servavit, ut nullam inspirationem divinam respuerit, aut distulerit. Atque hoc ipso tempore exercitiorum, ita se immutatam sensit, ut prorsus omnes inordinatæ affectiones (multorum annorum consuetudine in ea roboratæ) ex animo excesserint, idque tam perfectè, ut vehementissimè displicerent res, quæ priùs in deliciis fuerant.

Numquam postea de ulla re questa: nullo unquam casu perturbata: numquam vel minimam temporis partem otiosè transegit: numquam ullius dicta vel facta verbo, aut mente etiam interius perstrinxit. A colloquiis cum sæcularibus se totam subduxit, ne viros etiam illustres admittendo, quorum præsentia olim delectabatur. Quidquid in cella pretiosum, aut affectui gratum, eliminavit.

His insuper donis, ac gratiis divinis cumulata fuit: nullum unquam in oratione tædium, sed gustum perpetuum habebat, ut per multas indies horas continuas jam se orationi daret, quæ antea ne sacro ad horæ dimidium assistere volebat, eosque sacerdotes devitabat, quæ dimidiam in sacrificio horam excederent. Quotidie bis per longum temporis spatium in se acriter flagellis sæviebat. Ad infima culinæ ministeria se abjiciebat. Cùm quâdam vice, cuidam abjectæ Monasterii ancillæ deserviret, quæ manus ulcerosas & fœtidâ scabie infectas habebat, petiit à me (inquit Lancicius) ut sibi liceret, S. Catharinæ Senensis, & S. Xaverii exemplo, fœtidam saniem ex ulcerosis manibus exsugere: quod acceptâ à me facultate, ita dextrè fecit, ut ne testem ipsam ægram haberet: dum enim ab infirmæ manibus (uti quotidie solebat) medica quædam herbarum folia, purulento sanguine, & tabo imbuta avulsisset, ut recentia apponeret, illa solo Deo teste, tanquam dulciora super mel & favum avidissimè exsuxit.

His passibus currentem in stadio virtutum, seu potius volantem, cùm jam cœlo maturam videret Deus, pleuritide, aliisque acutissimis doloribus, quos obnixè sub initium morbi experierat, per 14. dies eam comprobavit: quos acerrimos ultimis vitæ suæ horis patiebatur, ut difficillima multarum horarum agonia indicabat: *a* cumque metuerem ei morienti assidens, ne quid humanum ex doloris vehementia passa esset, ideoque suaderem, si quid occurrisset, confessione expiaret: illa sincerè mihi respondit, se omnes illas morborum, & agoniæ acerbitates, sine ullo impatientiæ nævo, & absque ulla animi perturbatione, imò magna cum lætitia interna, & desiderio plura patiendi, tolerâsse. Jamque in has voces sæpius erumpente: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo. O ampliùs Domine! O ampliùs! O dilecte mi! quando*

a Lancic. pag. 145.

quando te videbo? Sacerdos sæcularis forte præsens, cui Bonaventuræ virtus adeò perspecta non erat, metuens hæc ab ea dici, ex desiderio, ut pœnæ ac dolores abbreviarentur: super ea re, à me rogata, respondit se paratam ad tolerandas inferni pœnas æternas, si id Deo placeret; sed cum sciret, perfectiùs se in cælis Deum glorificaturam, hac solum de causa, se ad cæli domicilium anhelare.

Cùm rogaretur ab aliqua, ut se Domino post mortem in cælo commendaret, illa modestè quidem; sed confidenter promittebat, tanquam de salute secura, & hac occasione dixit, se post mortem, unam è Monialibus post se tracturam, nutu innuens, quæ esset. Dum ecce quinto decimo post mortem die, Flavia Domitilla, quam designârat, moritur: cui Bonaventura promiserat id petenti, ut à sua morte, ipsi veram peccatorum contritionem (quemadmodum Catharina Senensis B. Raymundo) impetraret: & eo ipso die quo Maria Bonaventura obiit, nil adhuc Flavia Domitilla sciens de ejus morte, tam vehementem repente dolorem de peccatis commissis in se sensit, ut præ contritionis vehementia, in spasmum inciderit, & se morituram putarit. Hæc aliaque fusiùs Lancicius prosequitur. Unum illud pro conclusione dixisse sufficiat, omnem hanc repentinam, & planè divinam metamorphosim, ex uno ferventissimæ voluntatis actu, ex una meditatione, in qua tantum charitatis incendium exarsit, ortum habuisse: Atque inde ad summæ perfectionis ac sanctitatis apicem brevi pervolasse; ut de ea illud mellifluì Doctoris [a] jure usurparim: *Quæ amat ardentiùs, volat velociùs, & citiùs pervenit; perveniens non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur: sine mora aperitur ei tanquam domesticæ, tanquam charissimæ, tanquam specialiter dilectæ, & singulariter gratæ.*

Superest nunc Auditores, ut & vos actu aliquo heroico, seu interno mentis ferventissimo, seu externo, ad capitale vitium debellandum potentissimo utamini, quo velut *ex ungue leonem* dignoscere valeamus.

a S. Bernard. serm. 23. in Cant.

FESTUM SANCTI JACOBI MINORIS.

Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus? Job. c. 2. v. 10.



Acceptumque refert Domino.

ARGUMENTUM.

Fidelitas canum, omnium scriptorum testimonio, & quotidiano, ad oculum, patet experimento; suis quippe Dominis, non eo dumtaxat tempore, quo pingui offa refecti; verùm etiam, dum plagis excepti, fuste duriùs percussi, fideles sunt: & quod

& quod mireris, ipsum quo durissimè vapularunt, per medias aquas baculum avidè conquirent acceptumque Domino referent; paratos quodammodo, ad nova se sistentes verbera. Laudabilem hanc in bruto animante fidelitatem, & erga Dominum constantem benevolentiam, Apostolus noster, fullonis baculo dirè exceptus, immane quantum hodierna die exsuperavit. Ubi arcanum illud quod multos etiam viros pios exagitat, pandam mysterium. a *Vt quid via impiorum prosperetur*, ac tantis, tamque horrendis adversitatis procellis, Amici Dei, etiam cognatione, & sanguine propinqui (quos inter Jacobus proximus) jactentur? Cujus non aliam à summis Ecclesiæ doctoribus, causam afferri comperio, quàm, quod ipsa cruciatus, calamitatis, paupertatis, infirmitatis exercitamenta, sint certissima divinæ erga nos benevolentiæ testimonia; idque vel ex eo manifestum est, quòd omnes sibi prædilectos discipulos, quoque in terris nihil charius habuit, sanctissimam suam Matrem, tam dirè & acerbè permiserit excruciari.

a Ierem. 12.

§. I. *Quare via impiorum prosperatur?* Jerem. 12.
§. II. *Quem diligit Dominus, castigat.* Heb. 12.
§. III. *Quinam adversitates, & cruciatus omnes, ab amica Dei manu exceperint, & maximi beneficii loco habuerint?*

FESTUM
SANCTI JACOBI MINORIS.

Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus? Job. 2. v. 10.

CEleberrimus ille veterum Sapientum Cato, *cujus gloriæ*, inquit Hieronymus, *a neque profuit aliquis laudando, nec vituperando quisquam nocuit*, hic cùm videret in Pharsalica pugna Pompejum, cum exercitu non tam militum, quam Senatorum, Patriciorum, Equitum, Nobilium que fœde prostratum: & lasci vientem tantisper in civili san guine Tyrannum, non satis su compos exclamavit: *In rebus divinis, multum esse caliginis.* Istu enim verò summus ille Philo sophus, omni sua prudentiâ as sequi nequibat, Pompejum, pro bitate, constantiâ, temperan tiâ, omnique virtutum gener verè *magnum*, divino Numin

a S. Hieron. tom. 6. comment. in Osea proœm. l. 2.

fi

fic difponente, cum fuis tam acerbo cafu conflictari; impiifsimum verò tyrannum, gloriâ elatum, victoriâ cumulatum, profpero rerum omnium fucceffu præferociter dominantem.

Hoc arcanum, atque immenfam divinæ providentiæ abyffum dum non capit Propheta Regius, attonito, ftupentique fimilis profatur: *Nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ*; in quæ verba S. Auguftinus: a *Revera fratres mei, nullum mare tam profundum eft, quam cogitatio Dei, ut mali floreant, & boni laborent: nihil tam profundum, nihil tam altum, ubi naufragat omnis infidelis in ifto alto, in ifto profundo.* Hoc profundum ingreffus, hoc multum jactatus ex alto, facer vates Jeremias, mentis fuæ oculos per fæculum illud nequam circumferens, impios omni rerum humanarum abundantiâ affluentes, geftientes, epulantes, choros ducentes, probis ac piis infultantes; Ipfos autem filios Dei pauperes, miferos, afflictos, oppreffos fecum tacitus confiderabat, ac tandem commiferatione fuorum abreptus, in has querelas erupit: b *Juftus quidem tu es Domine, fi difputem tecum; Verumtamen jufta loquar ad te?*

§. I.

Quare via impiorum profperatur?

QUare fceleratis omnia fecundo, juftis vero omnia adverfo flamine & flumine procedunt? Amici & filii Dei pauperie ac miferiis obruuntur? iiti altiffima pace perfruuntur: hi cum acerbiffimis hoftibus affiduo conflictantur? Hoc altum, ipfum quoque Davidem tantum non involvit, dum zelo quodam fuccenfus, fenfum animi fui exponit, dicens: c *Mei autem pæne moti funt pedes, pæne effufi funt greffus mei: quia zelavi fuper iniquos pacem peccatorum videns.* Nutare propè modum ac vacillare cœpit, cum divinæ rationes adhuc effent in occulto, atque nocte tum inquiebat: *Zelavi*, id eft interprete Auguftino, d *attendi peccatores, vidi illos habere pacem: temporalem, fluxam, caducam, atque terrenam; fed talem, qualem & à Deo ego defideravam. Vidi illos habere, qui non ferviebant Deo, quod ego defiderabam, ut fervirem Deo; & dixi: ergo fine caufa juftificavi cor meum? quando fervio Deo & ifta non habeo, non ferviunt illi, & hîs abundant. Ubi eft merces bona vitæ meæ? Ubi eft præmium fervitutis meæ? bene vivo, & egeo, & iniquus abundat.* Hæc omnia ex animo, & calamo fuo fudit Propheta, antequam *accederet ad cor altum*, ad fecretiora Dei confilia, quæ quia nos latent, alios atque alios involvunt, & jactant æftus cogitationum: hinc quotidianæ etiamnum hominum piorum ac maximè proborum querimoniæ: *quare via impiorum profperatur?* quare Turca alta pace, terra fancta potitur? quare Succi, Angli, Hollandi victoriâ elati, everfis aris, ac templis, de Chriftianis triumphant? quare hoftes Dei & Ecclefiæ, corpore valentes,

a August. in Pf. 91. v. 6. b Ierem. 12.

c Pf. 72. d August. in Pf. 72.

lentes, honore & potentiâ præstantes: Justi autem & prædilecti, morbis, pressuris, jacturâ bonorum, liberorum, & quadam veluti adversitatis grandine in corpore & animo impetuntur? In hoc profundo, ne quis vestrûm forte naufragium faciat, subjiciam opportunas similitudines, quibus ea veritas, quæ hactenus in caligine fuerat, emergat, atque elucescat.

Verus discipulorum in scholis, & civium in Urbibus querela est, alios plus aliis exagitari; his plurimum indulgeri, nihil illis; corvos dimitti, censuris columbas vexari. Non rite hoc fieri, civibus æquali jure vivendum esse videri; cum tamen immorigeri, contumaces, ac refractarii, plus plerumque favoris obtineant, & præmii, quam optimus quisque. Non pauci hac de re conquesti sunt, & quidam sanctissimi viri: *Quare* inquit *a* Jobus, *impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* Propheta Habucuc *b* propemodum expostulat hoc modo: *Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem se?* frustra virtutem colimus, si nequitia virtute sit potentior, si amplioribus præmiis ornetur vitium quam virtus; quisquis es, oculos in orbem emitte, & videbis eos hic illic emori, à quorum incolumitate, plurimorum salus versabatur; eos porro superstites vivere, quos nunquam melius nasci fuisset: cernes sanos ac validos rapere, ac latrocinari; eos qui neminem lædunt, misere conflictari morbis: non paucos improbissimorum emergere vi, vel fraude ad dignitatum apices; honestissimum quemque simpliciter gradientem, cum dura egestate luctari. Quis hæc satis miretur? quis non etiam indignetur, passim hostes Dei & Ecclesiæ cristas attollere, dominari, pios, probos, justos, animas Deo charas, angustiari, opprimi, excarnificari?

Ipse Augustinus, *c Nescimus*, inquit, *quo judicio Dei, bonus ille pauper, malus ille sit dives.* In vinculis gemit Joannes Baptista, Herodes inter delicias tripudiat. Lazarus fame moritur, Epulo Lazari carnifex in purpura quot diebus splendidè epulatur. Philippus & Jacobus ceterique discipuli in pressura sunt; quid ad hæc Deus? an dormitat, an dissimulat? qui omnes capitis pilos, omnes aëris passerculos, omnia arboris folia habet numerata, nec ullum ipso non annuente in terram cadit; hasne tot injurias spectare potest & tolerare? *d Quomodo scit Deus; & si est scientia in excelso?* Hic ille scopulus est tot male trepidantium infamis. Psaltes Regius huic mysterio totus intentus: *Existimabam*, inquit, *e ut cognoscerem*, hoc labor *est ante me. Magnum hoc cognoscere labor est ante me. Quomodo cognoscam, & justum Deum esse, & res humanas nosse, & perversis bene esse, rectis male aliquando esse? quomodo sit justum suscepi cognoscere, & labor est ante me. Quousque labor? donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum. Intra ergo in sanctuarium Dei, an* n

a Iob., 7. b Habacuc. c. 1. 3.

c Aug. l. 20. de civit. c. 2. d Psalm 72. e Augustin. Serm. 136. de temp.

ma fidelis : intra in ſanctuarium Dei, anima pia, cui non diſplicet Deus in malis tuis. Intrans fide in ſanctuarium Dei credendo, diſcis intelligendo. Venient noviſſima, quando multi bono erit male, nulli malo erit bene : qua cogitatione ſoni, ac ſolida, ſubtiliſſimus Doctor, hoc ſeſe mari turbido expedivit.

E purpuratorum Patrum ſenatu, B. Petrus Damianus : *a Medici corporum quos deſperant, ad percipienda paſſim, quæque petierint alimenta, relaxant ; at quos erigendos eſſe conjiciunt, cuncta eis noxia excitationis edulia minaciter interdicunt : antidota inſuper, & amara propinant, ut per amaritudinis hauſtum, ad incolumitatis dulcedinem convaleſcant. Quid ergo mirum ſi medicus animarum omnipotens Deus, & quos perpetuæ morti cernit obnoxios, vivere delectabiliter ſinat : & quos ad vitam eligit, ſub diſtricta ſeveritatis ſuæ lege conſtringat.* Ubi de ægro conclamatum eſt, indulget ei medicus omnia: ſi oſtrea, Melopepones appetat, expleat appetitum ſuum; ſi generoſa Maſſica, aut Falerna, ſi frigidam poſtulet, afferatur, impleat ſe, & ingurgitet, quantam voluerit; atque ita, inquit Hieronymus, *b Medicus ſi ceſſaverit curare, deſperat.* Aſt ubi infirmitas curabilis ſit, ſi ſpes ſalutis affulget, amaræ potiones, catapotia, quæ viſcera, totumque hominem acutis doloribus excruciant, adhibentur : inſuper & ſectiones, & viſicatoria, & uſtiones infliguntur. An hic Medicus non amat ? An illa Mater, quæ hunc amarum potum filio propinat, non diligit?

a Damian. l. 8 epiſt. 6. b Hieron. Epiſt. 33. ad Caſtrutium.

Altera ſimilitudo, huic argumento peropportuna, à bruto animante, à ferocienti, & laſcivienti tauro petitur, qui ubi pinguis, obeſus, diſtentus, à paſcuis ad vicinam trahitur: cui non abſimiles eſſe vult Auguſtinus eos omnes, quos in proſperis, ſui quodammodo juris eſſe, ſuoque genio indulgere Deus, cælumque patitur: *At cæde*, inquit, *c taurum devotum victimæ, permiſſum errare libere, & vaſtare quæ poteſt uſque ad diem occiſionis. Sic ſuperbos, & indiſciplinatos, ducit Vindex Dei manus, tanquam ad victimam præparatos, & parcit eis ad malam libertatem ; quam melius fuiſſet non ſic pepercisſe!* Quid enim proderit brevis ea libertas, quam excipit, damnatque æterna ſervitus? Hæc mihi, tibique ſuggeſſit Hipponenſis Præſul, qui tot fundit oracula, quot verba. Ea ſi ſapis, in ſecretiore receſſu, opportunoque devotæ mentis otio expende : & cum impios vides impinguari, dilatari, exaltari, hæc tecum ipſe loquere : *d Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, O Deus!* nimis alta judicia tua, inſcrutabilia, & contraria judiciis hominum! Quid enim? ex voto ſi mihi cedant omnia, an non merito ſuccurrit horrendum illud, ne is ego ſim æger à cœleſti medico depoſitus, de cujus ſalute conclamatum eſt? an non ego indomitus ille taurus, jumentumque infelix, quod aurato, nitenteque cornu, in triumphi ſpeciem, ad macellum ducitur, raptaturque ad victimam, nil miſerantis Orci? quod ne accidat,

c Auguſtin. in Pſ. 7. d Pſ. 91.

O Deus! O amor! *a Hic ure, hic seca, modo in æternum parcas.* Secandus, putandus es, si fructus uberes ferre speras, si non inter ligna silvestria, quæ ad combustionem servantur, censeri velis. *b Vites, & quæque fœcunda arbores, putationibus subjacent; steriles autem, & quæ ignibus tradendæ, ramis evagantibus, quo liberius eo diffusius patent.* Tum concludit sanctitate & eruditione eminentissimus Cardinalis: *Noli itaque hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invidere, sed condole: imo quia ipsi non dolent, potius ingemisce, qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium lasciviendo festinant; de tuis autem pressuris atque molestiis gaude, & tota in Domino visceribus gratulare.* Nos cæci mortales, tantum de præsentibus judicamus, ac futura, & æterna non attendimus. In hanc rem adducit Anastasius Nicenus *c memorabile quod sit:* contigit, inquit, ut Anachoretæ cujusdam discipulus, ingrediens urbem, videret Principem ejus jam mortuum efferri ad sepulchrũ,cum magna pompa, & unguentis, & suffitibus; cum autem rediisset in desertum, invenit suum Magistrum spiritualem ab Hyena devoratum. Cœpit itaque angi animo, & propemodum judicio cum Deo contendere, & dicere: Ubi est ô Domine! justum judicium tuum? quando sceleratus ille Princeps, qui te sæpè ad iram provocavit, mortuus est adeò gloriose; hic autem sanctus, qui tibi multum servivit, à fera dilaniatus est. Dum his ergo, atque ejusmodi verbis, ipse cum Deo disceptaret, adstitit ei Angelus Domini, & dixit: ille Princeps cum esset ,, omnino sceleratus, habuit u- ,, num opus bonum, & per honorem quem assecutus est, ,, dum efferretur, accepit mercedem hujus unius boni, & ,, abiit absolutè condemnatus. ,, Tuus autem præceptor, cum ,, omnia fecisset, quæ Deo erant grata, habebat ipse quoque ut homo, parvum aliquod ,, delictum, & per hanc mortem hoc amisit, & abiit ille ,, plenè purgatus, & expia- ,, tus.

Quod ipsum argumentum ingeniosius tractat, & prosequitur Augustinus, *d* in ea Davidis verba: QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EORUM, ET FIRMAMENTUM IN PLAGA EORUM; IN LABORE HOMINUM NON SUNT, ET CUM HOMINIBUS NON FLAGELLABUNTUR *Iam intellexi*, inquit, *quare ill habent pacem, & florent in terra quia morti eorum non est declinatio, id est, quia certa mors, & æterna eis manet, quæ nec declinat ab eis, nec ipsi ab ea declinare pos sunt. Et est firmamentum in flagello eorum: non est enim temporale flagellum eorum, sed firmum in sempiternum. Propter hæc erg mala, quæ illis æterna futura sunt, modo quid? in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Hæc dum audis è tanti Præsulis ore, vide quam iniqua tibi sors obti-

ge

a S. Augustin. in vita. b B. Petrus Damian. c Anastasius Nicen. q. 17. in S. Script, Cornel. in sapien. p.88

d Augustin in Psalm 72. v. 4.

get, si modo levia; paucaque cum ceteris mortalibus flagella declines, & gravissima incurras & æterna. Gentilis Philosophi hoc Christianum pronunciatum est; *a Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi.* S. Ambrosius Mediolanensis Antistes *b* Romam profecturus, Thusciæ quoddam oppidum fortè pertransiens, à viro admodum opulento, hospitio susceptus est: cui cum sanctissimus Præsul fausta omnia apprecaretur, respondit: nihil sibi per omnem vitam unquam adversi evenisse, nullo vel minimo malo, aut dolore divexatum, nil damni illatum, nil infortunii in ædes suas commigrasse; quod ubi Ambrosius non sine profunda mentis indagine expendit, sociis suis dixit: *Surgite, quantocius hinc fugiamus, quia Dominus non est in loco isto, festinate filii, ne vos hic ultio divina apprehendat.* Vix sanctus Præsul cum suis pedem extulerat, cum tota derepente domus corruit, & divitem illum, ac felicem hactenus, infelici ruina corpore & anima obtrivit, ac involvit. Hinc illud salubre ipsius monitum est: *c Fortasse cùm persecutionem non patimur, tanquam condemnati habemur & morti temporaneæ, & æternæ proximi.*

a Seneca de providentia cap. 3. & 4.
b S. Paulin. in vita Sur. ...
c Ambros. Serm. 12. in Ps. 118.

§. II.

Quem diligit, castigat. Ad Heb. 12. v. 6.

Id manifestè videre est in duobus filiis, quos natura planè similes, id est, fratres esse voluit, culpa dissimiles effecit: *Duos*, inquit Augustinus, *d filios habet homo: alterum castigat, alterum dimittit; facit unus male, & non corripitur à patre: alter mox ut se moverit, colaphis caditur, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & iste caditur? nisi quia huic caso hæreditas servatur, ille autem dimissus exhæredatus est. Videt eum non habere spem, & dimittit eum, ut faciat, quod vult. Puer autem qui flagellatur, si cor non habuerit, & imprudens, & stultus gratulatur fratri suo, qui non vapulat; & gemit de se, & dicit in corde suo: Tanta mala facit frater meus: quidquid vult facit: contra præcepta patris mei & nemo facit illi durum verbum; ego mox ut me moveo, cador. Stultus est, & imprudens, attendit quid patitur, & non attendit, quid illi servetur.* Similes ei puero sunt plerique mortalium, si à Deo, seu optimo parente vapulant, gemunt, lachrimantur, ejulant; at descendant in profundas cogitationes Auctoris, quo spectat paterna illa correctio, quæ filium in terris dum punit, cæliis asservat. Neque vero prudentior ille existimandus est filius, qui dum omnia sibi impune licere sentit, in ea solutioris vitæ licentia gestit, exultat, & instar effrenis equi vagus excurrit, quocunque seu voluptatis, seu libidinis rapit impetus: ne inquam ille im

d August. in Ps. 91. v. 7.

imprudens, & stultus est, qui dum terræ, lutique hæredem se videt, attollitur, atque intumescit, nescitque se cæli exhæredem esse, jamque deletum, & expunctum è numero filiorum Dei. Hæc velim ad animum revoces, seduloque mediteris, quisquis alto die, fortunaque lætiore perfrueris: in ea hoc tibi fræno sit: *a Boni laborant, quia flagellantur ut filii, mali exultant, quia damnantur ut alieni.*

Filius privignus, spurius, aut famulus, licentius quandoque verbum proferunt, lasciviùs cum herili filia agunt, poti domum revertuntur: aut alumna quæpiam *vvinckel dochter*, petulantiùs cum juvene ludit: Herus ad hæc omnia connivet, dissimulat, & leviùs ad hæc commovetur; at si quid simile in filio, aut filia deprehenderit, severissimè in eos animadvertit. Augustinus: *b Asperioribus exercet pater filium, quàm Dominus vernaculum; sed dura patris non æstimantur flagella, quia vult filium meliorem esse, quàm servum.* Profectò quisquis sibi applaudit, quòd non flagelletur, quòd omnia ex voto fluant, nil unquam injuriarum, molestiarum, morborum sustineat, è numero filiorum se exclusum jure reformidet.

Chrysostomus hom. 29. in epist. ad Hebr. *Si flagellas omnem filium, quem recipis, qui non flagellatur sine dubio, non est in numero filiorum, & filiarum Dei.* Moscovitæ, ut gravis Auctor *c* refert, maximum amoris testimonium erga filios, & conjuges suas exhibent, dum eas sæpe, & severè, verberibus excipiunt. Hinc cùm extraneus quidam fœminam Moscoviticam duxisset, eamque benignè haberet, querebatur illa, se à marito non diligi: quod dum aliquando ipsi exposuisset, rogat maritus, quid illi desit, quid fieri à se velit, quo affectum suum contestetur? post multa tandem edixit: Video me non amari, quia hactenus nulla à te verbera accepi. Quod ut audiit, efficiam, inquit, ut brevi te nimiùm amari conqueraris: ac fuste arrepto liberalissimè habuit. Hæc ut ludrica videantur, seria nobis documenta præbent: Si uxor virum nacta durum; ac severum, si non ab eo, certè à Deo se diligi sciat, nec ullum in orbe Deo charum existere nôrit, qui adversarium non habuerit: Ego, inquit Gregorius, *d Abel non suspicor, qui Cain non habuerit.* Maritus turbulentus, temulentus, Cain tuus est: filius perditus, prodigus, perduellis, Cain tuus est: Gaude & exulta, quod tu, ut Abel justus affligaris, *quia e multæ tribulationes justorum:* multæ desolationes, afflictiones, corporis, animique morbi, velut agmine facto invadunt, sic à Dei manu tangi, hoc ut filium probari, & amari est.

Genesis 27. priusquam Isaac benedictonem filio suo Jacob impertiretur, dixit illi: *Accede huc,* UT TE TANGAM *fili mi, & probem, utrum tu* SIS FILIUS *meus Esau, an non.* Peracutè hæc Philippus Abbas exponit, non prius constare, an filius sit, quàm durè illum tangat: *Nam tangere, est affligere, juxta illud Iob: manus Domini tetigit me.* Affligi

a Aug. cit. b Aug. in Ps. 18. serm. 14. c Aresius de tribul. disc. 29. n. 19.

d S. Greg. epist. 9. c. 39. e Ps. 7.

fligi itaque à Deo tangi est, & in filium assumi, ac benedictione donari.

Eodem spectat illud Antiocheni Præsulis: a *Quod si extra disciplinam* (hoc est, extra verbera) *estis, ergo adulteri, & non filii estis: sicut enim in domibus patrum familias, nothos filios negligunt patres: etiamsi nihil doceantur: etiamsi non fiant celebres; pro filiis autem propriis, valde verentur, ne eos malum opprimat negligentia. Ita & Deus agit. Si igitur non castigari spuriorum est, oportet nos gaudere, cùm castigamur ut filii.* Oportet nos exultare, cùm à Domino corripimur, & b *omne gaudium existimare, dum in varias tentationes inciderimus.* Hæc amare, hæc exoptare, filiorum est.

Luculento argumento est quod Doctor JoannesTaulerus, propriâ suâ experientiâ cognovisse se, scribit: Novi, inquit, insignem Dei famulum, revelationibus, & visionibus cælestibus mirandum, cui Deus plurima Scripturæ mysteria aperuerat, hominum interna sensa manifestare consueverat. Verùm tam parum illi arridebant, hi cælestes favores, ut & suspecti fuerint, & enixe Deum orarit, & exorârit, ut sese veluti ablactatum, iis omninò privaret. Quinque annos exegit, quibus ne minimus radius divinæ illustrationis, aut consolationis affulsit; sed vitam omnem ariditatibus, infestationibus, anxietatibus amarissimam ducebat: cum ecce duo è cælesti aula paranymphi, eum solaturi advolârunt; sed fortissimus Athleta, ad Deum conversus: nullum ego solatium expeto, sat mihi est, ut nihil præter te (ô Jesu! amor mi!) in animam introëat. Quæ animi fortitudo sic Deo placuit, ut supra multas alias prærogativas meruerit ex ore æterni Patris audire: c *Tu es filius meus, in quo mihi complacui.* Quo testimonio nullum majus dari potest. Quam feliciùs hæc audire ex Dei ipsius ore, quam deprecari d *Complaceat tibi Domine, ut eripias me.* Hæc siquidem queruli servi vox est, illa filii dilecti. Quod ne mulieres detrectent, tenerrimas sibi virgunculas, hac ratione inter filias Dei adscriptas, in exemplum proponant; è quibus, ut innumeras omittam, B. Magdalenam de Pazzis produco: quæ sic cum sponso suo cœlesti, subinde queri audita est: e *Heu mi Domine, ut quid à pactis inter nos conventis discedis? pepigi nullum mihi mel, aut dulcedinem dari, nisi fel tuum & acetum: nullas delicias, nisi tua supplicia: nullam aliam vitam, nisi in perfectißimâ conformitate,* cum morte tua; Unde se filiam altissimi probavit.

Joseph non fraterno dumtaxat, sed plusquam paterno, eoque tenerrimo affectu ferebatur in Benjaminum, fratrem suum unicum uterinum; nihilominus dum calicem, seu scyphum suum, ejus sacco imponi mandavit, ad summas eum angustias redegit. Sunt qui velint „(ut refert f Abulensis) fratrem „Benjamin scypho apud eum „reperto, prærer acerbissimum „mortis metum, malè illum „verbis, verberibusque mul„ctâsse: furem, & filium furis

a Chrys hom. 29. in epist. ad Heb. b Iacob. 1. v. 2.

c Matt. 3. v. 17. d Ps 24. 14. e Vincent. Puccinius in Vita. f Salianus a. 2528. n. 30.

„ Rachaëlis (ſcilicet quæ furata „ fuerat Deos patris ſui) appel- „ lando, cædendo colaphis, „ vellendo cæſariem, aliiſque „ contumeliis affeciſſe; quod non caret probabilitate, inquit Salianus. Hæc omnia tam dira, tam dura, ut videntur, Joſephus prædilecto germano ſuo Benjamino evenire, & præſentiſſimæ mortis metu concuti, permiſit, ut amorem ſuum comprobaret. Hactenus enim & illi, ceteriſque fratribus ignotus, ſcypho in ſacco Benjamini reperto, ſe fratrem palam declaravit; expendit hic amoris ingenium Magnus Gregorius: *a Scyphus*, inquit, *in ſacco junioris fratris abſconditur, furti poſt eis quæſtio movetur. Mittitur ut reducantur addicti in ſervitutem: decernitur apud quem ſcyphus fuiſſet inventus. Tunc Benjamin reducitur: afflicti omnes fratres ſequuntur. O tormenta miſericordiæ!* CRUCIAT, ET AMAT. In Republ. in civitate omni, in quavis ſeculari & Religioſa familia, ſcire vultis quis Chriſto (cujus Joſephus typum geſſit) prædilectus, quis Benjaminus illi ſit? diſquire apud quem ſcyphus, ſeu calix paſſionis reperiatur: *Deponentes* (fratres) *in terram ſaccos, aperuerunt ſinguli: quos ſcrutatus* (diſpenſator) *incipiens à majore uſque ad minimum, invenit ſcyphum in ſacco Benjamini.* Habes in familia tua filium, aut filiam gibboſam, coclitem, claudam, ſemper infirmam, hæc & ille Benjamini loco eſt, penes hos ſcyphus eſt. Palladius *b* refert de veteri Anachoreta, qui re & nomine, Deo *Benjaminus* erat: hic annis 80. ad virtutis amuſſim omnia exegerat, & vel attactu ſolo, omnibus morbis mederi conſuerat; cum ipſe interim, miſerandum in modum, hydrope intumeſceret. Ad hunc Dioſcorus Antiſtes cum Euagrio, & Palladio reviſens: adeſte, ajebat & videte obſecro novum Job, qui fuit juſtus ac rectus, atque inter primos Dei amicos adſcriptus; & nihilominus tam dirè exagitatus; ita & hic Benjaminus, qui acerbiſſimos cruciatus à paterna Dei manu accepit, eique gratias agit. Quibus & ipſe Benjaminus: *orate*, inquit, *filii, ne interior homo hydropicus fiat: nam ut corpus hoc putreſcat, hæc peculiaris numinis gratia eſt, quæ animæ egredi feſtinanti, parietem deſtruit.* Sic afflicta Centurionis filia: Petri domus vexata: Angelus Raphaël cæcitatis, & graviſſimæ afflictionis Tobiæ *c* cauſam hanc aſſignat: QUIA ERAS ACCEPTUS DEO, *neceſſe fuit ut tentatio probaret te.* Tu quia acceptus *eras Deo*, neceſſe fuit, ut paupertas probaret te; tu qui *acceptus eras Deo*, neceſſe fuit ut morbus, ut calumnia, ut injuria, ut afflictio alia *probaret te.* Turbæ Chriſto devotæ, à dæmonibus miſerum in modum divexatæ ſunt. Euſtachia Virgo Patavina, totâ vita energumina fuit; *d* ea tamen vitæ ſanctimoniâ, ac Jeſu ſponſo ſuo adeo intima, ut in demortuæ corde, indelebili charactere, nomen *Jeſu* exaratum repertum ſit. Nil notius, quam tentatum à Deo Abraham, ut ſcribitur

a Greg. hom. 21. in Ezech. b Palladius cap 13. & Heraclius in ſuo paradiſo, c. 1.

c Tobiæ 12. v. 13. d Pononi Attica Bell. p. 2. c. 11. mira.

tur Gen. 22. ea utique tentatione, qua nulla gravior, aut molestior; unicum scilicet filium, propriis parentis manibus trucidandum. Quale, obsecro, aut tormentum initius al-moveri, aut acerriùs imperium viro tam probo (qui ut loquitur *a* Jacobus: *Amicus Dei appellatus est*) poterat imponi? ergone Deus qui summa bonitas est, severè adeo amicos suos exagitare credendus est? audi D. Basilium *b* rationem hujus rei reddendum, his verbis: *Naturæ fluctus in virum justum sustollit: Amicitiæ divinæ nundinatorem mireris.* Nundinis expositæ merces, viliori venduntur pretio, si ergo Deus dum vexat duris, nundinator fit, ut amicitiam suam faciliùs vendat: quæcunque dura Abrahamo, & justis accidunt, licet imperitis videantur supplicia, revera tamen miserentis Dei sunt beneficia. Dum tibi filiam genero, ac formâ præstantem eripit, & sibi intra monastica septa illam desponsat, dum filium unicum morte præmatura è vivis tollit, maritum charissima sua conjuge inopinato fato privat, *amicitiæ divinæ nundinatorem agit.* Quid miraris? quid turbaris? nullus ita unigenitus, dilectus patri, nullus in ulla familia ita Benjamin habitus, ut Apostoli chari Christo; & tamen mittit eos, sicut oves inter lupos, calicem passionis suæ propinavit: *Calicem Domini biberunt & amici Dei facti sunt.* Multæ *tribulationes justorum*; *& tamen Dominus diligit justos*: Discipulus ille quem diligebat Jesus, Joannes, verus Benjaminus, calicem quoque à Domino accepit. Hieronymus: *quæritur autem quomodo calicem Domini Joannes biberit, cum propriâ morte vitam finierit? sed si legimus in Ecclesiasticâ historiâ, quod ipse Joannes propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium & relegatus in Patmos insulam, videbimus martyrio animum non defuisse, & Joannem calicem Domini bibisse.* S. Gregorius *c* de S. Joanne Baptista: non sine admiratione *perpendo, quod ille Prophetiæ spiritu intra matris uterum impletus, quo inter natos mulierum nemo major surrexit, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ saltu, capite truncatur, &c. Hinc ergo unusquisque colligat, quid illi sunt passuri quos reprobat,* SI SIC CRUCIAT, QUOS AMAT.

Quidni Benjaminus Christi dicendus & habendus est Jacobus noster? quem Paulus ad Galatas cap. 2. vers. 19. vocat *fratrem Domini*, scilicet Consobrinum, vel cognatum: Hebræi enim cognatos, fratres appellant: *d fuitque à puero cum Christo Domino educatus, & conversatus.* Addit Hieronymus, præ aliis Apostolis, etiam Christo cognatis, Jacobum vocari fratrem Domini, ob egregios mores, incomparabilem fidem, sapientiam, quibus videbatur Christo similis, quasi frater: idque potissimum, ob vitæ sanctimoniam, quia teste Hieronymo, sanctificatus in utero, & à justitiâ collatâ, & omni vitâ conservatâ, dictus est *justus.* S. Cyrillus Alexandrinus *e* vocat *illum Spiritu san-*

a Iacobi 2, v.23. b S. Basilius orat.7.

c Gregor. l.3. mor. c.4. d S. Epiphan. hæres. 78. e S. Cyrill. Alexand. l. 2. in Ioan.

sancto plenum; huic uni licebat ingredi in *Sancta sanctorum*. Primus inter Apostolos missam *a* celebravit, & incruentum sacrificium Hierosolymis, ubi Christus agnus immolatus est: & ex ejus manibus, Apostoli, cum Dei Matre, corpore Christi refecti sunt. Fideles, *b* fimbriam vestimenti contingere gaudebant: insuper, ut in omnibus Christo, qui pernoctabat in oratione, similis esset, assiduitate orandi ita callum genibus obduxerat, *c ut duritie cameli pellem* imitaretur; hæretici nostri, elephantum more genua incurvare non nórunt, nec volunt. Addit S. Vincentius: *d* non moribus, & vitâ, sed & vultu Christo simillimum exstitisse: *dicebatur*, inquit, *frater Domini, quia simillimus sibi fuisse perhibetur, in tantum, ut plerique in eorum specie fallerentur.* Quid, quod S. Ignatius Antistes Antiochenus, tanto desiderio videndi hunc Apostolum incensus sit, ut in ipso, quasi in ectypo, prototypon Christi contemplaretur. Sic enim scribit epist. 2. ad Joannem: *e Iacobum referunt Christo Iesu simillimum facie, & vitâ, & modo conversationis, ac si ejusdem uteri frater gemellus, quem dicunt, si videro, secundùm omnia corporis ejus lineamenta, video Christum Iesum.* Adeò ut non vulgares divini verbi præcones, illud Apocalypsis illi accommodârint; *f Vidi similem filio hominis.* Quæ cum ita sint, si sanguinis vinculum, si corporis, animique similitudo, maximum amoris incentivum est, cui dubium esse poterit, optimum magistrum, qui omnes suos discipulos longè tenerius, quàm pater filios complectebatur, peculiaria affectus sui argumenta Apostolo huic demonstrâsse, qui, ut testatur Hieronymus *g* Christo comprehenso, cùm sese juramento obstrinxisset hisce verbis: *Non manducabo, donec filius hominis resurgat*, ipsa resurrectionis luce, Jacobo Dominus apparuit dicens: *h Ponite mensam & panem: deinde panem benedicens, dedit Iacobo dicens: Surge frater mi, quoniam filius hominis à mortuis resurrexit.* Et post tanta mutui amoris testimonia hanc ultimam Iacobo benedictionem reservavit, ut fractis tibiis claudicaret. Rupertus agens de Iacobo Patriarcha; *Acceptâ*, inquit, *i benedictione, claudicare cœpit.*

Igneus ille Ecclesiastes Vincentius; *k* Cùm septem diebus „Iacobus in templo prædicâs„set coram Caipha, & aliqui„bus Iudæis, ascendit Iudæus „super gradus, ubi Iacobus „prædicabat, & ipsum præci„pitavit deorsum, & ex tunc „claudicavit.

Donec tandem Hierosolymis, lapidibus, & saxorum grandine obrutum, unus aliquis, ceteris ferocior, ingenti fullonis fuste contrivit, & viam aperuit, quâ ingens illa anima exiret. Nec mysterio vacat, ut observat Bernardus, ceteris per

a Carthusian. Paez in Epist. Iacobi. q. 6. proœmiali. b Eckius tom. 3. de Sanctis. c Breviar. Rom. d S. Vincent. Ferrer. Serm. de SS. Philippo & Iacobo. e [illegible] Epist. ad Ioann. f Apoc. [illegible]

g Hieron. apud Carthusian. Serm. 8. h S. Vincent. cit. [illegible] k Vincent. cit.

per orbem dispersis, Jacobum, victimam Jerosolymis occubuisse: *Pulchrè*, inquit, *a Jacobus, ibi positus est suscitare semen defuncti fratris* (Christi) *ubi occisus est ille; nam dictus est frater Domini.*

Tandem generatim, concludit Chrysostomus: *b Nullus unquam ex his, qui maximè Deo chari sunt, sine pressuris fuit, sive adversis* in corpore & anima. S. Theresa lib. 7. cap. 4. *Semper observatum est, eos qui Christo Domino vicimiores & propiores fuêre, plus aliis, laboribus & adversis lancinatos, & divexatos fuisse*; idque probat exemplo Apostolorum, & ipsius Deiparæ, Reginæ Martyrum, quæ ipsi sanctæ Brigittæ *c* aliquando significavit: *Ego nullam horam sine tribulatione cordis transivi in terris*; cumque plus omnibus passa sit, meritò S. Idelphonsus *d* eam appellavit, *plus quàm Martyrem*; & tamen quis de amore talis filii in talem Matrem dubitet? Quis charior Deo patri, quàm naturalis ejus filius? quis acerbiores, & graviores cruces exantlavit? quod argumentum instar omnium efficacissimum est. *e* Itane inquies, *flagellat omnem filium? prorsus ita flagellat omnem filium, ut & unicum & unicus ille de substantia Patris natus, æqualis Patri in forma Dei, verbum per quem facta sunt omnia, non habebat, unde flagellaretur: ad hoc carne indutus est ut sine flagello non esset. Qui ergo flagellat unicum sine peccato, numquid relinquit adoptivum cum pecca-to?* Piissimam hîc meditationem afflictis suggerit Ludolphus Carthusianus, dum illud expendit, quàm dispari sorte in altera vita, cum illis agetur, qui hîc duxerunt in bonis dies suos, & cum justis, qui gravissima cum Domino perpessi sunt: *quia si in viridi ligno*, inquit, *hæc faciunt, in ari-*
„ *do quid fiet?* Viride lignum,
„ & fructiferum, sunt justi, &
„ electi; sed aridum, & infru-
„ ctiferum, peccatores & im-
„ pii. *Si ergo in viridi ligno*, id est
„ in Christo, omnium virtutum
„ virore virenti *hæc faciunt, in*
„ *arido*, id est in peccatore,
„ omni honore gratiæ destitu-
„ to, & arefacto, *quid fiet?* qua-
„ si diceret: Si ego, qui pecca-
„ tum non feci, & fructuosus
„ sum, sine igne passionis non
„ exeo: quæ tormenta manent
„ peccatoribus, & impiis, qui
„ fructibus, sunt vacui? certè
„ Domine Jesu, verum est:
„ quia si tu arbor sancta li-
„ gnum vitæ fructuosum, & be-
„ nedictum, tanta pateris, &
„ ramis tuis spoliaris, quid de
„ nobis miseris; qui sumus li-
„ gnum infructuosum, & sic-
„ cum aptum pro igne, & ge-
„ hennæ incendiis? si ergo *inci-*
„ *pit judicium de domo Dei? & g*
„ *omnes, qui volunt pie vivere in*
„ *Christo, persecutionem patientur,*
„ quis finis eorum qui non cre-
„ dunt Euangelio, & impiè vi-
„ vunt? unde Gregorius: *h Quo-*
„ *ties mortem Christi atque attendo &*
patientiam Iob, & mortem Baptistæ considero, dico tibi, ò peccator: tunc considera, quid passuri, quos re-probat,

a Bernard. l. 2 de con[illegible].
b Chrys. [illegible].
c Lib. 6. revel. [illegible] 53
d Ildeph. [illegible] serm. [illegible]
e Aug. [illegible]

f Ludolphus a Saxon. de passione cap. 62 g 2. Timoth. 3. h Greg. lib. 3. mor. cap. 4.

probat, si ita durè affligit, quos amat. Unde huic proposito conformiter Laur. Justinianus: *a Hoc naturalis ratio, hoc Sanctorum, & maxime* VERBI *exempla confirmant, ut eo quisque durius in præsenti flagelletur, quo arctius amatur.*

Quæro ex te, quod fortè pauci in animum inducunt suum, dum pastor ovem longius à grege & amœnis pascuis aberrantem glebâ injecta ad se revocat, num hoc amore, an odio facere censeatur? procul dubio hic *b Ictus amoris est.* Haud aliter inquit B. Laurentius Justinianus: *c Iustis tribulatio, amoris indicium est.* Ut aliquando prolixius egimus. Nec ulli dubium est quin pastor, non injuriam; sed gratiam præstet ovi, dum eam ponderoso suo vellere, quo aggravatur, privat, & tondet. Id officii & obsequii, divinus pastor, qui se pretioso vellere suo exspoliavit, nobis præstat, dum omnibus humanis exuit, exuberantes divitias detondet, & luxuriantis carnis delicias abscidit. Hoc Prophetico spiritu psaltes regius spectâsse videtur, dum dixit: *d Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Quid hoc? quas technas, aut dolos, novacula machinatur? nonnè apertè vulnerat? an fortè per insidias ferit? cùm educi & exacui à tonsore novaculam conspicitis, num jugulum peti arbitramini? minimè nullum homini adfert detrimentum, pilos tollit, hominem renovat, superflua radit, amicum agit, non carnificem. Ingeniosè hîc Augustinus: *e Quare dolum potentis, mala novacula comparavit? quia non admittitur, nisi ad superflua nostra; sicut capilli in corpore nostro, tanquam superflua videntur, & sine detrimento carnis raduntur.* Sic verè sentit *f* Carolus Ghastillonius, Comes Pictaviensis ab Anglis captus, & in carcerem conjectus, bonis omnibus adversæ fortunæ fasce sublatis, identidem illud invictâ animi constantiâ ingeminare solebat: omnium bonorum se non pluris jacturam facere, aut sentire: *quam capillorum rasuram, quos tonsor sibi novacula auferret.* Christus Pastor bonus, amica mente, & manu, radit nos, tondet nos oves suas: quibusdam detondet per inopiam vestes pretiosas, detondet per milites agros, & silvas, detondet per bonorum jacturam rhedas, equos, suppellectilem omnem pretiosam, denique per rerum omnium penuriam, & mortis veluti falcem detondet fortunas nostras. Unde ejus modi sæculi sui calamitates Tertullianus: TONSURAM *insolescentis generis humani* nuncupavit. Atque hæc omnia, certum divini in nos amoris argumentum sunt.

Est, qui è convivio amicorum, in seram vesperam protracto, assurgat, ut abeat: Unus è propinquis rogat, ut maneat, alter obnixè precatur, tertius manu tenet, quartus, qui illum invitavit, cognatus aut germanus, chlamydem illi aufert, & tantum non vestem lacerat: quis illum ex omnibus plus

a B. Laurent. Iustin. de casto connub c. 19. b Lu ret. l. 5. c B. Laur. Iustin. de casto connub. c. 6. d Ps. 51.

e Aug. serm. 6. de verbis Domini. f Dinet. Theatre de la Noblesse Franç. l. 3. c. 4.

plus diligit? Hoc oculatæ mentes cælesti luce collustratæ optimè perspexerunt, tunc se à cælesti sponso maximè diligi, dum humana omnia auferri gratanter tolerârunt, & exoptârunt.

§. III.

Quinam adversitates & cruciatus omnes ab amica Dei manu exceperint, & maximi beneficii loco habuerint?

Fidem hic vestram & quidem divinam requiro: hæc vos instruit, benignissimum Redemptorem nostrum, cujus natura bonitas, cujus opus misericordia, tot amoris in nos jacula emittere, quot adversitatis, paupertatis, infirmitatis tela ejaculatur, nec ullam sagittam tribulationis emitti, quæ non prodeat ex fornace ardentissimæ illius charitatis. Ita asserit David Psalm. 7. *Sagittas suas ardentibus effecit.* Hugo Cardinalis *a* in rem nostram, sagittas divini amoris, *dilectione Dei acutas* interpretatur, quæ & nos in amorem ejus inflamment. Vel inquit, *sagittas suas ardentibus* effecit, *id est ad hoc, ut arderent homines igne charitatis.* Sagitta amoris est, ô Paterfamilias, quâ uxor tua configitur, & lecto ægra insternitur: sagitta amoris est, quâ unicus tibi filius eripitur: Sagitta amoris est, quâ intimus tibi necessarius inopinato mortis telo sauciatur: Sagitta amoris est, Ecclesiastice, Religiose, dum calumniantis linguâ, nomen & fama tua impetitur. Arcanum olim consilium Jonathas Davidi exposuit, cùm fugeret conspectum Saulis. *b Ego tres sagittas mittam, mittam quoq; & puerum dicens ei; Vade, & affer mihi sagittas. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ ultra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus.* Paradoxum videtur: si sagittæ sint intra te, signum erunt vitæ: si sint extra te, signum erunt mortis. Sic sensit M. Basilius: *c Sagittæ, quæ juxta nos à potenti Dei manu interdum jaculantur, non ad interitum sunt sed ad salutem: quoniam signa sunt amoris divini; non furoris.*

His amoris jaculis configi exoptarunt tot ardentes Christi sponsæ: S. Aldegundis de obitus sui die certior facta, quo in sponsum hunc majori incendio exardesceret, rogavit corpus suum acerbo prius morbo, velut amoris conflictari. Mox voti compos, velut telo amoris saucia, fœdum carcinoma pectus invasit, totumque corpus ad mortem usque depastum est. Consimili sagitta confixa S. Clara, re & nomine clarissima; eam totos viginti annos gravissimi excepêre morbi: quam lanienam Reginaldo consolationem quampiam adferre volenti, suavem ducebat, & plagam amoris jaculo expetendam. Mitto hic Luduvinas, Coletas, aliasque, quæ omnibus membris, doloribus, ac cruciatibus confixæ, amoris, non furoris sagittas agnoverunt; adeò ut si

a Hugo Card. in Psalm. 7.

b 1 Regum 20. c S. Basil. annot. l. 1. Reg.

ut si quem febribus æstuantem, acerbis doloribus divexatum, largo sudore extrema in lucta miserè perfusum videris, ardores hos, refrigerium: dolores lenimentum: sudorem balneum: omnesque cruciatus à sagittis amoris provenire existima. Præfidenter David Rex ab amore venire pronuntiat, dicens: a *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Causam subdit; *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, dum benignissimus Deus electis suis hîc, adversitates, morbos, mortem immittit, amoris, non furoris sagittas agnoscunt. b *Prabe & te jaculo formoso, si quidem Deus sagittarius est.* Hoc telo saucius exclamat Augustinus: c *Sagittaveras tu cor meum, saluberrimo amoris jaculo*; unde hæ ardentis pectoris voces: *Hic ure, hic seca.* Hoc saucia Theresa assiduò ingeminat: *aut pati, aut mori*: Afflictiones etenim, & cruces, sagittæ amoris sunt, quas amicâ manu in nos emittit. Sub rigidissimam hyemem, cùm alta cœlo nix recidisset, & latè omnia contexisset, evenit, ut patriæ mos est, nobilem adolescentem in veha auro conspicua, puellam genere & formâ præstantem devehere dum medio in foro, ingenti spectantium turbâ affusâ, concinnè in gyros sonipedem suum flectenti, pila nivea in caput impacta est. Hic omnium risu exceptus, totus exarsit. strictoque acinace exiliens, quis, ubi qui hanc sibi injuriam intulisset expostulat? Verùm omnis ira in amorem, & benevolentiam è vestigio versa est, ubi unus digito in puellam è fenestra spectantem intento, ab illa pilam jactatam edixit: Hic etenim ille amasiam suam conspicatus, perhumaniter eam salutat, gratias refert, à tam amica sibi manu hoc candidum munusculum submissum esse.

Providentia Dei ludens in orbe terrarum, à primis mundi incunabulis has sibi delicias habuit, hunc lusum lusit cum dilectis, & electis suis. Sic innocens Abel in familia Adami occiditur. In ædibus Jacob, obsequens Josephus in foveam deiicitur, exteris venditus in carcerem detruditur. Fervidus Elias in exilium pellitur, fame cruciatur. Pius Daniel ad leones damnatur; patiens Jobus à diabolo flagellatur, omnibus spoliatur. Baptista Christo, sanguine, & gratia propinquus, in Herodis vincula trahitur; Petrus ardentissimus Christi amator, in crucem rapitur; Philippus & Jacobus frater Domini, acerbissimè, ut audivimus, torquentur. Evolve sacra oracula, à primo Geneseos, ad ultimum Apocalypseos caput, nil crebrius spectabis, quàm justorum calamitates, & filiorum Dei carnificinas. Verè d *multæ tribulationes justorum*, multæ prorsus. Ludus est pueris familiaris, unius cui oculi obvelati, manum tergori impositam percutere, eique incumbit divinare, quis percusserit. Ab amica Dei manu ludentis, non lædentis, omnis ictus, omnis plaga est, non alteri imputemus, sed dicamus: *Dominus est.* Est quis veneficio affectus, incusat vetulam quandam

a Psal. 62. b Origen. hom. 3. ex lib. 5. in Cant. c Aug. 9. conf. c. 1.

d Psalm. 13. v. 20.

dam: alter damnum passus, vicino adscribit, alter injuriâ lacessitus, socrum aut nurum execratur. Securiora suadet Hipponensis Præsul: *a Non dixit Iob, Dominus dedit, diabolus abstulit, nec dicas, hac mihi diabolus fecit:* Hæc mihi venefica, invidus vicinus, affinis meus fecit, sed Dominus. Christus ad Petrum: *b Calicem, quem* DEDIT MIHI PATER, *non vis, ut bibam illum?* Quid hîc ais, Domine, quid culpam in Patrem derivas? calicem hunc longè amarissimum, an non perfidus ille Judas, an non eum *b* Annas & Caiphas, an non hunc ipsum Herodes & Pilatus miscuerunt? Hi quinque pharmacopæi, merum absynthium, meram aloën, fel merissimum intriverunt; ab illis hic calix est. Quid ergo dicis: *Calicem quem dedit mihi Pater?* audi, sis: hic calix ab amantissima manu mihi venit; & quamvis multa sint, quæ hunc calicem commendent, ante omnia tamen paterna manus. Sic omnino est, ne spinula Christum potuisset lædere: nisi æterna Patris providentia & sapientia id decrevisset, & à filio sese ultro offerenti, tolerari voluisset; paternam itaque cælestis magister manum, non Judæorum, non carnificum agnovit. Si lignis, si saxis suus sensus, & ratio foret, an non in statuas effecta, suo artifici beneficium acceptum referrent? Lignum in officina statuarii jam dolandum (ut in Apologis est) opificem seriò affari cœpit, hunc in modum: mi Magister, quàm inhumaniter, quàm rigidè ac inclementer nos tuas arbores, semper adeò frondentes ac florentes tractas, ac truncas, bipenni, asciâ, securi, ita nos cædis, tanquam si tuæ non simus; imò si fatales Domino, scindis, scalpis, ac mille plagis configis, & mutilas. Huic statuarius: tu planè, inquit, ut lignum, ut truncus loqueris, cui nihil inest cerebri. Si tibi vel mica salis foret, ingentes mihi gratias ageres, omnem plagam amica mea manu inflictam, acceptam mihi referres, quod hoc laboris subeã, ut te è trunco, elegantem in statuam effingam. In silva stanti nemo caput aperiret, nemo genua flecteret. Ubi supremam operi manum imposuero, accedet pictor, & inaurabit te, inauratam dente poliet & lævigabit; inde in ara collocaberis, hîc vario cultu, tanquam imago hominis sancti afficieris. Querela tua prorsus fatua est, nescis, quid dicas, tu igitur silvæ tuæ obliviscere, scalprum sustine, & brevi tuos miraberis honores, quantumque beneficii acceperis, agnosces. Arbores aliæ foris manent in silvis inutiles, pabulum ignis futuræ. Nos homines nullius sapientiæ, cuperemus esse sanct, cæloque locari; sed asciam, scalprum, dolabram, securim pati recusamus. Hic adversùs statuarium querelas effundit sexcentas, tentationes velut ascias & secures, horret. O trunce! O lignum rude! manus artificis & acutiora ferramenta ne repelle: secari & scalpi te permitte, & omnes ictus, gratiæ ac beneficii loco repone, quò Christus sensim formetur in te, quod in statuam Francisci, Dominici, Brunonis,

a August. in Psalm. 31. b Joan. 18.

nonis, Ignatii effictus sis. Quamobrem si quem fidelem, aut etiam virum Religiosum, inter summos dolores, & cruciatus, cum morte luctantem deprehenderis, ne hominem à Deo desertum, inferis destinatum suspicêre; quin potius eum Numini chariorem cogita, & misericordem Dei manum hîc agnosce, ne vindex manus, in altera vita severissimè eum tangat. Habuit & cæca gentilitas aliquem radium hujus veritatis. Seneca: a *Deus, quos probat, quos amat, recognoscit, exercet; eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem sua portio.* Quam doctrinam suam obvia similitudine comprobat: *Hanc rationem Dii sequuntur,* inquit, *in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.* Optimi milites (Duci suo charissimi) ad durissima *mittuntur.*

Vas figlinum, aut crystallinum, longè cautiore manu, quàm poculum aureum contractatur; ita Deus parcit infirmioribus, & quasi lacte nutrit consolationis; at sibi charos, & virtute ac gratia solidos, pane athletico educare, & durius habere consuevit. Hoc Christus S. Brigittam alloquens, testatus est de quodam Episcopo sibi dilecto, dicens: propterea b *quia amicus meus est, & eum intimè diligo, ideo quasi laboriosius onus impono.*

S. Theresa, teste Ribera in vita, dicebat, ac sua manu posteris scriptis consignavit, in itinere perfectionis l. 5. libell. 15. an. 38. *Quod majus signum volunt homines divini erga se amoris, quam si fiant participes ejus Crucis?* Idem sensit, ac tapuit magnus ille Magister Spiritus, & S. Theresiæ confessarius, P. Alvarez, c qui cùm in Hispania, & Romæ, turpi infamiæ nota fuisset aspersus, & *quidam ei retulisset, quæ de eo dicebantur, subrisit, editis singularis lætitiæ indiciis. Quod advertens ille, qui illa referebat, interrogavit, cur ipse adeo exultaret? cui ille, cum singulari lætitia respondit: quia nunc video Deum mihi bene velle, quoniam per amicorum suorum viam me deducit: nam diu solicitus fui, quod videretur mei Dominus oblitus.* Hoc sinceræ amicitiæ est, amicorum nunquam oblivisci, quod probè nôrat ille in vitis Patrum, apud Ruffinum: *Cùm senex quidam frequenter infirmaretur corpore, & uno anno, nulla eum contingeret invalitudo, propterea flebat, & graviter ferebat, dicens: Reliquisti me Domine, & noluisti me præsenti hoc anno visitare.* Quid inter amicos usitatius, quàm ut alter alterum frequenter conveniat, & invisat? Si affinis affinem, cognatus cognatum, amicus amicum per menses plures, imò per annum ne semel invisat, amicitia omnis non modò refrixisse, sed prorsus interiisse, non injuria existimabitur. Quibus positis, juvat cum Hipponensi antistite, hanc saluberrimam conclusionem inducere.

d *Quid ergo non misericorditer præstatur hominibus, a quo etiam*

a Seneca lib. de provid. ca. 4. b L. 4. revela: c. 92. & revelat. ext. c. 85.

c In vita Alvarez c. 10. §. 2.
d Aug. Epist. 87. Felicitati & Rustico

tiam tribulatio beneficium est? Hanc quanto in pretio habuerit, & super omnem aliam mercedem æstimarit Joannes Jepesius, auctor vitæ edifferet, qui ab amore, quo in Christum cruci confixum, ejusque cruciatus ferebatur, Joannes à cruce nuncupatus est. Hunc Redemptor noster aliquando perbenignè sciscitatus est: *a Ioannes, quid vis pro laboribus? respondit: Domine Iesu, pati, & contemni pro te:* Hoc summum & unicum beneficium, quod & postulare audeo. Idem sensit religiosa illa soror, sub sanctissima matris Theresiæ disciplina educata: quæ *b* aliis sororibus in choro decantantibus versum illum 82. Psalmi 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: quando consolaberis me?* Ipsa nescio quid aliud voce mussitans, totum chorum dissonum reddebat. Quod advertens Theresa, illam arguit, & causam insuper perquirit, quare alienum quid mussitaret, ac consuetos psalmi versus, ceterarum more non decantaret? reposuit ingenuè hæc Dei famula: scito, ô Mater, me hæc verba sacri vatis non pronuntiasse, *quia nullam consolationem opto in hac vita*, ut nobis innotescat, subdit scriptor Italus, non posse Deum alicui animæ, majorem favorem ac gratiam præstare, quam ut eam assiduò affligat. Quod mortalium quotusquisque est, qui agnoscat? quotus qui gratias in adversis referat? Filii hujus sæculi, nulla à munifica Dei manu beneficia agnoscunt, nisi pingues hæreditates obveniant, filiis gradus ad honores & dignitates sternantur, horrea abundent frumento, vino, & oleo: in os eorum Tagus, & Eridanus influat. Aliter nos exemplo suo instruit Propheta Regius: *Benedicam Dominum in omni tempore.* In quæ verba Africanum Præsulem differentem audiamus. *c Quando benedicam Dominum, ait tibi aliquis? quando tibi benefacit, quando abundant sæcularia, quando multum abundat frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salusque ista mortalis invulnerata, & incorrupta persistit: nihil immaturâ morte subtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia, tunc benedices Dominum? non, sed in omni tempore, & quando ista dat, benedic: & quando ista tollit, benedic: quia ille dat, ille tollit; sed seipsum à benedicente se non tollit.* Unde inter exquisita supplicia S. Theodorus ungulis excarnificatus, dum costæ nudarentur, lætus canebat: *d Benedicam Dominum in omni tempore.* Hæc cygnea vox, saltem cordis, omnium Sanctorum fuit. Quod si in prosperis dumtaxat nos gratos Deo exhibeamus, in adversis verò deseramus, despiciamusque, ipsis brutis nos inhumaniores præstamus. Observant quippe rerum naturalium indagatores, non parum discriminis esse inter animalia terrestria, & aquatilia: si illis semel iterumque escam dederis, agnoscent Dominum benefactorem suum, per avia & devia sequentur, nec ullis adversis occurrentibus herum deferent; Pisces verò,

a Iosephus de Iesu Maria in vita.
b Calamato disc. 71. n. 8.
c August. in Psalm. 33.
d Breviar. Rom. 9. Novemb.

rò, etsi indies escam illis porrigas, minimo strepitu conterriti diffugiunt, nec nisi novâ escâ allecti, aut fame compulsi redeunt. Apposité ad rem nostram Doctor Seraphicus: *a Canes*, inquit, *adeo Domino sunt fideles, quod quantumcumq; exasperati, verberibusque affecti, foras repulsi, mox redeunt vocati, quasi nihil omnino sint passi.* Canis non modò gratanter buccellam à Domino accipit, sed & fustem, quo percussus, si in medias aquas abjeceris, avidè arripit, *acceptumque refert Domino*: quasi rursus in verbera se promptum offerret; quod & nos æmulari docuit, dum dixit: *b Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus*, ut in æternum ei gratias canamus.

a S. Bonav. festo S. Antonii de Padua. sermon. 1.

b Iob 2.10.

FESTUM

FESTUM
INVENTIONIS S. CRUCIS.

Quis invenit locum ejus, aut quis intravit in thesauros ejus. Baruch. 3.



——SACROS *tellure recludit*
THESAUROS. Virg. lib. 1. Æneid.

ARGUMENTUM.

VArii varia summo studio, nisu, & impetu sectantur: hi honores, illi voluptates, divitias alii, eaque maxima pars mortalium, imò nemo non teste Propheta: quia [a] *omnes avaritiæ student*, sagacissimè inquirunt; quibus si hodierna die THESAURUM, *quo Fur non appropiat*, non deficientem in

[a] Ierem. 6.

in cælis nec in terris ostendero, numquid inexplebili eorum desiderio abundè fecero satis? hic thesaurus, quod pauci credent, sacratissima, quæ hodie inventa, Salvatoris nostri Crux est, cujus vel particulam auro, gemmisque insertam, quisque vestrûm thesauri loco reposuerit; at hoc non ago, verùm virtutis, quæ in ea latuit thesaurum, à nobis quærendum, expendendum, summoque in pretio, præ omnibus mundi thesauris habendum, non meo, sed sanctorum virorum, qui cum Jobo, *a* THESAUROS *nivis, & grandinis*, id est, tribulationis & tentationis ingressi sunt, confirmabo testimonio; Unico illis aculeo relicto, qui hic toti sunt, ut aurum, & argentum sibi thesaurizent, & *b* THESAUROS *iniquitatis* congerunt, ejusmodi THESAURIZARE *sibi iram in die iræ.*

§. I. *Quis invenit locum ejus, aut quis intravit in* THESAUROS *ejus?* Baruch. 3.

§. II. *Crux Christi spiritualis, per adversa quærenda ex illo Iob probatur: numquid ingressus es* c THESAUROS NIVIS, *aut* THESAUROS GRANDINIS *adspexisti?*

§. III. *Nil proderunt* THESAURI *impii.* Prov. 10.

a Iob 38. b Mich. 5. c Iob 38.

FESTUM INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

Quis invenit locum ejus, aut quis intravit in thesauros ejus? Baruch. 3.

DIVINUM illud Seraphici Doctoris *a* hodiernâ die fertur oraculum: *Omne, quod diligitur, à diligente solicitè quæritur.* Quàm solicitè quærit apis florem, ciconia lacertam, milvus palumbem? atque ut ejus utar obviâ similitudine: *Quàm solicitè quærit canis lepusculum, gallina vermiculum, cervus fontem?* Vos ipsos quotidianâ experientiâ edoctos compello: quàm solicitè ambitiosus, honorum titulos aucupetur? quantâ curâ, solertia, assentatione munerum corruptelâ, viam sibi, ac suis ad prima subsellia, ad sæculares aut Ecclesiasticas dignitates struat? quot technis ac versutiis mortales inter gloriam quærat, nec quiescat, donec inveniat? quàm solicitè Adolescens quispiam lascivus, quot blanditiis, illiciis, lenociniis quærit illam, & gratiam invenire penes eam, quam deperit? quàm studiosè eam in foro, in templo, in quovis congressu satagit invenire? quàm solicitè avarus quærit pecunias, quanto labo-

a S. Bonaven. festo invent. S. Crucis, serm. 2.

labore, ſudore, lucubratione, è re qualibet lucrum, emolumentum, aurum quærit? O ſi vel uſpiam theſaurum abſconditum olfecerit, quàm noctes & dies omne medium quæreret, omnem lapidem moveret, quo eum invenire contingeret? quàm de invento geſtiret, exiliret, ſeque beatum duceret, ac prædicaret? *a Cùm tamen temporalem invenire* THESAURUM, *vanum ſit*, & inventori nonnunquam æternum attulerit exitium. At hodierna die Theſaurus inventus eſt, in quo omnes auri venæ, omnes argenti fodinæ, omnes Erythræi maris margaritæ, eminenti quodam modo reconditi ſunt. Sed

§. I.

Quis invenit locum ejus, aut quis intravit in THESAUROS EJUS? Baruch. 3.

INgentes olim Theſauros in cavernis ſubterraneis, in Regum ſepulchris, tanquam in ſacratiſſimo, & nullo jure & injuria violabili gazophylacio, reconditos fuiſſe, ſacri juxta ac prophani hiſtorici ſatis diſertè teſtantur. *b* Sanè ſicuti Gentiles vidimus, ſic & Hebræos, in ſepulchris recondere conſueviſſe præcipua mortuorum ornamenta, & maximam, interdum auri vim, Hieronymus *c* & alii poſt eum arbitrati ſunt.

Anno mundi ter milleſimo vigeſimo primo refert Salianus *d* ex Joſepho lib. 7. cap. ult. Regia magnificentia monumentum Davidi fuiſſe extructum à filio Salomone (qui & ibidem poſtea conſepultus eſt) in quod præter ſolemnia Regiorum funerum, maximas divitias contulerit: quarum copiam ac cumulum ex eo fuerit certâ conjecturâ aſſequi, quod poſt annos mille trecentos, Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho pio, ut eum ab urbis obſidione removeret, aperto Davidis monumento, theſauros ejus ingreſſum, ad tria millia talentorum (id eſt, accurato Saliani noſtri calculo, triginta ſeptem milliones, & quinquaginta millia aureorum) inde aſportavit, quorum partem Antiocho annumeravit; aliâ externum militem conſcripſit.

Addit *e* ex aliis, cùm ſub annum Domini 1173. murus unus templi Hieroſolymitani corruiſſet, & Patriarchæ juſſu inſtaurandus eſſet, fuiſſe ex operis, qui lapide quodam in fodiendo ſublato, antri oſtium invenerint: in illud ingreſſos, tam diu proceſſiſſe, quoad accederent ad quoddam palatium marmoreis columnis innixum, auro & argento obductum, ante quod menſa erat, in eaque ſceptrum & corona aurea. Hoc fuiſſe Davidis Regis ſepulchrum: ad cujus ſiniſtram Salomonis fuiſſe ſimili ornatu; & alia multa aliorum ex Davidis familia, Regum Juda, qui ibidem conditi fuerant. Mitto hîc arcas repertas, ampliſſimoſque theſauros, ut ex dictis patet; quos ubi Patriarcha compertos reſciit, arctiſſimè occludi præcepit. Sed ne antiqua dum-

a Baruch. cit. b Spondan. circiter. [illegible] c Hieron. in Jerem. c. 8. d Salian. Annal. in 3021 n. 11.

e Salian. cit.

dumtaxat eruderare videamur, recentioris illud memoriæ eſt, quod *a* ſub Paulo III. accidit anno Chriſti 1543. cùm fundamenta Divi Petri Romæ inſtaurarentur. Mariæ & Thermantiæ (quæ filiæ Stiliconis fuêre) corpora illic olim in marmoreo ſepulchro, pretioſiſſimè exornata, inventa fuiſſe cum mundo omni muliebri: Corpora attactu primo in cineres ſoluta; at auri ſolidi vis ingens fuit, margaritæ inſignis magnitudinis ſupra 3. & quinquaginta annuli centeni variis gemmis diſtincti, aureum pectorale gemmis vermiculatum, vaſa plurima, aliaque cymelia ex auro, cryſtallo, ſuccino.

Verùm enim verò, præ his omnibus alius hodie longè pretioſior, multo locupletior, theſaurus quæſitus, & inventus eſt: *b Helena Conſtantini Mater, quia Chriſtum ferventer amavit, ejus crucem diligentiſſimâ curâ quaſivit, & invenit.* Propterea inquit Andreas Archiepiſcopus oratione in feſto ſanctæ Crucis: *c Hodie diem feſtum celebramus, propterea frequenter convenimus: quia ſanctum illud, quod olim latebat, hodie evaſit manifeſtum: quia* THESAURUS, *qui fuerat abſconditus in terræ meditullio, refulſit ſicut aurum.*

Gaudent alii crucem, quam cælum mittit, amittere: at amiſſam olim Chriſti crucem inveniſſe hodie ſe gaudet Helena imperatrix, & triumphat. Rei geſtæ ordinem hîc habes: latebat crux terrâ, plus odiis Judæorum jam ſupra ducentos annos ſepulta; At Helena cum primum filius Conſtantinus Maxentium debellavit, crucis ſanctiſſimæ auſpiciis, quò grata foret, omni ingenio, viribuſque eruere defoſſam, orbique adorandam proponere concludit, *d tunc credens* THESAURUM *ſe reperturum, ſi crucem*; hanc porrò *e* quo ardore, quo amore jam octogenaria regio comitatu, omnique clero ſtipata, quæſiêrit, pergit S. Ambroſius *f* præclarè enarrare: *Venit ergo Helena, cæpit reviſere loca ſancta, infudit ei ſpiritus* (*Theodoretus exponit in ſomnis divinitus admonitam*) *ut lignum crucis requireret.* Acceſſit *g ad Golgotam, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi eſt victoria? quæro vexillum ſalutis, & non invenio. Ego inquit in regnis, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus? ille adhuc latet, & palma vitæ æternæ? quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? video, quid egeris, Diabole, ut gladius, quo peremptus es, obſtrueretur.* Locus itaque primùm purgatur, & infame Veneris ſtabulum ſtatuaque deiicitur; *mox aperit humum, decutit pulverem. Tria patibula confuſa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat*; in ipſiſſimas auri venas offendiſſe Helenam credidiſſes; minuebat tamen lætitiam publicam illud quod quænam ex tergeminis Servatoris crux foret, ſic non ſatis conſtaret: *ſed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Incerta hæret ut mulier, ſed certâ indagine Sanctus*

a S[illegible] in [illegible] c. B[illegible] theat. D[illegible] pag. 252. *b* Bonav. cit.
c [illegible] cruce [illegible] lib. 1. cap. 6.
d F[illegible] Mariæ i. *e* Theodoret. [illegible] 18.
f S. Ambr. de [illegible] Theodoſii.
g Theodoret. lib. 1. cap. 18. Socrat. [illegible] cap. 17.

tus Spiritus inspirat. Jussit ergo singulas ordine morienti nunc mulieri imponi: pergebat illa ad primas contactum mori itemque ad secundæ, ad tertiæ denique incolumis revixit. Zozomenus hoc recensito prodigio, subdit: fertur item mortuum crucis virtute, simili ratione ad vitam revocatum. Quod habet *a* D. Paulini formare testimonio: „Cùm tres pariter cruces repertæ fuissent, „gratulatio repertarum cœpit anxiâ dubitatione confundi justo piorum metu, ne „forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum „pro stipite latronis abiiciendo, violarent. Respexit pias „fideliter æstuantium curas „Dominus, & ipsi potissimum, „quæ tam piæ solicitudinis „princeps erat, hujus consilii „lumen infudit, ut aliquem „recens mortuum inquiri; & „inferri juberet. Nec mora „cadaver allatum est: deponi„tur, jacenti una de crucibus „admovetur & altera, sed reo„rum ligna mors sprevit. Po„stremò dominicam crucem „prodit resurrectio, & ad sa„lutaris ligni tactum morte „profugâ, funus excussum, & „corpus erectum est: tremefa„ctisque viventibus stetit mor„tuus, & funebribus, ut La„zarus quondam vinculis ex„peditus, ilico inter spectato„res suos redivivus incessit. Confirmat idipsum *S. Vincentius,* b *Severus Sulpicius* c, *Baronius*, d *& alii.*

Nunc si lubet quantæ quàm immensæ divitiæ, quot pateræ argenteæ, scyphi, crateres, phialæ, labra, malluvia, chrysendeta, monilia pretiosa, *in monte pietatis* Bruxellis, Antvverpiæ, & alibi recondita sint, expendite, & si quem auri dira fames, & sitis habendi inflammat, in alium *montem pietatis* mecum conscendat. Ubi tot pyropi sacratissimi cruoris Domini, tot uniones è latere Christi profluentes, ubi his largè locupletatus pretiosissimus crucis thesaurus sine fœnore, sine usura, *sine auro, & argento* comparatur: qui quàm ingens, & supra omnem æstimationem sit, ex hoc colligere licet, quòd omne aurum nunc de cruce facit thesaurum, omnesque gemmæ ac margaritæ in conspectu ejus viluerunt; videre quidem est sanctissimum hoc lignum auro, pretiosissimisque unionibus insertum, sed crucis hic ornatus, ut accidentia substantiam circumdant, nec quidquam ex his oculos, animos, venerationem, amorem nostrum sibi vendicat, nisi inæstimabile dumtaxat, vel minimum S. Crucis fragmentum. *e* Hujus unius *thesauri desiderio* (ut auctor loquitur) cùm per plures annos B. Coleta constanter æstuâsset, incessanter quæsisset, tandem ubi exiguam particulam nacta est, tanto gaudio exultavit ut cœlo ipso donum illud adæquare non dubitârit: dumque anxia fluctuat, ubi quàm securissimè, & summa cum religione thesaurum hunc asservare queat, cælitus illi crux aurea submissa est eo artificio elaborata,

a S. Paulinus Epist. 11. ad Severum.
b S. Vincent. sefl. invent. S. Crucis serm. 1. c Severus Sulpit. l. 1. hist. d Baron. a. 326.

e P. Barry faveur de Iesu cap. 2. devot. 22.

laborata, ut omnem cujusvis aurifabri captum excederet: atque hâc divinum pignus thecâ studiosè cœlavit.

Nec minùs hujus pretii *a* ignara S. Macrina, magni Basilii, & Gregorii Nisseni soror germana, quæ præ omni adamante exiguum sanctæ crucis frustulum annulo suo scitè inseruerat, eumque non digito, sed cordi appressum gestabat, ut, ubi Thesaurus illius esset, illic & cor ejus noctes diesque præsens foret. Utraque hæc Christi sponsa, verissimè illud Sapientis usurpabat: *b Divitias nihil esse duxi, in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in comparatione illius.* Nec immeritò, utpote quibus omnes mundi gazæ jam viluerant, & sola crux in pretio erat.

Disertissimus ille orator ac religiosissimus antistes Hieronymus la Nuza, unum pilum S. Magdalenæ, quem asservat, præ omnibus mundi regnis se æstimare liberè pronuntiavit, idque ex eo quòd sanctissimos pedes Domini attigerit; sed quid pilus hic ad lignum, quod laceros Christi humeros, totumque corpus arctissimè fuit complexum, & pretiosissimo cruore largissimè respersum, mille Christi osculis delibatum, & sanguineis vinis non semel constrictum, totius salutis humanæ pignus extitit? Unde sanctissimus ille præsul Nolanus *c* cum mitteret ad Severum, exiguum S. Crucis segmentum auro inclusum, his ad „eum scribit verbis: Accipite „magnum in modico munus, „& in segmento pæne atomo „hastulæ brevis, sumite muni„mentum præsentis, & pignus „æternæ salutis, non angustetur „fides vestra carnalibus o„culis parva cernentibus; sed „internâ acie, totam in hoc „minimo vim crucis videat. „Dum videre vos cogitatis li„gnum illud, quo salus nostra, „quo Dominus majestatis af„fixus, tremente mundo pe„penderit, exultetis cum tre„more. Recordemur & pe„tras scissas hujus aspectum „crucis, & saltem saxorum æ„mulatione præcordia nostra „findamus amore divino.

Ecquis unquam ab orbe condito, uspiam terrarum, thesaurum repertum legit, vel audivit, cujus materiæ (gemmea sit vel adamantina) particula minima, vel unus atomus, orbis universi pretium infinito intervallo antecellat? quod cùm venerandus hic antistes in SS. Crucis *minimo naturali*, ut philosophi loquuntur, asseveret, quis non avidissimè & ardentissimè ad hunc thesaurum conquirendum rapiatur? At si omnis amor Christi in nobis sopitus aut prope extinctus est, hoc ligno hodiernâ die accendendus; etenim cùm ignis extinguitur, lignum iniicis, & statim ille revivifcit, ac novas flammas concipit. Alget in te amor Christi, accipe lignum crucis & adhibe cordi tuo, intellectu ac voluntate ardorem in eam ventilando, in meditatione tua exardescet ignis, aptumque est lignum hoc, ut im-

a Barry ibid. b Sapient. 7.
c S. Paulin. Epist. 11 ad Severum.

immensum in te excitet incendium. Alterum est, hic thesaurus, omnes auri argentique fodinas excedit, quòd inexhaustus quodammodo, & infinitus sit, quod ejusdem D. Paulini comprobare libet suffragio, qui ubi enarrâsset S. Helenam omne suum aurum contulisse, ut hunc thesaurum dignè reconderet, vim ligni hujus quâvis parte sublata, quasi vivi semper, & accrescentis describit, ipsum audite: Itaque inquit, *a* Mater „ Augusta, patefactis ad opera „ sancta thesauris tota abusa „ fisco est, condita in passionis „ loco Basilica, quæ auratis coru„ sca laquearibus, & aureis di„ ves altaribus, arcano positam „ sacrario *crucem* servat, quam „ Episcopus urbis quotannis, „ dum Pascha Domini agitur a„ dorandam populo promit. „ Quæ quidem *crux* in materia „ insensata, vim vivam tenens „ (quasi quercus repullulans) i„ ta ex illo tempore, innumeris „ pæne quotidie hominum vo„ tis lignum suum commodat, „ ut detrimenta non sentiat, & „ quasi intacta permaneat, quo„ tidie dividuam sumentibus, & „ semper totam venerantibus; „ sed istam imputribilem vir„ tutem, & indetribilem soli„ ditatem, de illius profectò „ carnis sanguine bibit, quæ „ passa mortem, non vidit cor„ ruptionem. Idipsum suo testimonio confirmat Cyrillus Jerosolymitanus: *b Quinque panes*, inquit, *testantur in quinque millia multiplicati*, LIGNUM CRUCIS *testatur ad hodiernum diem apud nos apparens*, *& apud eos*, *qui secundum fidem ex illo hinc capientes*, *universum orbem fere jam repleverunt*. Sic ille testimonio de divinitate Christi colligens, volensque docere, non tantùm gloriam crucis, sed hanc quoque multiplicationem, & dispersionem partium, per universum terrarum orbem, divinitatis & potentiæ Christi testem esse, repertumque hodie *c* THESAURUM *non deficientem in terris*. Rursum alibi idem auctor: *d Ligno* CRUCIS *universus terrarum orbis per partes repletus est*, & iterum: *per particulas ex hoc ligno per universum orbem sparsum est*. Rident hæc de more hæretici inimici crucis Christi. imprimis Auctor Apiarii, asserens videlicet quod hujusmodi crucis particulis vehendis, si colligerentur, decem Bavaricæ naves, non sufficerent. *e* Lutherus vero ex particulis crucis, quæ hinc inde ostenduntur, collectis, integram domum construi posse impudenter blaterat, & omnium ineptissimè Calvinus, Catholicos vocans desperatos Nebulones, quod fingere non erubuerint, lignum crucis mirificè auctum, & multiplicatum, & sparsum per orbem terrarum; imò stultum & inconveniens dicit mendacium. At verò, ô nequam! non fingimus Catholici, referunt id gravissimi atque antiquissimi Scriptores: S. Cyrillus, qui teste Baronio *e* crucis inventioni interfuisse potuit; quippe qui post Maximum, Macarii in Episcopatu Jerosolymitano successorem, eidem sedi præfectus est Antistes; & Paulinus, qui Cyrilli

M

a S. Paulin cit. b Cyrill. catech 10.

c Lucæ 12. d Cyrill. catech. 4.
e Conc. de exaltat. S. Crucis.
Baron. Annal. an. 325.

rilli sæculo vixit, & Jerosolymis aliquando versatus, plures facilè videre potuit, quos hoc miraculum non latebat, id literis consignârunt. Quare tenebriones illi vel lumine naturali, si vellent, illustrari possent: fax enim una, alteri sine sui imminutione lumen communicat, & innumera ad oculum exstant prodigia. Atrebati etiamnum candelam videre est, quæ ut annos complures arserit & ardeat, nihildum imminuta est, atque ex ipsis stillis ceræ deciduis, aliæ candelæ conficiuntur. Variis quoque laciniis è stola S. Huberti dissectis, integra perseverat; quid ni ea virtute SS. Crucis lignum præditum sit? *a* INFINITUS *enim* (ut Sapientis verbis utar) THESAURUS *hominibus est, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona.* Hugo Cardinalis *b* hæc dona intelligit reales disciplinas, cruces, adversitates, *flagella divinæ correctionis*, ut & Lorinus noster ibid.

Ex dictis hactenus patet, magni muneris instar habendum, si quis particulam S. Crucis tibi dono mitteret; at cum ea, & Turcis, & sceleratis hominibus obtingere queat, nec ex se sanctitatem ac salutem conferat, hodie vos omnes voti compotes efficiam, & quemadmodum Dei crucem, quæ omnes salvos & beatos reddat, quærere & invenire possitis, ostendam.

a Sapient. cap. 7.
b Hugo Card. in c.5.Sap.

§. II.

Crux Christi spiritualis, per adversa quærenda, ex illo Jobi probatur: Nunquid ingressus es THESAUROS NIVIS, *aut* THESAUROS GRANDINIS *adspexisti?* Job 38. vers. 22.

Tiberius piissimus Imperator Constantinopoleos, in pauperes profusus *c* THESAURIZABAT *sibi* THESAUROS *in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non effodiunt.* Hic *d* aliquando inambulans regia porticu, in pavimento tabulam marmoream, in qua crux Dominica sculpta erat, vidit, & ait: Cruce tuâ, Domine, frontem nostram munimus, & pectus, & ecce crucem sub pedibus conculcamus: ac dicto citius, jussit eam auferri: defossâque tabulâ atque erectâ, inveniunt subtus & aliam hoc signo notatam; quâ etiam sublata, repperêre & tertiam eâdem cruce insignitam: cùmque & hanc, de rei eventu sollicitus, effodi curâsset, *ingentem thesaurum* ad coronatorum prope millionem detexit. Quod cæleste prodigium, quid aliud innuit, quàm sub cruce maximum latere thesaurum, non pecuniarum, sed gratiarum: quem sanè inter alios oculatus S. Pater noster Ignatius agnovit, qui cùm aliquando Salmanticæ conjectus in carcerem, acceptis

c Matth. 6.v.20. d Baron. an. 582. Greg. Turon. hist. lib.5. cap. 19. Paul. Diaconus l. 3.c.6. de gestis Rom.

ceptis litteris commiserationis, & comsolationibus à sacris Deo virginibus, sic eis respondit: *a Miror vos, quibus* CRUCIS *Christi mysterium pertractatum esse oportuit, immensos* GLORIÆ THESAUROS *in* CRUCE *inclusos ignorare; Ego vero gaudeo, quod majora & graviora pro Christo sustinere dignus inveniar.* Nec quisquam mirabitur thesauros hosce in nive reconditos asservari: quid inquiet, in nive frigidissima thesauri esse queunt? imò hasce magnates in cellis subterraneis recondunt, & fervidâ æstate, & cane torrido pro deliciis ac cupediis pretiosissimis depromunt, præstantissimisque vinis admiscent, & caro æstimant. De quo juvat Senecam in quæstionibus naturalibus audire disserentem, ubi de nive asservata agens, sic ait: *b Non contenti vina diffundere veterana, & per sapores ætatesque disponere, invenimus, quomodo stiparemus nivem, ut ea æstatem evinceret, & contra anni fervorem defenderetur loci frigore. Quid hâc diligentiâ consecuti sumus? nempe ut gratuitam mercemur aquam. Hoc quod natura fluere & patere omnibus voluit, cujus haustum vitæ publicum fecit: hoc quod tam homini, quàm feris avibusque, & inertissimis animalibus, in usum largè ac beatè profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad pretium. Inde est, quod nec nive contenti sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt. quæ non è summo tollitur, sed ut vim majorem habeat, & pertinacius frigus, ex abdito effoditur.* Tum subdit: *Itaque ne unum quidem ejus est pretium; sed habet institores aqua, & annonam, prô pudor! variam*; & quasi ad thesauros recondendum, describit *reponendæ nivis officinas.* ac tandem concludit: *Videbis quosdam graciles, non sorbere solum nivem, sed etiam esse, & frusta ejus in scyphos suos deiicere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant.*

Audîstis, ut Romanis (quin & Belgis) nives in delitiis, nives in pretio sint, nives ut thesauri asserventur, sed & sanctissimo illi civi Romano Paulo Apostolo, adversitatum, persecutionum, calamitatum cumuli, quas ille nives compellat, in delitiis erant Paradisi; de eo sic D. Chrysostomus *c* pronuntiavit: *Cum videret Paulus quasi NIVIS cumulos, tentatione quotidie ingruentes, non aliter quam si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat gestiebatque.* Quin & nobis gaudendum, gestiendum, dum in tentationes, non secus ac thesauros incidimus, juxta illud D. Jacobi: *d Omne gaudium existimate, dum in varias tentationes incideritis.* Ut rem planè novam & miram extollit D. Hieronymus dictum illud Davidis: *e Tribulationem & dolorem inveni*, in quæ verba sic disserit: *Novam rem dicit; non dicit, requiem inveni, saturitatem inveni: neque etiam dicit, invenit me tribulatio, quam enim id admirationem haberet? eam autem habet maximam, quando se ait tribulationem & dolorem invenisse: neque enim invenitur, nisi quod quæritur*; neque rectè illi gratulamur nos aliquid invenisse, ait Augustin. nisi illud quod quærebamus; Exultat ergo quasi de thesauro re-

a Ribadin in vita l.1. c. 15.
b Seneca quæst. nat l.4 c.13.
c Chrysost. hom. 1 in 2. epist. ad Cor.
d Iacobi 1. 2. e Psalm. 114.

reperto, juxta illud Apostoli: *Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis.* Æneas Sylvius *a* exinde Pius II. Pontifex maximus refert juvenem quendam nomine Pachorum literas amatorias pilæ niveæ abdidisse, quâ Lucretiam amasiam suam è fenestra prospectantem impetiit, & ignem amoris in nive succendit, ut eleganti versu recens Poëta sub Lidiæ nomine lusit:

Chara meum gelidâ feriit nive Lidia pectus,
Dicebam flammis, hæc puto, tela carent:
Nec caruêre tamen, sub aqua latuêre favillæ,
Flammaque per venas stillat aquosa meas.
Heu mihi securi quâ declinabimus ignem,
Frigore duratas si metuemus aquas?
Frigore fax nata est, tolletur frigore, nullum
Sperandum simili de face frigus erit.
Sume pares ignes, miserumque levabis amorem
Lydia, frigoribus semper acerba neces.

Dilectam animam (si liceat miscere sacra profanis) cælestis sponsus deperit, ut eam in sui amorem accendat, duras & horrido febrium algore, & cujusvis adversitatis frigore rigentes pilas immittit, hoc amatorio epistolio inserto, quod D. Ignatius Martyr assiduò ingeminabat. *Amor meus crucifixus est*, quod & cordi Theresiæ telo Seraphico insculptum voluit: AUT PATI, AUT MORI. Seraphicus Franciscus floccos nivis, profectò non flocci faciebat, è quibus verum gaudium, & solidam lætitiam eliciebat, ut festivè in hilariis suis canit *b* Angelinus noster:

Magna Minorum gentis Assisius Pater
Comite Leone Fratre candidissimo:
Abs Perusinis fors remigrabant domum.
Stringebat arva bruma crudelissima:
Ibant rigentes in Lacerna pallii,
Lorica potius illa quàm vestis fuit;
Cucullus instar cassidis præ aspro gelu.
Nivosus aures Aquilo corrugaverat:
Naso frequentes depluebant stiriæ,
Nisi præacuto fortè pigræ frigore
A nare starent pendulæ: quales solent
Stillicidiorum stare de canalibus.
Suam sonori musicam, nolint, velint,
Utrique dentes concinebant frigidam.

Post hæc tandem subdit, si ad ædes reversi

Tuisaque nolâ lenius, si mussitans
Et torvus oculo Ianitor, manu minax
Semi reseratâ januâ, probè agnitos
Procul inde abesse mandet, Errones vocet,
Hominesque nihili, os merum hospitalium
Suique nodis nos salutet cinguli.

HÆC

a Pierre Messie l.1.c.37.

b Angelin. Gazæus pi. Hilar p.2.

HÆC SOLIDA TANDEM EST HILARITAS, FRATER LEO. Similiter cùm aliquando carnalis frater, & verè carnalis aspexisset *a* Franciscum in summa Hieme seminudum, horrentemque frigore, & ad eum misisset, qui per ludibrium & amariori quodam joco, quàm fratrem deceret, ab eo peteret, ut sudoris sibi drachma venderet, respondisse lætum: Dic fratri meo me jam totum Domino meo vendidisse, & quidem ingenti pretio. Quin idem post aliquot annos, cum gravissimis, continuisque doloribus, & insuper novis à dæmone molestiis ita cruciaretur, ut nullæ jam hominis vires ferre posse viderentur, emissa est ad eum vox de cælo, quâ gaudere jubebatur: *Quoniam per eas tribulationes, tantum sibi* THESAURUM *acquireret, cui nullus in terra comparari posset, etiamsi tota terra in aurum, omnes lapides in gemmas, omnes aquæ in balsamum verterentur*; Quo ille audito, ita recreatus est totus, ut jam non sentiret dolores, statimque præ gaudio fratribus advocatis narravit, quid de cœlo solatii accepisset. *b* Non absque singulari Numinis providentia anno Domini 1240. Cremonæ, intra Divi Gabrielis claustra, grando cecidisse fertur, in qua crucis signum, Christique facies, cum nomine Jesu perfectè expressa cernebantur; atque ut virtutem in hac grandine abditam cognoscas, cæcus ad ejus contactum, lumen recepit. Prodigium hoc insolens, ac inusitatum; At aliam non minùs præstantem, in sinum nostrum a divina manu indies grandinem pluere, docuit *c* P. Baltasar Alvarez, S. Matri Theresiæ à confessionibus, & quantum temporis sanctior non erat in terris: hisce se ad cruces, quibus undique impetebatur, animabat, *si cupidus quispiam in sua vinea colenda, multas pecunias, & tempus impendisset & post magna indicia copiosi fructus, videret eam* GRANDINE *confringi, ac destrui, quid is in animo sentiret? quod si* GRANDINES *illæ aureæ essent* (ut Poëtæ de aureo imbre fabulantur) *quantam caperet consolationem Dominus vineæ? multo siquidem majus lucrum esset illi quàm damnum vineæ ex tali grandine destructa.* Nunc amabo te, num *d hos* THESAUROS GRANDINIS *aspexisti?* Aureæ sunt, gemmeæ sunt grandines, valdeque pretiosæ, quivis contemptus, injuriæ, paupertas, jactura bonorum, fortunarum, filiorum, famæ, vehementer locupletantes eum, qui benignè ac grataniter exceperit. *e* Appello Beati Juniperi fidem, sensumque: hunc nescio quis petulanti ore, convitiis impetebat, & hoc in os, faciemque quod videri poterat impudentiùs, ingerebat; cui vir sanctus, non verba verbis, non convitia conviciis compensare, non etiam rationibus allatis eluere & refutare, sed unum illud addere, quod periti fuit & amantis Adamantis, hujusque thesauri: *Amice,* inquit, *imple gremium hisce lapillis pretiosis, imple, ne timeas.* Dicteria & convitia, quæ alii

M 3 cru-

a S. Bonav. in vita. Platus de statu Relig. lib. 3. cap. 16. b Vincent. hist. lib. 30. cap. 138. Naucler. Majolus canicul. ti. meteora.

c Lancicius opusc. spirit 9. cap. 8. num. 292. in vita Alvarez cap. 40.
d Iob 38. e In speculo S. Francisci, Annal. Min. VVading.

cruces, lapillos pretiosos, & grandinem auream appellat, atque his impleri vult sinum; ut illos scilicet referat, & thesaurizet in domo æternitatis; bonus Institor probè conscius, quanti istic sint pretii ac valoris: hinc & illud præ joco adjicere solitus, unicum hoc in votis esse, *ut his lapillis pretiosis, Parisiis Aureliam usque, continuo impeteretur.* Zeno Veronensis *a* expendens illud 2. Corinth. 11. *Lapidatus sum*, lapides Pauli fœlicem grandinem nuncupavit: *Insani populi furibundâ tempestate, lapideis imbribus* FELICITER GRANDINATUR. Hanc ut quis grandinem tolerare non queat; at verborum & calumniarum cum Junipero non subterfugiat. Nôstis quanti, eas patienter excepisse, pretii sit? Moysem attendite; qui *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans* THESAURO *Ægyptiorum, improperium Christi*, ad Hebr. 11. Quid verò improperium Christi, nisi vita, laboribus, ærumnis, persecutionibus, infamiâ, & contemptu plenissima? nec paradoxum quisquam arbitretur gelidissimam grandinem, quæ omnia vastat, calamitatem miserrimam inducit, & inter plagas Ægypti non minima censetur, ubi *b* GRANDO *vastabat omnia*, thesaurum compellari; *Si ex grandine*, inquit *c* celeberrimus Doctor, *thesauri extrahi non possent, non diceret Deus: d Nunquid* THESAUROS GRANDINIS *aspexisti?* Inimicus persequens grandini similis est, quia omnia vastare videtur honorem quietem, divitias, & vitam; sed ingentes virtutum thesauri ex ea possunt extrahi, atque hoc est *e facere cum tentatione proventum.* Thesaurus grandinis paupertas, calamitas est, si eam æquanimiter feras, & Domino, qui pro te pauper factus est, te gratum exhibeas. Hæc aurei Oratoris *f* doctrina est: *Magnus* THESAURUS, inquit, *in quo divitiæ, inconsumptum bonum: perdidisti pecunias, si gratias quidem egeris, animam lucratus es, & majores nactus es divitias,* THESAURUM NON DEFICIENTEM *in cœlis.* Regiæ prodigalitatis fuit illud Imperatoris Severi, quo excavatis lapillis schedulas inserebat, quibus integros fundos ac prædia, dono in populum, spargebat sed quæ deficiebant, ut alibi fusiùs dicemus. Doctor Asceticus *g* perfectionem comparat THESAURO *abscondito in agro*, ob innumerabiles divitias cœli, quibus implet animam; absconditus, quia ignoramus, quantum bonum ejus sit: si enim agnosceremus, dubium non est, quin universa pro illo consequendo relinqueremus, & omnia tanquam nihilum, præ eo despiceremus: quid enim habet finitum ad infinitum? eo adducit illud *h* Sap. INFINITUS EST THESAURUS *hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* O fœlices thesauri hujus divitiæ, quibus facimus amicum nobis Deum: nam si terreni thesauri æstimandi, quibus facimus nobis amicos de Mammona iniquitatis, quanto excellentior, quo

a Zeno serm. de Jona. b Exod. 9. c La Nuza tra. Evan. g. 5. n. 140. d Iob 38. e 1. Cor. 10 f Chrys. hom. 11. ad pop. g Nierenberg. in Ascet. l. 1. doct. 3 ca. 18. h Sap. 7.

quo Deum omnium datorem nobis devincimus? Locupletissimus thesaurus crux, in qua charitatis aurum, ubi virtutum adamentes, ubi meritorum smaragdi, Deus ipse reperitur: & cùm Deus infinitus sit, infinitum thesaurum jure appellabimus. Cur hunc thesaurum non quærimus, illi inhiamus, & universam substantiam, vires, valetudinem, opes, honores, vitam, omnia pro eo prodigimus? ad hoc hortatur S. Paschalius lib. 7. in Matth. *Utendi & possidendi* THESAURI *hujus potestas cum agro, non potest esse sine pretio, cùm cœlestes divitiæ non nisi damno sæculi possidentur.*

Utinam nos tanto studio, labore, sudore, solertiâ cœlestes hos thesauros conquiramus, qui filii hujus sæculi, perituras opes, a *irritamenta malorum*, in terræ visceribus perscrutantur! quæ eo avidiùs atque ardentius effodere nituntur; quo viciniori spe, iis potiundi inflammantur; ut egregiè Sanctus Gregorius, in illud Job cap. 3. *Quasi effodientes* THESAURUM mortificationem intelligit. *Omnes namque, qui fodiendo* THESAURUM *quærunt, cum fodere altius cœperint, ad laborem instantiùs inardescunt; quia quo* THESAURO ABSCONDITO *jam jamque appropinquare æstimant, eo in effodiendo enixiùs laborant. Qui igitur plenè mortificationem suam appetunt, quasi effodientes,* THESAURUM *quærunt: quia quanto fiunt viciniores ad finem, tanto se exhibent ardentiores in opere.* Ita quippe viris Asceticis in palœstra virtutis, usu venire solet, quo penitius in perfectionis, ac omnis sanctitatis adyta penetrârint, eo locupletiorem mortificationum thesaurum effoderint. Pius Doctor Thomas à Kempis: b *Quanto altius quis in spiritu profecerit, tanto graviores sæpe cruces inveniet*, ac tanto ditiorem thesaurum consequetur: in quo graviores cruces, argenteis & aureis nummis impressæ, hoc majoris pretii sunt, quo gravioris ponderis; sed pauci eum quærunt, ac perpauci inveniunt. Causam adfert Sanctus Bonaventura, c *Qui vult invenire crucem, imo ipsum Dominum crucifixum, quærat eum tempore, quo inveniri potest, & loco in quo est: nemo enim (si non sit stultus) quærit uvas in vere neque in æstate violas, nec fructus in hyeme. Item nemo quærit ficus in vite, nemo aurum in arbore, nemo pisces in monte*; nemo panem petit in tonstrina, nec libros in popina: *Si enim omnis res quærenda est, ubi est, ergo quæramus Crucifixum pro tempore in quo sumus, quia nunc inveniendus est. Item quæramus eum in loco, ubi est: ubi continuo jacet, id est in cruce:* Bernardus: *Circumire possum Domine, cœlum & terram, & nusquam te possum invenire, nisi in Cruce: ibi dormis, ibi cubas in meridie. Ergo qui suaviter vivunt, qui carni deserviunt, Christum invenire non possunt, dicitur enim* Baruch. 3. d *Quis invenit locū ejus, aut quis intravit in* THESAUROS *ejus? non invenitur in terra suaviter viventiū.*

Deniq; non invenitur in cruce, quam homines avari quærunt, amant, desiderant, ac tum beatos sese deprædicant, & quasi de thesauro reperto exul-

a Ovid. Metam.

b Thomas à Kempis de imit. Christ. l. 2. c. 12. c Bonav. festo Inventionis S. Crucis serm. 2. d Job 26.

exultant, dum cruces plurimas & maximas repererint. Nôstis, quales ? cruces amant & quærunt in pataconibus, in pistolis, in coronatis, aliisque nummis, qui *cruciferi* vocantur; *nupta innuptaque puella*, numquid omnes quærunt cruces aureas, cruces gemmeas, eas æstimans, ex collo suspensas circumferunt? inter intecta ubera, velut inter duos latrones, hoc signum crucis faciunt emicare. De istiusmodi severum illud, & verum exstat Pauli oraculum: *a Qui* THESAURIZANT *sibi iram, in die iræ.* Quare hîc paucis [illegible]iam, miseriam, infelicitatem eorum exponere decrevi, qui omni conatu *b* THESAUROS INIQUITATIS sibi quærunt, quorum est *c inventio in detrimentum*, non tantùm corporis, ut videbimus, sed etiam animæ.

§. III.

Nil proderunt THESAURI *impii,* Proverb. 10. vers. 2.

MAlos, hujus mundi solicitè bona quærere, in hisce bonis malos existere, per bona hæc pessimos reddi, Cicero, Demosthenes, Seneca, aliique Græci, ac Latini Philosophi verissimè censuerunt, sed præ his juvat unum Carthaginiensem Antistitem *d* inducere, qui l. 2. epist. 2. *Bona*, inquit, *appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas, usus est*; quâ verò ratione malus sit, qui bonis malè utitur, eventus hic docebit. Babylone capta *e* Darius sepulchrum Semiramidis aperiri jussit, ut ingentes, quos illic reconditos arbitrabatur, *thesauros* erueret: dumque altiùs terra egeritur, grande saxum repertum est, cum hac Epigraphe: *Quisquis Rex pecuniis eguerit, hoc aperto monumento, quantum voluerit, capiat.* Hâc spe mirificè Rex delectatus, præfervidè saxum tolli imperat, in cujus aversa facie, hoc monitum exaratum legit: *Ni vir malus esses, & pecuniâ inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos erueres.* Hoc primæ atque infallibilis Sapientiæ *f* effatum est: *Multos perdidit aurum & argentum*, quod dum hîc thesaurizare conantur in terris, perdunt *g* THESAURUM NON DEFICIENTEM *in cælis.* Harum testis & arbiter sententiarum, unus instar omnium erit Eulogius, *h* opificio lapicida, tenuioris fortunæ vir, non minori in Deum pietate, quàm in pauperes munificentiâ insignis: quidquid enim labore manuum conquisitum, supra tenuem victum sibi supererat, id omne lucellum in egenos distribuebat, & liberaliùs quandoque in Danielem, vicinum Anachoretam effundebat; qui pietate ejus permotus, Deum obnixè rogat, opulentiorem fortunam huic Eulogio concederet: certum se esse, qui in tenui fortuna adeò in pauperes profusus fuerat, liberalissimum fore, ubi opibus abundaret; sed cam cælesti legato certior factus, non conducere saluti Eulogii ditescere, Daniel imprudenti zelo se vadem pro animo ejus stitit; at

a ad Rom. 2. b Mich. 6. c Eccl. 20.
d Cyprian. lib. 2. epist. 2. e Aresius de tribulat. disc. 44.

f Proverb. 10. g Lucæ 12.
h Causin. cour sainte.

at ſuo malo: etenim Eulogius *reperto locupleti theſauro*, licentiori vitæ ſe dare, in aulam Juſtiniani Imperatoris ſe inſinuare. Exercitus Dux creatur. Hîc templa ſpoliare, ebrietate ac ſcortis vitam traducere. Dum nocte intempeſtâ, Anachoreta obſes, ad Dei tribunal ſiſtitur, & Eulogius in proſtibulo, ante oculos conſtituitur. Hic Daniel admirari, lamentari, deprecari, deteſtari imprudentem zelum, quod ſupra divinam providentiam ſapuiſſet. Interea Hyppatius & Pompejus Principes Imperii, in Juſtinianum conſpirant, illis ſe adjungit Eulogius; ſeditione excitatâ, capitur Hyppatius, Eulogius omnibus exutus, fuga ſibi conſulit: jamque profugus, totum latibulum, veterem caſam ſubiit, atque aurum omne, & divitias *irritamenta malorum*, tantum non æternorum, execratus, ad manuum laborem, & priſtinam paupertem, in qua cœleſtium bonorum theſauri reconditi, reverſus eſt, ac denuò cœpit per bona opera, *theſaurizare* ſibi in cælis.

Nónne hic veriſſimum expertus eſt: *a Quia eſt inventio in detrimentum*, omnesque perituras hasce divitias, eſſe *b theſauros iniquitatis*? cùm inventio crucis, paupertatis, adverſitatis, ſit in animæ emolumentum. *Beatus vir*, clamat *c* Sapiens, *qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ* THESAURIS; ſed ejuſmodi beati, quàm rari numerentur, ex eo patet, quod vel unum quærere videatur, dum ſubjungit: *Quis eſt hic, & laudabimus eum:* Nam ut ſcitè *d* HugoCardinalis: *Raritatem notat hîc* QUIS; omnes quippe poſt aurum, & pecuniæ theſaurum abire, communis ſanctorum Patrum ſenſus & conſenſus eſt. Unde Divus Ambroſius *e* melleâ ſuâ facundiâ, ſuaviter & fortiter, aurum eſſe dixit *pretioſæ animæ detrimentum*. Gregorius Antiſtes Nazianzenus: *impietatis* vocat *inſtrumentum*. Cyprianus *f* divitias nominavit *Speciosa ſupplicia*. Et alibi idem Doctor: *Illa sũt vincula, illa catena*. Quod ipſum altiùs inſonuiſſe videtur Paulus, cœli tuba, cùm divitias vocat: *g Laqueum diaboli*, de quo Ambroſius: *Laqueus, h in auro, quod dum petimus ſtrangulamur*. Valet hîc, quod paſſim, notum eſt, illud Auſonii:

> *Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,*
> THESAURIQUE *loco, depoſuit laqueum.*
> *At qui condiderat, poſtquam non repperit aurum,*
> *Aptavit collo, quem reperit laqueum.*

Delrio noſter in diſquiſitionibus magicis, alios commemorat, qui *i in laqueum diaboli* miſerrimè prolapſi ſunt ut auro, vel theſauro aliquo, arte etiam necromanticâ, ac diabolicis præſtigiis potiri poſſent: quos omnes *k* ait, à dæmone variè illuſos, atque in ipſis cavernis theſauros quæritantes, obtritos aut præfocatos. Unum, alterumque, ad terrorem induxiſſe ſufficiat.

Anno 1520. Baſileæ quidam ſartor, ut refert Cedrenus in

a Eccl. 20. 9. b Michææ 6. c Eccl. 31. d Hugo Card. in Eccl. 35.

e Ambr. de bono mortis c. 5. f Cyprian. l. 2. epiſt. 2. & de divitiis.
g 1. Timoth. 3. h Ambr. lib. de bono mortis c. 5. i 1. Timoth. 2. k Delrio diſquiſit. mag. l. 2. q. 14.

Anastasio, cryptam subterraneam, quam & alii penetrare frustra conati fuerant, cereo accenso ingressus, primò per portam ferream se transiisse ajebat: inde ex una in aliam concamerationem, ac tandem in hortos (quos Hesperidos, aut Elysios dixisses) devenisse. In medio, aulam magnifico lucu adornatam, ibique virginem aureo diademate redimitam; at infernè pubetenus in horridum serpentem desinentem spectari. Ab hoc ad arcam ferream se deductum, juxta quam duo nigri molossi excubantes, terribili latratu, propius accedere deterrebant: quos ubi virgo minaci voce compescuisset, clavium fasce (quem è collo gestabat) soluto arcam recludit, thesauros exhibet aureis, argenteisque nummis instructissimos, è quibus non paucos, munificentiâ virginis sibi donatos ostentavit. At ut rei hujus exitum, & dæmonis versutias dispicere valeatis, addebat eam narrare solitam, sese regio ortam stemmate, diris imprecationibus jam olim devotam, in tam immane monstrum degenerâsse, nec aliam recuperandæ salutis viam superesse, quàm si ab illibati pudoris Adolescente, ter osculum delibare contingat: tunc enim pristinæ formæ se restituendum, doris nomine thesaurum omnem liberatori cessurum. Quod cùm semel iterumque spe lucri Adolescens attentasset, tanto derepente horrore, non sine singulari numinis providentia, correptus fuit, ut si tertiò illi osculum fixisset, in partes se discerpendum non vanè præsagierit. Quod malo suo alius civis Basileensis, non multò pòst, ut familiæ inopiam sublevaret, eandem cryptam ingressus, expertus est: cùm enim nil præter cadaverum, & ossium humanorum congeriem reperisset, loci horrore correptus, festinus licèt regressus intemperiis tantis agitatus est, ut tertiâ pòst die, miserrimè exspirârit. Quanto tutiùs hodiernâ luce Diva Helena pretiosissimum crucis thesaurum investigavit? quanto tutius nos crucem Christi, in qua humilitatis, patientiæ, charitatis, virtutum omnium, gratiæ ac gloriæ thesaurus certo reconditus, consectamur, quam Chrysophili illi præsentissimo corporis & animæ periculo, falsos divitiarum thesauros, quos ne quidem reperturi sunt, ut rectè Andreas Cæsalpinus, a in sua dæmon. investig. cap. 12. thesaurorum indagatores per artes magicas, multos, inquit, novimus, sed qui assecuti fuerint, compertum non habeo.

Mitto hîc, Deum omnium thesaurorum claves asservare, nec quidquam pauperrimo cacodæmoni in eos juris aut potestatis concedi; quare inani spe, atque umbratili specie passim deludit, & sordidè imponit. Sic b ferunt Faustum & Agrippam, cùm iter facerent, nummos in speciem sinceros, in diversoriis annumerare solitos: quos qui receperant, post paucos dies, cornuum frusta, vel scruta vilissima comperiebant. Consi-

a Beyerlinc theatr. D pag. 10.
b Remi. [illegible] dæmon. c. [illegible] Beyerlinc theat. M pag. 16.

Consimili modo cuidam infaustæ, licèt nobili Matronæ Mosellanæ, quæ ob crimen sortiarium, paucis ab hinc annis apud Aquas confluentes, flammis tradita est, fiscellam dederat, plenam aureis, ut apparebat scutatis, quos illa reposuit in arcam; at dum inde quid desumere vellet, aureorum loco, fimum equinum reperit. Quia propter invictissimum Cæsarem Carolum V.

a *Insignem pietate virum,* ab eo commendatum lego, quòd *b* Cornelium Agrippam, & duos nobiles, aulâ & regno exulare jusserit, quia in thesauris inveniendis, artem suam necromanticam obtulissent.

Alia denique, ut cum Seraphico Doctore *c* concludam, *est inventio vana,* qui thesauros futilis ac inutilis scientiæ quæsiêrunt: hi ut aurum potabile, alii ut lapidem Philosophalem, quintam rerum essentiam inveniant. Quadratura circuli, motus perpetuus, quot ingenia in circum egit, & perpetuò exagitavit! At Doctor gentium omnia novit, dum se nihil asserit scire, præter Jesum, *d & hunc crucifixum.* in quo, ut ipse fatetur, sunt *e omnes* THESAURI *sapientiæ, & scientiæ absconditi.*

Hunc itaque præsentis adhortationis fructum colligamus, ut imposterum inveniatur crux Christi in omnium Christianorum ædibus, inveniatur crux in cubiculis, inveniatur crux in abacis, inveniatur crux in oratoriis, nec ampliùs infames illæ tabulæ, cum nuda sua Venere & Adonide inveniantur, ad quas tot animæ naufragatæ sunt. *e* B. Maria de Victoria, dolebat, si quem locum ingressa, crucem illic non invenisset: tota enim ardens crucifixi amore, in postremo morbo, ut semper crux oculis obversaretur, ab utraque parte lectuli, crucem defigi curavit, ut, quocumque se obverteret, eum intueri posset; quo factum, ut dæmon ad limen cubiculi conspectus, ingredi nequiverit. Alterum ipse *f* Redemptor noster sanctam Gertrudim fructum edocuit, dicens: Quoties quis intimo cordis affectu, mei è cruce pendentis effigiem, jactu oculi dignatus fuerit, toties & ego eum amico intuitu, & ut Bernardus ait, *oculo amoroso* respiciam, & contuebor.

Ecquid ni, Auditores, ibi oculos, ibi cogitationes, ibi cor nostrum defixum habemus, ubi *est thesaurus* noster? ad hoc, inflammare omnium animos poterit, quod fidâ relatione *g* scribit P. Paulus Barry, se à 20. annis Româ accepisse: obierat Romæ sacerdos mirè addictus Cruci Christi, ejusque cruciatibus; tantoque affectu in cruce contemplanda ferebatur, ut in eam cor, animusque commigrâsse jure dicerentur. Magna sanctimoniæ fama è vivis excesserat, ridenti vultu recidens; Interim propinquis incidit, causam fortè mortis præproperæ sciscitantibus, corpus aperiri: cumque ad interiores partes deventum esset, cor desiderari visum est; chirurgi ac

a Virgil. Æneid. b Delrio disq. mag. l. 2. c. 12. c Bonav. festo invent. S. Crucis serm. 2. d 1. Cor. 2. n. 2. e Ad Coloss. 2.

f In vita Barry la faveur de Iesus c. 2. devot 2. g Barry [illegible] 2 devot. 4. h Barry la faveur de Iesus cap. 3. devot 4.

ac medici ſtetêre attoniti, & unanimiter miraculum! miraculum! inclamârunt. Oppor tunè quis è circumfuſa turba, oculos in crucifixum, qui in oratorio defuncti erat, oculos convertens, advertit ad Christi pedes cor poſitum, quod omnes accurrentes conſpexêre, miraculumque confirmavêre, dicentes, veriſſimè in eo completum illud Matthæi: a *Ubi eſt* THESAURUS *tuus, ibi eſt & cor tuum.*

a Matth. 6. 21.

FESTUM

FESTUM ASCENSIONIS DOMINI.

Videntibus illis elevatus est. Act. 1, v. 9



Quinque tenent cœlum. Virg. 1. Georg.

ARGUMENTUM.

EXordiar hic, ut quondam a Mediolanensis antistes: *Non hic gentes, brachiis post terga revinctis, nec excisarum urbium imagines, oppidorumque captorum simulachra cernimus: aut submissa captivorum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum. Vnius Dei triumphus, fecit omnes prope jam homines triumphatores. Solet quippe praecedere pompa victores;* at

a S. Amb. in Euang. Lib. Luc. 22.

at vero currum Domini triumphalem, præit bona pompa resurgentium defunctorum. Missis itaque cum Ambrosio Romanorum, aliorumque gentilium Imperatorum, in terris triumphantium pompis, aspicientes hodie in cœlum, uni immortali Imperatori nostro, de morte, ac inferis triumphatori intenti, *triumphalem currum*, augustissimum ejus corpus, quinque sacratissimis vulneribus, supra omnes sapphyros, ac pyropos rutilantem contemplabimur. Cur autem horum cicatrices in corpore asservare voluerit, Doctor. Angelicus, aliique Patres, gravissimas in solatium nostrum causas attulêre. Quæ cùm in cœlis pro nobis, apud Patrem, *a sint nostræ causæ patrocinia, nostrique amoris æterna incitamenta*, par est ea in terris, omni amore, & veneratione prosequamur.

a Rupert. l. 4. in Ioan.

§. I. *Cicatrices servavit, ut in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum.* S. Thom. 3. p. q. 54. art. 4.

§. II. *Retinuit cicatrices vulnerum, ut patri pro nobis supplicans, quale genus mortis, pro homine pertulerit, semper ostendat.* S. Thom. ibid.

§. III. *Praxes, piè adorandi, & venerandi quinque sacratissima Christi vulnera.*

FESTUM

ASCENSIONIS DOMINI.

Videntibus illis elevatus est. Act. 1. v. 9.

NOlim ego quod hic sacris oratoribus, hac admiranda Imperatoris nostri cælos conscendentis festivitate familiare, splendidis illis Romanorum, aliorumque gentilium urbem ingredientium, pompis enarrandis, triumphis celebrandis inhærere: quemadmodum Cæsar curru eburneo à 40. elephantis, M. Antonius à leonibus, Aurelianus à cervis vectus sit; Nero verò nunquam Romam intrarit, nisi mille rhedis stipatus, soleis mularum argenteis. Quàm insolens & prope inauditus triumphus Sesostris exstiterit, qui 4. Reges captivos currum suum, aureis catenis trahere jussit. Horum omnium splendorem obscurare valet, currus ille igneus, qui Eliam per liquidum aëra, per cælos ipsos devexit, ut quod de sole, qui ἄγιο[illegible] dicitur, Poëtæ fabulantur, Prophetæ huic verissimè convenire videatur. Quod expendens a Bernardus: *Nonne tibi videtur Elias, ascendentis Domini signare personam?*

At longè illustriori modo Redemptor noster, orbis domitor, b non brutis animantibus vectus, non Reges aliquot captivos

a Bern. Serm. 3. in Ascens. Dom. b Ambrol. in Euang. l. 2.

otivos; sed ipsos principes tenebrarum subjugavit, atque ipsas *a* Angelicas potestates,in comitatu suo habet stipatores. Ut jure Carthaginiensis antistes *b* exclamet: *Rei hujus magnificentia, omnem superat intellectum.* Hoc quidem *notandum,* inquit *c* magnusGregorius,quòd Elias curru legitur ascendisse, *quia homo purus, adjutorio indigebat alieno: per angelos quippe facta illa sunt adjumenta*; Redemptor autem *noster non curru, non angelis sublevatus legitur,* nisi fortè pro curru, aut vehiculo, preciosissimum ejus corpus fuisse dicamus, quod ab intrinseca virtute movebatur: quemadmodum in artificialibus, periti mathematici artificio. Carolus dux Lotharingiæ Bruxellis, à paucis annis currum triumphalem in forum induxit, qui nullis equis, aut vectoribus, interiori machina, & occultis rotulis ac trochleis, sponte suâ procedere censebatur. Excellentiori certè virtute currus ille purpureus, tot gemmis quot cicatricibus, ac potissimum quinque illis, lucidissimos solis radios longè antecellentibus, insignitus progreditur. Currus seu Rhedæ, quibus modò nobiles, principes, Reges vehuntur, vulgo *carossæ* vocitantur, *d* à Florentinorum, ut historici asserunt, curru, ducto vocabulo, forte & invento: hos enim in aciem prodeuntes, olim currus rubeus, albam crucem præferens solebat præcedere, qui CAR-ROZZO, seu currus rubeus, seu purpureus dicebatur. Facessant humana hæc, militaris pompæ ornamenta, unus omnium nostrûm oculos, animosque in se convertit, gloriosissimi corporis Christi in cœlos conscendentis currus, verè triumphalis,quod purpurâ sanguinis sui condecoratum, & 5. splendidissimis vulnerum suorum fulgoribus, cœlum ipsum, velut novis stellis illustravit. Unde Ecclesia in officio Apostolorum paschali:

In carne Christi vulnera,
Micare, tanquam SIDERA
Mirantur.

a Luc. 22. b S.Cypr. ser. in Ascens. Do. c S. Greg. hom. 29. d Corro Mediolan. hist. Doutermas s Am[illegible] mercatus pag. 440

§. I.

Cicatrices servavit, ut in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum.

S. Thomas doctor Angelicus, causas expendens, ut quid Christus Rex gloriæ, in lucidissimo suo corpore cicatrices 5. vulnerum reservârit, hanc primam assignat, *e* dicens ac docens: *Conveniens fuit animam Christi in Resurrectione, corpus cum cicatricibus resumere: Primo quidem propter gloriam ipsius Christi: dicit enim Beda super Lucam:* CICATRICES *servavit, ut in* PERPETUUM VICTORIÆ SUÆ CIRCUMFERAT TRIUMPHUM.

Si magna olim L. Sisinii Dentati fuerit gloria, centies & vicies in aciem eo animi & corporis robore descendisse, ut quinque & quadraginta vulnera pectore adverso exceperit, in quo socios habuisse M. Cæsium.

e S. Thomas 3. p. q. 54. a. 4. S. Thom. cit.

ſium Scevam, & Manlium Capitolinum ajunt; quorum ille humero ac femore ſaucius, atque oculo eruto cæcus, ſcutum centum & viginti ictibus perfoſſum retulit; hic verò tribus & triginta cicatricibus adverſo pectore inſignis apparuit, ut poſteri tantorum patrum inſignibus gloriari, eorumque intuitu ad paria facinora debuerint incendi. Invictiſſimus Imperator noſter, non clypeo; ſed ſacratiſſimo ſuo corpore, ſupra quinque millia vulnerum excepit, è quibus illuſtriora quinque, velut trophæa virtutis reſervavit: ſic enim S. Bernardus: *a* TROPHÆA *victoriæ oſtentare geſtiunt victores, & in ſignum virtutis clypeorum* FORAMINA *monſtrare.* Obſervat V. Beda generoſiſſimos militiæ duces, vulnera in prælio accepta, non ita curari velle, ut cicatrices non remaneant: ſed malle, ut hæc in corpore, militaris gloriæ monumenta perſiſtant. Ita inquit, *b Dominus noſter ob ſignum perpetis victoriæ, vulnerum* CICATRICES, *cælo inferre maluit, quàm abolere.* Hæc porrò laus, non ex majorum imaginibus, & claris factis, non è diſerta & copioſa cujuſvis laudatoris panegyrica petitur; ſed his omnibus efficacius ac potentius, per ipſa, quæ oſtentat, vulnerum veſtigia, comparatur. Hoc in duce noſtro *c* Rupertus ſuſpexit: *Plagarum*, inquit, CICATRICES, *idcirco in ſuo corpore retinuit & reſervavit, ut* VICTORIAS *ſuas, ſemper illis, quaſi linguis loquatur:* Tot enim ſunt ora, quot excepit vulnera. Hæc, quid egerit, quid perpetrârit, quid exantlârit, quæ & quanta, ut nos in libertatem filiorum Dei vindicaret, in ſuo corpore ſuſtinuerit, omni Tullianâ linguâ diſertiùs loquuntur, glorioſiùs conteſtantur; quò ſpectat illa magni Aquinatis *d* ſententia: CICATRICES *iſtæ in Chriſti corpore, permanſerunt ad majorem* CUMULUM GLORIÆ, *in quantum ſunt quædam* VIRTUTIS INSIGNIA. Generoſiſſimi duces, ac fortiſſimi heroës, illuſtria ſibi præclaris factis inſignia, aut gentilitias teſſeras pepererunt. Barcinonenſium, & Aragonenſium inſignia, quatuor rubris lineis, in ſcuto aureo notantur, quorum hæc fertur origo: *e* Godefridus cognomento Villoſus, Comes Barcinonenſis, pro Ludovico Pio adverſùs Saracenos fortiter ac feliciter decertârat; cùm etiamnum plagis, recenti ſanguine fluentibus, aureum Regi ſcutum obtulit, ut in eo inſignia exprimenda impetraret; Rex magnanimâ viri virtute perſpectâ, plagiſque non modicis, quas adverſo pectore acceperat, inſpectis, quatuor ſuos digitos, Comitis ſanguini, è vulneribus ſtillanti, intingens, eoſdem ſanguineos per aureum ſcutum producens, totidem in eo lineas depinxit, æternum virtutis ejus monumentum ad poſteros ablegans, qui in puniceis hiſce lineis, Godefridi Comitis virtutem ſuſpiciunt, circumferunt, venerantur, in iiſque maximè gloriantur. Cùm alia longè

a S. Bernard. ſerm. 3. de reſurrect. *b* Beda in c. 24. Lucæ. *c* Rupert. l. 12. de vict. verbi c.28.

d S. Thom. 3. p. q. 54. a. 4. ad primum *e* Lyræus de Chriſto crucifixo p. 362.

longè Imperatori nostro, nobisque omnibus pro purpureis lineamentis, quæ non regis digiti, sed carnificum ulmi, ac lora expresserunt, venerationis causa oblata sit. Ut infra videbimus §. 3. De illo quidem Augustinus *a* pronuntiavit: *Fuerunt* VESTIGIA VULNERUM *in corpore, tanquam tituli* GLORIARUM. Erunt & in nobis atque ea omnia membra, in quibus graviores perpessi sumus cruciatus, gratiùs, multoque illustrius corruscabunt: quo super argumento, Doctorum Principem *b* audiamus: *In illis locis* VULNERUM, *quidam* SPECIALIS DECOR *apparebit*, qui omnem siderum splendorem, ac stellarum fulgorem, infinito antecellit intervallo. S. Vincentius *c* igneus ille Ecclesiastes, sic aliquando de iis ad populum disseruit: *Remansisse signa* PLAGARUM *resplendentia, ad instar* STELLARUM *& vulnus lateris instar* LUNÆ. Unde influentiæ cœlestes, in mortalium animos, copiosè deriventur: ipsis quippe stellis, & lunâ, & sole, lucidiores radios è sacris Salvatoris vulneribus, aliquando Francisca Romana vidit abistere, ut auctor vitæ commemorat: videbat sacra Domini vulnera, radios suos ejaculari solis instar, in Augustissimam SS. Trinitatem, in virginem Deiparam Angelos ac Sanctos omnes: fulgore novo cælum omne corruscabat; observans deinde, qua ratione lux hæc ad homines se diffunderet, videbat alios uno tantùm vulnere, quosdam duobus, nonnullos tribus, paucos, quatuor, pauciores quinque, pro meritis suis omnes illustrari; ut singulis constet; unde vitæ æternæ lumen illis oboriatur. Lubet hic paulum immorari, & ardenti affectu percunctari: *d quæ sunt* PLAGÆ *istæ, in medio manuum tuarum?* quales hæ corporis gloriosi manus? respondet sponsa, quæ eas in spiritu attentè contemplata fuerat: *manus ejus tornatiles* (velut ex ebore) plenæ hyacinthis, omnium meritorum pyropis, ac unionibus oppletæ: quos per ipsas apertas plagas, in nos copiosissimè elargitur.

Hinc non minus ingeniosè quàm religiosè Vir Asceticus, Christi manus etiamnum perforatas attendens, munificentiam ejus extollit, quòd nihil illis beneficii contineri posse asseveraret, sed omnia largissimè in nos defluerent. Cujusmodi elogium eximius Doctor, ac Decanus Parisiensis, Thomas Bricotus, de Francisco Galliarum Rege tulit, atque in ejus solenni inauguratione, profusam ejus liberalitatem, ac munificentiam collaudans, dixit eum instar S. Francisci (cujus nomen sortitus fuerat, Christumque imitabatur) stigmata, seu plagas in manibus gerere, quòd manibus velut terebratis, nihil continere posset. Quàm pauci hujus exemplo, manus perforatas habent, & quibus Deus per suas perforatas manus, tantam gratiarum copiam, tantos etiam divitiarum cumulos, in manus dimittit, inde vix obolum in pauperem, qui Dei personam refert, redundare; at summa ingratitudine, omnia nobis bis

a S. Aug. epist. 49. *b* S. Thom. cit. ad 1. *c* Vincent. Dom. in albis serm. 4.

d Zach. 13.

bis à Deo collata beneficia, per manus diffluere, summâ oblivione permittimus. De Alphonso Castellæ Rege, cui à perforata manu inditum nomen, scribit Mariana noster de rebus Hisp. lib. 9. cap. 8. à liberalitate cognomen illud traxisse: qui enim perfectè munificus est, divitias non magis, quam aquam compressâ manu continere, quin diffluant potest. Benignissimus Redemptor noster in vos prolixâ semper, ac porrectâ, non contractâ manu est, vult sibi in suis, ut vos tales præbeatis. Quod Mediolanensis Antistes *a* potenti suâ suadâ commendat, serm. 8. de manu arida sanata: *Sed & tu, qui putas te manum habere sanam; cave, ne avaritia contrahatur: quin potius extende eam pro misericordia frequenter ad pauperem. Observa, quod ait Propheta: Ne sit* MANUS *tua ad accipiendum* PORRECTA, *ad erogandum* CONTRACTA. Redemptor noster insuper scissum pectus retinuit, ut inde fluant fontes cœlestium benedictionum, ac gratiarum: unde illud Psaltis Regii: *c Conscidisti saccum meum*, de sanctissimo Christi corpore, Augustinus *d* exponit: *Ecce Christus passus est, ecce mercator ostendit mercedem: ecce pretium quod dedit, sanguis ejus fusus: in sacco ferebat pretium nostrum: percussus est lanceâ, fossus est saccus, & manavit pretium orbis terrarum.* Vos auditores, nolite scindere corpora, aut vestimenta vestra, sed corda per commiserationem rumpantur, crumenam, bursam, sacculos vestros aur[i] & argenti conscindite, è qui[bus] eleëmosynæ in sinum pau[perum] largissimè fluant. Alte[r]um est nudum & apertum Christi latus, nobis exhibitum ut ardentem ejus erga nos amorem, in corde suo legere posse[mus]: atque hinc filii hominum discerent, non blandis verbis, aureis promissis, fictis amicitiis amorem simulare; sed sin[]cero & aperto corde testari: quod si nudum, aut quod Mo[]mus requirebat, per fenestellam rimari liceret, quàm raro verè amantes, quot simultates, quot fraudes, quot technæ, re[]cessus, latebræ repertirentur! u[t] aptissimè Gregorius lib. 18 mor. cap. 25. exponens ill[a] verba Job 28. *Abyssus dicit non est in me, aut: Quid hoc loc[o] abyssum, nisi corda hominum vocat? quæ & per lapsum fluida, & per duplicitatis sunt caliginem tenebrosa.* Non possum, quin pe[r] nudum dilectissimi Jesu pe[]ctus, per apertum illud co[r] Salvatoris nostri, vos puellas vos matronas obtester, ut quæ cor Deo clausum habetis, apertum pectus & nuda ubera, vel ut duos tartareæ fornacis fol[]les ad ignem, libidinis con[]flandum, lascivè circumferti[s] quibus quasi meretricio quæ[]stu (*al te openhertigh*) tot ingenuis oculis ruborem, & to[t] perversis animis ardorem æ[]ternum suppeditatis, inject[o] sipario obtegere velitis. Exsc[]ruit se, & exarsit hoc corru[]ptissimo sæculo *d* zelus S[S.] Domini nostri Alexandri VII qui, ut hoc incendium r[e]sti[n]...

a Amb. Serm. 8. de manu arida sanata.
b Psalm 29.
c Aug. in Psalm 29.

d Literæ Laureto datæ anno 1656. 30. Sept.

stingueret, omnia flumina disertissimorum oratorum laxari voluit, atque illud pro auctoritate sua, quâ major non est super terris, præcepit, ut levem & lascivum incedendi modum reforment, ad exemplar Domicellarum Perusinarum, quæ id in manus Episcopi voverunt, & observant. Quod votum, ut in Belgio, aliisque Provinciis serveтur, mille votis vovendum. Hoc tamen se, aut uxorem suam, voto Reverendissimi nolle obstringere, Nobilis quidam palam affirmârat; dum actutum, uterque conjux ad mortem lecto dejicitur, & infirmatur: qui ut manifestam Dei manum sensêre, ambo vovent se velle, quàm istic vocitabant reformationem amplecti, & subitò sanati sunt. Sed hæc aliquando copiosiùs.

Ut sanctæ quorundam curiositati faciat satis, summus Theologiæ Magister Suarez, *a* disputat, an præter 5. vulnera, etiam alia inflicta, vestigium seu cicatricem servatura sint? quæ haud dubiè suum singularem fulgorem habitura; nemo ambigat, cùm, ut videbimus, is honor Martyrum membris tribuendus sit.

Inducit ipse *b* Hippolytum Martyrem affirmantem, non solùm quinque vulnera, sed & caput Christi spinis redimitum tot radiis conspicuum, quod puncturis saucium fuit.

Facit huc, *c* quod de Domitiano Romanorum Imperatore historici tradidêre; eum adeò sagittandi peritum fuisse, ut eminus emissis sagittis, caput cervi coronaret. Ita Deus sagittis morborum, dolorum, interiorum punctionum, non cervum, sed servum suum coronat. Ita verticem Catharinæ Senensis tot radiis fecit corruscare, quot spinis antè cruentârat. Denique subjungit *d* Doctor Angelicus: *Membra in quibus Martyres passi* (ad imitationem capitis) *peculiari fulgore in cœlo decoranda.* Id in superna illa Jerusalem, in cælesti illa civitate Dei, attentiori mentis oculo contemplatus S. Augustinus *e* ait: *Nescio, quomodo sic afficimur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus, videre vulnerum* CICATRICES, *quæ pro Christi nomine pertulerunt: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quadam, quamvis in corpore, non corporis, sed* VIRTUTIS PULCHRITUDO *fulgebit.*

Festivum illud acroama, Catoni olim gentiles *f* acclamârint: *De fortissimis ejus vulneribus, plus gloriæ fluxisse, quàm sanguinis*; hoc potiori jure, de iis deprædicâro, qui pro Deo, pro fide, per exquisita supplicia, suum sanguinem fudêre. Quod argumentum disertè pertractat *g* Bellarminus Cardinalis: „Illud, inquit, accedet ad gau„dium oculorum, quod S. Au„gustinus *h* docet: Martyres „beatissimos in ea corporis par„te, in qua supplicia pertule„runt, signa virtutis pulcherri„ma, & venustissima prælatu„ros. Quid igitur erit videre S.

„Ste-

a Suarez 3. p. q. 54. disp. 47. Sect. 2. b Hippolyt. orat. de consummat. mundi. c Lauredan. tit. tribulat.

d S. Thom. 3. p. q. 54. a. 4 ad 1. e August. l. 22. de civitate Dei c. 20. f Val. Max. l. 3. c. 2. g Bellarm. de æterna felicit. l. 4. a. 5. h August. cit.

„Stephanum tot gemmis pretio„sis insignem, quot lapidum „ictus in corpore suo pertulit? „quid Joannem Baptistã,& Ja„cobum majorem, ac Paulum, „Apostolos, & alios prope in„finitos, quibus collum pro „Christo præcisum fuit, videre „torque nobilissimo (supra o„mnes Manlios Torquatos) o„mnique auro pretiosiore, in„credibili decore fulgere? quid „sanctum Bartholomæum, cui „pellis à toto corpore ita illu„stratum, ut omnem purpu„ram quantumvis pretiosam, „superare videatur? quid erit, „ut cetera prætermittam, vi„dere Petrum, & Andream, „& alios plurimos, qui crucis „supplicium pertulerunt, quasi „stellas lucidissimas in mani„bus, & pedibus, cum infini„to decore gestare? nam de „Christo Rege Martyrum, qui „ad gloriam suam, & solatium „nostrum, signa clavorum, & „lanceæ conservare voluit, „nulla lingua promere potest, quantâ luce signa illa sacrosancta micabunt. Dicta confirmat S. Leo ferm. de S. Laurent. *In honorem transiérunt triumphi, instrumenta supplicii.* Craticula Laurentii, serra Simonis, gladius Pauli, dentes Apolloniæ, gemmis & auro inseruntur. Brasili gens, ferox & barbara, cutem solis ardoribus adustam, cultris conscindunt, ut quosdam hîc vinctos conspexi, ac plagis hiantibus, uniones pretiosasque gemmas inserere consueverunt, atque ii nobiliores & illustriores inter eos censentur, qui pluribus plagis maximè concisi, in publicum splendidè progrediuntur; quemadmodum nostras inter nationes moris est vestes eleganter conscindere, apparente per crebras incisuras serico, vel auro. Ast hiantia & spirantia heroum Christianorum vulnera, à barbaris tyrannis inflicta, longe ditiùs, ac splendidiùs refulgebunt.

Gravissimum Theologorum Dominicum Soto *a* audite: *Extabunt in eorundem* (Martyrum) *membrorum articulis, gladii cicatrices, effulgentes super omne aurum, & lapidem pretiosum, velut cicatrices vulnerum Christi.*

Job ulceribus plenus, intuitus quas toto corpore plagas sanie & tabo fluentes gestabat, spe plenus exclamat: *Rursus circumdabor pelle meâ.* In quæ verba doctissimus *b* Pineda: quod si vera illa sent. Aug. l. 22. de civit. c. 20. & D. Thomæ 3. p. q. 54. cap. 4. Quantus „erit totius corporis beati Iob „splendor? pulchritudo quan„ta? si pro scabie ista fœdissi„ma, quâ totum corpus re„spersum fuit, à planta pedis „usque ad verticem capitis, & „pro immundis ulceribus, & „acutissimis omnium membro„rum cruciatibus, illius cor„pus postea illuminatum, qui„busdam quasi guttis lucis, & stellis vermiculatum erit, omni vellere aureo nimium quantum præstantiùs ac pretiosius.

Quod & nos omnes, quâvis infirmitate corporis affectos animare debet, iis membris plus gloriæ, ac splendoris conferendum, in quibus hîc acerbiores morborum dolores, ac cruciatus perpessi sumus; simili-

litu-

a Soto in 4. dist. 44. a. 3. b Pineda in Iob. c. 19. v. 26.

[s]itudinem adducit Chrysostomus *a* à gloriosis militum vulneribus hom. 62. ad popul. *Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis: & quomodo gaudere licet, ubi sunt vincula, ubi tormenta? mihi vulnera Miles excepit, nonne cum magna revertitur lætitia, libertatis habens claritatem, & gloriæ materiam vulnera?* Crommerus de rebus Polonorum lib. 5. refert in prælio contra Moravos; Zedillaum, dum Ducis pariter ac Militis officio fungitur, dexteram amisisse, quem Boleslaus Princeps, sic mutilum collaudavit, proque ejus meritis ac virtute, *aureâ manu donavit.* Ita manus, pedes, dentes, oculi, caput, quæ hic inusitatis malevolorum tormentis, aut acutis morborum doloribus cruciantur, non aurea, non eburnea, non gemmea vobis membra, sed eadem integra, vegeta, vivida, fulgore super omne aurum obryzum rutilantia restituentur. Quæ certa fide prælibans, Constantinus Magnus Imperator, in Niceno Concilio effossos Episcoporum oculos, piè exosculabatur, vel Religionis ergo, vel etiam observantiæ. Pro certo persuasus, ait *b* Theodoretus, *osculo benedictionem se inde hausturum:* si in Martyribus vacuis oculorum orbibus sedes, adeò suspexit, amavit, coluit Augustus, quanta in vulnera Christi, & residuas ex his cicatrices fuisset pietate, religione quanta?

a Chrysost. hom. 62. ad pop. b Theodoret. l. 1. c. 11.

§. II.

Retinuit cicatrices vulnerum, UT PATRI PRO NOBIS SUPPLICANS, QUALE GENUS MORTIS, PRO HOMINE *pertulerit*, SEMPER OSTENDAT. S. Thom. 3. p. q. 54. a. 4.

MArcus Antonius, Orator Romanus, *c* causam Aquilei, qui de capite periclitabatur, apud Senatum perorans, arrepto illius Sago multis confosso telis, sanguine consperso, ac testante vulnera, quæ pro patria acceperat, magis ad clementiam hoc spectaculo judices, quam sua eloquentia commovit.

Salvator noster, inquit Apostolus, cælum ingressus est, *d ut appareat vultui Dei pro nobis utque reservata in corpore plaga, ut ait e* Cyprianus, *salutis humanæ à patre exigant pretium & obedientiæ donativum.* Apud Iulium Cæsarem proditionis olim Miles insimulatus, capitis sententia condemnatus est, quod ubi rescivit ille, accurrit ilico, & aperto pectore, objecit adversas cicatrices vulnerum, quæ illius ergo quondam exceperat: nec alio teste Cæsari opus fuit; illis quippe fidem fecit, illis persuasit, illis evicit, & fidum pectus probavit; sed nemo efficacius, quàm Redemptor noster; obtestatur & ille, ut

c Cic. orat. in Verrem. d Heb. 9. e Cyprian. serm. 3. de Bapt.

ut fidem tuam, & amorem tuum probes. Quibus pro eo exceptis plagis, vulneribus, verberibus, imò ut leniùs dicam, verbis asperis, fidelitatis tuæ notas valeas ostentare. Ad hoc ut nobis stimulos subdat, potentissimè pro nobis cicatrices patri exhibendo, perorat.

Quam potenter SS. Martyres nobis patrocinentur, aureâ suâ fandi copiâ declarat *a* Chrysostomus, cùm ait: *Eos abscissa capita manibus gestantes, & in medium afferentes, Deo exhibere, & quæcunque postulant, nobis impetrare.* Si hoc servi possunt, quid non apud patrem filius poterit, dum suum pro nobis transfixum latus, ac cor, pedes & manus perfossas exhibebit, non quidvis impetrare sed imperare poterit? *Habemus,* inquit *b* Apost. *novi Testamenti Mediatorem, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel*, meliùs loquentem, quàm Martyres; hi etenim cum Abele clamant: *c Vindica sanguinem nostrum, qui effusus est.* At sanguis Jesu per vulnera, quasi per tot ora, misericordiam implorat & exorat: ideo, inquit Anselmus, *d* sanguis Domini loquitur melius, quam Abel (de quo dictum fuerat, *quia vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*) *quia sanguis Abel mortem parricidæ fratris petiit, sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetravit: sanguis Abel expetit vindictam, sanguis Christi misericordiam: ille uni nocuit, iste multis profuit*, quâ occasione S. Thomas 3. p. q. 57. a. 6. quærit, an Dominus Jesus (qui juxta *e* Apostolum *semper vivens ad interpellandum pro nobis*) in cælis super salute nostra, cum patre æterno loquatur? & respondet nullam hîc intercedere locutionem; sed ipsam repræsentationem, & per tot ora quot vulnera, ex humana natura, quam cælo intulit, quandam esse interpellationem pro nobis.

Lusitaniæ Rex Joannes, ex objecta sibi cælitus parmulâ, quinque sacratissimis Christi stigmatibus insigni, omnem suum amorem in hæc transtulit, etiam edito solenni voto, *f* ut quidquid interpositis hisce Salvatoris vulneribus rogaretur, nil se unquam negaturum. Die Veneris sancto ad templum eunti, ut crucifixi plagas de more veneraretur, occurrit mulier, quæ per Christi mortem ac vulnera, marito capitis damnato veniam, vitamque orabat: Majora, inquit Rex, vellem, intercessoribus ac mediatoribus illis à me postulasses: Vitam dono marito, pro amore ejus, qui die hoc, æternam vitam, suo nobis sanguine, vulneribus, ac morte donavit. Et Deus, cujus paternus affectus in filii sui dilecti vulneribus spirat, non misereatur nostri, quando his veluti totidem patronis, apud ipsum utimur, si hæc ad interpellandum ora, omni verò amore & veneratione nobis propitia reddiderimus.

Chrysologus *g* Ravennas Antistes de Lazaro mendico, ejusque ulceribus agens hæc ait: *Atque ita ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus*

a Chrys. de SS. Iuvent. & Maxim. b Heb. 12. c Apoc. 6. d Anselm in epist. ad Heb. c. 12. e Heb. 7.

f Vasconell. de Reg. Lusitan. anaceph. 16. g Chrysol. serm. 121.

ribus aperuit, *ut in admonendo vite*, TOT *essent pauperis* ORA, *ot vulnera*. Similem in moum, totum sibi corpus apere voluit Christus, ut in exorando pro nobis apud patrem, *essent oræ, quot vulnera*; unde eccatores, quantumvis scelestos, & flagitiis quantumvis normibus reos, causæ suæ diffidentes, sic animat, & excit Augustinus, qui expendens la verba a Joannis: *Advocatum habemus apud Patrem, Iesum hristum justum*, sic ait: *b Ibi habes advocatum, noli timere, ut erdas causam confessionis tuæ: si nim in hac vita commisit se homo iserta lingua & non timet, comittis te verbo & periturus es? clapa advocatum, habemus apud patrem, qui* TOT ORA HABET, QUOT VULNERA, *quibus causa nostra patrocinetur*. Causæ suæ quantumvis iniquæ, quantumvis gravi, etiam capitali non iffidebat, qui Demosthenem, ui Periclem, qui M. Tullium isertissimos oratorum, patroos nancisci poterat: Hi etenim loriari solebant, se causam malam perorando bonam reddere, psumq; Judicem, in quam vellent partem flectere, facilè valere. Quod in Q. Ligario patuit, n quem, ut Julius Cæsar sententiam tulerit, Cicero peroravit, & absolvit. Et quemquam estrûm reperire est, qui causæ nimæ suæ, quantumvis iniquæ diffidat, ubi patronum ertò sibi obtigisse novit, qui causam pessimam optimam reddere, supremum illum Judicem, in quam voluerit partem lectere, atque omni Demosthene, & Tullio eloquentior, ac potentior per hæc vulnera perorare consuevit?

Causam alii feliciter obtinuerunt, qui libellum supplicem, optimo ut ajunt atramento, stilo terso, rationibus urgentibus exaratum, Principi obtulêre; At quàm efficaciter causa nostra instituatur, attendite.

Tria sunt animalcula infirma & exigua, quæ post mortem suam toti mundo imperare dicuntur; ea sunt: *Ovis, anser, & apis*; etenim in ovis membrana, anseris penna, Regum diplomata scribi solent, & cera, quam apis efformavit, obsignari. In candida illa *Agni immaculati*, membrana, peccata nostra, non atramento, non penna, sed sanguine & stilis ulmeis exarata sunt, & misericordiæ cera consignata, in hac libellus noster supplex conscriptus, patri æterno exhibetur: eum, inquit c Laurentius Justinianus, *sanguine proprio, in sua carne conscripsit*. Ecquis hujusmodi causæ suæ patronum reperiat, qui in sua carne libellum supplicem, & causæ argumenta descripta gerat? Eleganter hic d Petrus Blesensis: *Cum ille Angelus transfuga, & emansor te in detestabilem peteret ancillatum: Christus contra te litem propositam, suam fecit; postque diversas productiones testium, legis, oraculorum, prophetarum, signorum, tandem proprium sanguinem allegavit. Obtinuit allegatio illa, suæ sententiam libertatis*, SCRIPTÆ SUNT LITERÆ IN MEMBRANA CORPORIS CRUCIFIXI, & *confirmata osculo misericordiæ*.

a Ioan. epist. c. 2. b Augustin. in Ioan. tr. ic.

c Laur. Iustin. de triumph. agone. d Petrus Blesensis de charitate Dei c. 19.

cordiæ. Hanc literaturam optimè norat *a* Augustinus; dum exclamat: *In manibus tuis descripsisti me, sacratissimorum vulnerum tuorum charactere, charactere scilicet suavitatis, & non amaritudinis: charactere misericordiæ, & non justitiæ; lege, Domine Iesu, hanc scripturam, & salva me.* Hæc qui volet, per pios & ardentes divini amoris affectus per diem sæpius usurpandos, suis inculcet. Prolixior ne sim, hanc postremam Divi Thomæ rationem adduco, cur vulnera in glorioso corpore reservarit? *b Vt suâ morte redemptis, quàm misericorditer sint adjuti, insinuet; & ut in judicio, quàm justè damnetur, denuntiet* Unde in beatos, è vulneribus suis gratiarum, ac misericordiæ flumina derivabit, in damnatos pænarum, ac severissima justitiæ fulmina evibrabit. Videbunt eundem justi ad solatium, injusti ad cruciatum. Ita *c* Ludovicus Blosius, *Christus Dominus*, inquit, *in judicio ostendet vulnera sua, ineffabili decore fulgentia, quæ justis quidem dulcissimam consolationem, impiis vero horribilem confusionem adferent.* Tunc enim verè *d videbunt, in quem* suis linguæ telis, & omnium scelerum stilis, ac sagittis *d transfixerint.* Tunc ut gravissimi Ecclesiæ Doctores testantur: *e Inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos veritas dicat: ecce hominem, quem crucifixistis, videtis vulnera, quæ inflixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis: quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Quod tragicus, & à sæculo inauditus eventus comprobavit.

Lego in actis pro canonizatione *f* B. P. Francisci Borgiæ, Tertii Generalis Societatis Iesu promovenda, conscriptis, virum in Hispania, quam sanguine nobilem, tam vitiis ac flagitiis infamem, gravi ægritudine correptum, ac de vita periclitantem, tanta obstinatione in sceleribus suis perstitisse, ut rectà omnes monentes rejiceret, nolletque de anima per confessionem expianda quemquam audire. Venit tum fortè eam in urbem Borgia, qui cognito miseri periculo, pro zelo suo, illum juvare cupidus, ante Christum crucifixum in genua procidit, eum ardenter obsecrans, & obtestans, ut qui orbi universo, sanguine suo salutifuisset, infelici ac pertinaci illi animæ non deesset. Francisco hæc precato ex cruce Salvator: Adi, inquit, confestim ægrum, eumque hortare, ut se expiet, & ego mox illi, ut Medicus & infirmorum curator adero. Abit Franciscus spei bonæ plenus, & tanto adjutore gaudens, ad ægri domum se confert, quo Salvator jam antecesserat, Medici, ac prope famuli specie, illi solatia atque obsequia deferens. Excipitur ab infirmo non inurbanè Borgia; verùm ubi de confessione cœpit agere, ad eam instituendam adduci non potuit. Recedit interim Dominus, relicto ad ulteriores conatus apud ægrum Francisco, qui & ipse cùm operam

a August. soliloq. c. 2. b S. Thom. cit. c Bl. sius instruc. vitæ spirit. medit. de jud. d Ioan. 19. e S. Thom. cit. ex August. l. 2. de symb. c. 8.

f Euseb. Nierenbergius in vita B. Borgiæ.

ram perderet, etiam recessit, & denuò coram Christo crucifixo in genua provolutus, per sacra illi is vulnera obtestatur, ut misero adsit. Cui Dominus: Conveni iterum pertinacem illum, Francisce, meque tecum defer, si fortè me conspecto, cruci pro se fixo convertatur & vivat. Redit Borgia, & submotis arbitris, ut liberior esset æger, verbis ad pietatem omnem compositis, submissis in terram genibus, Christum cruci affixum illi repræsentat: per passionem, dolores, sacra Domini Jesu vulnera orans, obsecransque, ut animæ suæ misereatur, æternitatem consideret; nolle Deum mortem peccatoris, sceleribus omnibus, misericordiam ejus majorem esse; ad omnia miser obsurdescit. Addit & vocem suam Dominus Jesus; & vocem sanguinis, quem ex vulneribus omnibus copiosè effundebat: per hunc iterum, iterumque obtestatur Franciscus, sed nihil proficit. Tum verò Salvator revulsâ à cruce manu sacrosanctum suum cruorem in faciem projicit obstinati peccatoris, qui quot guttas numerat, tot veluti linguis in magno judicii die, coram orbe universo, neglectam & contemptam benignissimi Dei, ac Salvatoris sui misericordiam illi exprobrabit, suntque miseo, ut cum Ruperto *a* loquar, *Veneranda Domini vulnera, æterna futura incendia* Nec minus terribile est illud S. Bonaventuræ: *Apparebit*, inquit. *b Dominus Iesus cum vulneribus suis, & clamabit dicens: Videte, quanta à vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum, & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis, Ite maledicti in ignem æternum.* Certum itaque est, in extremo judicio, impios, ut Propheta *c* ait, *aspecturos in eum, quem confixerunt.* iisque teste Ruperto: *Veneranda Domini vulnera, æterna futura incendia* Quæ ut restinguamus lachrimarum imbre, & sacro ejus sanguine, per sacramentorum canales nobis profluente occurramus, sceleris nostri atrocitatem detestemur, nosque Christicidas, ac Deicidas, supra omnes Regum ac Imperatorum sicarios, gravioribus longè cruciatibus dignissimos fateamur (ut fusè *d* aliquando diximus) atque ea, omni, quâ possumus, pietate, religione, amore venerando vulnera, *e nostra causa fiant patrocinio, nostrique amoris æterna incitamenta.*

a Rupert. l. 4. in Ioan. b Bonav. p. 1 Stimul. c. 3.

§. III.

Praxes piè adorandi, & venerandi quinque S S. Christi vulnera.

SI Cæsium Scævam miræ fortitudinis virum, teste Petrarchâ, mille lacerum perfossumque vulneribus, hostes quoque venerati sint, & propter bellicæ virtutis admirationem, vulnera ipsa deosculantes, sagittas tepenti cadavere eductas, ceu sacrum aliquod anathema, Deorum templis affixerint: quid nobis de Christi Servatoris vulneribus sentiendum

c Zach. 12. d Luc. Euang. p. 2. Dom. quinqu. e Rupert. l. 4. in Ioan.

dum? quâ reverentiâ deosculanda? quo pietatis affectu veneranda? de quibus non minùs gloriæ nobis, salutisque fluxisse, quàm sanguinis certum est.

Insignes hâc pietate viros ac fœminas reperio, qui sanctissimas has Christi plagas, sin minus ex æquo, pro officio tamen diversis modis conati sunt venerari.

a 1. *Sacra vulnera in Christo patiente adoranda quotidie.*

Fecit id V. *Hermannus* ex Ordine Prædicatorum, diebus singulis hunc versum usurpando: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Post singulas autem vices, terram osculando; quibus officiis id assecutus est, ut Dominus visibili forma se sisteret, simulque ad sacrorum vulnerum suorum oscula invitaret, quod & maximo sui solatio, nec minore fructu complevit: è singulis namque tam manuum, quàm pedum, ac lateris vulneribus, non paucas pretiosi sanguinis guttas sibi sentit instillari, quo mero inebriatus, fastidiens omnia, solum Jesum, & hunc crucifixum cœpit spirare. Quisquis hoc nectar sitit, & Ambrosiam, ad hos fontes Salvatoris in dies sitibundus accurrat, & quidquid de i iarum sæculi est, cum Virgine Senensi, Lutgardi, aliisque, ilico nauseabit.

2. *Pressimis osculis sæpius per diem, in cubiculo sacrosancta plagas, saltem intrando, aut exeundo, venerari.*

Fecisse id olim B. Margaretam Hungaricam, vitæ Author testatur, dum post prolixam coram crucifixi imagine precationem, nunquam ad prandium conferre se consuevisse scribit, antequam singulis, tenerrimo amoris sensu, osculum dedisset. Hanc si non superàrit, piè æmulata est, *Maria de incarnatione*, ex Ordine Carmelitano, quam cubiculum suum nunquam ingredi solitam, asserit Doctor Duvallius, nisi Domini sui sanctissima vulnera, summâ veneratione exoscularetur.

Excelluisse hoc sensu pietatis B. Agnetem Politianam, refert Michaël. Pius: quam sæpius ad crucifixi pedes, qui in odio visebatur, ab Angelo deferri solitam narrat; ubi eos exoscula ta, ad Salvatoris latus se eri gebat, tantâ cordis sui dulce dine, & gaudio: ut vultum cùm ab Angelo reduceretur tegere cogeretur; sed quid vi ventes interpello, etiam ha vita functas, ejusmodi pietas Religioque non reliquit. Bea trix, *b* ex Ordine S. Domini Monialis, à morte alteri visen dam se exhibens, ac multa d cælestibus cum ea conferens, recessu tandem eam rogavit, u pro se lateri crucifixi, lance confosso, amicum ac pium o sculum figeret; adeò hujus a moris indigetes tangit reveren tia.

3. *In honorem quinque vuln rum, quot diebus, quinque pa peribus, stipem elargiri, aut n dos tegere.*

Solenne id sibi habuisse leg tur Carolus Flandriæ Com S. Canuti Regis Daniæ si ius indies quinque pauperes, n vis vestibus induebat, id est a

a Praxi..

b In annalib. Ordin.

ris singulis, supra mille ac trecentos mundos operiendo.

4. *Nil negando, quod SS. Vulnerum amore rogaretur.*

Præstitit id, & luculenter quidem *a* Ioannes II. Lusitaniæ Rex cognomento Magnus, pro eo quo erat affectu in SS. Christi vulnera, qui animum obstinârat, nihil se negaturum unquam, quod à se in eorum honorem esset expetitum: stetitque voto fides. Cùm enim primarius quidam nobilis extrema rei familiaris inopia pressus, per Christi vulnera eum rogaret, suam ut egestatem levare vellet, statim is audita vulnerum mentione, qui & reo vitam, ut supra vidimus, elargitus est, suppellectilem argenteam universam ei donavit. Quid liberalissimus ille misericordiarum Pater, cælestium divitiarum & gratiarum, hoc vulnerum intuitu, nobis non elargietur?

5. *Per actus inter nos SS vulnerum charitatem remunerari.*

b Quam novam verè ratio in praxin cælestis sponsus Seraphicam suam sponsam Mechtildem edocuit; cùm enim hoc à Domino solicitè quæreret, quid agere denique posset, quo se pro vulneribus sponsi gratam ostenderet? apparuit ei Christus, dicens: *Pro vulneribus pedum, offeras mihi omnes tuos affectus & desideria; pro vulnere manuum, offeras omnes actiones tuas & passiones: pro vulnere lateris, perfectam conformitatem cum voluntate mea.*

6. *Quinque sensus, in hisce quinque plagis palpandis, contemplandis totos occupemus*, eosque mundi deliciis, & carnis illecebris mortuos, in hisce cælestium gratiarum cellis, suavissimè deliciari, & inebriari gaudeamus. Quo suo nos exemplo invitat B. Petrus Damiani: *Vulnera Redemptoris quinque sunt, quia nos eramus quinque sensuum vulneribus sauciati, & per has quinque plagas, saluti sumus perpetuæ restituti.*

7. *In omni tentatione, corporis animique afflictione, ad quinque vulnera*, velut ad urbes refugii, seu ut Columbæ, ad cavernam maceriæ, ne Stygius milvus dilaniet, nos recipiamus.

Alias, in hoc uberrimo divini pietatis argumento, praxes utilissimas, ingeniosus ac religiosus cujusque amor excogitabit. Illud interim semper infixum animo hæreat, ita colamus hæc sacratissima *c vulnera, ut sint nostræ causa patrocinia, nostrique amoris æterna incitamenta.*

a Vasconc. de Reg b. Lusit. anaceph. 10. b Lib. gratiæ spirit.

c Rupert. 14. in Ioan.

SOLENNITAS PENTECOSTES.

In omnem terram exivit sonus eorum.

Psalm 18.



Adventum testata Dei.

ARGUMENTUM.

IGnem & flammam & vaporem fumi conspicaris, fragorem & tonitrua, bellicis hisce machinis audis reboare; sed nihil hæc omnia horroris aut terroris habent; verùm festiva sunt, *adventum testata Dei*, lætitiæ signa: qui venit corda nostra non servili timore concutere, sed filiali amore suavissimè commovere; utdi-

ut diviniiſſimè Doctor Angelicus a expoſuit, agens de monte Sinai, in quo olim in commotione Dominus terribilis, nunc in eodem, in ſpiritu lenitatis totus amabilis apparuit: *In hoc*, inquit, *deſignatur differentia novi, & veteris Teſtamenti. quia vetus Teſtamentum fuit in* TERRORE, *ut corda Iudæorum, quæ prona erant ad idololatriam, terrerentur; novum autem datum eſt in* AMORE. Hoc cœleſtis amoris igne, corda diſcipulorum primò exarſerunt, qui aptè machinis bellicis comparantur: hæ etenim ex ſe frigidæ, mutæ, nil terroris, aut fragoris habent, niſi ignis accederit: quo concepto, Deus bone! quid non operantur? Haud aliter Apoſtoli, antea frigidi, & torpidi, toti exarſerunt: & *in omnem terram exivit ſonus eorum.* Clamemus & nos toti frigidi, & nigri ſuper carbones: b *ignem veni mittere in terram, & quid volumus*, niſi ut accendatur? ut carbones, qui hodie ſuccenſi ſunt ab eo, corda quoque noſtra, ac linguas, quæ in multis incenſæ ſunt à gehenna, inflammet.

a S. Thom. in epiſt. ad Heb. c.12. b Luc.12.

§. I. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Pſalm. 18. v. 5.

§. II. *Ignem veni mittere in terras, & quid volo, niſi ut accendatur?* Luc. 12.

§. III. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis.* Act. 2. v. 3.

FESTUM PENTECOSTES.

In omnem terram exivit ſonus eorum. Pſalm. 18. v. 5.

OLim Deus in vertice montis Sinai, filiis Iſraël, terrifico fragore adventum ſuum, inter fulgura, & tonitrua manifeſtavit: nec minùs formidando prodigio veterem legem populo ſuo denunciavit, Exodi 19. a *Manè incaluerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, & timuit populus, qui erat in caſtris; totus autem mons Sinai fumabat eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne.*

Ea quæ hîc in monte Sinai peracta ſunt, vult divus Hieronymus, umbram fuiſſe eorum, quæ hâc luce in monte Sion geſta ſunt: atque ipſam legis novæ, cum veteri promulgationem, inter ſeſe non incongruè componit: *Vtraque enim*, inquit, b *facta eſt quinquageſimo die à Paſchate: illa in Sina, hæc in Sion. Ibi terræ motu contremuit mons, hic domus Apoſtolorum: ibi inter flammas ignium, & micantia fulgura, turbo ventorum, & fragor tonitruorum perſonuit. hic cum ignearum viſione linguarum, ſonitus pariter de cœlo, tanquam ſpiritus vehementis advenit:* ibi

a Exod. 19.

b S. Hieron. ad Fabiolam.

ibi clangor buccinæ legis verba perstrepuit hic tuba Euangelica, Apostolorum ore intonuit. Verùm enim verò, si hæc, quæ in isto, & in altero monte contigêre, subtiliori indagine expendere velimus, quàm immane utraque inter se discrepent, facilè patebit.

Timor & tremor Israëlitas invasit, tamque horrenda tempestas in monte Sinai desævijt, ut non modò omnis populus contremisceret, sed & Moyses divinis portentis ceterum assuetus, ingenuè fateatur: *a exterritus sum, & tremebundus.* Causam subdit Cajetanus Cardinalis: *Quia signa erant terrere solita homines, & præ se ferebant Deum iratum.* At ubi in monte Sion congregatis discipulis, Deus noster non terribilis, nec iratus, sed placatus, & placidus, spiritus ille totus amabilis, præsentiam suam declaravit, legem gratiæ & amoris, non horrifico, & servili terrore, sed festivo sonitu, adventum suis optatissimum denuntians, amantissimè sancivit. Hoc angelico suo ingenio, & divino calamo expressit doctorum Doctor Aquinas: *In hoc,* inquit, *b designatur differentia Novi, & Veteris Testamenti, quia vetus Testamentum fuit in terrore, ut corda Iudæorum, quæ prona erant ad idololatriam, terrerentur; novum autem datum est in amore.* Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.*

Lex amoris data est, lex nova, eaque insculpta non duro marmori & saxo, sed cordibus & cereis hominum mentibus, seu melioribus tabulis concredita, ut doctè & disertè Orator aureus hom. 2. de pentecoste: *c Quæ lex, quam hodie è cœlo datam discis? spiritus gratia; quæ rationales tuæ tabulæ, in quibus hæc lex inscripta? anima & corpus.* Hæc lex amoris omnibus animæ potentiis, omnibus corporis membris, manibus, pedibus, labiis, auribus, oculis, & in medio cordis tui hodierna die exaretur. Hipponensis antistes, quem Hieronymus *d se amare, suspicere, colere, mirari affirmat.* Serm. 6. de verbis Apostol. *post 50. dies, datur lex in monte Sina, scripta digito Dei, & numerantur 50. dies, & venit Spiritus Sanctus, digitus Dei; sed videte ibi, quomodo, & hic, quomodo. Descendit Deus in Sina in igne, sed plebem longè stantem territans, & digito suo scribens, in lapide, non in corde. Hic autem, quando venit Spiritus Sanctus, congregati erant fideles in unum, nec in monte terruit, sed intravit in domum. De cœlo quidem factus est subito sonus, quasi ferretur flatus vehemens; sonuit, sed nullus expavit: Audistis sonum, videte & ignem: quia in monte utrumq; erat, & ignis & sonitus; sed illic etiam fumus, hic & ignis serenus. Numquid de longinquo territans? absit.* Olim Israëlitæ horribili ostento & fragore conterriti, metu velut amentes, ad Deum propius accedere reformidabant, *e ne fortè interficiat illos.* Quod Chrysologus *f* attendens: *Obsederat, inquit, pavor omnia, timor solverat universa, cuncta concusserat terror: in cœlo divinus splendor prostraverat Angelos, in terra tonitrua*

a Heb. 12. b S. Thom. in ep. ad Heb. c. 12.

c Chrys. hom. 2. de pentec. d S. [illegible] epist. 30. in oper. Aug. e [illegible] 19. f Chrysolog. Serm. 147.

nitrua & fulmina, corda mortaliũ quassabant, sic nimius pavor angelos fugavit, homines traxit ad idola, fecit omnes Creatorem fugere, colere creaturas. Hinc est quod mundus perire maluit, quam timere. Quod Deus noster, qui amor est, videns, *Mundum labefactari terrore, continuo agit, ut eum amore revocet, invitet gratiâ, charitate teneat, & constringat affectu:* Sæpius quidem Deus amore tentavit hominum mentes, ac flexit identidem emollitas; nunquam tamen id egit manifestiùs nec magnificentiùs, *quam cùm* (ut ex eodem Chrysologi fonte verba propinem) *humana corda flammâ divinæ charitatis accendit, & humanis sensibus, amoris Dei se tota fudit ebrietas.* Id autem hoc potissimum tempore contigit, quo Spiritus Sanctus *fons amoris*, ut eum appellat *a* Augustinus, sive *fons charitatis*, ut S. Leo. *b* discipulorum capita benignè insedit; ut dubitari non posset, ab illo corda nostra, animi scilicet arces occupatas, qui corporis arcem nemine reluctante invasisset alacriter; & nullâ prius tentatâ obsidione tenuisset. Quo in illapsu, *c factus est repente de cælo sonus*, ut Ecclesia canit:

Iam lucis horâ tertiâ,
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus,
Deum venire nuntiat.

Quem sonum audientes, non amentes, sed amantes, vehementi impetu ad Deum compulsi sunt; Hac super re Seraphicum Ecclesiastem audiamus, qui festo pentecostes disserens super illo: *tonitruum vehementis Spiritus vehementis,* sic *d* ait: *Venit transvehens mentes discipulorum, à terrenis ad cælestia: a bono commutabili, ad bonum incommutabile: a seipsis ad Deum; unde Spiritus vehemens: est Spiritus secum vehens mentem, quia discipulorum mentes, ab amore proprio eradicavit, & in spirituales, & divinos ardores erexit.* Tantumque abfuit, ut discipuli hoc sono perterriti è cænaculo diffugerint, ut universa prope Jerosolyma, velut signo adventus Dei dato, ad locum, ubi consederant Apostoli, provolarit. Quod Lucas testatur dicens: *e Convenit multitudo.* D. Antonius „*f* ait: audito per civitatem il„lo magno sonitu erga illud „cænaculum, subitò concurrit „maxima multitudo diversa„rum nationum, ad sciscitan„dum causam illius sonitus. A„postoli ergo visa multitudine, „cœperunt loqui variis linguis „magnalia Dei, & tonitrua ac „fulgura ejaculari, quæ sine „sonitu in cordibus, à Sancto „Spiritu hauserant, venerabi„li Beda *g* contestante: *Cùm in utraque datione, & legis videlicet, & gratiæ, foris audiretur sonus, hic tamen ampliori miraculo. Cùm auditur sonitus, efficit virtus doni cælestis, quæ intus sine sonitu discipulorum corda doceret.*

Quid mirum itaque, si hoc cælesti dono, atque ipso datore Deo pleni, omnes repente *filii tonitrui* effecti sint.

 §. I. IN

a S. Aug. [illegible] b S. Leo [illegible] c Act 2.

d S. Bernard. festo pen. c 5 e Act 2 f S. Anton. [illegible] §. 1. g Bed. hom. in vigil. Pentec.

§. I.

IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM. Pſalm 18.

MOre bellico receptum eſt, æneas machinas, quas majora tormenta vocitare conſueverunt, Regis, aut Principis nomine, ejuſque gentilitiis teſſeris inſignire; quandoque à belli Duce, qui eas fundi, & conflari curavit nuncupare: ita in caſtris noſtris minores quædam machinæ, uſitatiſſimæ ſunt, vulgo *Man-felders* dictæ, à Comite Mansfeldio; *a* Franci ſuis quibuſdam majoribus, vulgo *Canons*, hoc ſcitum indiderunt; *Ius Canònicum*; in pugna Arenbergii cum Ludovico Naſſavio, ſex tormenta Grœningana advecta, quibus nomen à primis muſicæ Elementis impoſita: *Vt, re, mi, fa, ſol.* Subinde à loco, à felici eventu, non rarò etiam divorum, velut tutelarium nominibus indigetantur, quemadmodum in prælio Nortlingano, duodecim maxima tormenta, *dobbel cartouvven*, nomine 12. Apoſtolorum inſignita fuêre. Aliæque conſimiles 12. majores machinæ, nomine 12. Apoſtolorum, olim à Suecis Monachio eductæ ac dein diſruptæ, ab Hollandis Mercatoribus emptæ, & Amſtelrodamum advectæ, in tormenta bellica denuò refuſæ, perversè nominibus 12. Conſulum Amſtelrodamenſium inſignitæ ſunt, ut ab oculatis teſtibus accepi. Unde nemo quiſquam mirabitur, ſi magis ſanè ac ſanctè in præfixo ſymbolo 12. Apoſtolos, 12. hiſce machinis aſſimilare placuerit, quæ hodiernâ die inaudito hactenus fragore, ſummi è cæli regia Imperatoris, in terras adventum, urbi atque orbi univerſo declarârint: iſtud enim uſitatum eſt, ubi Reges, Principes, aut Gubernatores, urbem ingrediuntur, feſtivo majorum tormentorum boatu, gratulari, eorumque gratiſſimum adventum, omnibus manifeſtè non civibus duntaxat, ſed & vicinis oppidis celerrimè manifeſtare. Cùm potentiſſimus Imperator *b* Carolus V. ex Hiſpaniis per Gallias in Belgium cogitaret, Franciſcus I. Rex Chriſtianiſſimus, quò de adventu Cæſaris in primas regni ſui oras, quàm citiſſimè cognoſceret, tormenta majora ab ultimis Franciæ finibus, ad urbem Pariſienſem juſtis intervallis, ita diſponi mandavit, ut ad primi ſonitum, alterum aliquot leucis illi proximum exploderetur, & ſic ſucceſſivè, omnia confeſtim reboarent. Quo facto ſummus ille Imperator, vix pedem Galliæ, intulerat, & jam notitia certò ad regis aures Pariſiis pervolârat, totoque regno adventus Cæſaris, inuſitatâ antehac præ omnibus tabellariis, pernicitate, feſtivo tormentorum ſono denuntiatus eſt. At quis fando explicet, quàm longè feſtivo ac feſtino ſono, ora Apoſtolorum, ſuper omnem machinam bellicam ſonora *c adventum teſtata Dei*, celeritate incre-

a Strada de bello Belg. an. 1568.

b Sandæi pædia commentatio 24. §. 5. p. 695. c Bonav. feſto Simonis & Iudæ.

credibili, *in omnem terram & in fines orbis terræ, corruscare, & tonare cœperunt?* Testis est immenso abscissa intervallo, extrema rerum India, ad quam hodierni beneficii sonus amabilis, & clangor festivus, adeò celeriter penetravit, ut sonorum affulgentis numinis illapsum, tam verè senserit, quàm olim falso matutini solis vicinos ortus, strepitumque Luciferi currus exaudire diceretur. Testis est, torridus Africæ tractus, quæ divinarum afflatu flammarum, geminatis caloribus salubriùs æstuavit. Testis est gelida Scythiæ regio, quæ averso sole, melius incaluit Deo. Testis est Ægyptus, quæ divino quodam fragore concussa, Deos suos, & delubra collapsa spectavit. Testis denique orbis universus, quem vehemens hic sonitus quantocius excivit. Quod, quemadmodum factum sit, illustri similitudine D. Augustinus declarat, dum effractâ velut nube quæ celerrimè fertur, ubique Apostolos velut turbine cælesti, per aëra vectos, ubique gentium tonitrua ac fulgura sparsisse affirmat: *Vnde fulgura*, inquit, *a ex nubibus: Misit Dominus Apostolos suos velut nubes; videbantur homines, & contemnebantur: quomodo videntur nubes, & contemnuntur, antequam de eis exiliat, quod mireris. Erant illi primum homines, carnem portantes infirmi;* deinde idiotæ, indocti, ignobiles, sed erat in illis, quod fulguraret, atque *b hi sunt, qui ut nubes volant,* & ad ultimas mundi oras *spiritu vehenti* (ut ait Hugo) feruntur. Porrò si Romanus Philosophus, non tam magnificè, quàm verè pronuntiavit, *c non sum uni angulo natus*; quantò veriùs, hi spiritu Dei pleni, *non uni angulo*, sed provinciis, sed regionibus, sed regnis, sed orbi universo se *natos* jure queunt prædicare. *ut in omnem terram exeat sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Etenim aptissime in illos cadit, quod de Magno Basilio elatè dixit, & scripsit D. Gregorius Nazianzenus: TONITRUUM *erat ejus oratio, quia vita* FULGUR *erat.* Quid ni verba eorum tonitrua, in quorum pectora, divinus ille ignis, omni fulgure penetrabilior, toto se illapsu infudit? ut verissimè Psaltes. *d Vocem dederunt nubes.*

Nunc ut more nostro, hactenus dicta ad mores referamus: Unde hæc tam valida è nubibus tonitrua? unde illa machinis bellicis vis, & vehemens ille impetus, nisi ab igne? eo semoto, innoxiè in illis passeres nidificare reperti, & pueri inequitare, & lusitare visi sunt; at ubi ignis accesserit, jam cunctis stupori, & terrori sunt. Hinc vides, ut rectè notat Cyrillus, *e quales ante fuerint Apostoli, & quales postquam ex alto virtute induti*, & cælesti igne imbuti, ac spiritu divino afflati, in flammas & amoris incendia eruperunt. Isidorus Pelusiota, *f* hæc Psaltis verba, CARBONES *succensi sunt ab eo*, sic exponit: *Succensi sunt ab eo, hoc est, à Deo; quia Deus noster ignis consumens est*, CARBONES *non abs re appellantur, qui per conjunctionem cum Deo*

a Aug. in Ps. 96. b Isai. 60, v. 8.

c Sen. epist. 28. d Ps. 76. e Cyrillus in c. 26. Matt. f Isidor. Pelusiot. l. 1. epist. 2.

Deo inflammantur. Carbones de se frigidi, nigri, despicabiles; at ubi accensi fuerint, calore, luce, ardore suo valent mirifice. CARBO *extinctus*, inquit *a* Bonaventura, est *nigerrimus, sed fit pulcherrimus, igni simillimus, cum igni conjunctus fuerit.* Hujusmodi carbonem D. Petrum, creta notavit suavissimus Doctor Ambrosius: *Ad* CARBONES *Petrus stabat, qui algebat affectu:* Algebat nempe totus antè, qui deinde cælesti igne totus exarsit. Carbones nigri, & frigidi, ceteri quoque discipuli, *b promptiores ad fugam præsidium, quàm ad fiduciam*, sed *c* CARBONES *succensi sunt ab eo.* Qui antea frigidi, timidi, postea fervidi, intrepidi inter acerbissimos cruciatus, & truculenta supplicia impavidi. Adi & audi sanctum Bernardum *d* serm. 1. in Pentecost. *Venit Spiritus super discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent.* Tum fervidi, quàm antea frigidi, extiterint: *Constantius modo prædicant, quam defecerant ante timoribus.* Mutationem illam dexteræ excelsi, maximè sese declarat Princeps Apostolorum, *prius quidem inter ancillæ verba formidans, postmodum inter principum verbera fortissimo.* Unde & D. Leo *e* ser. 1. in natali Apostolorum, sic omnium Principem effatur: *Nec mundi Dominam timet Romam, qui in Caiphæ domo expaverat sacerdotis ancillam* CARBONES SUCCENSI SUNT AB EO. Andreas frigidus in nocte ista, dum calore cælesti restincto, longiùs à sole isto justitiæ recessit; sed quos ignes hac luce conceperit, testantur scintillæ, & faculæ, quæ ex pectore eruperunt; dum ligno imposito, potentiùs exarsit, quod incendium admirabundus deprædicat suis Abbas Claravallensis; *f Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens. Etsi lingua, certè ignea est.* CARBONES *sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus meis, atque utinam desolatorij non sint, consumentes, & exurentes, quidquid in nobis est carnalis affectionis!* De ceteris quoque Apostolis vaticinium illud verissimè decantatur: *g Carbones succensi sunt ab eo.* Quod ipsum de quoque vestrûm feliciter, &, ut spero, fideliter licet augurari, qui si aliquando carbones, frigidi, desolatorii, scelerum fuligine nigri, nunc igne in medullas interiores delapso, toti ignei effecti estis; ut de vobis illud Hipponensis Præsulis *h* pronuntiare valeam, quod ipse de ejusmodi carbonibus desolatoriis præclarè deprædicat, in Psalmum 139. *Exempla hominum qui mortui erant, & revixerunt, nigri erant, & fulgentes effecti sunt, ii sunt* CARBONES *quos intuemur, quando volumus mutare vitam. Attendimus* CARBONES *istos: qui erat heri ebriosus, hodie sobrius est: qui erat heri adulter, hodie castus est: qui erat heri raptor, hodie largitor est, omnes isti* CARBONES *ignis sunt.* Verùm enim verò illud explorandum, ac deplorandum est, post illapsum ignis illius cælestis, tot frigidos, tot nigros remansisse, de-

a S. Bonav. serm. 1. in festo cathedræ S. Petri. *b* Beda in Marc. cap. 14. *c* Psalm. 17. *d* Bern. Serm. 1. in Pent. *e* S. Leo serm. 1. in festo Apost. Petri & Pau.

f S. Bern. serm. in vig. S. Andreæ. *g* Psalm. 17. *h* S. Aug. in Psalm. 139.

de quibus divinus Vates, in threnis suis amarissimè queritur: *a Denigrata est super* CARBONES *facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Ubi *b* imprimis viros Ecclesiasticos, & religiosos coarguit, & vos animas Deo devotas, quæ fervorem primum reliquistis, vos juvenes, vos conjugatos perstringit, qui nunc toti frigidi, ac nigri, ne scintillam pristini fervoris, quem in teneriori ætate habuistis, retinetis, de quibus dici potest illud Amos 2. v. 7. *Numquid non ut filii Æthiopum, vos estis filii Israel?* quasi diceret, eratis olim filii Abrahæ, candidi ut Angeli, nunc per peccatum estis facti nigri ut Æthiopes, denigrati super carbones. De ejusmodi Magnus Gregorius: *c Nigri post candores fiunt, & frigidiores* CARBONIBUS *extinctis, id est, frigidis mentibus evadunt.*

Complurium querelæ sunt, solebam in divini epuli refectione, aliisque piis exercitiis, oratione pasci, delectari, tota in[illegible], nunc tædio, torpore, pigro inertique frigore, velut conglaciata sum: causam *d* [illegible] Doctor Angelicus: *Peccatum frigus, primum extinguit [illegible] charitatis, tum deinde [illegible] calorem devotionis.* Quod frigus ut animo excutiamus, [illegible] in glaciem ut dissolvamus, [illegible] omnes, millies, & millies ingeminemus, quod olim [illegible] pavit *e* venerabilis Mater Galicia de S. Anna, innocentia morum, & vitæ inter suas clarissima, de qua illud refertur dignum admiratione & imitatione, quod ipso die Pentecostes, *millies* repetierit, & ex ardenti pectoris fornace, flammas has evibrârit:

Veni sancte Spiritus, & emitte
cælitus lucis tuæ radium:
Lava, quod est sordidum, riga,
quod est aridum,
Fove, quod est FRIGIDUM.

§. II.

IGNEM VENI MITTERE IN TERRAS, ET QUID VOLO, NISI *ut accendatur.* Luc. 12.

Fabulosum est, & decantatum in triviis, Prometheum confecto è limo hominis simulachro, cùm vitam inspirare non posset, Minervæ auxilio cælum conscendisse, & furto sublatam è Phœbo flammam, mortuo immissam simulachro, vitam tribuisse; verum quia plus potest immensæ bonitatis ingenium perficere, quàm fabulosa antiquitas comminisci, ecce tibi compacto è terrenæ mortalitatis limo, mystico Ecclesiæ corpore, ut vitam adspiret, qui sapientia patris est, Christus Dominus cælum repetiit, & vitali flammâ fovet, animatque corpus illud, quod quasi mortuum, frigidumque jacebat: *f Misit ignem in ossibus eorum*, & derepente omnes vividos, spiritu ferventes, totosque igneos effecit: *Isto igne inflammati*, inquit *g* Augustinus in Psalm 96. *cæperunt ire per mundum. &* INFLAMMARE, *&* INCENDERE *in circuitu inimicos ejus, quos inimicos ejus? qui deserto Deo a-*

a Thren. 4. b Vide Corn. hic. c Greg. l. [illegible] cap. 2[illegible]. d vide Lobbet. de [illegible] l. 1. pro[illegible] 13. e Barry l'Année Sainte p. 2. c. 5.

f Thren. 3 g Aug. in Psalm 54.

qui facti erant, adorabant simulachra. Huic etenim divino amori *proprium est* IGNIRE, ut S. Leo docet serm. 3. de Pent. *Divisit*, inquit, *opus nostræ Redemptionis misericordiosa Trinitas, ut Pater propitiaretur, Spiritus Sanctus* IGNIRET. Præclarè quidam *a* Doctor Asceticus, in igne omnia Spiritus Sancti dona advertit, dum ait: Septem dona Spiritus Sancti, congruè „demonstrantur in igne: Spi„ritus enim Sanctus instar i„gnis primum purgat, per „donum timoris; secundò li„quefacit, per donum pieta„tis; tertiò decorat, per do„num scientiæ: quartò conso„lidat, per donum fortitudi„nis: quintò elevat per do„num consilii: sextò illumi„nat, per donum intellectus; „septimò dulcorat, per donum „sapientiæ; primus effectus „ignis, patet in veste Salaman„dræ; secundus in cera; ter„tius in metallis; quartus in la„teribus; quintus in vaporibus; „sextus in lucernis; septimus in cibis. Sed his omnibus omissis, ne longiùs evagemur, unum dumtaxat juxta propositum nostrum prosequemur, quod igni propriissimum est *ignire*, frigus omne depellere, atque omnia inflammare. Magni Gregorii *b* testimonio: *Ignis* FRIGUS *pellit, & calefacit; sic Spiritus Sanctus ab omni corde, quod replet, torporem excutit, & in desiderium æternitatis accendit.* Quod luculento *c* Magdalenæ mulieris peccatricis confirmat exemplo, *quæ prius* FRIGIDA *peccando remanserat, postmodum amando fortiter* ARDEBAT. At quis hodie sic amat cælo regnantem, ut illa amavit in sepulchro jacentem? frigida super nivem sunt corda nostra, frigida verba, & universa frigida sunt opera, quasi adamantina; dicitur enim, quod Adamas nullo igne calefieri potest; nonne ergò durior & frigidior est Adamante, qui divino non potest calefieri igne, & tantâ Christi in nos charitate demoliri? ô duri & insensati filii Adam, & frigidi, quos non emollit, nec incendit tam ingens flamma amoris? Quid esse dilectionem credimus, nisi ignem? dilectio velut animarum ignis, dum in animam agit, ipsam intimè calefacit & omne frigus ab ea expellit. O quot mortalium corda, hoc divino incendio feliciter arserunt! O quot Numinis inimici, torpore gravi oppressi, derepente charitate inflammati, amici Dei facti sunt, de quibus *d* Hipponensis Præsul: *Sunt, qui salubriter arserunt, hodie fideles ejus sunt, inimici ejus erant, & nunc jam fideles ejus sunt; quæris inimicos? non sunt, consumpti sunt,* ARSERUNT. *Charitas consumpsit in eis, quod persequebantur Christum, &* INFLAMMAVIT *in circuitu inimicos ejus*; Sed qui fit vos non accendi, non inflammari? qui fit vos in oratione, tam torpidos, tam tepidos, tam frigidos esse, ne micam pietatis, ne scintillam ardoris absistere? qui fit, ut in *d meditatione vestra, non exardescat ignis*, ut regio Psalti contigit, ut SS. Patriarchæ nostro Ignatio qui ut oculatus testis Ribadineira scribit, & P. Ludovicus Gon-

a Ludolphus a Saxonia de vita Christ. p. 2. c. 84. festo Pentec. b S. Gregor. hom. 30. in Euang. c Idem hom. 25. in Euang.

d S. Aug. in Psalm. 96. e Psalm 38. v. 4.

Gonsalez: *a Quotiescunque orare inciperet, id statim apparebat, in ejus vultu* (qui aliàs fuit subniger & fuscus) *rubebat, & quodam modo* IGNESCEBAT. Ita *b* Xaverius, ita Theresa, ita Philippus Nerius, ita Franciscus de Sales; S. Franciscus de Paula, ex oratione, quasi ardentissimâ fornace totus candens, ollam tactu fervere fecit, lampadem digito accendit. Nôstis, quî fiat, ut ex saxeo corde vestro, nullæ ignis scintillæ exiliant, in oratione, in *meditatione* vestra *non exardescat ignis?* Specula caustica seu ustoria contemplamini; hæc radiis solis percussa lucent, sed non calent nec ardent, sed algent; his consimiles quorundam mentes, quæ magnis & altis speculationibus lucent, sed affectibus piis nòn calent, verùm totæ frigent & algent, quod in suprema intelligentia sugillat Doctor mellifluus, *c* ubi sic diabolo insultat: *Tu habuisti miser lucem, sed* ARDOREM *non habuisti. Bonum erat tibi, si* IGNIFER *magis esses quàm* LUCIFER, *nec tam immoderato affectu lucendi; ut eras* FRIGIDUS, FRIGIDAM *quoque eligeres regionem.* Frigidam sive Aquilonarem elegit Regionem, qui dixit, *d Sedebo in lateribus Aquilonis.* Hanc elegerat, qui non ardere, sed lucere elegerat, non *ignifer* sed *lucifer* esse volebat. Quisquis ergo hoc agat, ut non tam subtilibus cogitationibus, in oratione luceat, sed fervidis affectibus ardeat, ut in meditatione non splendescat, sed exardescat ignis.

Mirandum magis, & indignandum, complures reperiri, qui carbones ardentes sinu foventes, ignem intra cordis intima admittentes, toti frigidi, & velut congelati consistant: atque ut sciatis, de quo igne agam. S. Ignatio Archiepisc. Constant. *e Visus est panis divinus penitus immutatus, totusque veluti* CÆLESTIS CARBO, *gratiæ radios spargebat à cælesti flamma.* Aliisque, ut Chrysostomus testatur, ab hac mensa, velut *ignem spirantes* recessêre, ut de B. Stanislao, aliisque alibi *f* diximus, in quorum mentibus velut apto fomite, divinus ille carbo illabitur, ilico solvuntur oculi, & faciles in ora genasq; fluunt lechrimæ, & ad cordis æstum exundant; at ubi frigus illud lethalis noxæ, & rigor peccati mortalis animum occupavit, fluentes sistit & concrescere facit lachrimas, quod ni hâc luce, quo ignem venit mittere in terras, penitus excusseris, senties aliquando, quàm acre & rigidum sit quod tibi à Deo immittetur frigus; quod adeò penetrans & acutum Psaltes regius *g* existimavit, ut exclamet: *Ante faciem* FRIGORIS *ejus, quis sustinebit?* in quæ verba D. Augustinus *h* ait: *In faciem* FRIGORIS *ejus: cujus? Dei. Unde est ejus* FRIGUS? *ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam* (quæ ignis cælestis est) *hoc est* FRIGUS.

Quæ porrò ab eo frigore damna,

a Lancicius opusc. spirit. 6. c. 7 pag. 440. b In vita. Lab. sara tit. Mariæ excell. p. op. 8. c Bern. serm. 3. de verbis Isaiæ. d Isa. 14.

e Niceph. in vita. f V. dexter Lux Evang. p. 2. Dom 2. post Pent. §. 5. g Psalm. 147. h Augustin. in Psalm. 147.

damna, quæ incommoda nasci soleant, etiam in religiosis familiis, & animis Deo dicatis, doctè & disertè explicat Bernardus in cantica. Illum etiamnum è cœlo loquentem, & in scriptis spirantem audiamus: *Ab Aquilone*, inquit, *a panditur vestrum malum, à facie* FRIGORIS *ejus quis sustinebit? Hoc* FRIGUS *si semel animum, spiritu dormitante pervaserit, mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit: contrahitur animus, subtrahitur gratia, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus,* REFRIGESCIT *fraterna charitas: dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille turpissimus, plenus ille ignominiâ & confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de paradiso in infernum.* Qui turpissimus casus, quæ teterrima ruina, ne & vos, & liberos vestros involvat, compello hîc Patres familias, moderatores juventutis, superiores omnes, tam frigidos linguâ ut suos corrigant, tam gelidos dextrâ, ut suos corripiant; quid mirum si filii, si discipuli, si subditi, toti frigeant & algeant? *Ab Aquilone panditur vestrum malum.*

Compello hîc sacros Oratores, divini verbi præcones ore frigidos, corde frigidos, spiritu frigidos, quid mirum si auditorum corda dura, ac densa velut glacie concreta, torpeant? eloquentiæ princeps Cicero quamtumvis gentilis documento erit l. 2. de oratore: *Ardeat orator, si judicem velit accendere.* Ardeat sacer Orator spiritu, ardeat vita deat moribus, ardeat lingua, si perorando supremum judicem accendere ad misericordiam, si auditorum animos accendere ad pœnitentiam, & contritionem accendere velit; Huic sufficeret è pluribus, quæ hodie apparuêre, lingua ignea, cujus vim, virtutem, & efficaciam:

Si mihi sint linguæ centum, sint oraque centum,

ut cecinit Mantuanus; *Si cuncta corporis mei membra, vertantur in linguas*, ut inquit *b* Hieronymus, *si linguis hominum loquar & Angelorum*, ut ait *c* Paulus, non dicendo enarrare; sed ne cogitando assequi valeo. Interim monet me rei novitas ut exquiram, cur hodiernus non cadat è cœlo ignis de more aculeatus in fulmina, sed illabatur insolitas formatus in linguas?

§. III.

Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam IGNIS. Act. 2.

DIcam equidem, quod sentio, an quia amor odit fulminare aut lædere, amat verò lambere & blandiri, ut quot ille igneis in linguis apparuit, totidem amanti. ... a hominibus pacis oscula libâsse videretur. An quia amor prodigus, suum erga nos profusum calorem, non poterat nisi ardentibus linguis explicare? vel potius, quia amor ipse disertus est, & facit, juxta illud: *Facundum faciebat amor.* Hoc summi & sanctissimi Pontificis judicium

a Bernard. in Cant. serm. 63.

b Hieron. ad Eustoch. c 1. Cor. 13.

[illegible] est: *Linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverat, ardentes pariter & loquentes facit; nam otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet* INCENDIUM AMORIS. De igneis hisce linguis Igniacensis Abbas, *a* sic ait: Charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum, & adimpleverat illud, effundam super vos Spiritum meum, &c. *Hinc prorsus* IGNEA LINGUA *Petri* (ignea lingua Joannis, ignea lingua Andreæ, ut supra vidimus) in quorum verbis nunc quoque vivit ignis perpetuus, qui & super corda nostra scintillat. Huic Apostolorum collegio annumerandi illi, quorum *b sermo ut* FACULA ardebat. Talis exstitit Seleuciensis Antistes, *c in cujus concionantis ore*, D. Ephrem, *linguam igneam conspexit*: Ubi sic ardebat Orator, nemini mirum videbitur, si Auditores accenderit.

Talis exstitit *d* Antonius de Padua, cujus lingua ignea, quâ corda mortalium ad divinum amorem inflammârat, & Deum laudando & benedicendo ardorem sui testatus est, 32. annis post mortem vivida & rubicunda instar ignis reperta est. Aderat totius Ordinis Antistes Bonaventura, excipit in manus hoc S. Spiritus organum, gaudio delibutus fundit ubertim lachrimas, *longo tandem post tempore fatur: O lingua benedicta, quæ Deum toties benedixisti, et [illegible] benedicere docuisti!* Talis lingua *e* Vincentii Ferrariensis, cujus *f eloquium tam ignitum*, ut duos è suis auditoribus amore divino in cineres re-

degerit. Quin & omnes sacri Ecclesiastæ, ut tales reddantur, ardenti desiderio, cum antiquo Origene, olim igne Dei pleno exclament: *g Unde mihi hoc, ut lingua ignis veniat in cor meum, & de* LINGUA IGNEA, *ego quoque proferam sermonem, ut ex me, vel ex sermonibus meis, accendatur* IGNIS *in cordibus auditorum*? Ejusmodi linguam igneam quisque vestrûm, sibi exoptet & expetat, quidquid vitiorum per linguam contraxit, hoc igne exurat. Indolendum hoc gravissimè, innumeros reperiri, qui linguam igneam habent, sed de quibus Apostolus: *h Lingua est* IGNIS INFLAMMATA *à gehenna*. Bernardus ser. 24. *Lingua inflammata à gehenna, quia dissidii verba scintillat, & flamma talis de inferis est; nam flamma, quæ de sursum, pudica est, pacifica est*. Lingua, quæ inter conjuges, inter propinquos, fratres inter & sorores, inter vicinos, inter religiosos scintillas dissidii spargit, *inflammata est à gehenna*. Lingua, quæ sermones impudicos, fabulas obscœnas, cantica venerea, verba lasciva, immittere non veretur, *inflammata à gehenna est*. S. Antiochus: *i Quisquis lasciva inter viventes, in carne profert verba, his scintillas projicit ubilibet*, quæ in luculentum erumpunt incendium, ubi in consortium juvenum, ac puellarum, velut scintillæ in arundineto illapsæ fuerint.

Linguæ, quæ aliorum gesta, famam, nomen, fortunas, invadit & depascitur, ignis est, de quo Isaias: *k Lingua* IGNIS EST,

a [illegible] in [illegible] Pent. b Eccl. 48.
c S. Amphil. [illegible] vit. [illegible]
d [illegible] vit. l. 6 orat. 11.
e. In vita. f Psalm. 119.

g Orig. [illegible] in Psalm. 38.
h Jacob. 3. i S. Antioch. hom. 18 in app. ad Biblioth. PP. k Isaiæ 5. 24.

EST, qui omnia opera bona, omnes virtutes, omnia merita nostra incendit & consumit, ut purpuratus Pater B. Petrus Damiani *a* afferit: *Si lingua* IGNIS *est, quæ omnem virtutum nostrarum silvam* INCENDIT: *Si rotam nostræ mortalitatis* INFLAMMAT, *id est, si omne meritum instabilis hujus vitæ nostræ,* INCENDIO *suæ damnationis devorat. Quis de sobrietate, quis de castitate, quis de Iejuniis, aut aliqua se poterit bona operatione jactare?* Quasi dicat, omnia virtutis, perfectionis, & religionis opera bona esse frustranea, si flamma ista afflârit, juxta illud Jacobi 3. *Si quis existimet se religiosum, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio.*

Hoc Apostoli velut fulmine quodam ictus Augustinus, sic omnes instituit; *b Quotidiana* FORNAX *nostra, est humana lingua. Impera nobis* (amantissime Spiritus) *& in hoc genere continentiam: da, quod jubes, & jube, quod vis. Tu nôsti de hac re gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.* Quis vestrûm vel cordis gemitum, vel non dicam flumina, sed stillicidium lachrimarum emisit, ut fornacem istam restingueret, ut donum illud, è deperditis linguis unicum exoraret: *c Linguis loquentur novis*, quod eruditè S. Gregorius: *d Loquitur linguis novis, qui sermonem habet de rebus divinis*; loquitur linguis novis, à quorum ore recesserunt vetera, vaniloqua, jactantia, calumniantia, spurca. Quos ut dignoscere valeatis, Diogenem aliquem cum lucerna, hodierno die urbem hanc, convivia, forum, curiam, cætus, familias privatorum, Religiosorum, & Monialium lustrantem, & percunctantem attendite: *e Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem?* Tu conjugata cum conjugato, tu adolescens cum puella, tu famule cum ancilla, tu sponse cum sponsa, tu sæcularis cum religiosa? qui sunt hi sermones? numquid illud quisque eorum contestari poterit; quomodo *cor nostrum* ARDENS *erat, cum loqueretur nobis* in convivio, in foro, in curia, in horto, in cubiculo; sed quo igne? utinam sancto, utinam cælesti, utinam divino.

Quare ut concludam, cùm hodie cælesti flammâ linguæ omnium accensæ fuerint, pudeat nostras incensas esse à gehenna; pudeat alio igne cor nostrum corripi quàm æterno; alias pectus alere amoris faces, quàm divino ac perbeato ardore succensas. Nobilem illum Italum æmulemur, qui vano & insano amore puellam magno impendio deperierat; tandem scintilla cælestis flammæ in pectus delapsa, ilico mutatus in virum alterum, pro gentilitia tessera sibi depingi curavit *Pentecostes mysterium*, ubi cætus Apostolorum, linguis igneis, super singulorum vertices scintillantibus, expressus cernebatur, *f* hoc ingenioso lemmate subjecto: *Del amore mio* PENTO, *y* COSTA. Si quis amore mundano, insano, hactenus exarsit, cui is multo auro, argento, labore, sudore, sanguine constiterit, nunc hâc sacrâ *Pentecoste*

a B. Pet. Damian. ser. de vitio linguæ.
b Aug. l. 10. conf. c. 37. c Marci 16.
d S. Gregor. serm. de Ascens.

e Lucæ 24. f Barry de Angelo cult. cap 4.

tecostes luce pœniteat & dicat: *De amore mio* PENTO y COSTA. Nunc alio igne ignes illos restinguat, juxta illud: *a*

——— *Compescunt ignibus ignes*,

carnales cœlestibus, tartareos divinis: *b Inspiciat illam, quæ in se amorem carnis, IGNE divini amoris excoxit*, inspiciat quisque vestrûm, Adolescentem illum, quem spiritus ille charitatis, hodie in Apostolis per ignem delapsus, amoris sui faces subdens, in se totum fecit exardescere. *c* Jacebat è juventute studiosa, Adolescens, quem in lectum non tam corporis, quàm animæ febris præfervida dejecerat; segnis interim non videbat ad æternas flammas se præparare; Surdus ne fratris quidem monita saluberrima audiebat. Intempestâ nocte virum videt Majestate vultus, & multâ canitie venerandum. Ego, ait hic, ille sum, qui tui causâ omnia, sed te mei unius gratiâ condidi: si nondum intelligis, omnium *Pater* sum, sed te filium degenerem abdico, abijcio, & dirum damnationis Theta jam nunc tibi denuntio. Ita attonito, sub alteram noctem, vir adest integrâ ætate, spinis caput, cruce humeros, insignis, cetera nudus & sanguine, qui ex pectore saucio in fontem abierat, latè humum inundans: hic, si nescis, inquit, *Iesus* sum, Servator olim tuus, nunc Judex; simul manum pectori immisit, & sanguine plenam, in vultum jaciens ægri: erubesce, ait vel sic, & tesseram damnationis cape, salutis futuram si maluisses. Sub hæc in cœlos, æger in desperationem abiit. Erexit tamen miserum frater, & ut noxis expiatis, ad *Amorem*, *Spiritum Sanctum* se verteret, suasit; Tertia igitur nox personam visa ostendere vultu prioribus non absimili, sed placido & arridente, qualemque humero insidens columba probabat: qualem mellifluo suo calamo D. Bernardus *d* describit: *Dulcissimum quiddam in Deo, Spiritus Sanctus, benignitas Dei, & idem ipse Deus*, atque hic cœlestis gratiæ ignes, animo inspirans, scelerum veniam, & mortem beatam, ubi inter Seraphinos divino amore in æternum exardescat, denuntiavit, quis jam fidem non habeat dicentibus columbam sine felle esse, ac Deum nostrum ignem esse, qui omnia vitia consumat, & mentes nostras in tam beatum faciat conflagrare incendium?

a Ovid 2.metam. b S. Gregor. hom. 25 in Eua g. de Magd.
c Fatti Mariani.

d Bern, serm. 1. in Pent.

FESTUM

FESTUM
SECUNDUM SOLENNITATIS
PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit Mundum. Joann. 3. v. 16.



— vestros consumor in usus.

ARGUMENTUM.

QUomodo, quantum, quàm ardenter, & prodigaliter prodigus Deus, qui totus charitas est, hominem dilexerit, Doctor mellifluus *a* sic lacteo suo flumine exposuit: TOTUS *siquidem mihi datus, &* TOTUS *in meos usus* EXPENSUS; idque non alio hostimento, quàm ut nostrum erga se amorem, vel tanto mer-

a Bern. Epist. 2.

mercaretur, & *toto se, totum me compararet.* Nos interim inhumani, & barbari, nos totos fluxis, & perituris damus. Illud studium, illa lis, hoc negotium, totum requirit hominem, & Deum, qui instar cerei, lento suo interitu, amore nostri totus consumi, & colliquescere visus est, *a non animo toto, sed ex parte, & parte modica nimis ipsum amabimus.* Aliter profectò August. qui omnia, ossa & nervos in elichnium, carnem in ceram, animam in flammam converti ardentissimè exoptabat, ut sic totus, amore ejus, à quo tantùm, & priùs, & gratis dilectus, consumi posset: quia inquit, *b nulla major est ad amorem invitatio, quam amantē amore prævenire: & nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere.* Quare, miseri mortales, amentes amantes, qui ea amant, à quibus redamari non possunt, qui exquisita fercula, qui pretiosas vestes, qui argentum & aurum amant, nec ab iis, quod in amore maximè spectatur, redamari possint.

a Bern. Serm. 5. de consid. b August. l. de catech. rudib. c. 4.

§. I. *Sic Deus dilexit Mundum, ut omnia sua nobis communicārit.*
§. II. *Sic Deus dilexit Mundum, ut non solum dederit sua, sed & se, totusque consumptus sit in usus nostros.*
III. *Deus redamandus, juxta illud Aug. O anima, dilige eum, à quo tantum dilecta es, amantem te.* Aug. manual. c. 24.

FESTUM SECUNDUM PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum. Joann. 3. v. 16.

QUondam Romæ in urbe, orbis Principe, ea momenti maximi, senatores inter, causa agitata est: quis è numero Deorum (quorum vel *a nomina grandibus voluminibus, vix comprehendere potuerunt*) præ cæteris colendus, ac omnibus in Numen præcipuum, unicè adorandum, omnique veneratione condecorandum, populo universo exponeretur? In partes, ac studia varia, judicum sententiæ abiêrunt; fuêre è primis, qui Martem, Deum bellorum, contra omnium inimicorum incursus, præsentissimum ac potentissimum præsidium, Numen maximè verendum ac reverendum affirmabant. Alii è contra, hunc Deum maximè horrendum, truculentum, cruentumque declamabant, qui bellis ac tumultibus, patriæ vastatione, urbium direptione, humano sanguine delectari: publicam pacem & tranquillitatem execrari, consuevisset. Quare hi Bacchum potius lætitiæ Deum, qui curas & angores animi pellit, omnibus præficiendum, colendumque dictitabant. Id consilii probatum plurimis; sed potissimum licen-

a Aug. l. 4. de civit. c. 8.

licentioris vitæ sectatoribus, & genio indulgere soliis: quos elato supercilio, vir grandævus, sic paucis perstrinxit: ecquis tandem Reipub. status futurus, ubi Bacchum, Deum temulentiæ, & ebrietatis (quæ hominem belluis ipsis deteriores reddit) ut Numen omnes venerarentur? an non ex hoc unico vitio, velut omnium fonte, libido, discordia, rixæ, pugnæ, homicidia uberrimè scaturire videmus? Alii itaque alium sibi Deum delegerunt, ipsumque Plutum, opulentiæ ac divitiarum Deum, populo Romano proponendum statuebant, cujus propitio Numine, omnibus fortunis, ac rerum omnium abundantiâ affluerent. Communi Magnatum, ac potentûm applausu hæc sententia excepta est, jamque confirmanda fuisset; nisi pauperum, ac egenorum inconditæ vociferationes, & miseræ lamentationes obstitissent: qui illud Numen, hactenus adversum sibi semper exstitisse, nec modum nec medium suppetere, quo illud sibi devincere valerent, dictitâssent: favebat & illis, alterius viri gravis judicium, qui divitias luxum parere, socordiam & inertiam alere, omnes artes proscribere, nec levium irritamenta malorum esse solere, affirmabat. Partibus adeò inter se diffidentibus, demum repertus est, qui consilium dedit, quod omnibus probatum, laudatum, & obviis ulnis exceptum est: is, inquam, amorem, Deum longè gratiosissimum, qui hactenus neglectus, ac despectus latuerat, aræ restituendum, atque omnibus amicabile illud Numen, amandum, ac venerandum facilè persuasit. Erat quippe hic Deus, ad cujusque animos sibi rapiendos, appositissimè effictus: nam forma illi instar venusti pumilionis inerat elegantissima: nudo capite, ac veste lacerâ cernebatur, in cujus fimbria scriptum erat: *Vita & mors*; in fronte: *Hiems, & æstas*; intento digito, cor apertum significabat, cui aureis characteribus exaratum: *Longè, & prope.*

Hæc Gentilium commenta, aptissima sunt fidelium documenta. Noster enim verò Deus amoris, & dilectionis est, ut ex amabili Redemptoris pectore suxit dilectus ille, qui ait: a DEUS CHARITAS EST. Ad quæ verba suavissimè alludens Bernardus, b ait: quòd Deus noster *non modo amans, sed* AMOR EST, idque testimonio dilectissimi Joannis comprobat dicens: *Legi, quia Deus* CHARITAS *est, & non quia Deus honor est, vel dignitas*; non, quia Deus dissensionis, Deus crapulæ, Deus divitiarum, sed quia *Deus* AMOR EST. Quod lumen illud Africæ, & urbis Hipponensis columen, usque adeò obstupescit, ut exclamet: c *Amplius tibi non potuit dilectio commendari, quàm ut diceretur Deus. Forte munus Dei contempturus eras, & Deum contemnis?* DEUS DILECTIO EST: Deus noster amor est; & forma quidem pumilionis speciosissimi præ filiis hominum, in Betlehem apparuit, & parvulus natus est nobis, & habitu cupidineo, non semel sese

a 1. Ioan. 4. b Bern. serm. 25. in Cant. c August. in 1. epist. Ioan. tract. 8.

sese manifestavit; ut quod Theocritus, nos verius: *natus nobis est ipse cupido*, illudque hîc jure usurparim:

a *Quicunque ille fuit puerum qui pinxit amorem,*
Nonne putas miras hunc habuisse manus?

Quàm autem hic divinus puer, capite nudo, omni gloriâ, ac decore rejecto, veste carnis discissâ, insuper & *in vita, & in morte; vere & æstate; longè & prope* nos dilexerit, ipse à nobis diligendus sit, apertum lanceâ sacratissimum cor, omni linguâ disertiùs loquitur, & *b vulnus amoris* testatur, cui meritò subscripsero: *Sic Deus dilexit.* Joannis 3

Commune illud apud Theologos receptum axioma: Omne bonum diffusivum esse sui, fontis instar uberrimi. Quod Deo, inexhausto illi bono, Doctor Angelicus propriissimum pronuntiavit, dicens: *Liberalitatem esse maximè propriam ejus, qui bonus est, & quodammodo soli Deo convenire: quia totus ipse se communicat quia ipsum communicare, est ei conveniens, sicut fonti bonitatis, nullâ inde exspectatâ commoditate.*

§. I.

Sic Deus dilexit mundum, *ut omnia sua nobis communicârit.* Joan. 3.

Amori hoc proprium est, ut in amantem se expectoret, & profundat omnia, quæ amantis sunt. Omnia homini creata sunt: numera pratorum flores, gramina, herbas, silvarum arbores, frutices, camporum greges, armenta, nemorum feras, ætheris volucres, Oceani pisces, cœli orbes, & augustum illud Divorum prætorium, longè omnem regiam excellens amplitudinem, ut scitè Seneca, *c* quamtumvis gentilis, deprædicavit: *Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum, per totum annum digestæ: jam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, ut omnis rerum naturæ pars,* TRIBUTUM *aliquod nobis conferret*; nos verò tam amabili largitori, quàm exiguum, imò nullum amoris, aut gratitudinis tributum rependimus. Hæc omnia vociferantur, & clamore suo jurant, quòd amet nos Deus; verba amoris, opera sunt; lingua, benevolentiæ manus. Quem non concutiet omnis hæc universi eloquentia? quæ ars est Rethorices, tot instructa figuris, quot universum in usus nostros naturis? argutiùs fortè amorem ejus loquentur, quæ te propiùs concernunt, quæque in sinum tuum amantissimus Deus copiosè profudit, dum domûs vestræ penuaria, omni copiâ vini, cervisiæ, redundantia horrea tritico, solaria frumento, campos armentis, arcas auro & argento oppletas cernitis, munifici amoris beneficium agnoscite; nam ut idem Romanus philosophus *d* profitetur: *Si pauca quis tibi donâsset jugera, accepisse te diceres beneficium: immensa terrarum latè pa-*

a Tibul. l. 2. Eleg. 10.
b Bernard. de passion. cap. 2.
c Senec. l. 4. de benef. c. 5.
d Seneca l. 4. de provid. c. 6.

tè patentia spatia, villas, & prædia, quæ possides, *negas esse beneficium? si pecuniam tibi aliquis donaverit, & arcam tuam (quoniam id tibi magnum videtur) beneficium vocabis; tot metalla defodit in usus humanos*, quorum tot millia in sinum tuum effudit, nec amantis beneficium fateris? *si domus tibi donetur* (aut fundus hæreditate obveniat) *num mediocre munus vocabis? Et cum ista, quæ habes, magno æstimes, quod est ingrati hominis, nulli debere te judicas. Unde tibi istum, quem trahis spiritum? unde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis, atque ordinas lucem? unde sanguinem, cujus cursu vitalis continetur calor? unde ista, palatum tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacessentia?* a *neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in* DELICIAS AMAMUR. Quod in filios Israël, quantumvis contumaces, luculenter comprobavit, quos *angelorum esca* enutrivit, & b *panem de cœlo præstitit illis omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem*, cumque jam cupedias cœlestes nauseantes, carnes exposcerent, non dedit illis porcinam, aut bovinam; sed aves pingues, saporis novi, ac jucundissimi, coturnices, quæ apud magnates in deliciis habentur; idque non ad unum diem, ad unicam cænam, sed ad mensem integrum, tantâque copiâ, ut Psaltes regius has aviculas, pluviæ guttis, & pulveri terræ, & arenæ maris comparârit: c *Pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris, volatilia pennata*; è quibus, ut Salianus d supputat, si in unius mensis cibum singulis familiis decem coros attribuas, evadet summa ad quatuor millia millionum coturnicum.

Vultis in lege nova, quas suis quandoque famulis imperatò delicias suppeditârit? e Udalricus Agricola mediâ hyeme febribus æstuabat, cum omnia nivibus cooperta rigerent. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi, & illico fraga de nivium candore rubentia pullulârunt, *ita usque in delicias amamur*.

Alterum de nostro Petro Canisio, f in ejus vita refertur: Accidit ut ei senio, morboque gravi, & propè morti vicinam stomachus jam aversionibus laboraret, sæpius à ministro cubiculi fatigatus, ut significaret, quo cibi desiderio teneretur, aviculam tandem nominavit; prodiit in forum œconomus, nullâque re repertâ, tristis domum redit; cum ecce sub vesperam, apertâ fenestrâ cubiculi, avis quasi divinitus immissa, se nullo negotio capiendam, tamen non ultro offert, & ut Poëta canit:

g *Illa ter, atque quater, per inane cubile vagata,*
Ambiit humanis excipienda manu.

Quæ in cænam apposita, & parvâ & unicâ contentus, nil præterea gustavit; ille tamen lautè se, opipareque eo vespere epulatum affirmabat, quin & aviculam, ut idem Poëta lusit:

Non potuit tumulo nobiliore frui.

Sic

a Seneca cit. c. [illegible] b S[ap]. 16. [illegible]
c Psalm. 77.

d Salian. a. mun. di 2545. n. 165.
e Sten[gelius] [illegible] to. 1. c. 9. n. 7 f Mat. Raderus in vi[ta] [illegible] c.
3. g bidermann. epigr. l. 1. [epi]gr. [illegible] 19.

Sic Thomæ Aquinati decumbenti, recentes pisces cælitus submissos esse novimus; ut alios innumeros omittam, ex quibus omnibus verissimè concluditur: *quia usque ad delicias amamur.* Hæc immensa, & inexhausta illa bonitas prædilectis filiis suis. Suspiciendum magis, tot quæ cœlo volatilia, & terris altilia, & silvis feræ, & fluviis exquisitissimi pisces vagantur, sceleratis quibusque hominibus has delicias, & quod mireris manu propriâ, famuli instar erogari; quod ad exaggerationem amoris facit plurimum. Cùm B. Angela de Fulgineo, jaceret in lectulo, prostratis à morbo viribus: ei se Christus visendum dedit, a dixitque: *Ego veni ad serviendum tibi, & sacris manibus meis ministrare*, hæc suspicimus, admiramur, & veneramur, cùm indies ritu amantium, Deus omnia gaudet ipse ministrare; nec ex œconomo aliquo providentiam sui consilii, manu sua tibi servire gestit; idque affectu infinito ipse tibi obsequia præstat famuli: ipse officinas implet, ubique operatur. Regia aula variis instruitur muniis: hic œconomus, hic Pocillator, hic Archimagirus, hic Præfectus equorum, hic custos vestium, omnia subeunda munia, pro nobis Deus suscipit: ipse œconomus noster, nostra providens: ipse promus condus è penu locupleti nos nutrit: fructus in arboribus coquit, in arvis segetes torret: ipse pincerna, eliquans è vitibus succum: ipse Vestiarius, in vermibus serica fila, in pecudibus vellera, & lanam parat: ipse medicus, salutaria conficit pharmaca, è tot herbarum viribus, seminum, radicum, lapillorum. Quid cùm avarissimi simus, produxit sua munera, ultra vota nostra, victæ sunt spes humanæ divinis beneficiis. Interim cum beneficia, tela sint, amoris, nos immanissimi, ea in sagittas hostiles convertimus, beneficiis in injuriam donatoris abutendo.

Genesi 39. cap. comperies Putipharem, virum Principem, in aula Pharaonis, Josepho totius domus suæ curam demandâsse, horrea, prædia, penora, cellas, gazophylacia, suppellectilem omnem argenteam, auream, omnes denique facultates suas, ei commisisse: sed ut erat Adolescens eleganti formâ, infamis lupa in agnum oculos conjecit, at fascinare nequivit; verùm Joseph in tam beneficum, tam sui amantem Dominum, fidelis sic liberè prolocutus est: b *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* & euro ocius aufugit. Nunc, ô homo! munifici largitoris in te beneficia considera, & quoties iis abutendi sese offert occasio: dic cum Josepho: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* inflammat nos ad hoc c B. Hugo Victorinus: *Anima mea, considera mundum, respice ea, quæ in eo sunt, quoniam omnia tradidit (omnia serviunt tibi) dilige ergo Domi-*

a Bollant. 4. Ianuar.

b Gen. 39. c Hugo Vict. de arrha animæ.

Dominum, à quo tantum dilecta es; Quoties mensæ bene instructæ accumbis, pisces, carnes, fruges, apponi cernis, dic cum Josepho: *Ecce Dominus meus, omnia hæc mihi tradidit, quomodo ergo possim malum facere, & peccare* gulâ ac crapula, *in Dominum meum* tam beneficum? quoties cerevisia aut vinum tibi funditur, dic cum Josepho: ecce hæc omnia mihi tradidit, *quomodo potero* temulentiâ & ebrietate *peccare in Dominum meum* tam amabilem? quoties capsas vestiarias, vario vestimentorum genere oppletas intueris, aut splendidè indueris, dic cum Josepho: ecce, &c. *quomodo potero* superbiâ, aut fastu *peccare in Dominum meum*, tam in me munificum? dum arcas auro & argento confertas intueris, dic cum Josepho, *ecce*, &c. *quomodo possum* avaritiâ, & pauperum despectu *peccare, in Dominum meum*, in me tam profusè liberalem? Hâc cogitatione armatus S. Polycarpus, *a* dum exquisitis propositis tormentis urgeretur, ut Christum ejuraret, intrepidè respondit: Jam octaginta sex annis servivi Domino Deo meo, & nihil mali mihi fecit, quinimo innumeris beneficiis cumulavit, quomodo ergo potero eum negando lædere, abjurare, & offendere? Nos beneficiis, & creaturis Dei, in creatoris injuriam, & contemptum abutimur, ut potenter exaggerat Augustinus: *b Quàm bonum est membra corporis* ita esse, *quemadmodum disponi non possunt, nisi ab artifice Deo? petulantia tamen quàm malè utitur oculis? fallacia quàm malè utitur linguâ? falsus testis, nonne linguam suam, & animam suam prius trucidat, & alterum lædere se perempto conatur? opus Dei est lingua, sed bono opere Dei, malè utitur illa nequitia quomodo utuntur, qui pedibus currunt ad scelera, quomodo utuntur manibus homicidæ, & illis adjacentibus forinsecus bonis creaturis Dei? quam malè utuntur mali auro judicia corrumpunt, innocentes opprimunt: luce istâ mali malè utuntur, malè vivendo; etiam ipsam lucem, quam vident, ad ministerium scelerum suorum usurpant. Omnibus ergo bonis Dei, ne per singula currere longum sit, malè utitur malus*, ingenium, facundiam, vires, integram firmamque corporis valetudinem tibi contulit, & his velut armis, in conditorem tuum insurgis. Quam intolerandam mortalium ingratitudinem incusat *c* Bernardus: *Si quis*, inquit, *oculorum lumen amissum tibi reddidisset, si usum aurium, si quis manum restituisset, si quis pedem tibi præpeditum reparâsset, si quis sopitam in te excitâsset rationem: quomodo non quicunque tibi vehementissimè succenseret, si quando beneficii forte hujus immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum!* quis nostrûm æstimet hæc sibi erepta non esse, quis amantissimo benefactori grates referat, per annos complures, nullo corporis membro, ne dentium dolore in numerosa familia quemquam conflictari? quod, quanti ponderandum sit, Seraphici Francisci insignis Discipulus, frater Ægidius, virum sæcularem edocuit: incidi, inquit is, in hominem manibus, & pedibus trun-

a Surius 26. Ian. b August. tract. 27. in Ioan.

c Bern. serm. 14. Psal. Qui habitat.

truncum, & oculis orbum; quem benignè percunctatus sum: Si quis ea tibi restitueret, quid tu illi rependes? Servum, inquit, perpetuum me illi consecrarem: tum ad hominem opulentum conversus: Deus tibi oculos, & manus, & pedes, ceteraque corporis membra integra, & illæsa tot annis servavit, & iis abuteris in contemptum creatoris: ó ingratitudinem non ferendam! ó inhumanitatem barbaram! & plus quàm belluinam! Aliâ profectò lance Hipponensis Præsul expendit amoris divini beneficia, dum in Soliloquiis suis sic secū, & cum Deo loquitur: *a Sicut nulla est hora, vel punctus in omni vita mea, quo tuo beneficio non utor; sic nulla debet esse hora, quâ te non habeā ante oculos* quâ non jugiter cor, & lingua, grates tibi refundat. Quoties halitum ducimus, toties ad benefactorem nostrum, cujùs munere fruimur, respirare debemus.

Seneca libr. 1. de beneficiis c. 3. *Officia etiam bestiæ sentiunt, nec ullum tam immansuetum animal est, quod non mitiget cura, & in amorem sui vertat. Leonum ora à Magistris impunè tractantur: Elephantorum feritatem, usque in servile obsequium demeretur cibus: adeo etiam quæ extra intellectum, atque æstimationem beneficii posita sunt, assiduitas meriti pertinacis evincit.* Nos ipsis belluis immaniores, & ferociores, benefactorem nostrum lacessimus, impetimus, & indignissimè tractamus. Quod si hactenus commemorata, vobis fortasse parva videantur, adiiciam & majora, de quibus eximium Theologum fortè audire malitis. Consider
anda, inquit *b* Lessius, „ sunt Dei dona, in seipsis quàm „ magna, quàm innumerabilia, „ sive quæ ad animam sive quæ „ ad corpus pertinent; omnes „ enim creaturæ conditæ sunt, „ propter hominem, vel benignitate conditoris serviunt „ homini, ut eum dirigant ad „ salutem. Et hæc omnia externa sunt. Jam interna, omnem „ æstimationem superant: præter enim integritatem corporis & sensuum, quorum nullum vel cum regno amplissimo commutare velis, dedit animam immortalem, capacem vitæ æternæ, & boni infiniti. Ad hæc, jacentem in „ peccatis, & reum æternæ „ mortis, gratia sua excitavit, „ & exemit; hoc autem beneficium remissionis peccatorum „ tantum est, quantum malum „ est mors æterna. Eadem gratia, ab innumeris peccatis servavit: nam ut rectè Augustinus: *Non est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, per quem factus est homo.* Sic non est morbus corporis, quo laborat homo, quin & te corripere posset, ni Deus servaret. Quæ omnia, ut rectè concludit, *c* tanta sunt, „ ut si quis ea diligenter expenderit, immenso debito se obstringi Deo, tum ad perpetuā „ gratiarum actionem, tum ad „ vitam suam divino obsequio „ penitus consecrandam, & „ omnem amorem nostrum sibi „ rapiendum fateatur, necesse est. O amator hominum, post tot amoris signa & insignia, adhuc

O

a Aug. in solil. c. 18.

b Lessius de jure & just. lib. 2. cap. 47 dub. 2. c Less. de perfect. divin. lib. 12. cap. 18. & 19.

huc necesse tibi visum est imperare, ut amem te? adhuc ne opus fuit præcipere: a *Diliges Dominum Deum tuum?* quot amantes sunt, qui sponte amant, qui citra, qui contra præceptum amant, qui fluxa, qui fœda & in æternam perniciem amant? Jure meritissimo exclamat hic Augustinus, b adeoné Deus inamabilis? *Quid mihi sum ipsi, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? parvane est miseria si non amem te?* Ut quid Deus præcipit se amari à me? quod si amari desiderat, & ardentissimas mentes expetat, tot faces in beatis illis cælitibus Cherubin, & Seraphin, omni æternitate flagrantes habet; quid nos frigidos, & algentes, in amorem suum deposcit? nullo suo, sed toto nostro emolumento. Ut quid præcipit, quod facillimum est, ad quod, tot nos illecebris, & illiciis compellit. c *In reliquis operibus bonis, interdum potest aliquis qualemcunque excusationem prætendere; in habenda vera dilectione, nullus poterit se excusare. Potest mihi aliquis dicere, non possum jejunare, numquid potest dicere, non possum amare? potest dicere propter infirmitatem corporis, non possum vino, & carnibus abstinere, numquid potest dicere, non possum diligere?* Nemo cujuscunque ætatis, sexus, conditionis, à dilectione excusatur. Quod doctissimus Idiota confirmat: „Amor, d inquit, facilis res est, omnibus se exhibet, nulli se negat; capit eum „juvenis & senex, vir & mulier: sanus & infirmus: dives „& pauper: summus & infimus: liber & servus: sæcularis & religiosus: debilis & „fortis, nec est qui se valeat excusare. Juvenis qui necdum annum primum & vigesimum expleverit, fœminæ gravidæ, opifices dicent, non teneor jejunare: Infirmus dicet, non valeo hâc quadragesima ovis & carnibus abstinere. *Nunquid dicere potest, non possum amare?* Pauper dicet, non possum Eleëmosynas erogare: servus dicet, ob urgens impedimentum, non possum hoc festo Missæ sacrificio adesse: sæcularis dicet, non teneor castitatem servare, *nunquid dicere possunt, non possum amare?*

Hugo in Psalm. 18. *Non est, qui se abscondat à calore ejus:* nec est, inquit, *qui se excusare possit, quin eum diligere possit.* Non erat opus Deum optimum esse, ut amaretur: sufficiunt, quæ fecit, quæ nobis contulit, absque eo, quod ipse est. Si verum fuisset mendacium Marcionisticum, blasphemans Deum malum, adhuc diligendus esset: sua de nobis benefacta merentur benevolentiam & amorem; quæ si ab immanissimo Tyranno collata fuissent, nos totos in amorem sui rapuisset. Verùm nec ista beneficiorum facula necessaria fuit cordibus nostris inflammandis; suffecerat nuda illius bonitas, etiam sine ullo *ad extra* benevolentiæ signo, per se valentissima. Ut amemus Deum, non indiget beneficiis, & ut bonus non esset, satis sunt beneficia. Proh pudorem nostrum! singula satis, & nimium sunt, & utraque simul, non sufficiunt. Ast

a Matth. 22. b August. l.6. conf. 6.5.
c August. serm. 69. de temp.
d Idiota tract. de amore divine.

Aſt cùm omnes iſtas amoris ſagittas, & beneficiorum tela, obduro frigidoque corde noſtro retundantur, exhauſtâ jam pharetrâ, cùm vires beneficentiæ, & munificentiæ exhauſiſſe crederem, ſtupendo machinamento, ſeipſo pro jaculo uſus, in amantis pectus penetravit, ut quod eminus miſſilibus ſauciare non poterat, cominus humanitate expugnaret.

§. II.

Sic DEUS DILEXIT MUNDUM, *ut non ſolum dederit ſua, ſed & ſe, totuſque conſumptus ſit in uſus noſtros.*

QUod Anacreon Poëta Lyricus fabuloſè effinxit, conſumptis miſſilibus, Cupidinem pectus ſuum ſubiiſſe, hoc divinus amor ingenioſè effecit. Poëtam ipſum audite:

Libet libet jam amare,
Cupido me monebat,
Vt amator eſſe vellem:
At ego inſciens, monenti
Parere negligebam:
Mox ergo ſumpſit Arcum,
Et auream pharetram,
Me prælio laceſſens.
Ego vero, ut olim Achilles,
Loricâ amictus, atque
Scuto minax, & haſtâ,
Cum amore præliabar.
Iaciebat ille tela,
Vertebam at ipſe terga;
Tandemque miſſili omni,
Cum deſtitutus eſſet:
Ira æſtuans, iecit ſe
In me, velut ſagittam
Penetrans, & in cor uſque
Medium, reſolvit artus.
Scutum ergo nil juvat:
Nam cur petamus extra,
Cum prælium ſit intra.

Plus pro nobis executus eſt negotioſus amor Dei, quàm ulla otiantis phantaſia valuit comminiſci. Vincunt opera divina cogitationes humanas. Servo Dei ferventiſſimo, *a* Antonio Martinio, apparuit cupidineo habitu puer Jeſus, arcu & pharetrâ armatus, inque ſuum pectus jaculans ſagittas, negotians amorem plagis. Quin & nobis omnibus talis apparuit, dum natus parvulus ſe conjecit in me; conſumptis miſſilibus, ſubit ipſe præcordia noſtra, cominus expugnaturus cor noſtrum, ubi cauſam, quod forma parvuli, & cæleſtis cupidinis ad nos venerit, B. Petrus Chryſologus, *b* exponit dicens: *Sic naſci voluit, qui voluit amari.* Quod ſuaviſſimo dicendi flumine, melleus Doctor fuſiùs expendit, tractatu de diligendo Deo: *Ipſe fecit, inquit, vel potius factus eſt, ut amaretur: ſe dedit in meritum, ſe ſervat in præmium, ſe apponit in refectionem animarum ſanctarum, ſe in redemptione diſtrahit captivarum.*

Ecce præcipua amoris capita: primùm enim ſe dedit in meritum; *c* *Meam ad hoc induit formam, ut ſuſcipiat cauſam.* Ita noſtrum bonum curavit, ac ſi ſalus ſua, ex noſtra penderet. Non in ſua ſtetit forma, quod potuit; non ſua dumtaxat largitus eſt (quod erat munificentiæ) ſed ſe ipſe dedit, quod fuit prodigalitatis; eo maximè,

a Nierenb de arte volunt. l. 4. pag. 339.
b Chryſolog. ſerm. 158. c Bernard. ſerm. 28. in Cantica.

mè, *quod se distraxerit, in redemptione animarum captivarum.*

Ab illo divini amoris exemplo, Paulinus Episcopus bene doctus, seipsum pro redimendo viduæ filio captivum fecit; & hoc amavit, suspexitque posteritas, & in ævum omne commendabit. At quid amabo illud? homo hominis pretium est; sed hominis, Deus ipse. Insolens, & hactenus inauditum, fidelissimi amoris testimonium, a Urbinii Panopionis servus, posteris reliquit. Hic cùm ad Dominum occidendum, milites venisse cognósset, commutatâ cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clam emisit; se autem in cubiculum ac lectulum recepit, & ut Panopionem occidi passus est; quod ubi historicus enarravit, epiphonematis loco subjungit: *Brevis hujus facti narratio, sed non parva materia laudationis.* Hæc servus pro Domino; at omnem admirationem in stuporem vertit, talia, & longè alia, Dominum pro servo, Deum pro sceleratissimo mancipio subire voluisse. Afferam hîc brevem facti narrationem, sed non parvam materiam laudationis, amplissimamque dilectionis. Quali porrò, ac quanto nos Deus amore fuerit prosecutus, & prosequatur, non si linguis Angelorum loquar, valeo enarrare. Cœlestis Aquila Joannes, cùm non inveniret, quomodo charitatem Dei erga nos exprimeret, Amorem ipsum non enarrandum, sed omnibus spectandum proponit, dicens: *b* SIC *Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*; Sed quid est illud SIC? quantum & quomodo dilexit? SIC, inquit S. Euseb. *ut homo Deum valere videatur.* SIC inquit Doctor Angelicus, *quasi quilibet homo esset Dei Deus.* SIC, inquit Doctor Seraphicus, *ut te odisse videaris.* Ammonem *c* olim Jonadab sciscitatus est: *Quare* SIC *attenuaris?* Ita filium Dei, si lubet, percunctare: Quare SIC attenuaris, SIC humiliaris, SIC flagellaris, SIC excarnificaris: Sed quis exponet illud SIC? SIC, ut nullum ingenium mortalium, quid simile sperare, nedum cogitare potuerit; SIC, ut omnes sublimes illas intelligentias in admirationem, & stuporem induxerit. SIC, ut per infinitam suam bonitatem, & inexhaustam omnipotentiam, Deus nil majus homini dare, nec amorem suum potentiùs contestari valuerit. Theologorum Phœnix *d* Aquinas: SIC *Deus dilexit mundum, &c. multam indicat amoris intentionem: qui enim immortalis, qui sine principio, qui magnitudo infinita, eos qui sunt ex terra & cinere, infinitis plenos peccatis, dilexit.* Tum singula verba expendit, & nobis commentatione ruminanda proponit: *Non enim servum, non Angelum, non Archangelum dedit; sed filium.* Rursus: *Non adoptivum, sed suum filium dedit.* Quod *si plures filios habuisset, & dedisset unum, hoc etiam esset maximum. Nunc vero filium unigenitũ dedit.*

Quot hîc, & quàm potentia divini amoris argumenta? denique si filium dedisset æternus pater, ut huic orbi Rex imperaret, ut in eo verus Deus coleretur, in eo deliciaretur; illud ipsum ingentis beneficii loco haber[et]

a Valer. Max. l. 6. c. 8. n. 6. b Ioan. 3.

c 2. Reg. 13. d S. Thom. in Ioan.

haberi debuisset; at dare, imò quasi prodigere, atque abjicere ad vincula, ad sputa, ad flagella, ad crucem, ad mortem acerbissimâm, hoc enimvero miraculum, ac prodigium, quod omnes amoris limites transgreditur: *a Totus siquidem mihi datus, & totus in meos* USUS EXPENSUS, inquit Bernardus. Ipsam quāta quanta fuit, humanitatem, nostros in usus, nostrum in commodum expendit: animam quippe dedit tristitiæ, corpus universum flagellis, manus & pedes trabalibus clavis, oculos lachrimis, genas alapis, os Judæ proditori, caput spinis, latus denique emortuum atroci lanceæ: insuper sanguinem in potum, corpus in cibum: idque ad annos, & sæcula, ad extrema usque orbis perituri confinia. Hæc una cogitatio, è corde amorem, è pectore suspiria, ex oculis lachrimas elicere deberet, futuras testes vel amoris, vel doloris, quòd Jesus, quòd Deus, qui totus amor est, non ametur, quòd totos nos non possideat, qui totum se dedit. Qui ut divinissimè Bernardus: *b* TOTO SE, TOTUM ME COMPARAVIT. Hujus amabili recordatione, tota in lachrimas abiit *c* Margareta à Lotharingia, Alançonii Ducissa, quæ secum sic aliquando queri audita est: In „ hoc orbe aspectabili, nihil est „ (si Deum excipias) quod se „ nobis totum donet. Sol quippe & astra, modicam sui luminis portionem largiuntur: terra nòs sustentat vivos, & mòrtuos excipit; sed exiguâ sui parte. Aër respirationi servit, & hauritur à nobis; sed etiam levi & modico haustu; at Deus, at Jesus se toto pascit, nutrit, satiat, beat, *totus consumptus est in usus nostros*, & totos nos non accipiet? *non animo toto, sed ex parte* (ut queritur *d* Bernardus) *parte modica nimis, ipsum amabimus?* Damus nos totos fluxis, perituris: illa lis, hoc negotium, illud studium, totum hominem requirit, & *Deus, qui consumptus est in usus nostros, totos nos non accipiet?* Regia fuit, & magnifica illa Vespaniani Imper. pollicitatio ad Apollonium: *Cùm Romam veneris, omnia mea tibi dabo.* Ludus fuit, & jocantis hominis dictum: sed Apostolus *e* ore Dei pronuntiavit æternum patrem, qui filium nobis donavit, *etiam cum Christo omnia nobis donata*; ut jure Igniacensis Abbas, divini amoris facibus exæstuans, in has voces prorumpat: *f Plane ineffabilis divinæ circa nos dignatio charitatis! parum erat patri tradidisse filium, ut redimeret servum, nisi daret & Spiritum Sanctum, quo servum adoptaret in filium. Dedit filium in pretium redemptionis, dedit Spiritum Sanctum in privilegium adoptionis: se denique servat hæreditatem adoptatis.* Tum in ardentissimos affectus sese effundens, exclamat: *O Deum (si fas est dici)* PRODIGUM SUI, *præ desiderio hominis! an non prodigum, qui non solum sua, sed & seipsum impendit: ut hominem recuperaret, non tam sibi, quàm ipsi homini*; Cerei instar aut facis quæ nullo, nisi sui interitu, in usus humanos consumitur: *g Ita verbum in carne quasi lumen in cera,*

O 3 Deus

a Bern. serm. 3. in Circumcis.
b Bern. epist. 2. c In vita.
d Bern. lib. 5. de consider.
e Ad Rom. 8. f Guerric serm. 1 in Pentecost. g Guerric. serm. 1. de purificat. Virg.

Deus noster ardore totus consumi, & colliquescere visus est. Unde prosequitur idem Abbas: *a Multum quidem effusus fuit prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quam seipsum donavit meretricibus; sed multo effusior pater in recuperationem perditi filii, quàm ille in perditionem sui; si tamen ulla debet fieri comparatio gratiæ, & pecuniæ, spiritus & carnis, Dei & hominis.* Deus consumptus est in usus nostros, nos consumpti in usum diaboli; consumit unus cum prodigo omnem substantiam suam vivendo luxuriosè. Alius ebrietate, & crapulâ consumit, omnem sanitatem & vires corporis; alius fraudibus, perjuriis, dolis, iniquis contractibus consumit nomen, & famam suam, & suorum. Alii livore ac iracundiâ consumuntur, de quibus Ecclef. 45. CONSUMPTI *sunt in impetu iracundiæ.* Alii otio & inertiâ consumunt optimos vitæ dies, è quibus non unum, aut unam hîc compellare possem: *b Tu homo stulto labore* CONSUMERIS; tu Adolescens tot horas ludendo fritillos & aleas volvendo *stulto labore* CONSUMERIS. Tu filia tot horas crispando, comando, speculando, *stulto labore* CONSUMERIS Quos omnes, exoptem hodiernâ die, *c Deus noster, qui ignis* CONSUMENS *est,* totos in se convertat, & quidquid in nobis vanum, quidquid limosum, quidquid fæculentum, ardoris sui radio consumat; quemadmodum Magnus ille Gregorius Nazianzeni *c* Antistes sibi accidisse asserit: *Totum me cum infirmitatibus meis in seipso transtulit, ut, quod deterius est, in seipso absumat & conficiat: non secus ac terræ vaporem solis radius.* Atque, ut symbolo præfixo, de cereo inhæreamus, D. Augustinus *e* desiderabat, cum S. Gertrude, omnem carnis substantiam in ceram, ossa & medullam in Elichnium: animam in flammam converti, ut instar cerei, in usum amantis consumi & colliquescere posset. Utinam & nos sic consumi, & liquefieri possimus, ardore ejus, qui *f toto se, totum me comparavit.* Pro cujus dilectione, si dederit homo omnem substantiam, quasi nihil reputandum esset; quidquid mortificationis dedero, quidquid precum, quidquid Eleëmosynarum dedero, quidquid sudoris, lachrymarum, sanguinis dedero pro dilectione illius, *qui toto se, totum me comparavit.* Unde alibi exclamat: *g Quid ni ametur amor? merito cunctis renuntians affectionibus aliis, anima soli, & tota incumbit amori, quæ ipsi respondere amori habet in redhibendo amore. Nam & cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc, ad illius fontis perenne profluvium?* Quasi guttam ad Oceanum, quasi arenam ad montem, quasi scintillam ad vastissimum incendium contulero. Si dedero illi omnem substantiam meam, nunquam solvendo sum. Ea propter quisque nostrûm usurpare poterit, auream illam vocem *h* Cosmi Medices, Magni Hetruriæ Ducis. Hic supra aureorum milliones quatuor, in ædificia magni-

a Gavarric. ferm. 1. in Pentec.
b Exodi 18. c Deut. 4. 24.
d Nazian. orat. 36.

e Pennequin amour divin par 1. pag. 165. f Bernard. citat. g Bernard. ferm. 83 in Cant. h Histor. virorum illust. Medic. P. Doutermans amor increatus pag. 816.

magnifica, quà sacra, quà profana absumpsit: supra millionem in pauperes effudit. Cùm aliquando æris sibi debiti nomina versaret, adeoque plures chartarum fasciculos discuteret, questus est apud domesticos, familiares suos: *Se quantalibet annuorum suorum profusione, tam in egenos, tam in loca sacra facta, id obtinere non potuisse*, UT INTER DEBITORES SUOS DEUM NUMERARET; sed infinito intervallo, illi debitor existeret, juxta illud Jobi: *a Si voluerit contendere cum eo, non poterit illi respondere unum pro mille.* Etenim cùm omnia mea tibi obtulero, nihil tibi contulero, soli mihi profuero. Angelicè *b* S. Thomas: *Fecit nos esse, & omnia propter nos operatus est: animam rationalem nobis inspiravit, filium suum misit, cælum nobis aperuit, & nos filios suos fecit; numquid ergo si unâquâque die moreremur pro illo, retribueremus ei aliquid dignum? nequaquam, sed hoc rursus ad utilitatem nostram pertineret.*

S. Salvianus lib. 1. ad Eccles. Cathol. *Christus enim sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis, & totum se dedit universis, & totum singulis, ac per hoc quidquid* PASSIONE *suâ Salvator præstitit, sicut totum debent illi universi, sic totum singuli.*

Quare cum piissimo, ac asceticæ vitæ Doctore, ardenti affe„ctu precare: *c* Dilata me, a„mantissime Jesu, in amore, ut „discam interiori cordis ore „degustare, quàm suave sit a„mare, & in amore liquefieri, „& natare. Tenear amore, vadēs „supra me, præ nimio fervore „& st upore. Cantem amoris „canticum; sequar te dilectum „meum in altum. Deficiat in „laude tua, anima mea, jubi„lans ex amore. Amem te „plus quàm me, nec me nisi „propter te, & omnes in te, „qui verè amant te. Iterum, iterumque voveo: *d Amem te, plus quàm me, quia tu dilexisti me plus quàm te, quia mori voluisti pro me*, & te totum *nostros consumis in usus.* Vis & tu, ut omnes cogitationes tuæ, verba, operationes, interiores & exteriores, sint omnes actus ardentissimi, & perfectissimi amoris Dei, quibus nil sublimius, nil sanctius? Vis ad extremum spiritum, usque in finem diligere eum, qui tantum dilexit te? Vis totus amore divino colliquescere, & cælesti igne consumi? certam tibi ex placitis Theologorum praxim præscribam, quam si omnes exercerent, omnes cum summæ perfectionis viris, de sanctitate certarent. Quod fiet, si omnia quæ agis, ex motivo formali (*bevveech reden*) amoris Dei procedant, v.g. orandum est, studendum est; præviè apud animum tuum statuas, orabo, studiis vocabo, solo & puro *amore ejus, qui dilexit nos:* Infestationes cacodæmonis, tentationes carnis, omnesque mundi illecebras aspernabor, *propter eum, qui dilexit nos.* Hodie in omni congressu cum aliis, super mensam nullos sermones instituam, nisi *amore ejus, qui dilexit nos.* Non legam, non scribam, non pingam, nil operis arripiam, nisi solo, & puro *amore ejus, qui dilexit nos.* Jejunandum est, acerbius aliquid tole-

a Job 9. b S. Thomas in Matth. c. 18. c Thomas à Kempis de imit. libr. 3. cap 5.

d August. in Soliloq c. 13.

tolerandum est, hosti ignoscencendum, *amore ejus, qui dilexit nos*, idque, dum *Spiritus hos reget artus.* Huic conformis altera praxis, corollæ amoris divini, quâ omnes sensus, omnia membra, omnes facultates corporis & animi, divino amori consecrantur. Quod sanctissimum exercitium cœlestis Spiritus, B. Mechtildim aliquando docuit: quæ dum in sacro legi audiret illud Joannis 21. *Simon Ioannis* DILIGIS ME PLUS HIS? in extasim rapta, vidit sponsum suum, eumque se compellantem audivit: *a Mechtildis, amas me plus his omnibus, quæ in mundo sunt?* Respondit illa: *Tu scis, Domine, quia ego amo*, & nullam creaturam esse, quam amore tui non libenter desero, introgat. 2. *Mechtildis, amas me ut pro me omnes labores, & tormenta subire parata esses?* Respondit illa: *Proba me Domine; tu scis, quia nullus cruciatus est, qui me possit separare à te.* Rogat illam tertiò: Mechtilde, *si tormenta essent atrocissima, essesné parata amore mei alacriter, & promptè tolerare?* Respondit: promptissimè. Quæ desideria ita Deo placuerunt, & tanti meriti fuerunt, ac si de facto omnia in opus redegisset. Ex hac revelatione S. Mechtildis, natum exercitium Rosarii amantium: ad primam decadem: Petre, Paule, Joannes, Anna, Barbara, *amas me?* Respondere ad 10. minora grana: Plus commodis, & delitiis, plus gemmis & divitiis, plus omnibus honoribus, plus fratribus & sororibus, plus liberis & parentibus, plus charis omnibus. Ad 2. N. N. *amas me?* Respond. ad alia 20. grana: Pro te morbos, pro te cruces, pro te famem, pro te sitim, pro te æstum, pro te frigus, pro te desolationem, dæmonum tentationes, pro te pati, pro te mori millies desidero. Ad 3. N. N. *amas me.* Responsio ad cetera 10. grana: Mi Jesu, utinam amem te, ut omnes SS. Virgines, ut Confessores, ut Martyres, ut dilecti Apostoli, ut Cherubin, ut Seraphin, ut SS. Mater tua, ut omnes cœlites, ut moriar amore tui, qui amore mei, mori voluisti; & *cùm me totum effudero in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium?*

a Barry l'annee sainte.

§. III.

Deus redamandus: juxta divi Augustini: O anima! dilige eum, à quo tantùm dilecta es, ama amantem te. Augustinus in manuali cap. 24.

REfert Xenophon, b Cyrum Regem Persarum, contra Tigranem, Regem Armeniæ, bellum movisse, eumque devictum, unà cum uxore in captivitatem duxisse: cumque non levia amoris indicia adverteret, quibus Tigranes, in conjugem suam ferebatur, aliquando peramicè illum percunctatus est: quod lytrum pro libertate uxoris suæ libenter offerret? cui confestim Tigranes: Integrum ait, Regnum, ô Rex, si haberem; quod cùm sors abstulerit, libens sanguinem, & vitam dico. Hoc responso mirificè captus Cyrus, ambos libertati, & regiæ dignitati resti-

b Xenophon l.3. de Instit. Cyri.

tati restituit. Jamq; solo ac solio redditus Tigranes, perquam familiariter uxorem sciscitatus est: Ecquid de Cyri humanitate, deque regia ejus munificentia videretur? num omnem aulæ apparatum satis observâsset? cui illa: ex quo tecum, inquit, in vinculis fui, ita me devinctam habuisti, ut numquam oculos, aut mentem, in alium defixerim, quàm in eum, qui me, & sanguinis, & vitæ suæ impendio redimere comparatus erat. Hinc

a ——— *toto ex te corde Tigranes*
Toto animo, tota pendebam perdita mente.

Hæc si maritus tam fortiter fecisset, quàm dixit, an ejus unquam conjux oblivisci potuisset? an non vicissim pro illo, & suum sanguinem, & vitam profundere parata fuisset, quo amorem amore contestaretur? b *Et qui fieri potest, ut anima non diligat eum, à quo tamtum dilecta est & non amet amantem se?* Si enim inter mortales, amor, amoris est causa, adeò ut liberè pronuntiârit c Bernardus: *Ego amans, amari me dubitare non possum, non plus quam amare.* Qui fecerit Deum inter & hominem ubi hic ab illo, & quidem ita amari, ac priùs amari (quoniam d *ipse prior dilexit nos*) se senserit? faciet certè cœleste illud Redemptionis amatorium, ut homines exardescant, nec aliud exspirent, nisi æstus, atque incendia amoris. Tum subdit sponsæ verba: e *Amo, quod non amata, omnino non facerem*; quasi prima ratio, quòd à Deo ametur, non sit, quod ipsa amet, sed quòd à Deo ametur, qui nos amore suo mirabiliter, & amicabiliter prævenit. Quo argumento usus Joannes f ait: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse* PRIOR DILEXIT NOS; nec quidquam à nobis, præter amorem desiderat, quo solo, omnes cruciatus suos optimè collocatos existimat, juxta receptam illam mutui amoris parœmiam:

Liefde te dragen en is geen Pijn,
Als liefde met liefde geloont mach sijn.

Audi g Bernardum: *Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam reddere vicem. Verbi gratia: Si mihi irascatur Deus, num ego illi similiter irascar? non utique; sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur à me, nec si me judicabit, judicabo ego eum; sed adorabo. Is salvans me, non quærit à me ipse salvari. Nunc jam videas de amore, quàm aliter sit. Nam cum amat Deus; non aliud vult, quàm amari: quippe* NON ALIUD AMAT, NISI UT AMETUR, *sciens ipso amore beatos, qui se amaverint.* Hæc inviolabilis charitatis lex, ut amor amore compensetur: etiamsi homo dederit omnem *substantiam suam pro dilectione* diligentis se, quasi nihil despiciet eam, nisi amori ejus, tuo respondeas amore. Quidquid mortificationis dederis, quidquid precum, quidquid eleëmosynarum: quid sudoris, lachrimarum, sanguinis dederis

a Catullus eleg. 69. b Aug in solilcq. c. 3. c Bern. serm 84. in Cant. d 1. Ioan. 4. e Bern. cit.

f 1. Ioan. 4. g Bern. ser 83. in Cant.

pro dilectione, *qui toto se, totum me comparavit*, si dederis corpus, ut ardeat teste Apostolo, charitatem autem non habueris, quasi nihil. Sed ô duros nos! ô saxeos! ô ferreos! qui tot beneficiis præventi, tam amantem non redamemus: hoc exaggerat *a* S. Augustinus: *Nulla major est*, inquit, *ad amorem invitatio, quàm amantem amore prævenire; & nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere*. Potest fortasse Princeps aliquis, odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit; amari nisi ipse amet, non potest. quid enim tam insitum, quàm ut diligentem diligas? quid tam insolitum naturæ, atque impressum humanis affectibus, quàm ut eum amare in animum inducas, à quo amore præventus es? illumque Tullius, ne inter homines numerandum censet, qui se amantem non redamet. Sic ille *b* ad Brutum Clodius tribunus plebis ,, designatus, valde me diligit, ,, vel ut ἐμφατικώτερον dicam; ,, valde me amat; quod cùm mi,, hi persuasum sit, non dubito, ,, quin illum quoque judices à ,, me amari? nihil enim mihi ,, minus hominis videtur, quàm ,, non respondere in amore iis ,, à quibus provocere. Hoc gentilis, de hominis in hominem amore. Quanto potentior ad eliciendum amorem humanum, erit amor divinus, & infinitus? *c Ad hoc quippe verbum caro factum est, ut familiarius diligeretur Deus ab homine Quem non emolliat amor Dei, sic hominem præveniens, & tam vehemens amor, quod homo propter hominem dignatus est fieri?* Alphonsus Neapolitanus Rex *d* odium suorum hâc arte extinxit: inter venandum, offendit carbonarium, cujus lapsum in fossam jumentum elevare laborabat; ut vidit Rex, accurrit, & propriis juvit manibus, tum verè regiis, nam auxiliaribus: Suffecit hoc mite, & humile factum, ut benevolentiam omnium impetraret: ceperunt Neapolitani diligere, quem illatenus oderant. Altiùs se Rex noster demisit, ut lapsos erigeret, & nondum amamus? Sed parum hoc, hominem, omnem humanitatem exuisse, qui tam potenter amantem non redamet; verùm, ipsi diabolo, ejusmodi similem esse, non vano argumento comprobabimus. Refert Calamato *e* scriptor Italus: Dæmonem in corpore obsesso, Ecclesiæ exorcismis compulsum, nomen suum edicere; sed tandem pronuntiâsse: *Ego sum iste nequam, privatus amore Dei*. Horruit totis artibus B. Cattharina Genuensis, quæ energumeno aderat. Quid horribilius dici, aut excogitari potest? *Nequam* profectò Dæmon est, quisquis ex hac turba, *privatus amore Dei est*. Ut meritò cum Augustino *f* exclamare possit; *Parvané est miseria, si non amem te?* imò tanta, ut nomen hoc, omnes calamitates, & miserias transcendat. Si quis te bardum, blennum, coclitem, strabonem, spurium dixerit, nihil injuriarum, nihil miseriarum, hæc omnia duxeris præ eo, si te *privatum amore*

a August. l. de catech. rudib. c. 4. b Cicero Epist. 1. c August. in manuali c. 26. & 13 de Trinit. c. 10. 11.

d Nierenb. de arte voluntat. pag. 336. e Calamato Silva di concepti tit. Amor di Dio. f August. lib. 5. confess. cap. 5.

more Dei dixerit. Etenim, qui tantum amorem non redamet, omnibus inferni cruciatibus dignissimus est. An nescis, quid Apost. dicat 1. Cor. 16 *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, Anathema sit.* Si quis tam ingratus, tam barbarus horrendam sibi è cælesti curia, excommunicationis sententiam accersit. Nec aliter fieri potest, quin diabolico in Deum animo sit, qui tot, tantisque divini amoris illecebris ad redamandum, non moveatur. Illud haud meum sed Guilielmi Parisiensis, viri doctrinâ, & sanctitate conspicui judicium est; hic enim considerans unum aliquem, in ferventissimo Dei amore erga se, inter tot ignitas cælestium beneficiorum faculas algere, ac quasi in media fornace prorsus insensibilem consistere, a exclamat: *Quis ad hoc diabolicum terrificum miraculum, non obstupescat?* Id amarissimè olim ipse Redemptor questus est apud S. Brigittam, b his verbis: *Ab omnibus neglectus sum, ab omnibus expulsus sum, quia nemo me in sua dilectione habere desiderat.* Itané, dilecte mi, itané, amantissime Jesu, formose præ filiis hominum, super amorem mulierum, nemo te habet in *dilectione sua?* Miseri amantes, qui ea amant, à quibus redamari non possunt! qui exquisita fercula, & rara pocula amant, qui vestes attalicas, & damascenas cyclades amant, qui prædia & fundos amant, qui argentum, aurum, aliaque pretiosa cimelia amant, à quibus nec amantur, nec reciprocum amorem sperare valent. Animus amantis si non suscipiatur ab amato, nusquam est: Etenim non in se, non alibi: nam si alibi in amato esset, non in hoc, ergo nullibi. Si amentur insensibilia, ista pretiosa stercora, aurum, opes, jam non tantum periculum amoris est, est calamitas. Cadaver amant, cùm incapacia amandi sint: suos amores exanimes relinquunt.

a Pennequin amour divin. c. 43.
b Extra Revel. c. 51.

Amantes amentes, qui amore insano puellam amant, quam si nec verbis byssinis, nec muneribus, nec lenociniis devincere queunt, ut amorem illius erga se extorquere valeant: ad præstigias, ad philtra recurrere non reformidant, quibus vel invitas se amare, & ardere compellunt, ut Delrio noster scitè observavit. Beneficium, veneficium est, & philtrum omni carmine Magico potentius, ac præsentius:

c *Ut ameris, ama.*

Audi in rem nostram Romanum Philosophum: d*Ego tibi monstrabo* AMATORIUM *sine medicamento, sine herba, sine ullius Veneficæ carmine:* SI VIS AMARI, AMA. Quare falluntur, ad demerendos hominum animos, ad veneficas artes recurrunt. Eleganter Ovidius si mentem meliorem habuisset:

Fallitur Hæmonias, si quis decurrit ad artes,
Datque, quod à teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbæ,
Mistaque cum magicis mersa Venena sonis.
Sic procul omne nefas, UT AMERIS, AMABILIS ESTO.

O 6 Tam

c Martial. d Seneca Epist 9.

Tam potenter vinculis charitatis, ab amabili Jesu tracti, funem dimittimus, & attrahi nolumus. Si quis è littore funem porrigit, in vado hærenti, hic altero trahente, se ad illum attrahet, ut quidam ingenioso symbolo amantium exposuit, subjecto lemmate: *Dum trahimus, trahimur*. Amor æternus *a charitate perpetuâ* dilexit te, ideo inquit, *attraxi te*. Exigit, atque extorquet amorem omnem nostrum, & sua quasi de sede evocat, ut jungatur corde suavissimi Jesu, vinculo, nexuque individuæ charitatis: quis enim eum intimo animi sensu, affectuque non amet, à quo se senserit ita amari? si amor amori debetur, & amor amore generatur, qualem in nobis amorem, infinitum illud amoris incendium producere oportet? *Charitas Christi urget nos*? 2. Corinht.5. clamat Apostolus: Non inquit, allicit nos, excitat nos, invitat nos, sed *urget nos*, & vim quodammodo arcanam mentibus nostris infert. Magnes amoris, amor est. Echo est, cui naturæ arcano, vel ipsa saxa pari voce respondent. Nos verò ipsis saxis, & scopulis duriores, tam potenti amori surdi resistimus, & reluctamur. Nec te peccator urget tantus amor Christi, nec amorem, nec ardorem illum, gelidissimo pectore percepisti, quia totus obriguisti. Hæc in summo amoris æstu Jacoponus, ex sacra Divi Francisci familia, vir eximiæ sanctitatis: incedebat hic quodam die, per plateas mœsto vultu, gemebat, ejulabat, genas lachrimis perpluebat, suspirans, plorans, lamentans. Petunt obvii, quid ita ploret, cur lugeat, unde istæ tam uberes lachrimæ? Dic, inquiunt, quid sinistri tibi accidit? quid adversi obvenit? succurremus, habes qui te defendant, patronos. Effare, quæ doloris caussa? sed frustra, non erat, qui eum consolaretur, vel qui tantillum leniret dolorem. Tandem importunis undique concurrentium precibus compulsus educto ex imo pectore alto suspirio, petitis, inquit, cur fleam, plangam, plorem & lamenter? accipite causam: AMOR, NON AMATUR. Hoc unum, si quid, lachrimis etiam sanguineis lugeri dignum est; AMOR, NON AMATUR. Quid hoc est? ubi judicium nostrum? ubi fides? amantur opes, pecuniæ, aurum: quid periculosiùs? amantur honores, tituli, dignitates: quid vaniùs? amantur delitiæ, voluptates, carnis illecebræ: quid fœdiùs? amantur equi, canes, feles, porci: quid viliùs? amatur mundus, caro, amatur dæmon. omnia odio dignissima amantur, & AMOR, NON AMATUR; is, qui aërem, quo spiramus, cibos, quibus vescimur; terram, quâ sustinemur, animam, quâ vivimus; cœlum, seipsum, omnia denique gratis largitus est; qui, quidquid uspiam in rebus procreatis amabile est, condidit: à quo suavia omnia dulcedinem, venusta formam, splendida lucem, spirantia vitam, res denique perfectæ omnes, perfectionem omnem hauserunt. Ille qui est illicium omnis amoris, consummatio omnis desiderii, terminus omnis motionis, satietas omnis appetitionis, centrum & finis rerum

a Ierem. 31, v. 3.

rerum omnium, uno verbo, AMOR NON AMATUR. Fierine poteſt, ut Deus ita diligat hominem, & homo tam parum diligat Deum? poſſet Deus jure meritiſſimo de nobis, quàm olim Paulus *a* de Corinthiis ſuis, conqueri & lamentari: *Ego libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar pro animabus veſtris*; id eſt, paratus ſum pro ſalute veſtra, vitam & ſanguinem impendere, *licet plus vos diligens, minus diligar.* Illud enim verò, charitatis incendio exæſtuans, S. Philippus Nerius, identidem ingeminare ſolebat: *Fierine poteſt, ut homo credens in Deum, poſſit amare aliud quàm Deum?* Unde meritò idem, amorem ſuum ſuaviſſimè compellat: *Deus, cùm tam amabilis ſis, & ita præceperis nos amare te, cur dediſti nobis tantùm unum cor & adhuc tam parvum?* Cùm igitur amor nec velit, neque valeat alio emi, vendive pretio, quam ſeipſo, totos nos illius amori conſecremus, qui *b totus in uſus noſtros expenſus, & conſumptus eſt.*

a 2 Cor. 12.

b Bern. cit.

FESTUM

FESTUM TERTIUM SOLENNITATIS PENTECOSTES.

Vt vitam habeant, & abundantius habeant.
Ioann. 10.



— *Amor nullum novit habere modum.* Tibull. l. 2.

ARGUMENTUM.

VErum ac vivum diviniſſimi Amoris ſymbolum, *pelicanus* vobis exhibetur: cujus proprietates, quin ipſam volucris hujus formam, benigniſſimum Redemptorem noſtrum aliquando induiſſe, nemo diffitebitur, qui ardentiſſimum ejus in nos amorem, quos ſanguine ſuo paſcit,

ſcit, attentiori mentis indagine expenderit. Scio olim illud decantatum: *Eſt* MODUS *in rebus*; at dilectiſſimi Jeſu noſtri *amor, nullum novit habere* MODUM. Poſuit ille quidem mari terminum ſuum, omnia inſuper fecit *in numero, pondere, & menſura*; verùm purpureo ſacratiſſimi ſanguinis ſui Oceano, nullum terminum poſuit; ardentiſſimi amoris ejus teſtimonia, ſine numero, pondere, & menſura eſſe voluit; unde divinus Eccleſiaſtes exclamat: Di-„ lexiſti me, Domine, ſupra *modum*, dilexiſti me *ſine modo*, & qui „ omnia *in numero; pondere, & menſura feciſti*, *a* in diligendo me, „ modum, pondus, menſuram exceſſiſti, idque, inquit, *ut vitam habeant, &* ABUNDANTIUS *habeant*. Suffecerat quidem nobis vel unica lachrimula, vel unica ſudoris, aut ſanguinis gutta; ſed quod attonitus ſecum contemplatur *b* doctor mellifluus: *Cùm poſſet* GUTTA, REDEMIT UNDA. Nonnè hoc ſatis, ut ſanguis hic tam copiosè pro vobis effuſus, ruborem incutiat, & in cordibus veſtris reciprocum amorem excitet, ut eum ſine modo, & menſura, diligatis? pœnitentiis, jejuniis; eleëmoſynis, orationibus ſuus modus præſcribendus eſt; at

c *Verus amor nullum novit habere* MODUM.

Quod vel maximè ex eo manifeſtum fiet, ſi non ea, quæ ex præcepto debetis, ſed opera pietatis, miſericordiæ, Religionis ſupererogatoria, amore dilecti Jeſu exerceatis.

a S. Thom. de villa nova Serm. 3 in Adv. b Bern. ſerm 22. in Cant. c Tibull. l. 2.

§. I. *Ut vitam habeant, &* ABUNDANTIUS *habeant*. Joann. 10.

§. II. *Officia etiam gratuita, & opera ſupererogatoria ex affectu ſuperabundanti exhibenda.*

FESTUM III.

PENTECOSTES.

Ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joann. 10.

PLinius *in opere pulcherrimo naturalis hiſtoriæ*, ut *a* Hieronymus loquitur, oculum *ſpeculum naturæ*; ſpeculum verò, oculum artis ſcitè & eruditè indigetavit. Quod verum, ac vivum amantis ſymbolum, Vir Italiæ Princeps, ſibi ut ſuorum benevolentiam devinceret, in teſſeram gentilitiam adlegit; expreſſerat hic in nuda tabula affabre elaboratum ſpeculum, quod hinc & inde ambiebant alii, atque alii, humanâ

a Hieronym. in Iſa. l. 15. c. 54.

nâ quidem ſpecie omnes, ſed planè diversâ: hi attalicâ veſte, & purpurâ diſtincti; illi in ſago, & vili penula; hi ſubridere, flere illi; hi demiſſis oculis, contractis labellis, vultu ad mœrorem compoſito; illi explicatâ fronte, amœno vultu, conniventibus oculis, & neſcio, quid lætum ſpirantibus; incurrebant autem omnes in ſpeculum, & hauſtis hinc, atque hinc imaginibus, fideliter reddebantur, ut meritò dubitares, quæ à natura, quæ ab arte ſeu ſpeculo, expreſſa foret imago; quæ viva ac ſpirans, & quæ hujus ſpecies ac ſimulachrum; ita belle ſpeculum omnia referebat; legebatur autem appenſa hæc epigraphe: OMNIBUS OMNIA. Quem ſinceriſſimum amantis typum, uni & ſoli Divino, ac increato Jeſu amori, propriiſſimè convenire, irrefragabile ſacrorum Doctorum probat judicium, evincit teſtimonium: Hic porrò, ut inquit *a* Ambroſius, *omnia pro te factus eſt: Factus eſt infirmus, per corporis paſſionem ut infirmos lucrifaceret: pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, eſuriens eſurientibus, ſitiens ſitientibus. In carcere cum paupere eſt, cum Maria flet, cum Apoſtolis epulatur, cum Samaritana ſitit.* OMNIBUS *poſtremo* OMNIA *factus eſt.* Idem argumentum aureâ ſuâ fandi copiâ proſequitur *b* Chryſoſtomus: *Ille,* inquit, *cujus majeſtatem vox fidelium quotidiana teſtatur, ſuſcipit formas varias, commutat officia, & nunc igneus tibi reſpondet in rubo,* nunc *eluceſcit cœleſti flammeus in* columna: *nunc te ut Aquila protegit pennis ſapientiæ, & cæleſtem provocat ad volatum: nunc ſicut Gallina educit, vocat, recipit, protegit, portat, fovet, ambit, amplectitur, & ſui volatus oblita tuo verſatur in pulvere, ut te familiarius alat, erudiat, inſtruat, nutrimentis. Sic ut te mutet in meliùs, ipſe ſua toties mutat, & commutat officia.*

Tam ingenioſus amor eſt, qui *omnibus omnia* eſt. Ut de ſe teſtetur:

> *c Opportuna mea eſt, cunctis natura figuris,*
> *In quamcumque voles, verte, decorus ero.*

Hæc omnia paucis complexus ſummus antiſtes Epiphanius, *quo certe,* teſte *d* Hieronymo, *nec ætate, nec ſcientiâ, nec vitæ merito, nec totius orbis teſtimonio major extitit:* Is Chriſtum omnibus omnia factum ſic deſcribit: *e Pro toto mundo obtulit ſeipſe victima, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe Deus, ipſe homo, ipſe Rex, ipſe Pontifex, ipſe ovis, ipſe agnus,* OMNIA IN OMNIBUS *pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret.* Verùm enim verò nuſquam potentiùs amantis effigiem aſſumpſit, quam dum ſe B. Gertrudi (ut infra videbimus) formâ Pelicani exhibuit. Hoc prodigioſi amoris ſymbolum, qui in ſuos benevoli ac munifici, ultro ambiêrunt; quos inter *f* Joannes II. Luſitaniæ Rex, cui pro gentilitia teſſera Pelicanus, ſuo ſe roſtro mordicans, & cruentans in ſaginam filiorum, hâc epigraphe, anguſta verbis, auguſta ſenſu: *Pro lege, & pro grege.* Quem Græcorum? quem Romano-

a Amb. in Euang. procem. l. 4. b Chryſoſt. ſerm. 170. in Pſalm.

c Tibull. l. 4. Eleg. 2. d Hieronym. ad Pammach. adverſus errores Ioan. Hieroſol. e Epiph. Hæreſi 55. f Viridarium Mendoſæ l. 6. Orat. 1. 1. 6.

manorum? quem veterum? quem præsentium Regum legiſtis unquam, talẽ ſibi inſigne pro ſtemmate coaptâſſe? *pro lege* amoris, quam natura dictat, & pro grege ſuorum opes funderet. *Pro lege & pro grege*, vitam perderet: *Pro lege & pro grege*, ſanguinem prodigeret. Nec vota ſpectetis, ſed facta. ut expelleret hoſtes, vigilabat; ut muniret urbes, ſatagebat: ut ditaret cives, inſudabat; ut exigeret fures, tota de nocte urbem circuibat: Ut ſuorum ſalutem conſervaret; ſalutis ſuæ jacturam faciebat: opem, famam, vitam, ſanguinem, quidquid erat ſui juris, in utilitatem regni conferebat, totus fluere in utilitatem ſuorum beneficia populorum videbatur. O parentem potius, inquit (orator) quàm Regem! Veteres quondam Reges, ut ſuis medicinam morbis invenirent, puerorum ſanguinem, quo ſe infunderent, effundebant. Joannes ut ſuorum malis civium mederetur, ſuis ipſe manibus vellicabat ſibi pectus, lancinabat venas, exulcerabat corpus, intima ad præcordia penetrabat, ut quidquid opis in ſe eſſe, totum id, in ſuorum ſalutem civium, ſeu ut dicam potius, filiorum exhauriret. Verùm hic nihil mortalis ad immortalem, terreſtris ad cæleſtem, humanus ad divinum illum Pelicanum, conſimilis amoris, & ardoris in ſuos valet commonſtrare: *a Dicitur* PELICANUS *ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi ſuperfuſi reviviſcunt. Fortaſſe hoc verum, fortaſſe falſum ſit; ſed quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit ſanguine ſuo, videte & audite.* Jeſus noſter verè Pelicanus eſt, qui ut filios ſaturet, eſurit: ut potet, ſitit: ut reficiat, deficit; ut ſaginet, marcet: ut ſucco impleat & ſanguine, hauſtu ſuis è viſceribus cruore extabeſcit. Ut & nos *pro lege & pro grege*, pro vita ſpirituali proximorum libens vitam, & ſanguinem fundamus. Ad hoc animat aureum illud oraculum, quod B. Maria Magdalena de Pazzis *b* aliquando pronuntiavit: *c Vera charitas eſt ut* PELICANUS, *qui dat ſanguinem ſuum pro omnibus, & neminem reputat pro inimico; ſed omnes complectitur, ut filios.* Id enim verò luculenter præſtitit ille, quem Doctor Angelicus *d* hiſce pietate plenus verbis ſalutat:

Pie PELICANE *Ieſu Domine,*
Me immundum, munda tuo ſanguine:
Cujus UNA STILLA *ſalvum facere*
Totum mundum poſſet omni ſcelere.

Sed ſuos toto ſanguinis ſui oceano redemit, idque

§. I.

Vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.
Ioan. 10.

VEl unica gutta ſanguinis, quam in circumciſione fudit, mille mundos redimere poterat; imò vel unica lachri-

a Aug. in Pſalm 101.

b 4. part. vitæ c 19. c Lancicius Tom. 2 [illegible] 12 n 89. d S. Thomas Rhythmo de SS. Euchariſt.

chrimula ex iis, quas in cunis pro nobis effudit; plus dico, vel unico gemitu, in virginis utero emisso, vel nictu oculi ad Patrem sublati, innumeros mortales, utpote actu meriti infiniti, redimere potuisset. Cur igitur tot labores, sudores, opprobria, alapas, flagella, vulnera & ignominiosissimam mortem crucis subire voluit? Apostolus respondet: *a Deus, qui dives est in misericordia, propter* NIMIAM CHARITATEM *suam, quâ dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo*. S. Bern. serm. de passione Chtisti ponderat verba illa: *Propter* NIMIAM *charitatem*, & exclamat: *Verè nimiam, quia & mensuram excedit, modum superat, planè supereminet universis*. Ita ille. Fecit quidem omnia Deus *b in mensura, & numero, & pondere*; amori verò suo, nec pondus, nec numerum, nec mensuram posuit. Bernardus sponsum sanguinis, totum jam rubicundum, oculis mentis sibi ostensum contemplatus, in has voces affectus plenissimas erumpit:

d Cum posset GUTTA, *redemit* UNDA.

Congregaverunt ad eum universam cohortem, id est, quingentos, quinquaginta quinque robustissimos viros: tot rabidi canes ad unam oviculam, tot carnivori vultures ad unam columbam, tot rugientes leones ad innocentissimum agnum dilaniandum irruunt. Primus ictus sat doloris, sat sanguinis elicuerat: Justitiæ divinæ abundè factum satis, ira Numinis restincta, injuria omnis remissa est; ut quid ingeminant verbera, ut quid tot infligunt vulnera, quo illa tam larga sanguinis effusio? *e Quia apud Dominum misericordia, &* COPIOSA *apud Deum* REDEMPTIO. O dilectissime Jesu! satis est, & plus quàm satis est. Ludovicus Granatensis in suis piis meditationibus, ait Christo in flagellatione, inflicta verbera quingenta supra quinquies mille. *f* D. Bernardus ab ipsis superis hausit, ad Columnam sex millia, sexcentas, sexaginta plagas excepisse; ah satis est! Vis nosse compendio, quot fuêre amoris ejus infiniti, superflua, ut ita dicam testimonia? à primo illius conceptionis instanti *g* ad extremum spiritum, amor meus, Jesus meus, fudit sexaginta duo millia, & decem lachrimas; sanguinis verò guttas crassiores, ad nonaginta septem millia, trecentas & quinque. Ah Jesu satis est, mi Jesu, satis est. At *h quod sufficiebat Redemptioni, non satis erat amori*, inquit Chrysologus.

Eleonora *i* à Spiritu Sancto, Ordinis Minorum, nescio, unde hausit, Christum guttas fudisse quadraginta millia, & octingentas; unde illa non destitit, quam de corpore suo tot victorias cruentas reportâsset. Quod si admiratione dignum, aliud imitatione commodum, vobis suppeditabo, ut & nos aliquo, tanto Redemptoris nostri amori, faciamus satis obsequio. Vir sanctimoniâ vitæ clarus, accepit divinitus; Si quis quotidie

a Ad Ephes. 2. v. 4. b Sap. 11. v. 21. c Bern. ser. 22. in Cant. d Matt. 27. v. 27.

e Ps. 129. v. 7. f Ioan. Aquila Ser. de pass. g Petrus Galatin. in via Cru. in Lansperg. de pass. Dom. h Chrysolog. serm. 128. i P. Rho variæ virtut. hist. de Relig. l. 3. c. 2.

tidie per viginti annos, in honorem sanguineæ flagellationis, centies precationem Dominicam repeteret, is subductâ ratione, unâ dumtaxat precatiunculâ; quamlibet sanguinis guttam honoraret: summa enim guttarum ascendit ad ducentorum triginta millium, & quinque, teste *a* Lanspergio, & hoc ei amoris obsequium denegabimus?

O peccatores! vos flagellis scelerum vestrorum, adeò dirè amantissimum Jesum conscidistis: hoc amarissimè queritur per Prophetam: *b Supra dorsum meum fabricaverunt* PECCATORES, *prolongaverunt iniquitatem suam.* Tua effrenis libido, tua belluina ingluvies, tua leonina rabies, taureæ, lora, flagella exstitêre, quibus supra dorsum, velut super incudem sævîstis. O Domine Jesu! cum te sic sauciatum cerno, à planta pedis, usque ad verticem capitis, pudore confusus, cogor exclamare cum B. Catharina Genuensi; *Non amplius peccatum, Domine, non amplius peccatum:* non ampliùs ebrietates; non ampliùs injustitiæ, non ampliùs fornicationes, non ampliùs odia, non ampliùs lascivi sermones, non ampliùs, satis, Domine, Jesu, pro me sanguinis effusum est: *Satis est saluti, sed non amori:* Sic enim eum sibi loquentem anima sancta olim contemplata est: Ego pro te cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, condidi, ut sic amorem tuum mihi mercarer; tu verò opponebas; hæc in mei gratiam condita sunt, sed nec labore, nec sudore, hoc illi stetit. O homo! vis sanguinem, ut ames me? eum tibi ad ultimam guttam venis omnibus propinabo; ita *c Triumphat de Deo amor.* Pater æterne, quem tandem *finem statuis, Rex magne dolorum? posuisti mari terminum suum, ubi frangant tumentes fluctus suos:* Quæ littora, quem terminum, rubro illo pretiosissimi sanguinis Oceano statues? Alveo suo suo exundans in immensum sese diffudit, & nondum ego terminum sceleribus, nondum finem statuam peccatis meis? D. Bernardus *d* commiseratione motus, sic Deum inducit peccatorem alloquentem: *Nonne satis pro te vulneratus sum? nonne satis pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflicto? magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.* Unde *e* virginem sanctam, jam moribundam dixisse ferunt: *Discedo ex hoc mundo, cum hac sola incapacitate, quod nequeam comprehendere, quomodo creatura possit deliberate committere peccatum mortale* contra suum Creatorem, contra suum benignissimum Redemptorem. O Domine Jesu! O amor mi! eo ipso momento, quo manum hanc ad illicita extensurus essem, precor, exarescat; cæcitate me percutias, nec videam lumen, hoc ipso, quo oculi mei ad obscœna avolaturi sunt; adhæreat lingua faucibus meis, si te perjuriis, calumniis, detractionibus lacessere ausus sum. Prius mihi contingat mori, quàm ut læthali noxâ, tantam, tam immensam bonitatem denuò offendam.

a Lansperg. hom. 50. de pass.
b Psal. 128. v. 3.

c S. Bernard. serm. 64. in Cant.
d Bernard. feria 2. Paschæ.
e Cornel. a lap. in c. 2. Ierem.

dam. Non fine causa præmisit Apostolus: *Deus, qui dives est in misericordia*; qui dives est, facile nimios sumptus facit: si amicum ad prandium invitârit, quatuor aut quinque fercula sufficerent quidem; at viginti, triginta illi apponit, idque ut divitias suas, ac potentiam ostentet: *a Copiosa si quidem non gutta, sed unda sanguinis, per quasque partes corporis emanavit.* Cùm igitur Deus in misericordia, dives in infinitum sit, quid mirum, *quod potuit gutta*, id fecerit unda? Ita quidem divitias bonitatis, ac potentiæ suæ ostendit in ceteris naturæ operibus dum fontes, flumina, montes, volucres, pisces, pecora, plantas, herbas, & flores longè plures, quàm nobis opus sint, creavit: quia dives in omnibus operibus; at maximè in misericordia, propter *nimiam charitatem*. Quæ in amoris æstu attentiùs contemplatus B. Thomas de Villa nova *b* in has voces prorupit: *Dilexisti me Domine*, SUPRA MODUM, *dilexisti me* SINE MODO, *& qui omnia in numero, pondere, & mensura fecisti, in diligendo me*, MODUM, PONDUS, *atque* MENSURAM *excessisti: unde Paulus Apostolus: Propter* NIMIAM CHARITATEM, *quâ dilexit nos: vere nimiam, verè excessivam, verè immoderatam, & immensam!*

Sapientûm illud pronuntiatum est, *μηδὲν ἄγαν, ne quid nimis.* Paterfam. Ludi-Magister in dissimulando, in castigando nimius esse potes: in jejuniis, in eleëmosynis, in orationibus, vigiliis, in corporis afflictationibus, quandoque illud pro freno injiciendum: *Ne quid nimis.* Etenim

> c *Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
> *Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.*

At modus *amandi Deum*, ut ipse docuit, est *sine modo*; bonitas objectum amoris est, in tantum enim aliquid amamus, in quantum bonum est: sic parvum bonum parvo, magnum majori amore prosequimur. Sic corporis valetudinem præ divitiis, vitam plus omnibus amamus. Pro mensura itaque bonitatis, mensura dilectionis est; cùm igitur Deus sit bonum infinitum, & *d omne bonum*, infinito planè amore dignus est. Unde *e* S. Bernardus: *Modus diligendi Deum, est diligere sine modo.* Sicut ergo medicus, non ponit terminum sanitati, quæ est finis curationis suæ; sed quanto meliorem potest eam efficere, conatur id præstare; mediis verò scilicet pharmacis, venæ sectioni, cucurbitis, dietæ, modum statuit. Sic amori nullus modus adhibendus, sed quantum potes, tantum aude, nec amare sufficis. Libet ex ape Claravallensi *f* mella sugere: *O quam munificus factus es Rex, & sponse, bone Iesu! quàm largè quæ habuisti, omnia tradidisti? Ecce ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni paradisum, matri filium, filio matrem, mortuis vitam, manibus patris animam tuam, toti mundo signa potentiæ tuæ contulisti, pro redimendo servo: non ex parte,* SED TOTUM *sanguinem, ex multis & largis foramini-*

a Bern. Serm. 22 in Cant. b S. Thom. de villa nova in Adven. conc. 3.

c Horat. l. 1. Sat. 1. d Exodi 13. e Bernard. tract. de diligendo Deo. f Bernard. de passion. vitis myst. cap. 9.

aminibus, effudisti. Sitierunt Judæi ejus sanguinem haurire, sed Christus magis sitiebat eum effundere: contentiùs ipse ad mortem obeundam currebat, quàm Judæi ad inferendam, hinc ait: *a Cucurri in siti*, quasi diceret, cogitaverunt inimici mei, vitam mihi eripere, ego *cucurri*, ut sitibundis darem. S. Basilius, Theodoretus, Euthym: vertunt; *cucurrerunt in siti*, Judæi nempe, paraturi virgas, flagra, lora, ungulas ad me excarnificandum: & ego *cucurri in siti*, parans humeros, & terga ad excipiendum. *Cucurrerunt in siti* ferocissimi carnifices, ad spinas, & vepres: & ego *cucurri in siti*, in hac die desponsationis, ut iis, velut rosis caput meum redimerem. Ardentissimum hoc Jesu mei desiderium, acutè & egregiè colligit Venerabilis Beda ex verbis Christi in Cruce pendentis: *b Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* de quo inquit, arbitramini Salvatorem hic apud patrem queri? & respondet, quòd cum natura divina sensim se, & virtutem illam corroborativam, quàm hactenus inter acerbissimos cruciatus suffecerat, sensim subtraheret, jamque mortem imminere cerneret, quæ potestate plura pro dilecto patiendi privaret, de eo quæritur. Ipsum audite: *c Christus ex vi tormentorum, suam mortem accelerari videns, & volens diutius ferre pro nobis tormenta, hanc amore refertam querimoniam proposuit patri: Pater, cur tam cito me mori disposuisti? cur non moras protrahis, ut magis, magisque pro hominis amore patiar?* Quam ob rem ne cui difficile creditu, id fortasse videatur, irrefragabilis S Bonaventuræ *d* accedit auctoritas, qui ait Christum tanto patiendi, ac pro nobis merendi desiderio exarsisse, ut mortis, ac sacrificii per tres horas in cruce peracti terminis, minimè contineri potuerit; sed insuper expetiêrit, sæpius, ac plura perpeti, atque in cruce usque ad mundi finem pendere, si quidem vel patris æterni voluntas, vel salutis nostræ ratio hoc exegisset. Cui subscribit Ludovicus Blosius *e* Abbas Lætiensis, qui ad illud verbum *sitio*, sic Christum inducit: Aspice, ut tuæ „ salutis gratiâ exhaustus, & „ consumptus sum: Vide, quàm „ horribiles sum perpessus do„ lores, & cruciatus: nondum „ satis factum est cordis mei „ desiderio: etenim si fieri pos„ set, & patri gratum foret, „ vel millies ob salutem o„ mnium vestrûm crucifigi, & „ ad extremum usque judicii „ diem, in hisce miseriis, do„ loribusque hîc pendere opta„ rem. Vidisti homo, & ex„ pendere potuisti, quanta pro „ te passus sum; sed compre„ hendere nequis, qualia & „ quanta adhuc pati paratus „ sum.

Idem argumentum prosequitur *f* B. Laurentius Justinianus, & solerter disquirit: *Vt quid sitit? an vita fons sitire valet? potest, quoniam vult: sitit utiq; & inebriatus amaritudine, adhuc duriora sustinere desiderat.* Tum Salvatorem nostrum, sic cælestem patrem compellantem inducit: *Si*

a Psalm 61. v.5. b Matt. 27. c Beda in Matth. c.27.

d Bonav. medit. de passion. e Blosiu de passion. Dom. c. 18. f B. Laur Iustin. de triumph. Chri. Agone c. 19.

Si hac, qua tolero, pauca videntur, adde flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide, universa hac, & majora toto desiderio SITIO. Ardentissima hæc sitis, tot amantium pectora accendit, ut & ipsi pro dilecto plura, ac plura perpeti sitirent. Quid hîc a S. Coletam memorem, virginem religiosissimam? cujus ardor patiendi, & sitis ingens, quantumcumque assiduis suppliciis expleri non poterat. Aspera quæque ferre Christi amore, ita avebat, ut annis omnino quadraginta, omnes martyrum cruciatus lubens, volens persenserit. Subinde lento igne sibi visa torreri cum Laurentio, aliàs crudelem in modum torqueri cum Vincentio, aliquando pellem sibi vivæ detrahi cum Bartholomæo, quandoque in crucem rapi cum Christo, nunquam non infanda supplicia exantlare, eaque millies, ac millies inferri ac renovari sitiebat. Consimili ardore incensa Maria Regia, b quæ optabat membratim concidi, atque iterum renasci, ut sæpius, ac sæpius vitam suam, qui suam toties illi donârat, redderet. Si hoc tenellæ virgunculæ, quid vos tauri pingues, & obesi? non poteritis vos, quod illæ, & illæ? Sitit Jesus, ut in vobis sitim patiendi accendat, ut injuriis impetiti, calumniis lacessiti, morbis dejecti, cum Xaverio exclametis: *Ampliùs, Domine, ampliùs.* Exemplo illius, qui ampliùs & ampliùs pro nobis passus est, & pati voluit. Cujus amoris ardorem immensum S. Bonaventura c considerando, ad Christum conversus: *Dic quæso, mi Domine, dic, cum unica sanguinis gutta potuisset sufficere ad totius mundi Redemptionem, cur tantum sanguinem de corpore tuo profundi permisisti? Scio, Domine, & verè scio; quia non propter aliud fecisti, nisi ut ostenderes, quanto affectu diligeres me.*

d *Verus amor,* NULLUM NOVIT HABERE MODUM.

Amor omnis mortalis, & filialis, & conjugalis, naturalis omnis, etiam ardentissimus, cum vita moritur, & extinguitur; At divinus

e *Ipsa etiam fati littora transit amor.*

Joannis 19. *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.* Obstupescit amore divino abreptus f Rupertus Abbas: *Mira res, non sat habuit Christus Dominus, ex suo SS. corpore, in sua circumcisione sanguinem fundere; non sat erat sanguinis rivulis Ierusalem, Pilatique tribunal, ac Calvariæ locum irrigari: insuper, postquam omnia consummata fuerunt, fudit abundanter.* Ac tandem concludit, exclamando: O COPIOSA REDEMPTIO! *O divini amoris* COPIOSA LARGITIO! *O Dei nostri viscerum benigna dignatio!* Non sat habuit semel se dedisse; sed centies, & millies, totum se nobis sub speciebus

a Stephan. Iuliac. Vitæ cap. 49.
b In vita.

c Bonav. in opusc. de perfect. vitæ c. 6.
d Tibull. l. ... eleg. 15.
e Propert. lib. 1.
f Rupert. lib. de divin. off.

bus Euchariſticis donavit: idque ut filii ſui, *a vitam habeant, & abundantius habeant.* Quantus amor, qui dat, quantum habet, *b* pene dicerem plus quàm habet, cùm omnia habeat, uſque ad ſe dedit; & ſi quidem multoties ſe dedit, dat jam, quod jam non habet, dat ſæpe donatum, dat ſe, qui jam non eſt ſui; quàm multipliciter noſter, ſæpiſſimè ſe nobis dedit. Non ſemel dumtaxat gratiam dedit, in gratiam recepit, in filios adoptavit, ſanguine pavit; ſed centies, & millies, *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Unde inauditi amoris prodigio, cæleſtis ille Protheus, non ut fabuloſus Jupiter in Aquilam, ſed converſus in Pelicanum, ſe verus Deus exhibuit. *c* Receperat ſe ad ſeſe, atque ad intima cordis penetralia Gertrudis, ut excepti in Euchariſtia ſponſi ſui Jeſu amori, totam ſe daret: Cum ecce divinus amor, *Pelicanum* indutus, illi ſe ſpectabilem ſiſtit, viſuſque eſt roſtro ſanguinem è pectore elicere. Attonita illa, tanto prodigio pietatis: *Quid tibi vis, inquit, O amator divine, eo oſtenſo amoris? Tum ipſe: ut contempleris vim illam amoris, illum impetum infinitæ charitatis meæ, quâ impulſus ſum ad largiendum hoc munus corporis, & ſanguinis mei, omnium munerum præſtantiſſimum: impetum certè tantum, ut ſi dicere fas ſit, poſt hoc donum, magis eligerem mortuus remanere, quam hoc donum ab amante anima continere.* Subditque, quemadmodum Pelicani pullus, paterni pectoris cruore paſcitur, ita pias animas, ſanguine ſuo copiosè ali ad vitam æternam; ut intelligeremus, dum toties, & ubique ſeipſum det, ut ſuos ſuo ſanguine nutriat, eò referri omnia, ut *vitam habeant, & abundantius habeant.* Quare cùm Deus, tot, tamque luculenta amoris ſui argumenta, quæ ad ſalutem noſtram, etſi non neceſſaria, ex ſuperabundanti in nos affectu, adeò prodigaliter prodigus contulerit, unum nunc ſupereſt, idque unicum, copioſa illa redemptio, à nobis, jure ſuo poſtulare videtur, ne adeò nos ingratos, & avaros in amantem noſtri præbeamus, ut nulla ei obſequia, niſi quæ graviſſima nobis ſub intermінatione æterni incendii præcepta ſunt, deferre; ſed animo prompto, libenti, liberali, munifico.

a Ioan. 10. b Nierenb. de arte volunt. pag. 31. c Inſinuat. divin. l. 3. cap. 18.

§. II.

Officia etiam gratuita & opera ſupererogatoria, ex affectu ſuperabundanti exhibere ſtudeamus.

SCiens Jeſus, quia omnia conſummata ſunt, dixit, *ſitio*: Si omnis ſudor expreſſus, omnis ſanguis exhauſtus, omnes dolores exantlâti, omnia conſummata ſint, ut quid novos cruciatus, ſe ſitire clamat? niſi quia amor nondum exſaturatus, adhuc plus ardeat? Nam ut quis verè amet, fidelem ſervum ſe præſtet, inquit

quit *a* Nyssenus, non debet illi satis esse adimplere, quod imperatum est; sed multò etiam plus, quàm injunctum est. Psaltes Regius, ut amorem suum in Deum comprobaret Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est* Non est hoc loco, facilè divinare, ac dicere, quid sibi velit illud Prophetæ: *Voluntariè*, seu sponte propria, religiosa offeram Deo obsequia. Ex Authoribus, quos super his adii, & consului, aptissimè in rem præsentem Genebrordus: *Voluntariè sacrificabo tibi*, sic exponit: *Vltra debitum, spontaneâ oblatione, sacrificium* supererogationis, *seu oblationem* spontaneam & *voluntariam sacrificabo tibi. Non tantum offeram, quæ mihi injunxisti*, ad quæ me obligâsti; *verum etiam*, addam multa sponte, & liberè. In lege nova, ut quid Deipara, ut quid Redemptor noster se voluntariè, legi subjecit? ipse circumcidi, & cauterio peccatoris turpiter notari voluit, illa quasi cæterarum mulierum sordibus obnoxia, velut lustranda, templum accedit, ut & nos in Dei obsequia effusi, ea etiam ultro officia obire non detrectemus, ad quæ nulla lege tenemur. Hæc saluberrima *b* Patriarchæ Veneti doctrina est: *Beatam Virginem supra legem fecerat gratia; sed sub lege humilitas, ut discamus facere aliquid supra legem*, si ad eam, quam ipsi præmonstrârunt perfectionem, eniti cupiamus. Amans non præcepto trahitur, sed amantis desiderio. *Alexander* Luzacius, homo laicus, implexusque negotiis sæcularibus, horas canonicas diebus Jovis, & festis accuratè evolvebat. B. Aloysius adhuc octennis, septem Psalmos pœnitentiales, quotidie flexo poplite percurrebat. S. Angelus Carmelita, præter divinum officium, quot diebus psalterium, & quidem de genu persolvebat. S. Thomas Aquinas, ubi sacris operatus, etiam alteri inserviebat. S. Henricus Imp. etiam in purpura, & sub mole imperii, quot diebus, tria sacra solemnia audire consuêrat, præter privata, quæ in eum numerum non veniebant. Nimirum amantis est, non leve testimonium, ea sedulò obire, quæ dilecto pergrata, etsi præcepta non sint, cognoverit. Quot reperire est, virginitatem sectantes, de quibus Apostolus: *Praceptum Domini non habeo, consilium autem do?* Qua super re illum *c* Hæreticorum malleum producamus: *Aliud est consilium, aliud praceptum; consilium datur, ut virginitas conservetur; praceptum vero datur, ut justitia custodiatur: & consilium, qui libenter audierit & fecerit, majorem habebit gloriam; praceptum qui non impleverit, nisi pœnitentiam habuerit, evadere pœnam non poterit.*

Hoc fidei orthodoxæ documentum est, quædam bona opera, Deo grata, ejus gratiæ adminiculo, hominem præstare posse, ad quæ sub peccato non obstringatur: ut sunt *vendere omnia, quæ habes, & dare pauperibus.* Matth. 19. Quod homo facere potest. & Christus idi-

a Iacobus Nyssen. in quad. verbo (Sitio.) c. 4. b B. Laurent. Iust. serm. in Purific. B. V.

c S. August. serm. 6. de temp.

idipſum ſuadet: *Vade, vende omnia, quæ habes.* & Matth. 19 Si quis *reliquerit patrem, & matrem,* &c. quis aſſerat, quemquam ſub peccato mortali ad id obſtringi? Luc. 19. Zachæus ſupra omnem reſtitutionem in quadruplum, dimidium bonorum in pauperes effudit, quis arguat illum peccaſſe? quis ſub peccato ad hoc adſtrictum affirmare audeat? Hæretici docent, neminem opus bonum præſtare poſſe, ad quod non teneatur; quod, quàm ſtolidum commentum ſit, ex eo patet, quemque eorum fateri ſe libere, nullo præcepto compulſum, eleëmoſynam pauperi elargiri, pupillis & orphanis auxilio eſſe, aliaque miſericordiæ opera exhibere.

2. Quidquid non præcipitur in ſacris paginis, Deo minimè placere poſſe. At eorum ſi quis ratione præditus, faciiè videt, poſſe alicui placere obſequium gratuitò oblatum, etſi imperatum non ſit. Imò ſi quis ſervus, nihil quidquam præſtare velit, niſi quod illi expreſſo juſſu à Domino imperatur, quis eum non ineptum arbitrabitur? quis famulus tam ineptus, ut Domino non plus debeat, quàm in triremi remigans, ad quod verberibus cogitur? compello te, hæretice, ſi quis tibi gratuitum munus aliquot centenorum aureorum offerret, an tibi, & Deo, id diſplicere exiſtimares? illud tamen nuſquam ex ſcripturis ſacris, mihi præceptum foret.

S. Hieronymus Epiſt. ad Hedibiam, duodecim ab ea propoſitis quæſtionibus, ac dubiis reſpondet; quarum prima eſt; *Quomodo quis poterit perfectus eſſe?* ad quæſitum, eo reſpondet modo, quo Chriſtus olim Adoleſcenti illi, qui ut in Euangelio traditur, ad eum veniens, coram genua flectens, petit: *a Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam:* Quia ſalutis meæ negotium, in tuto collocari deſidero. Cui Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Tum Adoleſcens, omnia *hæc cuſtodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deeſt?* Ait illi Jeſus: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* In hoc, inquit Hieronymus, ſita eſt perfectio, ut ad ipſa ſcilicet Dei mandata, Euangelica conſilia adjungantur. Unde venerabilis Beda ait, iis, qui præter divina mandata, etiam conſilia ſequuntur, ſecundam illam Coronam auream, quam Moyſes priori ſuperadditam vidit, poſſe deſignari. Exod. 25. & *ſuper illam alteram coronam, aureolam*; per hanc enim anagogicè intelligi, illam gloriæ, & præmii præeminentiam, qua ii exornandi ſunt, qui præter præcepta, Euangelicam perfectionem ſectati ſunt.

Una hîc occurrit multis familiaris, & à viro nobiliſſimo, D. Hieronymo *b* objecta quæſtio: *Sed an, hoc Apoſtolicæ dignitatis eſt, & ejus, qui velit eſſe perfectus.* Cui reſpondet: *Cur autem & tu nolis eſſe perfectus? cur qui in ſæculo primus es non in Chriſti familia primus ſis?* Mirum enim certè eſt, quòd, cùm homines, extra ſe omnia perfectiſſima habere cupiant, ſolam

P ani-

a Matth. 19. b Hieronym. Epiſt. 34 a Iulian.

animi perfectionem, non modò non cupiant, sed sæpe, cùm facilè consequi possint, negligant: *Villam emis*, inquit *a* Augustinus, *bonam quæris; uxorem ducis, bonam eligis: filios tibi vis nasci, bonos optas: caligas locas, & non vis malas: & vitam amas malam. Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, ut inter omnia bona tua, solus sis malus?* Denique ut Christiani, pietatis, religionis, misericordiæ opera exerceant, ad quæ nullo præcepto adiguntur, ut sunt, indies sacrificio Missæ interesse, quot dominicis, ut summùm mensibus, animo sacrâ exhomologesi expiato, Eucharisticam mensam accedere, sodalitia Mariana sedulò frequentare, statas eleëmosynas in pauperes erogare, &c. Tum ut viri religiosi, statuta, leges monasticas, quibus nullo etiam peccati vinculo obstricti sunt, studiosè observent, motivo, ac stimulo esse possunt:

1. Cùm in consiliis divinis, ac religiosis statutis contineatur absoluta hominis Christiani perfectio, & sanctitas, par est, ut ea quàm accuratissimè observemus. 1. Propter Deum ipsum, & infinitam ejus bonitatem, cujus honor, gloria, *b voluntas est sanctificatio nostra.*

2. Quòd creaverit nos ad imaginem, & similitudinem suam, ut ei quàm simillimi redderemur; quæ similitudo non continetur in observatione præceptorum ejus, sed consiliorum, & minimæ Regulæ. Ut enim Pater cœlestis ex bonitate naturæ suæ, hominibus non tantùm dat necessaria, sed innumera supererogat ad oblectationem nostram; ita par est, si ei similes esse voluerimus, non modò præceptis, sed & consiliis pareamus: ad quod nos Christus invitat, dicens: *c Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Societas Jesu, leges suis in omni genere perfectionis, sed nullas sub peccato observandas præscribit; eæ tamen in rigore, & vigore servantur. *d* Franciscus Labata, vir doctrinâ, sed magis vitæ sanctimoniâ clarus, per annos quadraginta (ut palàm pro concione fassus est) in societate nullam regulam, quæ etiam minutissima sit, plena cum advertentia fuit transgressus; ut P. Nicol. Lancitius ab aurito teste, gravi Theologo, P. Ignatio Rojo, qui coram interfuit, se accepisse scribit. Idipsum de B. Aloysio, Berchmanno, aliisque in aliis Religiosis familiis compertum est.

3. Quòd non simus servi, sed filii; de servis autem dicitur: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, quia servi inutiles sumus.* Quare hoc? quia tantùm, quod debuerunt facere, fecerunt; at ii, qui consilia Christi sequuntur, illi plura præstant, quàm jubeantur. Quapropter non sunt servi inutiles, sed filii dilectissimi nuncupandi, qui, quidquid possunt, & quidquid sciunt parenti placere, id faciunt. Cotinio, *e* scripto

a Aug. ser. 16. de verbis Dom.
b [illegible]

c Matth. 5. v. 48. d Lancitius Opusc. spirit. 8. c. 19.
e [illegible]

ptor Italus, agens de Apostolis, ac discipulis Christi, qui ultro se in tormenta ingerebant, labores & dolores quærebant, amantissimum patrem gaudentes & gestientes, secuti sunt: ad modum canis fidelis, inquit, qui vadit cum gratissimo hero suo, & discurrens per campos, sæpe redit ad eum, ita ut aliquando, pro quinque leucis, quos herus conficit, ipse facilè ad quindecim ultro, & gratuitò discurrat.

4. Quòd in nos tam copiosa fuerit Christi redemptio, ut audivimus: cùm *posset gutta*, redemerit *unda*, ut & nos vicissim non præceptis compulsi, aut minis conterriti, sed tanto amoris illicio attoniti, amorem amori refundamus. Quod rectè exaggerat Hieronymus *a* ad Pammachium: *Quantumcunque te dejeceris, humilior Christo non eris:* Esto *incedas nudis pedibus, fuscâ tunicâ vestiaris, aequeris pauperibus, inopum cellas dignanter introëas*, &c. *Ubi vincula? ubi alapæ? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors?*

5. Postremò quod Cardinalis Damiani *b* inculcat: *Ut, qui per illicita defluendo cecidimus, etiam à licitis, nosmet ipsis restringendo, surgamus*; ut, qui toties per temulentiam cecidistis, vino vobis per menses, per dies aliquot *restringendo, surgatis*. Ut, qui per avaritiam cecidistis, nunc largas in pauperes eleëmosynas elargiendo, surgatis; ut, qui *per illicitam Venerem defluendo cecidistis, etiam à licitis*, per jejunia, mortificationes, carnisque afflictiones, *vos restringendo, surgatis*. Quo fiet, ut aliquando fructu tantæ, tamque COPIOSÆ REDEMPTIONIS perfrui, atque illum, qui sine modo & termino dilexit nos, omni æternitate laudare, & amare possitis.

a Hieron. ad Pammach. de obitu Paulinæ.

b B. Pet. Damiani serm. 2. in nativ. B. Virg.

FESTUM
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Hi tres unum sunt. 1. Joann. 5.



—mirabile visu. Virg. l. 12. Æneid.

ARGUMENTUM.

AUgustissimum Triados mysterium velle mente complecti, hoc est, ut subtilissimus Doctor Augustinus à cælesti genio edoctus est, immensum Oceanum parvâ scrobe velle concludere: a *Impossibile quippe est per rationem natura-*

a S. Thomas I. p. q. 32.

turalem, ad cognitionem. TRINITATIS *divinarum personarum pervenire.* Quare omnes Philosophi, non gentiles dumtaxat, sed & Christiani, dum varias nobis similitudines, symbola, figuras exponere contendunt, quasi in speculo, & ænigmate arcanum illud, ac maximè reconditum indivisæ Trinitatis mysterium proponunt. Mentis humanæ oculo occluso unus veræ, vivæque fidei oculus, ad illud contemplandum aperiendus est, ut rectè Bernardus: a *Quid non invenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumducit. Fidenter dixerim, æternam beatamque* TRINITATEM, *quam non intelligo, credo, & fide teneo, quod non capio mente.*

Alterum est, ut nos huic sacratissimæ Triadi, ad cujus imaginem creati sumus, ac Trinitas illa creata potentiarum animæ, sanctissimè conformetur, atque ardentissimè cum mellifluo Doctore ingeminemus: b *O veritas, charitas, æternitas! O beatificans Trinitas! ad te, mea misera Trinitas, miserabiliter suspirat.* Ubi stimulo erunt non pauci, hujus augustissimi mysterii cultores eximii,

a Bern. serm. 76. in Cant. b Bern. serm. 11. in Cant.

§. I. *Videmus nunc per speculum in ænigmate* 1. Corinth. 13.

§. II. *Quâ ratione homo, perfecta Augustissimæ Triados imago existat, & esse debeat?*

§. III. *Quinam cultores sacratissimæ Trinitatis eximii eluxerint?*

FESTUM
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Videmus nunc per speculum in Ænigmate. 1. Cor. 13.

Cum homo creatus sit, ut cognoscat, amet, & fruatur in omnem æternitatem, Augustissimo, sanctissimo, ineffabili illo individuæ Trinitatis mysterio, quæ mortalium curiositati, doctor Angelicus a facturus satis, diserte diluit, & solidè disquirit: *Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem agnosci?* ac primùm quidem respondet: *Multa inveniuntur à gentilibus Philosophis dicta de Trinitate personarum.*

Ecquis unquam in animum induceret suum, usque eo Platonis, ejusque sequacium ingenium evolâsse, ut sacratissima verba, quæ sublimis illa Aquila Joannes, ad divinam

a S. Thom. p. 1. q. 32.

Triadem contemplandam raptus expressit: *In principio erat verbum, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbum,* a IN QUIBUS VERBIS DISTINCTIO TRINITATIS TRADITUR, suis in libris exarata, posteris reliquerint? nisi Divi Augustini b confirmaret auctoritas, qui hæc se in iis legisse asseverat, usque ad illa verba: *Et tenebræ eum non comprehenderunt.*

Stupendum magis, c Mercurium Trismegistum in libro, qui dicitur Pimander, hanc sententiam protulisse: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Aristoteles purioris Philosophiæ ocellus, hoc etiam reliquit dignum Lycæo meliore: d *Tria sunt omnia, & ipsum ter in omnem partem se diffundit*; idque similitudine variâ, è rebus creatis, illustrari posse videtur. Ac primum quidem à speculo auspicabimur.

§. I.

Videmus nunc per speculum in Ænigmate. I. Cor. 13.

SI qui solus in cubili suo, ad nitidissimum speculum, formam suam venustissimam attentiùs contemplatur, fit, ut in sui imaginem, quasi in alterum se, amore inde exorto totus inardescat, illudque Poëtæ jure usurpet:

e *Uror amore mei.*

Quemadmodum inquit Hugo Cardinalis f in 1. Corinth. 13. *Consideravit Narcissus imaginem suam, qui amore illius interiit,* e jusmodi similitudine, contemplantis se in speculo, utitur S. Andreas Cretensis, g ut Augustissimum Triados arcanum exponat: *Hinc ergo fratres aliquid percipere de sublimi Mysterio poteritis: nam pater æternus seipsum in purissimo suæ substantiæ* SPECULO *intuitus, perfectissimam impressit imaginem, id est Filium, qui apud Eccl. dicitur* SPECULUM SINE MACULA *& imago, & Paulus vocat figuram substantiæ ejus, cujus agnoscens summam & æqualem sibi pulchritudinem, summè quoque eam dilexit: quæ dilectio* SPIRITUS SANCTUS *est, ab utroque procedens.* Hoc in apposito symbolo, omnium oculis subjecimus, ubi solem unum & trinum exhibuimus, quod manifestâ experientiâ comprobatur: si speculum sub aquas collocaveris, sol in eo relucens, alteram solis imaginem per species refractas in aqua producet, ac ilico tres soles spectabiles erunt, unus in cœlo, alter in speculo, tertius in aquâ. Primus lucem habet à seipso, secundus à primo, tertius à primo & secundo communicatum habet splendorem. Et hi tres soles unus sunt; ita in candidissima anima, velut in lucidissima crystallo & limpidissima aqua, tres soles apparuêre. Etenim h cùm vitæ sanctitate, & miraculis celebrari cœpisset S. Virgo Ida, unus aliquis illius observantior explorare voluit, quid in secreto cubiculi, rerum ageret: quod ut assequeretur, suspenso gradu propius ad illud accessit; orantem vidit flexis humi genibus, sub-

a S. Tho. cit. b Aug. l. 7. confession. c 9. c Dial 4. d Arist. l. 1 de cœlo. e Ovid. l. 3. Metam. f Hugo Card. in 1 Corinth. 13.

g And. Cretens. de SS. Trinitat. h. Bollandus 15. Ian.

ſublatiſque in cœlum manibus, cœleſti quâdam ac divinâ luce circumfuſam; ſed mirum, quàm copioſa illa: *Illuſtrabatur enim à* TRIPLICI SOLE, à quibus undique radii, lux undique & undique fulgor, quo micare tota, quo lucere, quo fulgere, quo ardere Ida videbatur, quid mirum tam raró ejuſmodi ſoles tergeminos apparere, ubi tam raró ejuſmodi ſpecula, & limpidæ mentes, in ſanctiſſimam & amabiliſſimam hanc Trinitatem inardeſcunt? eâdem propè metaphorâ argumentum proſequitur *a* Divus Cyrillus Alexandrinus, qui *in ſole* patrem generantem, *in radio* filium genitum, *in calore* Spiritum Sanctum ab utroque procedentem agnoſcit: nam ut ſol ab alio ſole non gignitur, ita pater ingenitus: & ſicut radius à ſole, & illi coævus, non prior aut poſterior, ita & filius. Quin etiam ſicut ſol à cœlo nunquam diſcedens, ſuam diffundit lucem quà terram illuminat ac fœcundat: ſic pater è cœlo miſit filium, qui fuit *Lux Mundi*. Ab utroque autem Spiritus Sanctus procedit, qui increatus calor eſt, animas fovens atque vivificans; & uti calor ſolis pretioſos uniones, gemmas, & aurum in terræ viſceribus gignit, ſuper terram, plantas, & flores, & fructus germinare facit, ita Spiritus Sanctus, divino ſuo calore in mentibus hominum, virtutum flores, ac cœleſtium gratiarum uniones, & aurum charitatis progignit. Hactenus ſolem in fluvio, ſolem in ſpeculo, ſolem in ſemetipſo, unius & trinæ Divinitatis, ſummi Eccleſiæ Doctores velut ſimulachrum aliquod expoſuêre; Seleucienſis Antiſtes *b* à ſole ad lucem, quæ in iride vario colore relucet, deflectit. Hæc etenim ut una eſt, & tamen tricolor: ſic Deus eſt unus in eſſentia, trinus in perſonis. Vel ut Cardinalis Cajetanus exponit illud: *Videmus nunc per* SPECULUM, ſicut per vitrum rubri, viridis, ac flavi coloris, dum tranſit radius ſolis, apparet lux eadem tricolor, ſic in divinis, in eadem luce Divinitatis increata, relucent tres perſonæ diſtinctæ. Aliis placuit à Grammaticis deducta perſonarum diſtinctio: quibus prima perſona *Ego*, ſecunda *tu*, tertia *ille*; & omnes tres, idem, & unus homo eſſe poteſt, diverſâ relatione, & reſpectu: ita in divinis, omnia eadem, niſi ubi relationis oppoſitio eſt. S. Anſelmus Epiſt. de Incarnat. & S. Cyprianus de ſymbolo, hanc materiam à fomte arceſſere non dubitârunt, dum Trinitatis abyſſum, ſimilem dicunt aquæ perenni, quæ à fonte in fluvium, & inde in lacum, ſeu vivarium derivatur. Quâ ſimilitudine concilium Nicenum utitur, dicens: Fons eſt Pater, de quo Pſalm. 35. *Apud te eſt fons vitæ*. Fluvius à fonte decurrens, eſt Filius: ipſe enim de ſe dixit Eccleſ. 24. Ego *quaſi fluvius exivi de paradiſo*. Lacus, figura Spiritus S. nam quemadmodum in lacu omnis aquæ vis, & copia conquieſcit, ac conſiſtit; ita

a v. Ruiz de Trinit. diſp. 41. ſect. 2.

a S. Baſ. Epiſt. 43 ad Greg. Nyſſ. Corn. in Eccl. p. 393.

ſtit, ita divinæ naturæ communicationes, in Spiritu Sancto terminantur, nec vltra progrediuntur. Denique ne in longinquum abeam, Doctor omnium Doctorum ſubtiliſſimus Auguſtinus, qui in hoc Arcanum mentis aciem intendit, lib. 6. de Trinitat. c. 6. ſic docet: *Sicut* PATER *generat* VERBUM, & *ipſum cum Patre* SPIRITUM SANCTUM, *ſic intellectus* producit verbum mentis (conceptum, cogitationes) *ejuſque auxilio, voluntas elicit amorem rei ſibi repræſentatæ.* In quo perfectior foret ſimilitudo, ſi conceptus aut intellectio noſtra, eadem foret cum ipſo intellectu, & anima. Huic affinis eſt Analogia, quam à tribus animæ potentijs alibi deducit. *a Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus non tres Dii, ſed vnus Deus habens tres perſonas: ita & anima eſt intellectus, & anima voluntas, & anima memoria; non tamen tres animæ, tres habens dignitates, ſeu facultates. Atque in illis tribus, Dei imaginem gerit, mirabiliter in ſua natura noſter interior homo,* vt §. 2. ad mores hoc traducendo fuſiùs videbimus. Omnes hæ ſimilitudines, ſymbola, Analoga, comparationes, figuræ, omninò rudes, crudæ, impropriæ ſunt: & vt lucis aliquid afferre videantur, ignorantiam nobis cum fide caliginem profeſſis, non tollunt: ſicut ſtellæ de nocte, vt ſingulæ ſuam lucem conferant, noctem non tollunt. Deum eſſe, idque primum ens, à quo alia in ſerie creaturarum finita, demonſtrari poteſt, illudque Anſelmi intellectum humanum convincit: *Deum eſſe ens, quo nihil meliùs, aut perfectiùs excogitari poteſt;* ſed hunc vnum eſſe, & trinum, & tria vnum eſſe, & vnum ex alio, & idem, ac coævum alteri, myſterium eſt incomprehenſibile. Vnde concludit D. Thomas *b* cit. *Impoſſibile eſt per rationem naturalem, ad cognitionem* TRINITATIS *pervenire,* ſed de ea agimus, vt Ambroſius loquitur, *ſicut cæcus de coloribus:* quem, quidquid dixeris, hoc album, hoc nigrum, hoc flavum, hoc rubrum, nil docueris. Supremæ illæ intelligentiæ, mentis acie perſpicaciſſimæ, beatifico lumine colluſtratæ, huic ter venerandæ Triadi proximæ, vtpote quæ requieſcit ſuper Cherubin & Seraphin, eam quidem clariſſimè conſpiciunt; ſed non comprehendunt, non ſecus ac is qui in maris littore conſiſtens, quocunque mentis aciem intendit, omnia quæ videt nil niſi mare,

c ——— niſi pontus, & aër;

Oceanum tamen viſu ſuo non complectitur. *d* Quod ipſum cæleſtis ille genius Auguſtinum edocuit, qui cotilâ oceanum concludi poſſe ſimulanbat. Quid ergo nos mortales, hæc ſublimia ſcrutamur? quos Doctor Aſceticus *e* non altum ſapere commonet, dicens: *Quid prodeſt tibi alta de* TRINITATE *diſputare, ſi cares humilitate, vnde diſpliceas Trinitati?* quid nos mortales hæc arcana rimamur, qui terrena, corporea, & res maximè obvias ignoramus? rectè *f* Sapiens: Quæ

a Auguſt. l. 11. de civit. c. 28.

b S. Thom. p. 1. q. 32. c Ovid. l. 1. [illegible] d [illegible] Cantuar. l. 2. [illegible] c. 18. e Thomas a Kemp. [illegible]

Quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlis ſunt, quis inveſtigabit? Hoc eſt, quæ manibus preſſamus, quæ præ oculis habemus, non capimus.

Quis veſtrûm novit, quomodo Baſiliſcus, ſolo intuitu hominem occidat? quo pacto ſalamandra in igne vivat, & illæſa permaneat? quomodo torpedo ſeu remora, exiguus piſciculus, ingentem Myoparonem plenis velis & remis volantem, quaſi anchoris injectis è veſtigio ſiſtat? quis aſſequatur vim tarantulæ, quæ morſu ſuo, homines ad interitum ſalire compellit? quâ ratione magnes ſine manibus, aut vinculis, aliiſque adminiculis, è terra grave ferrum ſurſum attollat, & ad ſe trahat? Mitto naturalia maximè obvia, quæ omnium ingenia exagitârunt, de quibus Ariſtoteles, & verè: *Intellectus noſter ita ſe habet ad manifeſta naturæ, ſicut oculus noctuæ ad ſolem.* Quis hactenus Philoſophorum, naturam ventorum, maris æſtum, cœlorum, & ſublunarium motum aſſecutus eſt? plus dico, & ſciolos, cum S. Baſilio *a* compelio epiſt. 168. ad Eunomianum: *Dicat formicarum nobis naturam, qui eorum, quæ in natura ſunt, ſcientiam, cum faſtu ſe prædicet aſſecutum.* Nemo quiſquam mortalium, ut Tertullianus *b* loquitur: *Imitari poteſt apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina*, & ad illa, quæ tanto, ſupra captum noſtrum, intervallo ſunt, contingere aſpiramus. Tantus Eccleſiæ Doctor, tantâ divinioris radii ſcientiâ colluſtratus Ambroſius, *c* candidè fatetur; *Mihi impoſſibile eſt, generationis divinæ ſcire ſecretum: mens deficit, vox ſilet; non mea tantum, ſed etiam Angelorum, tu quoque manum ori admove, ſcrutari non licet ſuperna myſteria.* Inter homines nullus naſcitur pater: Deus ab æterno eſt pater, nec prius fuit Deus quàm pater. Inter homines magnum quid eſt in lineamentis, & ſuperficie oris, ſimilem produci filium patri, & filius ſimilior magis diligitur; quanta fœcunditas eſt, ubi non in accidentibus producitur ſimilis filius, ſed in ſubſtantia idem? quanta dilectio, ubi filius tam ſimilis eſt patri, ut nec ipſe pater ſimilior ſit ſibi, nec magis idem; ſic tamen ut alius ſit pater, alius filius; ſed non aliud: *d Generationem ejus quis enarrabit?* Mirari hæc, nõ rimari oportet. Myſterium hoc, abyſſus, mare eſt, in quo nullâ rationis bolide fundum valeas inveſtigare, in quo innumeri velificantis ingenii temeritate, in altum provecti, ad brevia, & ſyrtes, imò ad portum ſalutis alliſerunt, & infelici naufragio ad ſtyga trajecerunt.

Arius, qui filium minorem patre, & naturâ diſtinctum volebat, condemnatus in Concilio Niceno I. ann. 318. Epiſcopis: ubi decretum, filium eſſe patri ὁμοούσιον, id eſt, *conſubſtantialem*, Ariani ſyllabâ adjectâ mutârunt ὁμοούσιον in ὁμοιούσιον, id eſt, ſimimilis ſubſtantiæ: & in errorem duxerunt; ſupra trecentos Epiſco-

a S. Baſil. Epiſt. 168.
b Tertullian. adverſ. Marcion. lib. 1.
c Ambr. l. 1. de fide cap. 5. d Act. 8. v. 33.

piscopos. S. Hilarius *a* docet hanc pestem Arianam, omnem prope Asiam afflasse, vt testetur se in decem Asiæ Provincijs vix vnum Catholicum reperisse. S. Hieronymus *b* ducto ex imo pectore gemitu: *Totus mundus*, inquit, *miratus est se esse Arianum.* Quare *c* dum audis: *Tres sunt, qui testimonium dant. Pater, Verbum & Spiritus Sanctus: & hi tres, vnum sunt.* Noli scrutari, si tres sunt, quomodo vnum sunt? si vnum, quomodo tres? sed illud subtilissimi Doctoris *d* vsurpa: *Nescio, & libere me nescire profiteor. In hoc Christianus sum, qui vnum Deum* IN TRINITATE *confiteor.* Vis & te præbere Christianum? crede, & confitere cum Augustino, qui, postquam multa de Trinitate cogitavit, prædicavit, scripsit, & docuit, ingenue fatetur se hujus Mysterii Sacramentum nescire: *Vis, inquit, e scire naturâ Dei? hoc scito, quod nescias*, quòd capere non valeas: nec enim magnus esset Deus, si non esset major captu nostro; gaudeamus nos talem, & tanti habere Deum, *f quem cum mens non capiat, certa fides adsit, & nulla quæstio erit.* Vt quid ergo hæc ad vos loquimur, & ventilamus? ineffabilis Deus est; sed effabilis fit, cum nobis sua occultissima mysteria per fidem effatur, vt illa nos effari possimus: *Credidit,* ait Psaltes Regius Psalm. 115. *propter quod locutus sum.* & Apostolus 2. Cor. 4. *Nos credimus propter quod & loquimur.* Fides, quæ ineffabilia sunt, effabilia reddet: *Credimus, propter quod & loquimur.* Qui non credunt Trinitatis mysterium, eloqui nequeunt. Quis Scripturæ testimonijs, quis miraculis non credat, quis Ecclesiæ concilijs in Spiritu Sancto congregatis fidem certissimam non habeat? Ioannis 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Credimus hominibus fide humana, quæ fallit sæpius, credamus Deo fide divinâ, cui semper certissima inest veritas. Sine fide humana non potest consistere Respubl. sine fide divina constare non potest Ecclesia. Hanc humanæ fidei necessitatem consideravit Augustinus, atque ab ea, ad divinam compulsum se scribit lib. 6. confess. c. 5. *Considerabam*, inquit, *quam multa crederem, quæ non videram, neque cùm generarentur, adfuissem. Sic tam multa sunt in historia gentium, tam multa de locis, atque vrbibus, quæ non videram; tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus alijs, atque alijs credideram, quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Postremo, quam inconcussa fide fixum retinerem, de quibus parentibus ortus essem? quod scire non possem, nisi audiendo credidissem.* Huc illud spectat Gregorii l. 4. dialog. c. 2. *Sine fide neque infidelis vivit: nam si ab infideli percunctari voluero, quem patrem, vel quam matrem habuerit? Protinus respondebit, illum atque illam. Quem si statim requiram: vtrumne noverit, quando conceptus sit, vel quando natus, viderit? nihil horum se vel nosse, vel vidisse fatebitur; & tamen quod non vidit, credit, &c.*

Nemo

a S. Hil[illegible] l. de syn[illegible] v. Arian.
b Hieron[illegible] L[illegible] ciferan. c Vide B[illegible] de [illegible] c. 4.
d Aug. [illegible] SS. Trinit.
e Augustin. ibid. f Aug. [illegible] in de Trinit.

Nemo de parentibus suis dubitat, nemo ambigit, an sit Hispania, an sint Leones, & Elephantes; etsi neq; Romam viderit homo, aut elephantem, aut leonem, humanâ fide absq; dubitatione credit, quod non cernit. Si hominibus credimus, credamus magis Deo. Nemo disquirit, nemo disceptat, nemo ambigit, an Roma sit, & hoc ipsum in controversiam vocare dementiæ foret, eò quòd fides humana contrarium evincat. *At nihil certiùs, nihil constantiùs tenemus*, inquit Richard. Vict. l. 1. de Trinitate c. 2. *quàm quod fide apprehendimus: sunt namque patribus cælitus revelata, & tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur esse dementiæ, in iis vel aliquantulum dubitare.* Non proponitur hoc reconditum sacramentum disputandum, sed venerandum; non intelligendum, sed credendum; quod olim Eugenium, summum in terris Antistitem monuit a Bernardus: *Sacramentum hoc* TRINITATIS *magnum est, & quidem venerandum; sed non scrutandum: scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita est. & vita æterna est.* Ibi eum videbimus non in speculo, & ænigmate; sed sicut est, unus & trinus, facie ad faciem. Unde idem ille Doctor mellifluo suo sermone sic sponsam cœlestem, animam, SS. Triadis contemplationi intentam, inflammat. b *Ibi ibi illum, qui quæret, inveniet: & videbit gloriam eius, non gloriam quasi unius cæterorum, sed planè gloriam quasi unigeniti à patre. Quid facies ô sponsa? putas, potes sequi eum illuc, aut te ingerere audes, vel vales nunc tam sancto arcano, tamque arcano sanctuario, ut Filium in Patre, & Patrem intuearis in Filio? non utique; ubi est ille, tu non potes venire modo, venies autem postea. Age tamen sequere, quære, nec te inaccessibilis claritas à quærendo deterreat, ab inveniendo desperare faciat.* Sed nôsti, ò anima! quomodo accedere, quomodo quærere, quomodo invenire in hac mortali vita queat? *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Prope est,* inquit, *verbum in ore tuo, & in corde tuo. Crede & invenisti: nam credere, invenisse est. Nôrunt fideles, habitare Christum per fidem in cordibus suis, quid propiùs est? quare ergo secura, quære devota, bonus est Dominus animæ quærenti se, quære votis, sequere affectibus* (hanc SS. Trinitatem) *fide inveni. Quid non invenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumducit. Fidenter dixerim,* ÆTERNAM BEATAMQUE TRINITATEM, *quam non intelligo, & fide teneo, quod non capio mente.*

Hæc fidei doctrina maximè mirabilis sine ullis elementis, sine ullis enthymematis, aut syllogismis, demonstrationes omnes primæ veritatis sunt, quas *nisi credideritis*, non intelligetis. Beatus Thomas de Villa nova concione secundâ de Sanctissima Trinitate inducit Sanctum Bernardum „ hæc docentem: Tres mirabiles uniones fecit Deus. „ Primò, quòd humanitatem & „ Divinitatem univit in Christo.

a Bern. l. 5. de consideraт. ad Eugen.
b Bern. serm. 76. in Cant.

„ Secundò, quòd virginitatem „ & maternitatem univit in „ Maria. Tertiò, quod in intellectum & fidem in Christiano conjunxit; atque hæc unio facit, ut illam inaccessam, ineffabilem, incomprehensibilem Trinitatem, in animo solâ fide complectamur.

§. II.

Quâ ratione homo, perfecta Augustissimæ Triados imago existat, & esse debeat.

SUmmus rerum omnium Artifex Deus, ubi universam creaturam verbo condidisset, opus longè excellentissimum producturus, quasi in consilium, augustissimum sanctissimæ Trinitatis senatum adhibuit, ut in rem nostram sciè Rupertus Tuitiensis Abbas *a* observavit, scribens in illud Gen. *Faciamus hominem ad ima-* „ *ginem & SIMILITUDINEM NO-* „ STAM: Deus, inquit, mutavit „ hîc vocem suam; quippe qui „ hactenus de singulis dixit, „ fiat & factum est, producat „ terra, producant aquæ, & fa- „ ctum est: nunc tanquam re- „ spirandum, illi in mentem „ venit, adhuc unum deesse: „ faciamus, inquit, hominem, „ &c. ubi magnum planè con- „ silium, in illo trium perso- „ narum, Patris, & Filii, & „ Spiritus Sancti, non tam sena- „ tu, quàm soliloquio veneran- „ do, de nobis peccatoribus „ habitum est.

Hinc censent Sancti Patres, hoc loco in sacris paginis primum denotari Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, *b* in unitate, atque identitate substantiæ: nam illud *faciamus*, & illud *ad nostram*, perspicuè indicat multitudinem, & distinctionem personarum; illud verò, *ad imaginem & similitudinem*, & illud: *Dixit Deus, creavit Deus ad imaginem, & similitudinem suam*, substantiæ divinæ unitatem apertè declarant; ut fusiùs apud interpretes videre est. Porrò quod hîc agimus, quâ ratione immensæ, ac incomprehensibilis illius individuæ Trinitatis imago, homini indita sit, & nunquam non impressa manere debeat, disquiramus. Controversia non levis est, in quo situm sit, ut homo sit imago Dei? Ubi Cornelius decem variorum Doctorum opiniones, alii plures congerunt; è quibus quam Ambrosius adducit, maximè congrua & argumento nostro peraccommoda, quòd homo sit imago Sanctissimæ Trinitatis: sic enim ait sermon. de dignitate conditionis humanæ cap. I. *Anima quandam Sanctæ Trinitatis habet imaginem*; primò in eo, quod, sicut Deus *est*, *vivit*, & *sapit*; ita in anima secundùm suum modum *est*, *vivit*, & *sapit*. Est quoque & alia Trinitas in ea, quâ ad imaginem sui Conditoris perfectè condita est, tres in se habens dignitates, *intellectum, voluntatem & memoriam*: nec enim anima perfecta esse potest sine his tribus; & sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. est; non tamen tres Dii sunt, sed unus

a Rupert. l. 2. de Trinit.

b Pererius in Genes. l. 4. de creatione homin. c. 1. v. 20.

unus Deus, tres habens personas: Ita & anima, memoria: anima intellectus: anima voluntas est; non tamen tres animæ in uno corpore, *sed una anima, tres* habens dignitates. Hâc contemplatione in clara Valle sua defixus sanctus Bernardus cap. 1. meditat. sic ait: *Mens imago Dei est, in qua sunt tria: id est, memoria, intellectus, & voluntas; per memoriam patri similes sumus: per intelligentiam Filio: per voluntatem Spiritui Sancto.* Hinc suos suavissimè exstimulans, addit: *Nihil est tam simile illi summæ sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem in* TRINITATE *ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi eius memineris, eamque intelligas, ac diligas. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est, eumque intelligat, diligat, atque colat, cum quo semper potest esse beata.* Cùm itaque in his tribus, ejus imaginem mirabiliter gerat in sua natura, noster interior homo, jubemur, ut, in quantum intelligitur, diligamus unum Trinum Conditorem: & quantum diligitur, semper in memoria habeamus. Etenim ut Augustinus in illud: *Faciamus hominem ad imaginem nostram: Nostram dixit, quia conditus est ad imaginem* TRINITATIS; *ut imago* TRINITATIS *esset homo*: cui ut se totum conformet, unicum, & summum ardentissimi Augustini votum fuit: l. 15. de Trinitate cap. 8 *Meminerim tui Domine, intelligam te, diligam te; auge in me illa donec me reformes ad integrum.* Nihil rerum creatarum, has tres animi potentias occupare, nihil saturare poterat, nisi hæc beata Trinitas: Hoc alibi confitetur, *a fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum* (instar acus nauticæ, donec cynosuram respiciat) donec *requiescat in te.* Fecisti cor nostrum triangulare, capax immensæ illius Triados, quid mirum, si orbis, triangulum complere nequeat? avarum interroga, an quiescat, & satietur pecuniis? libidinosum percunctare, an expleatur brutis voluptatibus? ebriosum sciscitare, an tot cantaris & dictis exsiccatis saturetur? quisque verissimum illud fateri cogetur: *Inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Hoc experta olim Theresia, cujus totum cor occupavit Deus unus Trinus; vidit quippe die quodam, qualiter Deus esset unus in essentia, & trinus in personis, *quodque animam suam totam occuparet, totam impleret.* Ut la Nuza *b* disertissimè prosequitur. Clama & tu, ó anima mea! *c Non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus: aliquid æternum donet Deus, aliquid æternum concedat Deus, Det mihi tres panes.* Tres autem panes, qui nos satiant, ex mente Augustini, tres adumbrant Augustissimæ Trinitatis personas. Hæ solæ satiant, quia hîc rerum omnium plenitudo, hîc omnia supereminenter continentur: Ut *audio*, inquit Bernardus, *d plenitudo, quam exspectamus à Deo, non erit nisi de Deo: erit Deus omnia in omnibus, ut de corpore taceam, in anima* TRIA *intueor: rationem, voluntatem, & memoriam,* &

a August. l. 1. confess. c. 1.
b la Nuza hom. 25. §. 28. n. 11.
c Augustin in Psalm. 102.
d Bernard. serm. 11. in Cant.

& hæc TRIA *ipsam animam esse. Quantum cuique horum, in præsenti sæculo desit de integritate sua, & perfectione, sentit omnis, qui ambulat in Spiritu. Quare hoc? nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus. Hinc est, quod* RATIO *sæpissimè in judiciis fallitur, &* VOLUNTAS *quadruplici perturbatione jactatur, &* MEMORIA *multiplici oblivione confunditur.* Triplici huic *vanitati, nobilis creatura subjecta est; sed qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est* PLENITUDO LUCIS, *ipse voluntati* MULTITUDO PACIS, *ipse memoriæ* CONTINUATIO ÆTERNITATIS. Sed prô dolor! ab hac beatissima Trinitate, immensum nos separat alia Trinitas misera, & miseranda, Trinitas maligna, Trinitas diabolica, quæ mentes nostras, & facultates omnes possidet.

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas:
Hæc tria, pro TRINO NUMINE *mundus habet.*

Hoc est teste *a* Joanne: *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Quæ sic exponit *b* Cornelius noster: „ triplex hæc concupiscentia „ opponitur Sanctissimæ Trinitati; concupiscentia oculo„rum, *Deo Patri*; ipse enim est „ liberalissimus, nam suam es„sentiam, omniaque sua com„municat Filio, & Spiritui „ Sancto essentialiter; creaturis „ verò participativè, quibus „ insuper omnia tam liberaliter „ condidit. Concupiscentia car„nis, opponitur *Filio*, cujus ge„neratio non est Carnalis, sed „ spiritualis: gignitur enim à „ mente Patris, qua verbum, „ ideoque purissimus est Spiri„tus, ac omnis impuritatis car„nalis osor, & hostis. Superbia „ vitæ, opponitur *Spiritui Sancto*: quia ipse est spiritus hu„militatis, & lenitatis. Ut quisque nostrûm jure longè meritissimo, illud melliflui Doctoris *c* usurpare possit, & in has voces erumpere: *O veritas, charitas, æternitas! O beata, &* BEATIFICANS TRINITAS! *Ad te mea* MISERA TRINITAS *miserabiliter suspirat: quoniam à te infeliciter exulat. Discedens à te, quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus! Heu me! qualem pro te, commutavimus Trinitatem! Cor meum conturbatum est, & inde dolor; dereliquit me virtus mea, & inde pavor: & lumen oculorum meorum non est mecum, & inde error. En quam dissimilem* TRINITATEM, *ô anima mea Trinitas, exulans offendisti! verumtamen quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; cùm error scilicet* A RATIONE, A VOLUNTATE *dolor, atque* A MEMORIA *timor omnis recesserit, & successerit illa, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet* VERITAS DEUS; *secundum,* CHARITAS DEUS: *tertium,* SUMMA POTESTAS. *Ut sit Deus omnia in omnibus.*

Hanc miseram, execrandam, diabolicam Trinitatem animo expellamus; quod vel ab ipsis idololatris factitatum legimus. *d* In Cathayo latissimo Regno, Sacerdotes Tiberensiũ in Collegiis degunt, ut religiosi: omnes paupertatem colunt, ex eleemosynis victitantes & cælibes perseverant: silentii obser-

van-

a 1. Cor. 2. b Cornel in 1. Ioan. 2.

c Bernard. serm. 11. in Cant.

d Nierenberg. hist. nat. l. 8. c. 17.

vantiſſimi, ſolis nutibus loquuntur, duas horas manè, & duas veſperi orationi dant, totidem lectioni ſacræ quâ peccata remitti arbitrantur: reliquum tempus in ſilentio traducunt. In templis, inter aurea ſimulachra fœmineam effigiem colunt, quæ in altum manus extollit inſtar orantis, quam dicunt eſſe Dei matrem. Deum Trinum, & unum fatentur, ſecundam perſonam Trinitatis *Librum magnum* vocant. Hunc cætum ſacerdotum, Rex triplici inclinatione capitis veneratur. Illud cumprimis mirandum, & imitandum, primo die cujuſque menſis, ſolemnis pompa adornatur, efferunt extra civitatem tres horrendas effigies cacodæmonum: hâc ceremoniâ quot menſibus, civitatem tribus dæmonibus (quo ritu illo putant ablegari) purgare, & expiare conſueverunt. Utinam nos quoque menſe, ex urbe hac, ex animo cujuſque, *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ*, tria teterrima monſtra, proſcribamus! utinam ex *memoria*, omnes injuriæ nobis, ac noſtris illatæ, omnes fœdæ imagines, omnia ſimulachra Veneris: ex *intellectu* omnes errores, & Machiavelliſtica axiomata, mundi principia, technæ & fraudes: ex *voluntate*, prava deſideria, concupiſcentiæ, & pravi amores, tota denique hæc *miſera Trinitas* efferantur. Utinam, ad quam creati ſumus, increata illa Trinitas in nobis renovetur! S. Thomas 1. p. q. 93. art. 4. agens de imagine Dei, quæ relucet in homine, eam triplicem deſcribit: *Prima imago eſt* CREATIONIS, *ſecunda* RECREATIONIS, *tertia* SIMILITUDINIS. *Primam* ait, inveniri in omnibus hominibus, omnes enim intellectu præditi, memoriâ, & voluntate; *ſecundam* in juſtis tantùm reperiri: imago namque recreationis, ſive renovationis, eſt gratia & juſtitia, quæ in ſolis juſtis eſt, dum homo per gratiam, ut loquitur Paulus, fit *a nova creatura*. *Tertiam* ait ſolam eſſe in beatis, qui perfectiſſimè Deo ſimiles. Pinxit Sanctiſſima Trinitas primam imaginem creationis; nobis, adjuvante ipſius potenti manu, perficiendam reliquit, ſecundam imaginem renovationis, ut tandem imaginem *glorificationis* aſſequamur. Unde Beatus *b* Baſilius: *Opifex quiddam tibi contulit* (id eſt, imaginem creationis) *quiddam reliquit perficiendum* (id eſt, imaginem renovationis) *ut id, cùm ad perfectionem promoveris, pronunciaris dignus, qui mercedem inſumptæ operæ recipias*, per imaginem glorificationis; idque exemplo eorum, qui hoc ſanctiſſimo colendæ Trinitatis ſtudio, ad torporem nobis excutiendum, præcelluerunt, & ardentiſſimo in eam amore præluxerunt.

§. III.

Quinam cultores Auguſtiſſimæ Triados omnino eximij extiterint?

QUidquid unquam cultus, religionis, venerationis, laudis, gloriæ, ſanctis Virginibus, Confeſſoribus, Martyribus, Apoſtolis, ſanctiſſimæ Dei Ma-

a 2. Cor. 5. b Baſi. hom. 10. in hex. m.

Matri, ipsius Christi humanitati, omnisque sanctitatis sacrario, Eucharistiæ sacramento, à mortalibus usquam terrarum exhibitum est, id omne, modo longè excellentissimo, Augustissima illa divinitatis *Trias*, suo sibi jure à nobis deposcit, ut Angelico suo stylo Doctor Aquinas, *a* illud Roman. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* de Trinitate exponens ait: *Nam ex eo, quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, debetur ei honor, & reverentia, & subjectio, à tota creatura, idque in omni æternitate.* Unde nemini mirum videbitur, si reperti, qui totos sese hujus cultui, ac venerationi dediderunt; è quibus paucos ad praxim, & imitationem induxisse sufficiat. Nórint fortè pauci, undé, à quo, quové motivo, in Ecclesiam aurea illa, & prorsus divina, sub Missarum solemnia præfatio, *quam laudant Angeli & Archangeli*, inducta sit: *Qui cum unigenito Filio suo, & Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus, non ex unius singularitate personæ; sed in unius Trinitatis substantia: quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus, ut in confessione veræ, sempiternæque Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas.* Hujus præclarus Auctor, Sanctissimæ Trinitatis eximius cultor, fautor Sanctus Augustinus, de quo audi rem miram & portentosam. Divini illius Doctoris cor, etiamnum inaudito prodigio quotannis quem amavit, & amat, clamat Sanctissimam Trinitatem, atque in ea se conquiescere contestatur: sic enim ex pervetustis Hispaniæ, & Germaniæ codicibus, manu exaratis, *b* Ludovicus de Angelis, de corde Beati Augustini, Doctoris ter maximi, suique in Christo parentis sanctissimi ad Sigibertum Lurudunensem Episcopum, ab Angelo, *c* quondam delato, ac cœlitus eidem summis, infimisque precibus, supplicanti donato, in hunc fere modum exscripsit: cum piéntissimo jubente Præsule, Clerici *pro gratiarum actione Te Deum laudamus inciperent, mira res! & super naturam mirabilis! cum enim Versiculum* SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, *Dominus Deus Sabaoth, canerent,* COR *in crystallo se movere cœpit, & quasi os ad laudem Dei aperuit, tanquam diceret: O* SANCTA TRINITAS, *te dictando, prædicando, scribendo, canendo laudarem, si in corpore meo viverem: quo viso totus Clerus, & populus Dei, laudem clamaverunt, & Beatum Augustinum dignis præconiis extulerunt, dicente: O Sancte Augustine, lumen Ecclesiæ ora pro nobis.* Necdum satis; ut enim certioribus argumentis, constaret posteris, fragrantissimum illud cor, esse verum, germanumque tanti Doctoris, *Singulis quoque annis* (sic pergit scribere laudatus auctor) *in festo* SANCTÆ TRINITATIS, *cum Missa canitur, & cor super altare ponitur, mox omnibus intuentibus se cor movere incipit, quasi piscis in aqua, & sic inolevit ex institutis Romanorum Ponti-*

a S. Thom. in epist. ad Rom. 11.

b Ludovic de Angelis lib. 6. de vita & laud. S. Aug. c. 5. c P. Johan. Ferrin. in disquisitio Reliquiar. l. 2. c. 2. pag. 419.

Pontificum, *quod semper in festo ejus canitur* PRÆFATIO DE SANCTA TRINITATE.

Nunc verò ut prosequamur, qualis, quantusq; Augustissimæ Triados cultor Augustinus exstiterit, ardentissimum ejus cor, miraculum sanctorum maximũ loquatur, de quo Jordanus de Saxonia *a* vir non eruditione minus, quàm vitæ sanctimoniâ clarissimus, in hæc verba: *Secundum probatissimorum virorum auctoritatem, in tota Ecclesia fide digna, famatum est, quod cor istius Doctoris inclyti in una crystallo inclusum, quoties* SANCTA TRINITAS *coram eo nominatur, vel* LIBER EIUS DE TRINITATE *expandebatur, cor ipsum quasi vitaliter, & intellectualiter exultabat, cujus simile de nullo alio Sancto dicitur.* Deinde aliquantò post subdit: *Quod cor Augustini post mortem habuit motus vitales, imo quasi intellectuales, exultando ad præsentiam verborum* SANCTISSIMÆ TRINITATIS *dictorum, vel scriptorum.* Hæc, aliaque vir pius, & eruditus.

Idem miraculum, de mirabili ejus cordis motione, miraculoque penitus inusitato confirmat Hieronymus Romanus, *b* Annalium Ordinis Eremitarum Beati Augustini conditor. Inde factum volunt aliqui, cur Sancto Augustino cor ad manum depictum exhibeatur. Hoc insuper Romæus addit planè singulare, prodigiisque maximis simillimum: *Notandum ex historiis illustrioribus ac veris, nunquam in Ecclesiam, ubi cor S. P. N. Augustini erat, ingressum fuisse hominem hæreticum, vel enim intus moriebatur, vel in limine cadebat: hac de causa pingi solet Augustini cor in vase pulchro super altare, ante quod multi jacent hæretici consternati, & emortui.*

Hæc tot testibus, & virorum gravissimorum auctoritate confirmatâ, nullum dubitationi locum relinquunt, sed mirandi nobis hujus divinissimi Doctoris viam ostendunt, ut cor nostrum, vel ad solam Sanctissimæ Trinitatis vocem submississimo venerationis, & adorationis actu, corpore, & animo se inclinet. Ad quam *c* pietatem fovendam Damasus Pontifex, in Ecclesiam universam induxit, ut sacris initiati, seu in choro publicè, seu in privatis officiis, ad singulos Psalmos pro coronide adjicerent, illud solemne, & Sanctissimi Triadi sacrum: GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO. Brevis oratio, *d* sed quæ compendio breviore contineat, quidquid cœlo, terrisque sanctum, adorabile, divinum. Brevis oratio; sed quæ Deo appellat quàm gratissima. Brevis oratio, sed quam in excessu mentis, patentibus cœli valvis, audiit è cœlo Regia S. Ignatius Martyr, ac deinde ad mortales retulit, ut & ipsi beatarum mentium æmuli, illis etiam qua mente, qua voce, summa veneratione accinerent: & certe quid ni accinant, in terris ævo breviore, quod deinde in cœlis, ipsa quanta est æternitate: ad quam & vos duci, & in hæc Religionis officia trahi cupio, tum pia sanctorum æmulatione, tum

a Jordan. de Saxonia serm. 249 Ioan. Ferrand. cit. b Hieronym. Roman. cent. Augus. centur. 6, ad ann. 51.

c Praxes colendi SS. Trinitatem.
d 1. Summa veneratione pronuntiare (Gloria Patri. &c.)

ne, tum ipsius Venerabilis Bedæ exemplo, cui ut in omni vita, sic & in morte, adeo familiaris fuit ea oratio, adeo in ore frequens: *Gloria* PATRI, *&* FILIO, *&* SPIRITUI SANCTO. ut illud cygnea voce concinens, animam efflarit; fortunato mortis genere, & bonis omnibus invidendo: cui ut simile quis vestrum sortiatur, author sum ut & sæpius, & eo quo par est pietatis æstu, repetas augustum illud acroama: *Gloria* PATRI, *&* FILIO, *&* SPIRITUI SANCTO; non voce tantum, & inani labiorum sono, sed cordis, intimique animi affectu, & externa ipsius corporis reverentia, *a* vel solius Sanctissimæ Triados nomen usurpando. P. Gonsalvus Silveria Martyr illustris, Rector Collegii Goani, compertus est uno die salutasse, & adorasse decies millies, Sanctissimam Trinitatem. Quod eo cordis æstu, proferebat B. Ægydius, S. Francisco socius intimus, ut qui cum eo loquebantur, studiose cavere deberent, *b* ne nomen SS. Trinitatis proferrent: quia mox extasim patiebatur, & animus à sensibus avocabatur.

Atque hoc sacratissimum nomen, *c* in quovis discrimine invocandum, suadet illud quod de B Anna, de S. Bartholomæo legimus, quæ dum proficiscitur, spectro quodam conterrita, in terram corruit, hæc verba inclamans: SANCTA TRINITAS *miserere mei.* Ad se reversa, viæ ignara, conspexit ante se tres viros in albis, donec in viam, & ad tutum diversorium deduxissent: quibus ilico disparentibus, neutiquā dubitavit quin tres SS. Triados personæ, aut tres cœlestes genii ab illa missos, ductores ac tutores habuerit. Nec minus *d* præsens corporis, & animæ periculum, evasit adolescens ille probus & pius, quem Mesites homo magicis artibus, ac diabolicis præstigiis clam deditus, in famulum assumpsit. Hunc ut ad suas partes & artes pertraheret, ac cacodæmonis cultui consecraret, sub vesperam equo conscenso, secum peregre profecturus, socium adlegit, jamque concitatissimo cursu, ad amplissimum Palatium devecti, in penitius cubile ad Dominum splendidæ ac dapsili mensæ accumbentem deducti. Cui cum Mesides in terras pronus, suum obsequium atque hunc Adolescentem ei in famulum offerret, respondit Adolescens se servum esse Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti; atque secum omnia momento evanuere, seque in sterili ericeto conspiciens, ad suos remeavit.

Alterum, *e* quod ad Augustissimi hujus mysterii gloriam propagandam facit, est sæpius, & ardenter precari, ut omnes infideles, Pagani, Hæretici, atque ipsi etiam Catholici, in fide vacillantes, ad agnitionem hujus lucis venire queant, quod B. Magdalena de Pazzis spectasse videtur, quæ singulis diebus manè adorabat SS. Trinitatem,

a 2. Sæpe per diem salutare & venerari SS. Trinitatem. Biblioth. script. Soc.
b Surius in vita. c 3. SS Trinitas in periculis invocanda. Barrii l'annee Sainčte p. g 164.

d Radeus in aula Sancta Theodosii.
e 4. Orare pro infidel. & hæreticis ut SS. Trinitatem agnoscant. Barri l'annee Sainčte pag. 162.

tatem, deprecabaturque pro is qui eam ignorabant, nec cognoſcebant. Nos verò, qui eam fide tenemus, attentâ mentis contemplatione, ſæpius per pios affectus, fidei, ſpei, charitatis, Religionis, ſubjectionis, adorationis, admirationis, nobis præſentē ſiſtamus. Nec eſt quod hic Myſterii profunditas, aut immenſa illa Majeſtas deterreat: *Numquid quia totum fluvium ebibere nequeo*, inquit *a* Cyrillus, *id quod mihi commodum eſt, ſub menſurâ non hauriam? numquid cum Solem oculis comprehendere nequeam, etiam lucis illius uſum, quantum ſufficit, non aſpiciam; & ſi in hortum magnum ingreſſus fuero, & omne genus fructuum comedere non potuero, viſne ut inde exeam?* conemur hic illam, quantum poſſumus in ſpeculo, & in ænigmate contemplari, ut eandem facie ad faciē contueri valeamus: *b in illa enim* TRINITATE *ſumma origo eſt rerum omnium, & perfectiſsima pulchritudo, & beatiſsima delectatio. Qui videt hoc vel ex parte, per ſpeculum in ænigmate gaudeat, cognoſcens Deū, & ſic Deum honoret.*

Quod ſi quis *c* hoc etiam mente rimari, & vel in ſpeculo etiam ſpeculari reformidet, laudabilem illam methodum uſurpet, quam P. Nicolaus Serarius *d* per Germaniam induxit, recitandi Roſarium Seraphicum, ſive Sanctiſſimæ Trinitatis: ad quinque majora grana, legendo *Pater* & *Ave*; ad quinquaginta minora, quinquagies *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria tua. Gloria* PATRI & FILIO & SPIRITUI SANCTO, *ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.* Ita in praxi faciunt, inquit, eruditus Scriptor, multi docti, & pii viri, magno fructu. *e* Eſt enim primò profeſsio fidei Sanctiſsimæ Trinitatis. Secundò eſt exercitium Religionis, ſpei, charitatis, aliarumque virtutum. Tertio, imitatio vitæ Angelicæ, & quaſi beatitudo inchoata, tota enim æternitas beatorum, non eſt niſi aſſidua laus, & gratiarum actio. Nihil hoc ſanctius, nihil Deo dignius, & gratius, nihil homini utilius orari, aut fieri poteſt. Ita ille, qui pro temporis brevitate, aliud Sanctiſsimæ Trinitatis Roſariū præſcribit, quod tres dumtaxat habet decades: ad tria majora grana dicitur: *Benedicamus* PATREM, & FILIUM, *cum* SANCTO SPIRITU, *laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.* Ad decem minora: *Gloria* PATRI, & FILIO, & SPIRITUI SANCTO, &c.

Tum ſubdit, qui hoc pium exercitium frequentarit, illi in morte dici poterit: *Licet enim peccarit; tamen* PATREM, & FILIUM, & SPIRITUM SANCTUM *non negavit, ſed credidit.*

Qui volet, huic poterit addere Hymnum illum S. Hildeberti Epiſcopi Cœnomanenſis, de Sanctiſsima Triade.

Nate Patri coæqualis,
Patri conſubſtantialis:
Patris ſplendor, & figura,
Factor factus creatura.
Carnem noſtram induiſti,
Carnem noſtram ſuſcepiſti,
Sempe-

a S. Cyrill. Hieroſoly. Catech. 6
b Auguſtin. lib. 6. de Trinit. in fine.
c Cornel. a Lapide in Iſa. c. 6
d S. P[illegible] recitand. Roſarium Sanctiſſimæ Trinit.
e Cornel. cit.

Sempiternus, temporalis.
Paracletus increatus,
Neque factus, neque natus:
Patri consors, genitoque,
Sic procedit ab utroque:
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate.
Quanti illi, tantus iste:
Quales illi, talis iste,
Ex quo illi, ex tunc ille:
Quantum illi, tantum iste.
Pater alter, sed gignendo,
Natus alter, sed nascendo,
Flamen ab his procedendo,
Tres in unum subsistendo.

Denique, ut omnia simul complectar, plurimum conducit, opera, studia, actiones omnes, Sanctissimæ Triadi dicere, ad eam omnia referre, re ipsa exhibenda opera, quæ vel ipso numero SS. Triadem spectare videantur, ut est trina genuflexio, trina capitis inclinatio, danda pauperi Eleëmosyna? detur tertio: pascendi famelici: tres pascantur, hospitio peregrini excipiendi: tres excipiantur, ut olim ab Abrahamo. Denique, omnia nostra, numero ternario, seu cælesti tessera insigniantur. Quod ad stuporem a servavit, P. Franciscus Folianus, vir notæ sanctitatis, & Sanctissimæ Trinitatis cultor eximius: eam in omni oratione frequentissime, suavissimeque, sed unquam nisi aperto, inclinatoque capite appellabat, multa suo Marte de ea descripsit, & pie commentatus est; sed divinæ *Triados* nomen, non nisi de genibus scribebat, & quidem grandioribus literis, elegantique charactere, quod non exigui laboris fuit in eo, quod sibi ex caritate imposuit onere: nam omnia Alphonsi Salmeronis volumina; ad minimum bis exscripsit, & præterea etiam aliorum, in quibus necesse fuit Sanctissimæ *Triados* nomen, sæpissime occurrere. Inhabitabat Romæ cubiculum triangulare, tribus asseribus pro strato utebatur: in sacro, præfationi quam temporis ordo præscribit, alteram de Sanctissima Trinitate, probante summo Pontifice, submissa voce subjungebat. In mensâ cultrum, fuscinulam, & cochlear, in formam triquetram disponebat: panem ter Cruce signabat, tria ex illo frusta scindebat, nunquam plus quam tribus ferculis vescebatur: Cibos si tripartiti dabantur, non attingebat, nec si terni fructus una lance inferebantur. Alia, tres prius in partes dividebat: minutiores fructus, ut sunt Amygdala, uvæ ternos simul ori inferebat, ter quaque cibatione bibebat. Obambulabat in triangulum. Rosarium habebat tridens trium decadum, & tricolore licio confertum. Atramentarium à legendo, scribendoque, post tertium folium interquiescebat. Sæpe triangula pingebat æquilatera, illorumque proprietates divinis mysteriis accommodabat. Solemne illi erat *b* effatum: *Tria sunt omnia.* Oculatus testis P. Antonius Grenu Romæ P. Foliano Comes additus, summo caniculæ æstu, soleque ardentiore, cum hic umbram captare percuperet, Franciscus de repente substitit, & in solem defixis oculis, diu hæsit, exclamans, inde sibi refrigerium; ac tandem, ubi contemplandi finem fecit, socio

a Bibliothec. scriptor. Societ.

b Lobbet. dom. SS. Trinit.

socio in flagrantissimo Solis ardore æstuanti, exposuit se in Sole spectasse tria, *esse*, *lucere*, *ardere*, & his tribus adeo delectatum, ut dies totos in ea consideratione facile transegisset, nisi aliò obedientia evocasset. Tenuit ea devotio per triginta integros annos, quibus totus fuit in cultu Augustissimæ Triadis; maxime vero sub solemni ejus festivitate, ad quam octiduo toto, geminato orationis, & pœnitentiæ penso, se comparabat. Tum vero ut in conspectum ejus digne procederet, vespere Sanctissimæ Trinitati festum præcedente, Sacerdotali apparatu indutus, tota nocte pervigil, eam contemplando constabat. Denique mane inter inexplicabiles animi delitias, sacrum ad horam producebat. Eademque contentione pietatis, octavam diem peragebat. Plura non prosequor, quoniam in exsecto corde, unius & Trini, relicta vestigia, satis Religionem, honorem, amorem, testantur. Hæc quisque nostrum sectando illud Augustini *a* exoptet, & exclamet: *O beata* TRINITAS! *in omnibus*, *per omnia*, *& ubique*, MEMINERIM TUI, INTELLIGAM TE, DILIGAM TE, *Donec ista me reformet in integrum*, ubi perfecta beatitudo est, cognitio, & fruitio Trinitatis.

a August. l. 5. de Trinit. in fine.

OCTAVA

OCTAVA SANCTISSIMI CORPORIS DOMINI SUB SACRAMENTO MIRABILI.

Memoriam fecit MIRABILIUM *ſuorum.* Pſalm. 110.



MAXIMUS IN MINIMO.

MIrabilis Deus in ſanctis ſuis, Mirabilis in omnibus operibus ſuis; ſed nuſquam mirabilior, quam in SACRAMENTO MIRABILI: ubi velut exhauſtâ potentiâ exiſtit MIRACULUM *ab ipſo factorum maximum.* Fecitque *Memoriam* MIRABILIUM *ſuorum.* Pſalm. 110

I. Mirabi-

I. Mirabilium. Maximus in minimo.

Caro cibus, sanguis potus; manet tamen Christus totus sub utraque specie.

Totus hic, quantus quantus est, immensus ille Deus, sub minima mica ac stillicidio existit; ut & nos doceat humilitate ac demissione minimos, catelli instar, ex hac mensa micas emendicare.

II. Mirabilium. Transubstantiatio.

Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.

Quam divinam metamorphosim, ubi contra Heterodoxos solidis argumentis & dilucidis rationibus ostendero, fideles omnes, qui hoc cælesti cibo reficiuntur, vitâ & moribus in Christum transire debere comprobabo.

III. Mirabilium. Replicatio.

Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille.

Quia unus ille qui sumitur, millies & millies, & ubique in Eucharistia est. Quod stupendum prodigium, majorem ejus in nos amorem declarat, nec minorem à nobis venerationem postulat, quam si semel, aut uno in loco SS. illud corpus in Eucharistia sumendum exponeretur.

IV. Mirabilium. Cibus indeficiens.

Nec sumptus consumitur.

Quod nullis aliis conviviis conceditur, quæ quantumvis splendida, ac regia paucis diebus, aut ut opulentissimum Assueri, aliquot mensibus, finiuntur.

V. Mirabilium. Inter sacrilegorum sicas illæsus.

A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.

Detestandas ac plane execrandas Sanctissimæ Christi Corporis hostiæ injurias Judæi, Magi, aliique sacrilegi, calcibus proterendo, brutis objiciendo, stilis configendo, inferre conati sunt. Sed Christus hic radii instar solaris, illæsus & indivisus persistit. Unde monet Bonaventura, ut & cor nostrum indivisum, ac integrum offeramus. Atque ad hoc Sacramentum concordiæ, quod a *ex iis quæ ad unum aliquid*

a S. Thom. opusc. 57.

aliquid rediguntur, instituit, omni odio ac dissensione se-
posita, accedamus.

VI. Mirabilium Veneratio à brutis exhibita.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fide.
præter rerum ordinem.

Qui ordo hic omnis invertitur, dum ipsa bruta animan-
tia, quem homines creatori suo cultum ac venerationem
negant, exhibent.

VII. Mirabilium. Species extra subjectum.

Sub diversis speciebus, signis tantum & non rebus.

Latet Deus noster absconditus, qui dixit quod habitaret
in nebula; sub his tamen quasi pellibus Esau, noster Jacob
delitescens, mille benedictionibus nos adimplebit.

VIII. Mirabilium. Omnis bonitatis & sanctitatis com-
pendium.

Latent res eximiæ.

Adeo ut quidquid mente excogitari, vel exoptari queat,
hic eminentissimo modo contineatur: Alterum est, non
solum omne bonum hoc Sacramento contineri, sed & o-
mnibus malis ipsum mederi.

OCTAVA

OCTAVA

SANCTISSIMI CORPORIS DOMINI SUB SACRAMENTO MIRABILI.

Memoriam fecit MIRABILIUM *suorum.* Psalm. 110.

VEteres, ut *fidem* oculis subjicerent, & penicillo in tabulâ exprimerent, pingebant venustam, oculis fipario obductis, Virginem, quæ Regem vinctum; aliosque potentes Dynastas, ad pedes suos prostratos attinebat. Inaurem hæc ore, manu verò sacrum calicem, cum hostiâ præferebat. Quo, quid aliud innuebant, quàm quod *Fides*, Virgo hactenus incontaminata; & oculis quidem velata, quia *a Fides est credere quod non vides*. Rex, aliique Dynastæ, catenis aureis constricti, intellectus est, cum aliis facultatibus, & quinque sensibus: quos jubemur *b in captivitatem redigere* in obsequium fidei; quæ præstat *c supplementum, sensuum defectui*. Inaurem ore refert, quia FIDES *ex auditu*. Calix autem, & sacratissima hostia, præcipua sunt & præstantissima fidei nostræ symbola, quæ tam sublime, tam subtile, tam admirabile in te recondunt Sacramentum, ut omnem humanam, imo & Angelicam excedat facultatem, & nisi *d credideritis, non intelligetis.* Est namque illud infinitum Omnipotentiæ divinæ, velut exhaustæ argumentum. Unde scitè & eruditè Doctor Angelicus quærit, cur in fidei symbolo hoc tam arcanum mysterium insertum non fuerit? sic etenim 22. quæst. 1. art. 8. disserit: *Utrum articuli fidei convenienter enumerentur?* ad 6. sic ait: *Sacramentum Eucharistiæ habet specialem difficultatem præ multis articulis, ergo de eo debuit poni specialis articulus.* Ad quod respondet: *Dicendum quod in Sacramento Eucharistiæ miraculose ibi Corpus Christi continetur, &* SIC CONCLUDITUR SUB OMNIPOTENTIA, *sicut & omnia alia miracula, quæ* OMNIPOTENTIÆ *attribuuntur.*

Fecit quidem increata Numinis sapientia, & infinita potentia, innumera alia signa, prodigia, & mirabilia magna; verum hoc est *e* MIRACULUM *ab ipso factorum* MAXIMUM.

a Aug serm. 27. de verbis Apost.
b 2. Cor. 10 5.
c S. Thom Rom. 10. v. 17.

d S. Thom. opusc. 59. cap. 1.
e S. Thom. opusc. 57.

Tripliciter solent aliquæ res dici mirabiles: Primo, quia stupendæ molis, ac magnitudinis; sic miramur inter feras elephantem, inter pisces balenam: inter aves gryphos, struthiones.

Secundo, quia res insolitæ: sic miramur Eclipses Solis, cometam novum, a *mirabiles elationes maris*, terræ motus, &c.

Tertio, res incognitas, peregrinas aves, pisces, homines ab extremis orbis finibus. Atque hinc, ait Aristoteles in Metaphysica, propter *nostrum admirari, cœperunt Philosophi Philosophari.*

Haud aliter Patres in veteri lege, tria mirati sunt in Deo. 1. Potentiæ infinitatem in rerum creatione, juxta illud Psalm. 25. *Quoniam magnus es tu, & faciens* MIRABILIA, *tu es Deus solus.*

2. Mirabantur sapientiam, seu prudentiam in gubernando, quæ omnem captum nostrum excedit: Psal. 138. MIRABILIS *facta est scientia tua ex me.*

3. Bonitatem, quam prodigiosis signis commonstravit filiis Israel. Exod. 3. *Percutiam Ægyptum, in* MIRABILIBUS *meis.* Sed hæc miracula tantum umbræ, & figuræ fuerunt sequentium; ideo clamabant: b *Innova signa, immuta* MIRABILIA. Psal. 105. *Fecit Deus magnalia in Ægypto,* MIRABILIA *in terra Cham, terribilia in mari rubro.*

Magna hæc, mira hæc, & mirabilia valde; sed majora, mirabiliora postea patravit, non in Ægypto, sed in Bethlehem: non in mari rubro, sed in purpureo sanguinis sui balneo; non in Manna, sed in Sanctissimo Eucharistiæ epulo, *memoriam fecit* MIRABILIUM *suorum.* Psal. 110. in hoc quippe Sacramento, ut ait c S. Thomas, *Deus tot, & tanta mirabilia inclusit, quod in ipso videtur quasi omnium* MIRABILIUM, *quæ ab initio Mundi fecit, memoriam renovasse*, eaque longe exsuperasse. Unde Urbanus VI. in institutione festi hujus, vocat *stupendum super omnia* MIRACULUM.

Quidni exclamem cum Hieronymo, qui auctore Eusebio proxime ante mortem, viso sacro Viatico, in has voces prorupit: *O ineffabilis admiratio! O omnium novitatum novitatem!*

d MIRABILIS *Deus in Sanctis suis*; mirabilis in cœlo Ezechias cum Solem retroëgit: Moyses in aëre mirabilis, dum tranquillum tonitruis commovit, commotum nova luce serenavit. Mirabilis in mari Jonas sub undarum mole, triduo superstes. Verum enimvero nemo mirabilis ut Deus, *qui facit* MIRABILIA SOLUS. Psal. 71. *quoniam* inquit e August. *quæcumque faciunt, ipse in eis operatur, qui facit* MIRABILIA *solus. Fecit Moyses sed non solus. Fecit & Elias, fecit & Elizæus, fecerunt & Apostoli; sed nullus eorum solus: illi cum facerent, tu cum eis. Tu quando fecisti, non illi tecum: non enim tecum fuerunt, quando & ipsos fecisti.* Et in f Ps. 76. v. 15. *Tu es Deus qui facis* MIRABILIA *solus*, sic ait: *tu vere magnus Deus*

a Psal. 92. b Eccl. 36. v. 6.

c S. Thom. opusc. 57. c. 1. d Psal. 67. e August. in Psal. 71. v. 18. f & Psal. 76. v. 15.

Deus faciens mirabilia, in corpore, in anima, solus faciens. Audierunt surdi, viderunt cæci, convaluerunt languidi, surrexerunt mortui, constricti sunt paralytici. Tum disertissimè ad mores velificando, subdit: *sed miracula ista fiunt in corporibus; videamus in anima: sobrii sunt, paulo ante ebriosi: fideles sunt, paulo ante Adoratores simulachrorum: res suas donant pauperibus, qui alienas ante rapiebant.* Quæ mirabilia, utinam hodierna luce, & in vobis operentur; qui antea lascivus, nunc castus: qui antea iracundus, nunc mansuetus: qui antea superbus, nunc humilis, non amplius *a ambulans in magnis & MIRABILIBUS supra se.* De his mirabilibus exclamat: *Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis MIRABILIA solus:* Atque hæc omnia mirabilia, quæ in Sanctis suis solus Dominus operatus est, mirabilium omnium longe mirabilissimum, Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, adeò mirabiliter excedit, ut omnia naturæ principia, omnia Aristotelis prædicamenta, manifesto evertere videatur. Est enim miraculum in substantia, miraculum in accidentibus, miraculum in quantitate, miraculum in qualitate &c. ut alibi *b* demonstravimus. Ut verissime, & *c specialissime dici possit & debeat* SACRAMENTUM FIDEI: *quia tot & tanta sunt ibi supra, & præter, &c. etiam contra rationem naturalem, ut nisi per fidem tenerentur, & crederentur, nunquam intelligerentur.* Palpari possunt hæ tenebræ, non videri.

Porro cum omnia hæc mirabilia, quæ sub SACRAMENTO MIRABILI, ut per totum orbem universa decantat Ecclesia, continentur, nec hujus temporis, nec humanæ capacitatis sit enarrare, octo duntaxat per celeberrimos hujus solennissimæ Octavæ dies rimanda, & miranda proponam.

PRIMUM

MIRABILIUM. *Maximus in minimo Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus* TOTUS, *sub utraque specie.*

CONtroversia non vana, nec profana; sed sancta & piis mentibus, ipsis etiam cælitibus condigna est, num mirabilem magis Deum in majestate illa infinita, atque immensa, per infinita spatia magnitudine venerari; an vero cum tantus sit, parvulum in cunis & sub Eucharisticis speciebus, velut in atomum contractum, cum amabili stupore juverit nos contemplari? Psaltes Regius in ejus magnitudine totus admiratione defixus, in pios hosce ardentis pectoris affectus prorumpit: *a* MAGNUS *Dominus, & laudabilis nimis, &* MAGNITUDINIS EIUS NON EST FINIS. Job illum etiam *b excelsiorem cœlo* contemplatur. Sapiens 2. Par. 6. ait: *Cœli cœlorum non te capiunt.* Hoc immenso divinæ magnitudinis Oceano abreptus Hipponensis Antistes, *c* cum Davide, admirando exclamat: MAGNUS *Dominus, & laudabilis valde. Ideo dixit valde, quia* MAGNITUDI-

a psal 120. Aug. cit. b Lux Evangel. p. 2. dom. 2. post Pent. c S. Thom. opusc. 59. cap. 1.

a psal 144 v. 3. b Job. 11. c Aug. in Psal. 144.

NIS *ejus, non est finis*. Illius MAGNITUDO *sine fine est, & tua laudatio sine fine sit* : & alibi: *a fratres mei*, MAGNUM *Deum, habemus: Miraris Mundum? quare non artificem mundi? suspicis cœlum, & inhorrescis: cogitas universam terram, & contremiscis maris magnitudinem &c. omnia ista quam* MAGNA, *quam pulchra, quam stupenda. Ecce qui fecit omnia Deus tuus est*, ac tandem concludit: MAGNUM *habemus Deum*.

Alij è contra, liquidissima mentis dulcedine perfunduntur, dum attendunt quomodo tantus ille gigas, aliter quam olim Elisæus *b* decrevit, & *c contraxit se majestas*. Sic enim in spiritu Isaias, *d* quasi præsentem intueretur, cum gaudio exultat, dicens: PARVULUS *natus est nobis, & filius datus est nobis*. Illum quiden sapientia, potentia infinitũ, gloria & majestate immensum contemplari *sublimius est*, inquit Bernardus; at parvum in præsepio, minimum in Eucharistiæ orbiculo, *hoc suavius est*. Quid, quod Tertullianus *e* asserat, *Deũ tunc* MAXIMUM *esse, cum hominibus* PUSILLUS. Quare priusquam huic quæstioni faciam satis, libet indagare in rebus humanis, nũ Deus magis laudabilis, amabilis, & admirabilis in magnis, an in parvis existat; nam ut disertissimus Oratorũ: *f parva magnis sæpe rectissime comparantur*.

Ac primum quidem quam divina magni numinis potentia, sapientia, bonitas in proceræ staturæ hominibus, in immanis magnitudinis gigantibus laudanda, & admiranda sit, vos ipsi judicate.

a Aug. in Psal 145. b 4. Reg 4. c Bern. serm. 3. in Vigil. nativ. d Isa. 9. v. 6. e Tertull. adv. Marcion. f Cicero ad Marcum Brutum Orat.

Adamus humani generis caput (quem Deus optimus maximus sicut ætate florentem, sapientia ornatum, virtutibus circumspectum, viri pulchritudine decorum, ita magnitudine condidit ex omni parte perfectum) staturæ erat giganteæ, ut ex illis verbis Josuæ 14. *g Adam* MAXIMUS *ibi inter Enacim* (id est gigantes) *situs est*, colligunt interpretes. Hanc vero tam excelsi corporis molem, quam hoc corruptissimo sæculo nobis videre insolens est, ad venustatem contulisse tradit Aristoteles l. 4. Eth. c. 3. *pulchritudo* inquit, *in* MAGNITUDINE *corporis consistit*. & è Patribus *h* Chrysologus: *omnis homo dum sui corporis pulchritudinem concupiscit* PROCERUM *se esse exoptat*.

Hanc Semiramis *i* Regina in procera statura pulchritudinem collocatam esse existimavit, siquidem suam effigiem in lapide, cujus longitudo 17. stadiorum exsculpi jussit, atque innumeros reperire est, qui possent, cubitum staturæ suæ adjicerent. Quin & excelsam ac spectabilem hominis formam amavit, & deprædicavit Sponsa cœlestis in sponso suo *k Statura tua assimilata est palmæ*. Primo autem efflorentis mundi exordio, gigantes à Deo conditos, sacræ paginæ testantur Num. 13. *Populus quem aspeximus*, PROCERÆ STATURÆ. *Ibi vidimus monstra de genere giganteo, quibus comparati locustæ videbamur*. Ibidem; *lectus Og Regis Basan, ferreus, dicitur novem cubitos habuisse longitudinis*. Sac[...] Regu[...]

g Mendosa viridar. l. 4 prob'l 2. h Chrysolog. serm. 163. i Mendosa, c[...] k Cant. 7. v. 7

Regum annales, ut depingant nobis quantæ molis, ac roboris, Philistæus ille Goliath, *a* quem Chrysostomus *carneam turrim* nuncupat, exstiterit, ait: *Pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum æris erat*, id est 208. librarum; cum hoc tempore loricæ militum etiam robustorum, 5. libras non excedant: erat autem ipse *altitudinis sex cubitorum, & palmi, hastile vero hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium.*

Sed quorsum hæc tam immensæ magnitudinis corpora, nisi ut inde in conditoris eorum laudem, & admirationem rapiamur? quam unicam causam adfert Theodoretus; *c* qui id divinæ omnipotentiæ manifestationem refert, quod tam ingentia hominum corpora procrearit: *Ut cognoscant*, inquit, *Deum tanquam omnipotentem creatorem, tantam hominibus mensuram tribuisse.* Fidem facit Augustinus, *d* testis oculatus, de gigantibus agens: *Vidi ipse non solus*, inquit, *sed aliquot mecum, in Uticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videbatur facere potuisse. Sed illud gigantis alicujus fuisse creditur.* Atque ut in altiorem summi Numinis contemplationem, & sacrum quendam stuporem abripi possitis; In Creta Insula, cum terræ motu quidem mons disrumperetur, cadaver istic quadraginta sex cubitorum conspectum est. De Antæo illud quoque mirabile apud Strabonem l. 7. & Plutarchum in vita Sertorij. Etenim dum Sertorij jussu, fuit ejus sepulchrum perfossum, demolitumque, repertum est in eo cadaver *sexaginta cubitorum*: *obstupuit Imperator, instaurato monumento nomen ejus, famamque adjunxit.* Atque hinc ad magnitudinem Creatoris nos Sapiens deducit: *f à* MAGNITUDINE *speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator illorum videri.*

Nunc vero quam Deus in pusillæ staturæ hominibus, in ipsis nanis, & pigmæis vere laudabilis, amabilis, & maxime mirabilis sit, attendite. Hos quippe ingenio acriori, & mente acutiori esse docuit Phavorinus Philosophus: *Nihil*, inquit, *in terris* MAGNUM *præter hominem; nihil in homine* MAGNUM *præter mentem*, hanc autem in parvis maxime vividam, ac vegetam, divina veritas non obscure significavit, Eccl. 11. his verbis: *Ne laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo: brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris fructus ejus.* Hoc est interprete Jansenio Gandensi, *ne suspicias aut demireris procerum, atque elegantem corporis habitum, quia in* PARVO CORPORE *invenitur sapientia.* Tullius vero de proceris: Valentissimo quisque corpore, longe abest à sapientia. Accinit Poëta:

g Nulla in tam MAGNO CORPORE, *mica salis.*

Quod statura pusillus, falso sarcasmate notavit, dicens: *Superiora magnarũ ædium non habitari.*

Ipse quoque, plus animorum ac virium velut condensatarum parvis inesse, Romanus Phi-

a 1 Reg. 17. b Ragolius hic. c Theodor. q. 48. in Gen. d Aug. l. 15. de civit. cap. 9. e Plin. l. 7. c. 16.

f Sap. 13 v 5. g Catull. eleg 87.

Philosophus *a* declaravit: *ad bellum habiliora corpora* PUSILLA QUÆ *in arma sua contrahi possunt, quam quæ superfunduntur, & undique* MAGNITUDO *sua vulneribus obiicit.* Testis Virgilianus miles: *b*

Bellis acer Halesus
Tendit in adversum; seque in sua colligit arma.

Sunt denique *c* Deo Opt. Max. magis similia: nam ut tradunt principes Ecclesiæ Doctores: *d Deus non mole, sed virtute* MAGNUS *est. Vnde magnitudo ejus, nullas in angusto sentit angustias.* Itemque majorem ingenerant parva admirationem. nam, ut idem *e* Augustinus ait de animalibus loquens: *Illa plus habent admirationis, quæ molis minimum: plus enim formicularum, & apicularum opera stupemus quam immensa corpora balenarum,* qualem unam tantæ molis describit Angelinus *f* noster, ut S. Maclovius in ea celebrans, putarit se in Insula consistere, donec immanis bellua se movere cœpit. Prov. 30. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formica nimirum, lepusculus, locusta & stellio*, mentem quamtumvis exiguis pumilionibus inesse probat Nicephorus l. 12. Eccl. hist. c. 37. *Imperante Theodosio, in Ægypto degisse hominem ea corporis mole, ut perdici similis esset: neque ingratum,* inquit, *spectaculum erat, si cum illo in globo hominum conversaretur, & ad contentionem excitatus colluderet, & quod mirabile dictu est, prudentia ei inerat, vox à musis non abhorrebat.*

Cardanus *g* refert masculum, perfecta ætate, cubiti longitudine, in Italia fuisse ostentatum. Mitto innumeros *h* consimiles, qui viris, ac fœminis principibus, in deliciis fuere, & adeo magni æstimati sunt, ut etiam mortui, admirabili spectaculo expositi sint: siquidem Marius Maximus, & M. Tullius Equites Romani, qui binum cubitorum fuere, Varrone teste, defuncti adibantur, eosque se in loculis vidisse, testatur Plinius; *i* & ut idem memorat, fuerunt semipede majores, sub Augusto, Pusco, & Secundilla, quorum corpora miraculi gratia, asservata sunt in conditorio Salustianorum hortorum. Cur hæc, inquit *k* auctor, non mirarentur homines, cum sæpe sit *mirabilior in parvis Deus.* Audite divinissimum Doctorem Augustinum, quem supra citavi, ep. 3. ad Volusian. fusius disserentem: *neque enim mole, sed virtute magnus est Deus, qui providentia sua, meliorem sensum magis formiculis, & apiculis dedit, quam asinis & Camelis; qui è grano minutissimo seminis, tantam ficulneæ arboris magnitudinem creat, cum ex multo majoribus seminibus, longe minora, multa nascantur. Qui pupillam tam* PARVAM *ditavit acie, qua per oculos emicante, in ictu temporis, cælum prope dimidium lustraret, qui ex puncto, & quasi centro cerebri, sensus omnes quinaria distributione diffudit. Qui corde, membro tam* EXIGUO *vitalem motum per corporis cuncta dispensat. His atque hujusmodi rebus insinuans, magna de* MINIMIS,

QUI

a Seneca de tranq. c. 8. b Virg. 10 Æneid. c S Thom 3. p. q 1. a. 1. d S. Aug. epist 3. ad Volusian e Aug l. 12. de civ. c. 24 f Ang. Gazæus pia hilaria.

g Cardan. de subtil. h Stengelius de divinis iudiciis tom. 2 c. 50. r. 1. i Plin. l. 7. c. 16. k Stengel. cit.

QUI NON EST PARVUS, IN PARVIS.

Quem non vestrûm exciret, si hac in urbe,

a Nanus & ipse suos breviter concretus in artus,

tam exiguæ staturæ pigmæus, aut pumilio omnibus membris absolutissimus, sapientia omni eruditissimus, specie formosissimus exhiberetur: Talis fidei oculis spectandus *b Deus ille magnus, & non habet finem, excelsus & immensus, de* quo Theologorum omnium Coryphæus, Doctor *c* Aquinas: primo suæ conceptionis instanti *apiculæ quantitatem* non excessisse: *d* omnibus tamen membris perfectissimè effictum, & omnisapientia, ac Dei visione, ut virum exstitisse tradit.

At præ his omnibus, ô Magne Deus! te maximum in minimo veneramur, & admiramur, dum ut proxime explicabimus, te non magnitudine apiculæ, sed atomi, sub minutissimis panis & vini particulis immensum, omnibus adorandum dabimus.

Dixit olim Seneca & vere: *magni artificis est, totum clausisse in exiguo.* Cyclops ille Timantis, egregii pictoris, parva in tacula depictus, cujus magnitudinem Satyri juxta depicti, thyrso metiebantur, etsi dormiens, magnam antiquitatis admirationem excitavit. Similem laudem tulit Apellis linea, oculorum aciem fugiens, inque Protogenis linea, summæ tenuitatis tertio colore ducta. Nec cedit quod narrat Galenus, visum à se in annuli gemma sculptum Phaethontem, quatuor equis invectum, quorum frenum, os, dentes anteriores discernebantur, & sedecim equorum pedes numerabantur, ea operis subtilitate, ut crura bene articulata, crus pulicis non excederent. Sed hæc adeo parva, & pusilla, ne à dignitate tanti mysterii quis aliena arbitretur, summum Theologorum Magistrum *e* induco disceptantem: *cur corpus Dominicum contineatur sub tam* PARVA *specie panis*? Resp. *Prima ratio est, demonstratio* MAGNITUDINIS *sapientiæ artificis tantæ rei: videmus enim quod artifices quanto sunt in arte sculpendi peritiores, tanto sculpunt imagines subtiliores. Unde si artificibus ostenditur gemma, vel metalli materia valde* PARVA, *& rogetur in ea imago fieri subtilissima, minus subtilis artifex respondebit, quod eam facere non possit, quam maxime subtilis in arte facile facit. Talis artifex spiritus sanctus qui Sap.7. dicitur esse subtilis.*

At vetera sunt hæc, satisque trita, quæ supra narravimus. *f* Helvetius quidam Lugduni artifex, Ludovico XIII. Galliarum Regi, rhedam obtulit, 4. equis instructam, tanta exilitate, ut unguis magnitudinem totum opus non superaret. Capocius quoque Senensis, totam de Christi morte historiam, res, actus, personas, elegantissimo artificio in suis unguibus delineavit, atque adeo totam Passionem ad unguem calluit. Franciscus Alumnus symbolum Apostolorum, & Euangelium Joannis, in denarioli orbiculo, magna Clementis VII. & Caroli

a Propert. l. 2. b. Baruch 3. c S Thom. 3. p. q. 53. a. 2. d Magister. sent.

e S. Thom. opusc. c. 58 c. 13. f Majol. Canic. memorab. coll. 23 Ibid.

roli. V. admiratione descripsit. *a* Adrianus Junius tradit à se visum cerasi nucleum in quali, ceu corbis formam exsculptam, quo quindecim paria tesserarum, suis punctis affabre distincta continebantur. Mitto alia exquisitæ artis miracula.

Quod si subtilitas operis, commendat artificem, & peritiæ laudem meretur, quid dicam de mirando operis Eucharistici artificio? verè *magni artificis, totum clausisse in exiguo.* Solertiam omnem humanam exuperant stupenda exiguorum animalculorum opera: *imitare si potes*, inquit Tertullianus, *apis ædificia, formicæ stabula, aranea retia, bombycis stamina.* Ea sunt, quæ magnum Deum in nostri admirationem, adorationem, venerationem rapiunt: in quorum contemplatione Seraphicus Pater totus à se, à creatis in creatorem abripiebatur, inque sacro illo raptu, hæc ejus suspiria:

c O ut relucet Magnus in PARVIS *Deus!*
Est in tenuibus, & pusillis reculis
Laus optimique, maximique Maxima.

Et Francisci digito insidens cicada argumenti satis, *quam sit re ipsa magnus in parvis Deus.* Quod vel gentilis Plinius *d* vidit, & obstupuit, dum agens de natura in parvis, dixit: *in arctum coacta rerum, naturæ majestas, nulla sui parte* MIRABILIOR. Quod supra omnia quæ hactenus audistis mirabilia, in *Sacramento mirabili*, Theologicis vobis argumentis demonstrabo. Sic etenim ad captum vestrum disserit S.Thomas *e potest dici de uno mente, & de sole, & de luna, & sphæra cœli, quorum magnitudo cum sit quasi immensa, nihilominus capitur ab oculo ita* PARVO; *si ergo hoc est mirabile, & est certum; non est incredibile, corpus Christi posse contineri sub* HOSTIA TAM PARVA, *quamvis hoc perfectè intelligere nequeamus.* Ita candor ille immensus, ne fulgore suo hebetem mentis nostræ aciem perstringeret, sub tenui panis sipario, in exiguo vini latice, radios suos quodammodo refregit, & attemperavit:

Sic tutus, totusque videtur.

Perapposite *f* Augustinus: *nube tegitur, non ut obscuretur sol, sed ut* ATTEMPERETUR. Vultis ulterius Deum maximum in minimo admirari? sub minimis panis & vini speciebus, immensus ille Deus valet contineri.

E purpuratorum Patrum senatu *g* gravissimus Theologus, Joannes de Lugo: *sub quavis particula, etiamsi adeo tenuis, ut non possit sentiri, manet corpus Christi.* ita Suarez, Vasq. probatur è Conc. Trid. sess. 13. Can. 3. quod docet absolute *sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.* Nec ulla particula tam parva naturaliter dari potest, quin magno lumine, & ab acuto visu, vel etiam vitro microscopio videri possit; atque adeo sensibilis est, sicut color etiam noctu visibilis. Sufficit quoque ut man-

a Drex. tom. 2 p. 781. b Tertull. advers. Marcion. l. 1. c Angelin. Gazæus. pia Hilar.
d Plin. in proœm. l. 37.
e S. Thom opusc. 59. c. 3. f Aug. in Joan. tract. 35. g Lugo de Eucharist. disp. 5. sect. 4. n. 108. h S. Thom. opusc. 58. c. 13.

manducari possit (quod ad Sacramentum requirunt) alijs hostijs, aut vino admixtum; sicut species adhærentes calici, cum affuso wino ablutionis sumuntur; *sic etiam in naturalibus* inquit *a*, *videmus guttulam tenuissimam ex quinta essentia Rorismarini, vel olei electri, quæ præ tenuitate vix sentitur, nec sola potest trajici per modum potus, mixtam tamen vino, vel aqua, potum efficacissimum conficere, & sic ebibitā, efficacitatem in stomacho manifestare. Ita & guttula illa specierum consecratarum, licet in se sit inepta ad potum, retinet suam totam efficacitatem Sacramentalem, quam exerit dum admixta saltem potui ebibatur.*

Addit Doctor Angelicus: *b nulla est ita* PARVA *quantitas panis, aut vini, quæ non possit consecrari:* modo, ut Theologi asserunt, demonstrabilis sit, licet enim ex revelatione sacerdos sciret illam *c* particulam præsentem, non tamen sensibiliter perciperetur, non posset uti pronomine *hoc*; sicut loquendo de dæmone, quem ex revelatione scit esse præsentem, dicere potest: hoc est dæmonium, hoc est Angelus. Sed hæc scholasticis relinquamus.

Aliam ex hactenus dictis Theologiam mysticam, moralem, salutarem deducemus; atque omnes quantumvis magnos, atque omni opum affluentia, & potentia, maximos, ubi ad hoc Sacramentum humilitatis, seu ut loquitur *d* Augustinus, ad *Corpus humilitatis Christi acceditis, ubi maximus in minimo* delitescit, vos hic vera humilitate, ima corporis animique demissione minimos esse debere docebimus: *e Intolerabilis quippe impudentia est, ut ubi se exinanivit majestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Spectaculum fuerit certe admiratione dignissimum Pastoribus, Virgini Matri, ac Josepho, ipsis etiam cœlitibus, videre infra se parvulum, pannis involutum, qui immensus in cœlo adoratur. Quod dum attentius secum expendit Damascenus, *f* ait: *Non potest Deus majus aliquid facere, quam Deum fieri hominem.* Tam magnum est esse parvum. certe mellifluus Doctor in claravalle sua, hac contemplatione maximè capiebatur, & rapiebatur: *In Christo, g* inquit, *agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, profunditas plana, lux non lucens, verbum infans, & abbreviatum.* Eodem œstro Deum hominem considerans, à se, & sensibus abreptus Franciscus de Paula, exclamabat: *O quam magnus est Deus, & quam* PARVUS *est homo! sed cum Deus se fecerit* PARVUM, *ubi se ponet homo?* Sed parum hoc. Aliam profundissimæ vobis, altissimæque humilitatis scenam aperiam. Parvulus in cunis, mundissimis pannis involutus, à Pastoribus benigne salutatur, à magis adoratur, à nemine quidquam injuriarum patitur; at sub speciebus Sacramentalibus occultatus, quam sordidis sæpe sacri altaris pannis involvitur, quam immundis sacrilegorum manibus contrectatur, quam fœtenti cordis hara frequenter excipitur? quam indigne, quam sacrilegè à magis, à diaboli administris irridetur, conspui-

Q 5

a Lugo cit. b S.Thom.p.q 74.a 2. c Lugo cit. d Aug.in psal.21.

e Bern.serm.1.de Nativ. f Damasc.l 3. de orthod.fid. g Bern.serm.2. sup. missus.

ſpuitur, inlutum, in cloacam abijcitur, conculcatur, ſpurcitijs omnibus, quas excogitare poſſunt, contaminatur; denique quam barbarè, quam cruente, quam tyrannice à Judæis, & hæreticis, cultris, ſtilis, & pugionibus configitur, lancinatur, laceratur, ut copioſus inde ſanguis emanans, divino prodigio, ut infra videbimus, non ſemel teſtatus eſt.

Sed hæc omnia libens ſubit, & adeò ſe magnus Deus exinanivit, ut te ſibi magnum efficeret: a *Ad hoc enim factus eſt* PARVUS, *tam contemptus, ut nos magnos efficeret.* Ad quæ omnia divinæ, & altiſſimæ humilitatis argumenta, cogor cum divo Thoma exclamare: *O ineffabilis bonitas! ô humilitas Domini Ieſu!* velle incantationibus, tot injurijs, blaſphemiis *ſubiacere, ut invenire unam animam poſſet, quam ſolaretur,* quæ ſalvaretur. O vere magna, & mirabilia! vult ille Deus mirabilis, & à vobis aliquod ſignum videre. Richard. Vict. p. 1. c. 14. *quantum putas, quam magnum miraculum exiſtimas tibi ipſi vileſcere, magis magis diſplicere, eo præcipue tempore, cum incipis veraciter magnus eſſe, & magnus omnibus apparere*, dicam ego, quantum putas miraculum, tibi ipſi vileſcere, eo præcipue tempore, quo ad eum accedis, qui cum Judex tuus, Rex Regum, Deus ac Dominus tuus, tam humilis & exilis factus eſt? quantum putas miraculum, hominem elatum, inflatum, ſe terræ vermiculum, abjectam caniculum, ut vere in conſpectu Dei ſe Chananæa duxit, æſtimare? & intimo cordis ſenſu dicere: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de* MICIS *quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* In quæ verba Hieronymus: *Mira hujus mulieris humilitas prædicatur, quæ ſe non canibus, ſed catulis comparat: Scio*, inquit, *me filiorum panem non mereri, nec ſedere ad menſam poſſe cum patre: ſed contenta ſum reliquiis catulorum, ut per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinem.*

O micas divinas! O micas ſupra omnes ſic de ſe demiſſiſſime ſenſit Bernardus: b *Angeli*, inquit, *amant nos, quia nos Chriſtus amavit Dicitur certe vulgari Proverbio: Qui me amat, amat & canem meum. Nos vero, ô beati Angeli, catelli ſumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis: catelli, inquam, cupientes ſaturari de* MICIS; *quæ cadunt de menſa Dominorum noſtrorum, qui eſtis vos.* O micas divinas ſupra Margaritas pretioſas! ô micas ſupra omnes uniones emicantes! ô micas longe præſtantiores illis, quæ olim c in manu S. Odonis Abbatis in gemmas converſæ ſunt. Præ his etenim pretium ejus appendens S Cyrillus Hieroſolym; admonet: *ut micam illam auro, & lapidibus pretioſis præſtantiorem, ne excidat, attendas.*

De hac mica S. Paſchaſius lib. de corp. & Sang. *hoc myſterium quando communicas, dilata ſinum mentis tuæ, emunda conſcientiam, & accipe, non quantum* MICA *exhibet, ſed quantum fides capit*; quæ utinam ibidem capiat numen immenſum, agnoſcatque qua illic menſa fruatur, quo honore afficiatur. Joannes Rho ſtilo politus,

a S Bernard hom. 5. ſuper miſſus,

b Bern. ſerm. 1 de S. Michael. c Ioan. Moſchus l. 1. vitæ c. 14 Surius. 28. Nov. P. Rho de Paſſione pag. 479.

litus, & lingua disertus, refert vidisse se olim canem edentulum, ac longo senio turpem, ita molliter à Joanne Austria habitum, ut & serico, aureoque pulvillo cubaret, & primario pane, pullisque nutriretur, addito etiam servo, qui bestiam diligenter procuraret. Nec homines id in viri gravissimi, atque clarissima Imperatoris domo mirabantur, quasi sic fieri oporteret, quod bestiam à Philippo II. Hispaniarum Rege dono accepisset Austria, illiusque reverentia omnem curam impenderet. Liberalius nos ac lautius, qui à Patre æterno non solum creati & ipsi donati, sed & ab ipso empti & redempti sumus, habet, dum hisce de mensa ejus nos micis dignatus.

Atque in hac mica, disce maximam Domini humilitatem, & amore tuo hoc illum plus dignare, & dic: *a quanto pro me viliori, tanto mihi charior.* Sic namque suam dulcissimam Gertrudem monet ipse Dominus, invitans illam ad divinas epulas, à quibus justitiæ divinæ, & indignitatis suæ ratio nonnihil retardabat, ex amore suscipiendas esse: *Attende,* b inquit, MINUTAM FORMULAM HOSTIÆ, *sub qua totam humanitatem meam, simul cum divinitate tibi propone, & illius exiguitatem cum magnitudine corporis humani compone: atque inde metire benignitatis meæ dignationem: quia sicut humanum corpus magnitudine superat species, ita præ misericordia, & charitate qua pellicior ad hoc Sacramentum, vinci me patior ab amante anima.* Hæc ille Gertrudi; tu etiam ex his Christi angustiis, magnitudinem charitatis ejus, & humilitatis æstima. Hoc ipso argumento fratres suos minores, ac præcipue sacerdotes, ad sui imam depressionem, & minimam existimationem urget Franciscus Seraphicus, hisce verbis: c *Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, & cœlum exultet, quando in manibus sacerdotis est Christus, filius Dei vivi. O admiranda altitudo! ô superna dignatio! ô sublimitas humilis, quod Dominus universitatis Deus, & Dei filius sic se humiliat, ut pro nostra salute sub* MODICA PANIS FORMULA *se abscondat! videte fratres humilitatem Dei, & effundite coram illo corda vestra, & humiliamini, ut & vos exaltemini ab eo.* Hæc est sanctissimi viri efficax peroratio, qua & nos accendi par est, ut exemplo Christi quo nihil revera majus est, nihil in specie minus, nos etiam in speciem minimi esse studeamus. & cum Chananæa hac ad pedes Domini nos abjicientes, omni demissionis habitu, gratiam ejus emereri, & cum catellis micas illas pretiosas, de mensa ejus emendicemus. Exemplo hactenus inusitato hic esse poterit senator Venetus, vir potentissimus: d Ferrariam Veneti occuparant, cum in eos Clemens V. fulmen jecit excommunicationis; ne eo arderet respublica Catholica, legatos mittunt Avenionem ad summum Pontificem; à quo tamen nec auditi illi, nec admissi. Id ubi ex iis sensit senator unus, canina pelle se apte induit, abjecitque sub mensam: atque de ea improviso erupit, stupente qui assederat Pontifice,

a Bern. apud S. Thom. opusc. 58. c. 2.
b Insinuat. divin. piet. l. 3. c. 18.

c Epist. 12. d Lobbetius de cultu templ. pag. 293.

qui ea demissione permotus, in gratiam recepit, paterne complexus est, & amplissimis donis oneravit. Haud aliter ubi quis vana sua opinione turgidus, & superbo vestium luxu splendidus, sese ad incultum habitum abijcit, & luctuosis in sordibus, ad Domini pedes supplex obsolescit, tum demum eam, quam à Domino exposcit, veniam impetrat, & vindicis iram avertit, insuperChananeæ instar catellæ, eum regiæ mensæ micis dignatur, & splendidissimæ sacræ synaxeos epulo refici, ac æternis secum cœli delitijs perfrui concedit.

SECUNDUM

MIRABILIUM. *Transubstantiatio. Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, & Vinum in sanguinem.*

VIx testamentum suum instituerat Salvator, cum ecce Capharnaitæ mussare incipiunt: a *Quomodo hic potest nobis suam carnem dare ad manducandum? sed quomodo* inquit Judæus; quomodo inquit novæ sectæ stolidus, ac insipiens Minister, potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum? Nescis *quomodo?* O ignoratio! quæris *quomodo?* ô curiositas! ambigis *quomodo?* ò perversitas! quomodo tu, inquit Cyrillus, *flagris dignus non es, qui cum Deo loquaris, rogas* QUOMODO? quod si usque adeò pergis insanire, & sæpius insusurres istud *quomodo?* mihi ades tu, tecum velo imperitia velitari. Dic amabo Judæe, *quomodo* tu Ægypto exivisti? nescis? *quomodo* Aaronicum sceptrum ex arido revirescit? nescis? *quomodo* uberes fontes è silice emanarunt: nescis? *quomodo* pellucidi fontes versi in sanguinem? nescis? *quomodo* vastum pelagus in contrarias partes retrocessit? nescis? *quomodo* Manna habuerit omnis saporis suavitatem? nescis? plane nescis; & tamen hæc omnia facta credis? ergo mitte tuum illud quomodo, scias factum à Deo aliquid, quod nescias quomodo.

Tu hæretice quæris, *quomodo?* Dic amabo, & hic te, qui ne apicem Theologicæ scientiæ calles, cum b Doctore Angelico (vide qui cum) te committo: quomodo verbum Domini, substantiam unam in aliam commutavit, aquam in vinum? ergo potest hic, quia ubi similis præcipit, similis obedit effectus. Quomodo res quæ minus possunt, quam verbum Dei, unam substantiam mutant in alteram arte, natura, gratia? ars enim hominis, unam substantiam mutat in aliam, ut patet in vitrifice, qui vilem cinerem mutat in præclarum, & nobile vitrum: c *tantum artificis valet halitus oris.* Ergo magis verbum Dei. Eccl. 8. *Verbum Dei potestate plenum est.* 2. natura in vite aqua mutatur in vinum, & opera apum, succus florum, per secreta naturæ, mutatur in favum, & panem quem manducamus quotidie, per naturam mutatur in carnem & vinum in sanguinem. d Vestra quotidie viscera, & qui in vobis ardet perpe-

a Ioan. 6.

b S. Tom. opusc. 58. c. 11. c Iuven. Sat. 10.
d S. Thom. opusc. 9. c. 2. ex Damasc.

perpetuus naturæ focus, de pane carnem efficiunt, & hoc divinæ potentiæ denegatur. 3. gratia hominis mutat unam substantiam in alteram, sic Moyses per gratiam specialem, mutavit virgam in serpentem, & aquam in sanguinem. Ergo si tantum valuit benedictio humana, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi ipsa verba Salvatoris operantur? atque hæc argumenta à Minori.

Quæris ulterius quomodo ad ducam à majori: verbum Dei multo facit majora, & facere potest, ut patet ex eo: *ipse dixit, & facta sunt.* Ambrosius: *a Sermo ergo qui potest facere quod non erat, non potest ea quæ sunt mutare in id quod non erat? non enim minus est dare rebus novas, quam mutare naturas.*

Subsiste hic tu miser Philosophe, & perpetuo silentio doctam tuam ignorantiam testare, quando de Dei operibus sermo est; quod si temere pergas, & divinam potentiam naturæ cancellis includere audeas, *b* æternam gehennam tuæ huic audaci curiositati præparatam esse noveris. Recte *c* Cyrillus Alexandrinus, maxima quævis supplicia eos manere dicit, qui Dei cavillantes opera, illud quærunt, *an & quomodo* illud fieri possit, cum Dei voluntas, ut Clemens Alexandrinus testatur, ad omnia operanda sufficiat. Est hæc infallibilis consequentia: potest Deus quidquid vult; sed hoc vult; siquidem apertis verbis id dixit is, qui est ipsa veritas, ergo. Figuras rerum quæ scripturis continentur creditis, ô hæretici, umbras veritatis amplectimini, & ad ipsam lucem veritatis, ô noctuæ, cæcutitis. Calvinus, ut eludat argumentum, quod peti potest à conversione virgæ Moysis in serpentem, & traduci ad transubstantiationem panis in Christi corpus, ita loquitur: *d Quid simile, aut vicinum reperiunt, inter illustre miraculum, & fictitiam illorum illusionem, cujus nullus in terra oculus testis est?* Transubstantiationem, *illusioni* appellat, quia sub aspectum non cadit: quasi pro vero habendum sit illud unum, quod hauritur oculis; ac non potius quod certa fide tenetur, ad quam Christus, religionis nostræ oculos adhiberi voluit, & beatos pronuntiavit è *qui non viderunt, & crediderunt.*

e Lutherus initio de Sacramento altaris, idem cum Catholica sentit Ecclesia; hinc ad Albertum Marchionem Brandenburgicum scribit, cum opinio de SS. Sacramento in Ecclesia semper fuerit uniformis, eam in dubium revocare, nihil aliud esse, quam dubitare utrum Deus Ecclesiam in terra habeat: & alibi ait; verba Dei nuda, & aperta, neque ulla interpretatione eo deflecti posse, ut panis corpus Christi pro nobis traditum, & calix sanguis pro nobis effusus esse negetur. At postea à sententia ita descivit, ut in uno hoc de SS. Eucharistiæ articulo, triginta sex Lutheri contrariæ inter se opiniones numerentur. Jam enim illud *hoc* exponebat *in.* Jam *cum hoc,* imo verba hæc centum aliis modis trans-

a Amb. l. 4. de Sacram. b Aug. l. 21. de civ. c. 7. c V. Florimund. Remand. de ortu hæres. l. 2. c. 12. n. 4.

d Instit. l. 4. c. 17. e Ioan. 20. Florim. cit. l. 2. c. 10. n. 4.

transformabat. Verissime lumen Ecclesiæ Augustinus *a* contra Manichæos: *Qui in Euangelio quod vultis, creditis, quod non vultis, hoc non creditis, non Euangelio, sed vobis ipsis creditis?* Quid quod Minister repertus qui tam parum verbis sacrosanctis fidei habuit, ut ægro extrema Sacramenta administraturus, cum scyphum non haberet ad manum, diceret: *b Accipe cochlear Domini nostri Iesu Christi.*

Sacramentarii in plures errorum Mæandros, & inextricabilem Labyrinthum devolvuntur, ut pauca hæc verba, *hoc est corpus meum*, exponant. Alii corpus Christi in cœna assistere, alii existere, subsistere dicunt. Item in, cum, sub, supra, infra, subter, penes, panem esse: panem tantum manducari, corpus opinione, seu fide, adeo ut fuerit qui numerarit ducentas hæreticorum expositiones, vel depravationes horum paucorum verborum: *hoc est corpus meum*: Quos omnes ut noctem, lux eliminat benignissimus Redemptor noster nunquam aliàs, quàm sub id tempus quo maximè impugnabatur, majora circa veritatem Eucharisticam, prodigia manifestavit. Ubi, ut alia innumera omittam, non possum non, inquit *c* magnus ille Galliarum Regis in curia Burdegalensi Consiliarius, illud ponere, quod *meis ipse oculis vidi, & cujus beneficio à profundo hæreseos luto fui extractus*. Miraculum hoc inter pauca celeberrimum factum est Laoduni, anno 1566. in juvencula quadam, Veruini, non procul à Laoduno nata, Nicolaa Obrii nomine. Quamvis autem initio illa à pluribus diabolis obsessa fuerit, omnes tamen ante meum, & sociorum, qui comitati me fuerant adventum, ab ea expulsi fuerant, præter eorum principem Beelzebub. Misera hæc & infortunata fœmina, infinita spectante hominum multitudine in templum deducta, tam miseris modis à Diabolo habita, ac torta fuit, ut ossium fragor, ac dentium stridor audiretur, totumque ejus corpus nullam fere humanam speciem præ se ferret. Inflabatur ei venter ad instar dolii, ingluviem ita aperiebat, ut stomachi fundus posset inspici, linguam pedis longitudine exerebat, oculisque crassis & rutilantibus ita scintillabat, ut ejus aspectum vix quisquam ferre posset: tumque ita se in aërem efferebat, ut à duodecim, aut quindecim hominibus non posset retineri Laodunensi Episcopo super caput ejus hostiam tenente, & iisdem quibus S. Bernardus olim in simili casu usus legitur armis, malignum spiritum oppugnante, ac dicente: Ecce ô infelix spiritus Judicem tuum, ecce cœlorum virtutem, resiste si potes ei, qui dixit: *Nunc d princeps hujus mundi ejicietur foras. Hoc corpus* natum ex Maria Virgine, quod in arbore Crucis expansum fuit, quod in sepulchro quievit, & resuscitatum in cœlos ascendit. Adjuro te in virtute cœlestis hujus Majestatis, ut ex ejus ancillæ cor-

a Aug. contra Faustum l. 16. c. 3.
b Flori mund l. 5. c. 12. n. 10.
c Florimund. l. 2. c. 12. n. 3.

d Ioann. 12.

corpore egrediaris. His, inquam, & similibus exorcismis, Episcopo malignum spiritum oppugnante, dæmoniaca illa horrendum in modum se elevabat, & aversis à sacra hostia oculis, mille blasphemias evomebat. Deinde defixis in templi fornicem truculentis, ac minacibus oculis, ventum tanquam fumum ex ore & naribus emittebat. Tum tremens ac pavens concidebat, & magna totius corporis deformitate, velut erinaceus in se convolvebatur Cum rogaretur vero, cur ad S. Hostiæ conspectum tanto horrore corriperetur, Diabolus respondit: ob illud Hoc est, Hoc est, vim Sacramentalium verborum, *Hoc est Corpus meum*, eo innuens. Omitto multa stuporis plena verba, per Diabolum ex ore hujus dæmoniacæ prolata. Tandem victus præsentia Sacratissimi Jesu Corporis Beelzebub, ex hospitio suo discessit, edito prius velut ingenti fumo, quem horribiles fragores, seu tonitrua insecuta sunt, adeo ut totum templum una cum adjunctis turribus insonuerint, cum magno omnium adstantium stupore, estque hoc miraculum adeo illustre, ut nec ipsi Diaboli supprimere, aut obscurare potuerint. Hæc hactenus fidelissime ipsis Auctoris verbis, quibus vir ille ingenio perspicaci, judicio acri, juris prudentia, historiarum scientia per quam eruditus, perversa antehac fide imbutus, veritati oculos aperuit, quos tu anus delira, Rustice agrestis, stolide textor, pertinaciter claudis, nec verbis hisce: *hoc est Corpus meum*, Deum præsentem constitui agnoscis, quem ut audistis dæmon ipse credit, & contremiscit. Ita nunc fit divina providentia, ut luculentis signis, ac miraculis, manifestis doctrinis, ac Theologorum argumentis per ipsam hæreticorum caliginem, veritas magis elucescat. Sic olim, nisi Arius, & Nestorius exstitissent, nunquam sanctum incarnationis Mysterium tam clarè fuisset explicatum; sic nisi Lutherus prodiisset, plures articuli, ac præcipue qui est de Augustissimo altaris Sacramento, tenebris adhuc involuti essent, quæ jam ita depulsæ sunt, ut detracto velo, ipsa caro nuda, ut sic dicam, appareat.

Jam Ecclesiæ Catholicæ pulchritudo in summo consistit fastigio, nec ullam in doctrina umbram de se jacit, non plus quam sol in Zenith. quod si vos ea pietate in Deum, qua par est, ea Religione, ac sinceritate qua oportet, quæritis *quomodo*? amando fecit Deus, quod nemo intelligat inquirendo: quod quilibet consequatur credendo: quare *a demus, Deum aliquid facere posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Quæ cum ita sint, te fidum ac genuinum Romanæ Ecclesiæ filium compello, qui credis tam amabili, & mirabili metamorphosi, panem & vinum, in corpus & sanguinem Christi commutari, qui fiat ut nulla in te fiat transmutatio spiritalis? qui fiat ut ad tam luculentam ardoris divini fornacem propius accedens, imò ignem in sinu tuo concludens, non

a Aug. Epist. 3. ad Volusiam.

non comburaris? qui fiat ut hunc panem Angelorum manducando, illum in tuam substantiam non totum convertas, aut potius te convertat in se? quod ut maximè detestandum, ac indignandum execratur S. Thomas *a* dicens: *Cum irrationalis creatura, & inanimata, scilicet panis mutatur in melius, scilicet in corpus Christi, virtute verbi Dei; mirum quod peccator homo, nec multis verbis, nec beneficiis (etiam ipsius corporis & sanguinis Christi in potum & cibum) converti potest de mala vita in bonam.*

Quod unum inter omnia mirabilia videtur mihi mirabilissimum, & quod meritò omnes immenso quodam stupore attonitos habere deberet, illud est, tam multos reperiri qui sæpissime Dominicæ mensæ accumbentes, sacratissima Christi carne & sanguine pascuntur; tamen tam paucos reperiri qui meliorem frugem convertuntur, aut ad altiorem perfectionis gradum evehuntur. Quo pacto fit, ut Jesus tam humilis non destruat nostram superbiam? ut Jesus tam mitis & mansuetus, non comprimat nostram iracundiam? ut Jesus tam castus, tam Virgineus, non extinguat nostram libidinem? ut silentium Jesu tam admirandum, non moveat nos ad injurias cum silentio sustinendas? Sanguinaria quædam nutrix cum suo lacte, tantam humani sanguinis effundendi sitim, infudit Neroni, ut nil illi esset jucundius, quam humano cruore saginari, & in eo helluari. Et nos toties saginamur corpore Christi, & haurimus ejus sanguinem, cur non simul cum ejus sanguine, & spiritum illius haurimus, virtutesque ipsius imbibimus. Audi hic gravius detonantem quàm loquentem Chrysostomum: *b Audiamus, inquit, & perhorrescamus: carnem suam nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit, quam ergo satisfactionem offeremus, cum Agnum comedentes, in lupos convertamur, cum ovinis carnibus saturati, ut leones rapiamus.* Exclamare hic licet cum eruditissimo ac SS. vero Guilielmo Parisiensi: *Hoc est*, SED DIABOLICUM, *miraculum*! nónne toties pastus corpore Christi, homo quilibet deberet cum Paulo dicere? *c Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*; ut Augustino *d* accidit, ad quem ipse Agnus Eucharisticus: *Non tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Sed tantum abest ut post sumptam Eucharistiam, vivat in te Christus, ut potiùs vivat in te Bacchus, vivat in te Venus, vivat in te Mars, vivat in te Plutus. Quænam enim apparent in te lineamenta Christi, postquam toties in pectus tuum admisisti Christum? quinam in te elucent colores, non dicam Christi, sed hominis Christiani? spirat in oculis tuis iracundia, in vultu impudentia, in capite superbia; in ore maledicentia, in manibus avaritia, in superciliis arrogantia, in corde luxuria, in stomacho intemperantia, in toto corpore ignavia, in tota anima nequitia. Prodigium sanè maximè mirandum, è potu quem Circe Vlyssis sociis propinavit, ilico

a S. Thom. opusc. 83 c. 21.

b In Matth. c. 14 hom. 15.
c Galat. 2. d Aug. l. 7. conf c. 10.

[i]lico omnes in feras belluas [d]egenerare; at longè illud im[m]anius portentum, calicem [D]omini bibentes, in monstra [a]deò terrifica converti, cum in [m]itissimos agnos, in Seraphinos [i]mmutari deberent homines [p]ost sumptum divinum illud [p]oculum non reddi pium [d]umtaxat, sed omni ex par[t]e sanctum. Nil penitus mi[h]i videtur magis admiran[d]um ac deplorandum, quam [C]hristianum qui sæpius per an[n]um sacro isto epulo reficitur, [&] præsertim sacerdotem, qui [p]er 10. aut plures annos, pane [i]sto cœlesti quotidie pascitur, [h]odierna die adeò adhuc debi[l]em esse, adeò à rebus divinis [a]bhorrentem, tam parum Chri[s]ti amantem, tam tenuiter cœ[l]estium avidum, totum perituris [a]ffixum! Tantopere rem hanc [a]demiratur Joannes à Jesu Ma[r]ia, ut dicat: *a Equidem fateor [s]ummopere me hoc prodigium de[m]irari, ut de cæteris Sacramentis [n]ihil dicam; Sacramentum Eucha[r]isticum adeo divinum, & eminen[t]er prodigiosum est, ut Christianus, [q]ui vel semel communicat, in Sera[p]hinum aliquem converti debe[r]e videatur.* Vultis & aliud [h]uic conforme, candidissimæ [a]nimæ judicium?

B. Maria de Victoria Cœlesti[n]arum Fundatrix, à Patre quo[d]am Societatis Jesu, qui ei à [c]onfessionibus erat, interrogata [q]uid in ipsa sumptione cœlestis [e]puli sentiret? respondit inge[n]uè, videri sibi Dominum Je[s]um subire animæ suæ penetra[l]ia, & dicere: *b Non es amplius [M]aria de Victoria, sed es alter ego.* [A]tque ab hac mutatione spiri[t]uali argumentatur Doctor An-gelicus, de mutatione panis, in corpus Domini: *Similitudo*, inquit, *ejusdem, sumitur à conversione spirituali, de qua* 1. Reg. 10. *insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum. Nam dum peccator per spiritum Dei convertitur, specie corporis manente exterius, amaritudo & languor peccati interior, in dulcedinem & sanitatem gratiæ commutatur.* Quo argumento Eugenium usum fuisse, & circa hanc transubstantiationem, hominem vacillantem confirmasse, subjungit, dicens: *Eugenius ad quendam conversum: Quanta & quàm celebranda beneficia vis divinæ bonitatis operatur, & quod non tibi novum & impossibile esse debeat, quod in Christi substantiam terrena convertuntur; te ipsum interroga, qui præterita vilitate deposita, subito novam indutus es bonitatem, in exteriori* NIHIL ADDITUM, TOTUM EST IN INTERIORI *mutatum.*

TERTIUM

MIRABILIUM. *Replicatio. Sumit unus, sumunt mille; quantum isti, tantum ille.*

Veteris religionis sacrificia in quas angustias cogebantur? una tantum fiebant in provincia, una in urbe, uno in templo, cetera terrarum loca profana erant, nullis sacris inaugurata. At hoc cœleste sacrificium ubique est, quam urbem? quod oppidum? quem vicum in tôta fere terrarum mole reperietis, ubi hoc cæleste miraculum non adsit? adite religiosa templa auro il-

a Ars vivend. spirit. 48. b Vitæ c. 10.

c S. Thom. opusc. 58. c. 12.

illustria, gemmis distincta, multis opibus pro dignitate hospitis abundantia, adest. Recurrite ad exigua sacella, inter stramineas casas affixa, nullo laqueari suffulta, omni spoliata ornatu, adest. Peragrate rectas vias, quibus precariæ pompæ deferuntur, multis frondibus inumbratas, multis floribus redimitas, adest. Pergite ad ægrotantium hospitia, pestifero infecta tabo, teterrimum odorem exhalantia, adest. Lustrate militum hiberna, seu æstivo bellico militum tumultu perstrepentia, visite tabernacula carbaseis intenta velis, adest. Abjicite vos ad humile stabulum, quod olim in hanc rem Seraphicus ille Pater Franciscus coaptavit, rudibus obsessum animalibus, adest. Ubique est. Ipsas quoque Oceani undas penetrate, ibi quoque invenietis inter tempestates, qui imperet undis, & mari, hoc cœleste epulum apparari.

Quod ne cui fortè insolens, atque insolitatum videatur, paulò uberius pertractabo. Ac primum quidem *a* Fagundez sic ait: Hodie per Clementem VIII. & Paulum V. concessum ad instantiam Patrum Societatis Jesu, ut in Indiarum orientalium navigatione, Missa celebrari possit sereno cœlo, & tranquillo mari. Quod hi Pontifices vivæ vocis oraculo, post probatissimas, & fidei dignissimas informationes, diu que & maturè rem discussam concessere, maximo navigantium solatio, & animarum emolumento. Neque id videri novum probat ipse, & Lugo Cardinalis *b* ex veteris Ecclesiæ consuetudine. Etenim S. VVulfranus Archiep. Senonensis, dum inter navigandum medio in Oceano sacris operaretur, & patena de Ministri manu in mare prolapsa esset, sancti hujus viri precibus rursus in manum Diaconi devenit. *Ex quibus*, inquit *c* Baronius ann. 700, *præter insignis miraculi virtutem, intellige lector, non destitisse sanctos viros in mari etiam cum tranquillitas esset, religata anchoris navi, celebrari ibi sacrosanctum sacrificium Missæ, Deo maximè gratum, quod ipse tanti editione miraculi patefecit.*

Nec irreverentia, aut eversio calicis timenda est, ut in varia consultatione super eo negotio *d* peritissimi Naucleri, Proreges, Gubernatores, duces testati sunt (quorum testimonia & subscriptiones ait Lugo, ipse vidi) quin in navibus illis majoribus, locus aliquis decenter & magnificè adornari potest, in quo debito tempore celebretur, ne 700. vel 800. aliquando in una navi, & aliquot millia in tota classe, per plures menses in mari, sacrificio vel cœlesti pabulo frustrentur. Unde concludit: *e* Cum gravissimæ rationes urgeant, non omittatur, præsertim cum experientia compertum sit in longa illa navigatione 100. aliquando vel 200. ex nautis obire in uno navigio, quibus omnibus de viatico debet provideri, si fieri honeste possit. Mitto hic loca illa, quæ frequentibus naufragiis, & tempestatibus

a Fagundez in 1. præceptum Eccl. c.10, n. 15.

b Lugo de Euchar. disp.20. sect.3. n.80.
c Baron. tom. 6. anno 700
d Lugo cit. n.87. e Lugo n. 8.

bus horribilia, quasi Dominum maris, qui imperaret ventis & mari, tranquilla & pacata reddita fuisse. a *A solis ortu usque ad* occasum, in omni loco, hæc oblatio munda æterno Numini libatur & ubique, sanctissimum ejus corpus per consecrationis verba ponitur.

Hanc corporis Christi in cœlis, & simul in terris præsentiam; b Gallus quidam irridens, Francisco Christianissimo Galliarum Regi imponere studebat, illud identidem ipso coram ingerendo, speciebus illis nequaquam adhærescendum, *sed sursum corda, sursum corda*, ubi verè ad dextram Patris considet, erigenda, ad eum sensum D. Pauli verba allegans: c *Quæ sursum sunt, quærite, &c.*

At vos, quicumque superbiæ & arrogantiæ spiritu inflati, non minus stultis, quam ambitiosis opinionibus velificamini, parumper rogo antennas dimittite, ac vela colligite; ne ad errorum scopulos illisa navi, æternæ salutis naufragium faciatis. Legite sultis, quæ apud D. Dionysium, S. Clementem, & in aliis tam Græcis, quam Latinis liturgiis scripta exstant; invenietis certè sic ab antiquissimis usque temporibus, in Ecclesia observatum fuisse, ut dum sacerdos ad consecrationem se præparat, illud *Sursum corda*, populo acclamaretur. S. Cyprianus inquit verbis illis, *Sursum corda*, sacerdotem assistentium animos præparare, ac monere, ut omnes suas cogitationes in Deo defixas habeant, ut ille juxta promissum suum, inde ad altare descendat. Tum verò universus populus, unà cum sacerdotibus, & Diaconis respondere solet: *Habemus ad Dominum*, quasi diceret; jam nos corda nostra ad Deum elevamus, ut sanctum hoc & tremendum sacrificium perficiatur. Ex quo brutalis ignorantia cujusdam Ministri d in Aquitania nostra apparet, qui cum Franciscano Religioso de fide disputans ajebat, magis convenire ut nos in Missæ sacrificio *deorsum corda* cantemus, ut qui credamus, Corpus Christi in altari esse. Atqui meminisse ille debuerat, verba illa, *Sursum corda*, usurpari ante verborum Sacramentalium prolationem.

Fateor quidem ut è sacro textu patet, cacodæmonem esse Dei simiam, varia signa & prodigia in lege veteri æmulatum fuisse; sed quærit doctè & disertè Delrio e noster: *An possit dæmon unum corpus in duobus locis disjunctis, vel duo corpora in uno, & eodem loco penetrativè collocare?* ad quæ respondet, f nec ipsemet dæmon potest loca distantia ab invicem, non occupato medio, simul implere; multò minus potest idem corpus in diversis locis statuere; præstigias verò quas hic dæmõ aliquando commentus est, ut idem in duobus locis appareret, scitè & solidè elidit, atq; eludit Delrio. g Soli itaque hoc Deo reservatum, ut probant exempla Sanctorum, quibus docemur,

a S. Thom. opusc 58. c. 13.
b Florimund. l. 7 c. 3. n. 1.
c Ad Coloss. 3.

d Florimund. cit e Delrio disq. mag. l. 2 q 17. f Thyræus de spirit. c. 8
g Delrio cit.

mur multos, alio loco aliis apparuisse, quàm ubi revera erant, non dormientibus modò, sed & vigilantibus; quales apparitiones de S. Nicolao, D. Agatho, & D. Benedicto, Dei virtute factæ sunt.

D. Ambrosius *a* cum Mediolani palam cunctis inspectantibus sacris operaretur, funeri S. Martini, Turoni cunctis eum videntibus, & agnoscentibus, ut ipsemet tassus est; interfuit. Ita constat Antonium Patavinum, eodem tempore & Patavii, & Vlyssiponæ conspectum fuisse; Ignatium, Franciscum Seraphicum, Xaverium, variis in locis simul, se exhibuisse. Et ut alios mittam, unum B. Laurentium Justinianum *b* hic mirandum proponam, qui cùm celebraret ad populum, post elevatum Sacramentum, factus est extra seipsum, detulitque eum Spiritus ad Virginem sacram in cellâ clausam, & contemplationi vacantem, quæ fortè tunc miro desiderio communicandi teneretur, & sacra illi mysteria communicavit, sic ut ab oculis populi non discesserit, donec ad seipsum reversus, ab illo pietatis officio, reliquum Missæ peregit. Ut & tu hoc tam stupendo domo spiritualiter perfrui, & gaudere valeas, docet illud Aristoteles, quod *anima plus est ubi amat, quàm ubi animat*; atque adeò animus qui in corpore est, sæpe etiam in amante est. Ita animus Pauli corporis ergastulo inclusus, habitationem simul habebat in cœlis. Et ut ait S. Thomas *c* non rarò fit, *ut sint corpore in choro, & corde in foro.* Accedit unum plures esse posse zelo, labore, industria, vel saltem desiderio. Dilatare hic anima mea, & in plura te extende. Expetam ego amoris ingenio universas littoris arenas, non in unum, sed mille mundos, eosque pulcherrimos mihi excrescere: desiderabo singulas Oceani guttas in infinita maria exundare; volam singulas res creatas, novum mihi cœlum fieri, Seraphicis plenum amoribus. Optabo denique hæc omnia mea esse, non alio fine, quàm ut eadem omnia tibi, sponse mi, cedam, donem, offeram centies millies, ô Deus cordis mei. Quare? quia his omnibus, & immensis aliis infinities dignus es.

Omnium illud mentibus alte insedit: *Inter omnia* MIRABILIA, *quæ sunt in isto Sacramento, illud videri* MIRABILIUS, *& difficilius intellectu, quod unum & idem corpus numero, est in diversis locis.*

Quod autem Deo possibile sit, unum corpus in pluribus locis reproducere, dubitari non potest, ut doctè Lessius: *d* si enim quod periit, Deus restituere potest, & idem omnino reproducere, cur non possit secundò producere, id quod „ mansit? cur enim exhausta „ sit potentia ad rem producendam, quia eandem semel „ produxit? imò probabile est; „ idem numero à causa natu„ rali produci posse, si omnes „ eædem circumstantiæ, quæ „ illam

a Bzovius de signis Eccl. tom. 2. lib. 15. signo 60
b Bzovius cit. In vita.

c S. Thom. opusc. 59 cap 8.
d S. Thom. opusc. 59. cap. 8.
e Less de perfect. divin l. 12 cap. 16. num. 119.

„ illam ad hujus individui pro-„ creationem determinarunt, „ concurrant, ut insignes DD. „ tradunt. Sed id fieri vi, & le-„ ge naturali nequit; quia naturaliter impossibile, ut omnes eædem circumstantiæ concurrant, verùm Deus ab istis circumstantiis non pendet, sed pro suo arbitrio determinat id, quod ipsi est producendum. Itaque quotiescumque libet, potest idem alibi centies, & millies producere. Unde sequitur, *a ex uno homine, posse efficere integrum exercitum, ex uno pisce implere totum mare, & flumina omnia, ex una arbore omnia sylvarum spatia*, omnesque montes vestire, & cujuslibet individui infinitas, ut ita dicam, proferre replicationes. Sic unum speculum in tot facies scinditur. Qua similitudine Angelicus Doctor *b* usus est: *Probatur* inquit, *per visibilem similitudinem*, quæ cunctis in speculo declaratur: nam si faciei tuæ plura proponas specula, in omnibus æqualiter, & integraliter una apparebit facies. Et si unum speculum in plura frusta, etiam parva confringas, perfecta tua facies in singulis erit.

c *Reddunt se totidem facies.*

Unum corpus centum speculis præsens, in omnibus relucet, & per vitra polygona, multiplex apparet; *reddunt se totidem facies.* Una vox in tot millia auditorum spargitur: *d Neque incredibile est, si verbum hominis transiens, simul audiatur à multis, à singulis totum, quod verbum Dei permanens, simul ubique sit totum.*

Amabilis Echo, mortalium auribus adlabitur, & *clamanti* promptè respondet *amanti.* Credamus & nos, multò promptiùs *verbo verbum*, divinum illud & æternum adesse. *O miraculum!* exclamat Chrysostomus; *e O Dei bonitatem! ille qui in alto cum Patre sedet, eodem instanti manibus nostris tractatur.* Quare cesset impia *f* Carolstadii blasphemia jactantis, sibi tam persuasum esse, Christum in pluribus locis esse corporaliter, quàm persuasum sit S. Annam quinque habuisse capita, & innocentem infantem habuisse barbam duodecim cubitos prolixam. Aptissimè & amœnissimè aliquando hujus Carolstadii sectatoribus, respondit Pater Joannes Gauda, quem cùm Bruxellis hac solemnissima luce Sacramenti miraculo, duo ministelli convenissent, atque illud stolidum argumentum adferrent: Si Christus qui in cœlis regnat, cum Divinitate præsens sit hostiæ, quam Mysta in supplicatione publica detulerat, necesse esse, ut Papista ille totius orbis molem ferat: nam qui portat portantem orbem, juxta illud Isaiæ; *g Appendit tribus digitis molem terræ*, orbem universum portet necesse est; atqui hoc absurdum, ergo. Suaviter ad hæc subridens Gauda reposuit, hoc illis non debere mirum videri, quandoquidem & frater vester, Asinus nempe, Christum Jerosolymam intrantem portavit; & Pater Diabolus (vos enim ex patre Diabolo estis) eum supra pinnaculum templi por-

a Less.l.5.c.2.n 9. b S. Thom. opusc. 58.cap.13. c Virg.9. Æneid. d S.Thom.3. p. q. 1. a. 11.

e Chrys.l.3. de Sacerd. f Florimund. l.2. c.7. n.2. g Isa. 40.

portavit. Quis autem adeò barcus aut blennus, ut universam terrarum machinam abiis simul sublatam existimet? Hæc obiter, ut & vos, ubi subinde res sese obtulerit, ejusmodi instruere possitis in Spiritu lenitatis. Non casu sed amabili Dei providentiâ factum, ut multiplicatio 5. panum, præcederet concionem de pane Eucharistico, ut videre est ex D. Joanne, & ut doctè advertit *a* Chrysostomus. Volebat nimirum benignissimus Salvator, ubi paucis panibus quinque millia hominum pavit, præludere illi cœnæ, in qua non una dumtaxat die quinque millia reficeret, sed in annos, & sæcula, tot hominū millia, quot essent Christianorum, qui ea sacra usurparent.

Augustinus, quem Paulinus *b Ecclesiæ lucernam & venam fontis æterni* appellat, ex natura rei lucem præfert, dum ait mirari nos, paucis panibus tot millia saturari; consimile miraculum *c* indies accidit, dum unum granum, 50. aut 100. alia producit. Naturæ fertilitatem vel ex una spicæ calculatione considerate: si unum granum trici produceret 50. grana, ut sæpe sæpius accidit, & illa quinquaginta rursus 50, & sic deinceps, spatio 12. annorum, ex uno grano habebis ducentos quadraginta quatuor milliones millionum, & 140. millia millionum milliones. Si jam unicuique pedi cubico des tantum 10. grana, implebuntur his granis urbes, Parisiis pares, 24. milliones, & quadraginta, & quatuordecim millia. Lubet hic nectaream Ambrosii sententiam affundere: *Si illud miraris quod miraris umbra est, quantum illud est, cujus & umbram miraris?*

Hæc exuberantis naturæ prodigia, stupendum illud unius panis azymi consecrati, in mille millia naturæ minima divisa, mysterium supra naturam non supra fidem, totum Deum in singulis millies millies geminari, fertilissimè adumbrant. Enim verò illud hîc maximè deplorandum ac exsecrandum occurrit, ut docet *d* Augustinus: hæc *miracula Corporis Domini, jam assiduitate viluisse*, ita ut penè nemo dignetur attendere opera Dei mira & stupenda in quolibet seminis grano; *e Majus miraculum est gubernatio totius Mundi, quàm saturatio quinque millia hominum de 5. panibus; & tamen hæc nemo miratur: quia quotidiana, viluerunt.*

Profectò non majus prope videtur amoris miraculum, talem cibum dedisse, quàm mortalium tam frigidè, ac remissè hunc appetentium fastidia tolerare. Æstimabant hoc donum primi Christiani, qui avidissimè ad has epulas confluebant, nemo ad biduum eorum desiderium ferre poterat; sed hodierna satietas, crastinam acuebat famem. Hic non possum quin socordiam, tædium, fastidium, contemptum complurium fidelium exaggerem, quibus cœlestes illæ epulæ jam *assiduitate viluerunt*, qui cum hoc pluris beneficium facere deberent, quòd Redemptor noste

a Chrysost. hom 45. in Ioann.
b Paulin. Epist. 31. ad August.
c August. l 21. de civit. cap 4. & tract. 24. in Ioann. c. 6.
d August. in tract. 24. in Ioann. cap. 6
e Ibid.

ſter prodigaliter prodigus omnibus, omnibus in locis, omnibus diebus hunc panem Angelorum manducandum proponat; ingratitudine barbarâ, cum Iſraëlitis vociferentur: *a nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo.* Si uni in orbe terrarum, ipſi ſummo Pontifici ſemel in vita ea poteſtas conceſſa foret, ſiſtendi Chriſtum ſibi in Sacramento mirabili: quomodo non orbis in urbem conflueret, quàm admirabili ſtupore, quàm ſacro honore, Religione quantâ iſti ſacrificio quiſquis noſtrûm intereſſet? quàm avidè ardenterque hic Deum ſuum ſub ſpeciebus panis abſconditum contemplaretur? Refert Spondanus, *b* anno Jubilæi, indies Romæ ſupra decies, duodecies hominum extraneorum millia fuiſſe, tamque confertam multitudinem ad ſpectandum ſudarium Veronicæ, Dominicis ac feſtis ſolemnibus oſtendi ſolitum confluxiſſe, ut ſæpius contigerit plures præfocari. Ut faciem Chriſti autem, non in ſpeculo, aut umbra ſpeculari, ſed ipſummet intra ſinum cordis complecti valeamus, vix pes à terra movetur.

Si uno in loco, una in urbe Hieroſolymitana, ſanctiſſimum Chriſti corpus ſub Euchariſtica hoſtia exponeretur, ó quot mortales per mille incommoda, per mille diſcrimina, ardor divinũ hunc ſolẽ ſub nube hac candida, contẽplandi, adorandi, quid ſi etiam ſumendi, excireť? Nunc cùm hic Sol ubique reluceat, millies & millies gemi-netur, eum ne oculo dignamur.

Sideribus quæ plurima collucent, nihil pulchritudinis, aut æſtimationis, multitudine deperit, quamvis toto cœlo densè diſperſa videantur; quin imò quò plura, eò gratiora, & jucundiora ſeſe oculis inferunt, Deique magnificentiam contemplantibus explicant. O mi amantiſſime Jeſu! ó dilectiſſime ſponſe animæ meæ, eò te majori honore, ardentiori amore digniſſimum ſentio, quò te totum ſæpius mihi donare dignatus es. Totam reverentiam quam omnes Angeli habuerunt, cùm te exceperunt redeuntem à mundo, & vita paſſibili, ego unus tibi debeo mille modis: nam intras in me ſæpius, ut me unum ſolum oblectes, qui ſemel in cœlos intraſti, delectaturus omnes Angelos. Sæpius pro me uno facis, quod ſemel pro univerſis cœleſtium Spirituum Hierarchiis feciſti. Si hoc beneficium uni dumtaxat ex omnibus mortalibus fieret, ut ſemel in æternitate tota, intraret Chriſtus in illius pectus hoc ambiliſſimo modo, quàm ſtupendum beneficium cenſeretur? qui audirent vix, crederent, attoniti hoc benignitatis miraculo. Ipſe qui ſuſcepiſſet quàm extra ſe admirans, ſine voce, ſine motu, imò ſine vita maneret, niſi miraculosè juvaretur, præ ſtupore, timore, gaudio, amore, ex tanta benevolentia. At nunc verò cur non veneror, non admiror longè majus beneficium, cùm non ſemel, ſed frequentiſſimè, non mihi ſoli, ſed omnibus ſe communicat, multoties ſe det, ut quàm multipliciter noſter ſit

a Num 21. b Spondan. a 1350. n. 2. pag. 503.

sit, idque non alio, quam exuberanti amoris prodigio. Cui ut quoquo modo responderent, & omnem animi nostri nauseam tollerent, divino Spiritu ferventes, & hujus cœlestis pabuli maximè appetentes quidam exstitere.

Thomas VValsingamus Angliæ Historicus, refert de Othone Imperatore, in extremis summè desideranti extremum viaticum hoc illi propter assiduam stomachi nauseam denegatum; id saltem impetrasse, SS. Christi Corpus in cubile deferretur, ut oculos pasceret; quod dum factum, & ille summo affectu, ut alter Simeon brachia explicaret, seu Christum amplexurus, pars ea pectoris quæ cor obtegit aperta est, ipsaque hostia è Sacerdotis manu, quasi in sedem sibi paratam, in cor Othonis evolavit pectusq; hoc hospite recepto, rursus clausum est, absque ullo cicatricis vestigio. Quemadmodum & Seraphico Doctori accidisse legimus. Sed hæc ut vobis notiora prætereo, unum hic tacitus præterire non possum, ut hujus cœlestis cibi sacra fames in vobis accendatur. Joannes Nider *a* plus pariter, & pereruditus Scriptor, *b* paulò antè quàm Coloniam missus esset ad litteras addiscendas, tradit fuisse in illa civitate duas insignes Virgines, eâdem matre & mente natas, unanimes in una, eademque domo degentes, & sponso Christo Virginitatem consecrantes, præ omnibus epulis, sacrum Eucharistiæ epulum in deliciis habuisse. Harum unam cœlestis Sponsus sub vitæ sanctioris tirocinio duriter; postea tamen amabili eventu comprobavit. Cùm enim ingenti desiderio, & flagranti esurie divini pabuli teneretur, ut fames magis accederetur, in gravem adeò morbum incidit, ut nervis, quibus labia & mandibulæ solent moveri, se contrahentibus, etiam adhibito totius corporis nisu, os diducere ad sumendum cibum non posset. Enimverò ea erat contracti oris vis, & perticinacia, ut labia etiam liquido jusculo sumendo, etiam cochleari, aut argenteo instrumento non possent aperiri; adeò mandibulæ superior inferiori tenaciter cohærebat, ut concrevisse viderentur. Erat itaque non mirabilis solùm, sed etiam miserabilis hujus Virginis aspectus, quam maxime excruciabat non tam terreni cibi sumendi cupiditas, quàm divini epuli fames: quæ eò potentius ex ardescebat, quo se indies celeriùs ad mortem properare advertebat. Negabant omnes qui eam visebant, fieri posse ut sacro se viatico muniret, quæ etiam vel minimum liquorem admittere non valebat: ut tamen ejus flagranti desiderio utcumque fieret satis, accitus est Sacerdos, qui ei de peccatis confessæ SS. Sacramentum sub oculis poneret adorandum: Et ecce *quid non mortalia pectora cogis, Christi sacra fames?* statim ut hunc panem Angelorum illa conspexit, præter omnem spem & opinionem, vires colligit, & Spiritu qui intus agebat, os reseravit, accepitque cunctis inspectantibus quen[...]

a Nider l. 2 fornic. c. 7. b Stengel. de divin. judiciis, tom. 2. c. 57. n. 9.

quem tanto tempore esurierat. Hæc fames, hæc orexis, hoc desiderium in vobis hodie acuendum est. Mirabile convivium Christus Dominus daturus, *a secessit seorsum in locum desertum; quod cùm cognovissent turbæ, secutæ sunt illum.* Cur in desertum sequentibus, & non potiùs, ac commodiùs intra urbem commorantibus, convivium ministravit? D. Ambrosius aptè ad rem nostram: *gratiæ cœlestis impartitur alimentum, non in civitate quasi in Synagoga, vel sæculari dignitate residentibus; sed inter deserta quærentibus Christum: qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur à Christo.* Si igitur iste panis hordeaceus, non nisi appetentibus dabatur, quo jure, seu qua injuria, hic panis cœlestis fastidientibus apponeretur? eter enim *b memoriale tuum in desiderio animæ*; quæ hunc panem suspiret, desideret, esuriat, & cum mellifluo Doctore hisce verbis ardentissimè expectat:

Desidero te millies,
Mi Iesu, quando venies,
Me lætum quando facies,
Me de te quando saties?

QUARTUM

MIRABILIUM. *Cibus indeficiens. Nec sumptus consumitur.*

HUjus tam stupendi, tam suspiciendi miraculi, Omnipotens Deus ad incredulorum perfidiam confutandam, aliquod nobis in natura vestigium relinquere voluit. Ecquis porrò non videat ab uno elychneo succenso, mille alios sibi lumen mutuare?

Nec habet inde minus.

Ad quam similitudinem alludens *c* Isidorus Pelusiota: *Unus ignis*, inquit, *mille lampades accendet, nec minuitur; & alias iterum totidem, imo plures valet accendere*, quia, ut ait Eccl. 24. & signat anni proxime insequentis Chronicon: est *LV Men In-DefICIens.* Confirmat idipsum, qui ab hac face omnem sibi lucem in pectus derivavit, Thomas Aquinas: *Habemus simile exemplum de candela; quia ab una candelâ accensâ, infinitæ candelæ infinities possunt accendi; nec primæ candelæ lumen diminuetur.* Non est quòd quis Atrebatum excurrat, ut prodigiosam illic candelam contueatur, & contrectet, quæ semper ardens non consumitur.

Quidquid usquam sanctum ac sacrum est, in altaris Sacramento adeò perenniter continetur, ut quantum inde delibaris, non minuatur, quantum desumpseris, non consumatur. *d Probatur similitudine humanæ scientiæ: nam quanto homo magis scientiam suam aliis distribuit, tanto plus crescit.*

Efficacissimè verò has divinas epulas, ab innumeris etiam convivis sumptas, nunquam consumi, probat S. Thomas exponens illud Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam*; ubi sic ait: magnã esse propter tria:

1. *Magna est, propter ferculorum copiositatem.*
2. *Magna, propter accumbentium frequentiam*
3. *Magna, propter ipsius æternitatem.*

R Quod

a Luc. 9. b Isa. 26.

c Isid. Pelusiota in catena Græca Luc.
d [illegible] S. Thom. [illegible] 8.
e S. Thom. opusc. 58 cap. 14.

Quod primum spectat, cùm Salvator noster Augustissimum Corporis sui Sacramentum instituere decrevisset, modestissimus cæterùm in omnibus, *cœnaculum grande* voluit apparari. Ubi mihi videtur simile quid præstare voluisse, quod à munificis Dynastis, & potentissimis Orbis Monarchis aliquando factitatum legimus, ut regias suas opes, ac magnificentiam Regni sui omnibus declararent. Sic *magna* dici potest *cœna* illa splendidissima, quam barbaro luxu potentissimus Rex Chaldæorum adornavit, ut eam describit Hebræus vates: *a Balthasar Rex fecit grande convivium, Optimatibus suis mille*; ductis grandem in aulam convivis, belluatis tapetibus ornatam. Hic in abaco mirari licet guttos, lagenulas, pateras è gemmis grandes, pocula crystallina, myrrhinaque, tum asyntheta effigiata, aliaque vasa aurea, & argentea. Tum lecti Juvenes ordinato grege atque spectabili ingrediuntur, patinas deferentes: hic ficedulas & peregrinas coturnices: ille attagenas ab Jonia, hic anseres fertiles ex Germania, hic ab India Gallinas, vel è Colchide Phasianos. Alii alia ferunt nemorum dona, lacuum prædam, fluminum delicias, Oceani exuvias, præstabilissima tuceta. Apiciani dulciarii cum tragematis bellariorum, cum placentis inauratis, cum saccharatis confectis, cum mellitis scitamentis. Mirantur convivæ, lætantur, & splendidè epulantur. Verè COENA MAGNA, *propter ferculorum copiositatem*. At hic omnis apparatus, & quanta, quanta exquisitissimorum ferculorum copia brevi consumitur, totumque hoc, quamtumvis splendidum convivium, exiguo temporis spatio finitur, & absolvitur.

Geta mensæ inferri jubebat tot fercula ordine alphabetico, quot excogitare poterat: anseres, anates, attagenas, apros, atrocreas, &c. Pullos, pavones, perdices, Phasianos, &c. quæ omnia, uno die absumebantur. Aurelius Verus talem cœnam instituit, ut si eo prandium par facere voluisset, nescio, inquit Petrarcha *b*, an Romana res sufficere potuisset. Sed ut Cyprianus *c* verissimè asseverat: *Hic panis, omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates*. Cœna Calvinistica indies consumitur, & quandoque ad centum, imo mille lota vini consumpta sunt: quemadmodum non ita pridem in Germania, anno nempe 165[illegible] in exsequias Acatholici Principis, vel potius in convivium funebre, certis litteris inde missis, constat impensos fuisse boves 170. vitulos 330. vervees 800. porcellos Trojanos 400. Juvencos 248. Agnos 600. Sues 200. Gallos Indicos 300. Capones 400. Anseres 600. Gallinas 11000. Pullos allinaceos 22000. Ovorum 23000. modios, butyri centenaria 1000. plaustra vini 400 cerevisiæ urnas 2000. salis modios 100. lucii piscis centenaria 600. carpionum centenaria 2000. præter feras animantes apir[illegible]

a Daniel. cap. 5.

b Petrarcha l. 1. Dial. 96

c Cyprian. serm. de cœna Dom.

apiros cervos, lepores, cuniculos, perdices, turdos, sine numero: quæ omnia pretio minimo & levissimè æstimata, steterunt quinquaginta millibus, & ducentis florenis; & tamen intra triduum ab hospitibus absumpta fuêre.

Hactenus carnales epulas, regias, opulentas, & opiparas ab hominibus carnalibus avidissimè sumi, & consumi audistis; sed illud maximè deplorandum, tam paucos esse, qui epulas cœlestes esuriant, qui ad divinissimum Eucharistiæ convivium toti famelici accedant; quod quantumvis ab infinitis hominum millibus, mille sexcentis annis, & amplius sumptum, semperque sumendum, semper mensa integra & recens est. a *O miraculum mensæ mysticæ, tam munificè instructa, in qua Agnus Dei vivus immolatur.* Præclare hoc intellexit S. Andreas, ut nobis Presbyteri Achaiæ, in ejus actis tradiderunt: *Ego Omnipotenti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari; cujus carnem postquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.* Nihil de hac mensa imminuitur; non secus ac sacri Regum annales referunt, b *quod hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* Quæ perappositè ad rem nostram accommodat S. Thomas c: *Quantumcumque etiam à quibuscumque hominibus, corpus Christi comedatur, semper est unum, & in nullo diminuitur; sed semper perfectum & integrum perseverat. (Cujus memoriale exemplum habemus in sacra scriptura,* 3. Reg. 17. *de lecytho olei, & hydria farinæ.* Sumptuosum illud videtur convivium d Ptolemæi, Regis Ægypti, patris Cleopatræ, quem Plinius ex Varrone refert mille convivas, totidem aureis potoriis mutantem vasa cum ferculis saginasse.

Recentioris hoc memoriæ, quo Carolus V. ut ex P. Vivero ipse accepi, Franciscum Galliarum Regem, Madriti excepit, dum centum lances argenteas, mensæ ejus inferri jussit, non nisi cerebellis avium refertas; alias insuper centum aureas, totidem porcellanas, omnes cerebellis avium instructas. Mensisque remotis Regem per duodecim conclavia deduxit, harum omnium volucrum plumis convestita. Sed hæc omnia, tot avium millia, eodem die cum plumis suis, ex oculis evolarunt.

Quæ non indies per orbem magnifica Principum Regumque convivia exstruuntur? in privatis etiam mensis quantum carnis, panis, vini quovis die, quovis anno absumitur: At cibus ille cœlestis panis Angelorum, e *habens in se omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem*, mensæ Domini impositus, nunquam deficit! f *Exemplum habemus in natura; quia jam sunt sex millia annorum, & ultra quod homines triticeũ panem comederunt & semper per gratiam Dei comedent; & tamen triticum non est diminutum, sed hodie satis plus est de tritico, quàm fuit initio,* quan-

a Chrysost. hom. de divina mensa.
b 3. Reg. 17. c S. Thom. opusc. 59. cap. 10.

d Plin. l. 33 cap. 10. e Sap. 16.
f S. Thom. opusc. 59. cap. 8.

quando homines triticum comedere cœperunt

2. *Cœna magna, ratione accumbentium,* qui subinde innumerabiles adhibiti sunt.

Inaugurationem *a* Davidis Regis in Hebron, convivium excepit eo apparatu, & convivantium numero, quem nemo crederet, nisi cœli testimonio id sciret: nam trecentis quinquaginta septem millibus virorum, David epulum triduanum præbuit, sumptu incredibili. Cui accenseri potest *b* nuptiale convivium Alexandri Magni, ad quod adhibita sunt decem millia convivarum, singulis ab eo paterâ aureâ donatis. Nec minus stupendum quod Spondanus *c* in annalibus Eccl. an. 1285. n. 19. commemorat; nuptias VVenceslai Regis Bohemiæ, cum Judithâ Rudolphi Regis filiâ, tantâ Principum ac Nobilium frequentiâ celebratas, ut indies supra centum millia hominum, Pragæ convivio excepta sint. Super omnia tamen quæ hactenus audistis, splendidissimum & quodammodo fidem excedens, fuisse videtur illud convivium Pythii Bithyni. Hic, si vera sunt, quæ traduntur à Plinio, *d* Xerxis copias, hoc est, septies centena octoginta octo millia hominum, lauto epulo refecit. Hic tamen convivantium numerus propè innumerabilis, & incredibilis, velut unitas ad millenarium, vel zelo ad infinitum, si cum iis qui cœlesti mensâ supra jam mille sexcentis annis, per orbem universum refecti, & usque ad supremum judicii diem reficiend[i] sunt, conferatur.

Quale spectaculum *e* est in urbe orbis Principe, è purpureo Patrum Senatu, quandoq; quatuor ex illis, aliquando quinque, diversis, eodem in templo locis, eodem tempore ad multas horas Augustissimum hoc epulum sacræ mensæ accumbentibus distribuere, eâ convivarum frequentiâ, ut censa sint Romæ uno in templo, uno die, modò sedecim, modò viginti, aliquando etiam triginta millia cœlesti hoc epulo perfruentium.

Similiter Vlyssiponæ ad viginti quinque millia hostiarum uno die distributa; his si quis alias urbes Europæ, ubi S. Synaxis maximè frequentari solita, ac Belgii nostri, cujus oculati testes sumus, Insulas, Audomarum, Antuerpiam, Bruxellas addiderit, perque universum orbem Christianum, non per dies, aut menses, sed annos magnæ hujus cœnæ convivas enumerare voluerit, innumerabiles fore nemo non fateatur necesse est.

3. *Cœna magna, propter ipsiu[s] æternitatem.*

Persarum Regem Assuerum sæpius audivistis divitiarum gloriâ præcellentem extitisse, quas ut omnium defigeret in conspectu, convivium paravisse, quàm potuit splendidissimum, de quo sacræ paginæ: *Tertio anno Imperii sui, fecit grande convivium cunctis Principibus & pueris suis, fortissimis Persarum & Medorum inclytis, & præfectis Provinciarum coram se.* Tum n[...] cive[...]

a 1. Paral. 12. b Pererius in Daniel. c. 5. c Spondan. an. 1285.
d Plin. l. 33. cap. 1.

e Imago 1. Sæculi Societ. l. 3. c. 9.
f Esther. c. 1.

cives ac plebeios excludere videretur: *invitavit omnem populum qui inventus est in Susan, à maximo usque ad minimum.*

Doctor Angelicus opusc. 58. cap. 29. Rex iste (Assuerus) *significat Christum. facit convivium magnis, & pueris scaelibus.* Atque ut quisque nôrit, cœnam magnam ab eo institutam, omne convivium Assueri longè exsuperasse *propter ipsius cœnæ æternitatem*, utrumque inter se conferamus. Protendebatur Assueri convivium per annum dimidium; Porrò *a ut ostenderet divitias gloriæ Regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore centum videlicet & octoginta diebus*, opiparè convivas habuit. Magna continuatio ferculorum, fateor; sed quàm exigua ista judicabitur, si divini hujus convivii perpetuitas spectetur? quanta illa est mensium paucitas, si hæc annorum numerositas attendatur? Diuturnius quàm illud Assueri convivium, fuit illud, quo Hebræorum exercitus recreatus, vastam & incultam solitudinem peragrantibus, quadragenos circiter annos liberaliter impensum, nunquam defuit: semper è cœlo commeatus (quo nullus intercipere poterat) fideliter submissus. Quis non miretur tantam epuli perennitatem, copiis aliis Israëliticis, quæ, ut *b* Salianus supputat, tricies centena hominum capita complectebantur, ne ad diem defuisse?

At sacrum convivium, in quo Christus sumitur, longiùs excurrit, diutiùs perennat. Quot jam annos? quot lustra? quot sæcula? quot chiliades his divinis epulis convivamur? quo tandem fine hoc cœleste convivium claudetur, nisi eo pariter, quo & orbis? Hujus convivii typus est æternus ille ignis, quo divinum quondam altare (ut Levit. 6. præcipitur) semper ardebat. Ut enim ille nunquam poterat consopiri; ita hoc nunquam poterit aboleri. Quis non ad hanc inexstinguibilis amoris fornacem propiùs accedens, cum Hipponensi Præsule *c* exclamet: *O ignis qui semper ardes, & non extingueris! Caritas Deus meus, accende me*, ut & ipse amore tui ardeam, non per horam, per diem quo visitas me, sed per omnem vitam, per omnem æternitatem.

QUINTUM

MIRABILIUM. *Inter Sacrilegorum sicas illæsus. A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.*

Divinus ille Magister Christus, prædilectas sibi Sponsas, quandoque familiariter super hoc sublimi mysterio, aptis similitudinibus erudiit. Ac primum nihil officere sacerrimo Christi corpori, quod in fœda indignaque loca projiciatur, Brigittæ, *d* ac Catharinæ per radios solares demonstrat: ut enim illi per sordes ac lutum dispersi, nihil sordium contrahunt, aut contra-

 here

a Esther. c. 1. b Salian. an mund. 2 [illegible] n 165.

c Aug. l. 10 Confess. c. 29. d L. 4 revel. c. 61. in Dial. tract. 2 c. 110.

here possunt, manentque ubiq; inviolato fulgore; ita ubi ubi corpus Christi candidissimum collocetur, illibatum perstat, perstetque necesse est. Uti nec gladio eum lædere aut dividere potes, qui si vitreus, aptissima, ait *a* Lessius, similitudo erit.

Hoc & vos aliqua ratione æmulari percuperem, ut dum infernalis ille leno, candidæ cujusquam menti, fœdas nescio quas libidinis sordes adspergere conatur, illam illibatam, ut Solis radium conservetis. Quoties obscœna verba auribus, lasciva objecta à dæmonis administris oculis ingeruntur, animum inviolatum, & intactum tueamini. Quoties inter homines carni & sanguini deditos, agere necesse fuerit, ex eorum consuetudine non plus fuliginis, quàm piscis in mari salsuginis contrahere nitamini.

Altera similitudo ducitur à speculo, quod licet frangatur, imago tamen in eo relucens non frangitur. *b Sic est revera in Sacramento Christi, qui speculum dicitur, & imago bonitatis illius.* Unde subdit idem Doctor: *Tertium* MIRABILE *est, quod corpus Domini sit in pluribus locis, & portionibus; tamen per partes non est divisum. sed manet in se integrum, & conjunctum.* 1. Corinth. 2. *Divisus est Christus? quasi diceret, non est divisus.* Quare Judæi frustra stilis, cultris, gladiolis, Sanctissimum hoc Christi Corpus sauciare, in partes discindere conati sunt. Sanguis qui inde prodigiose profluxit, injuriam dumtaxat, quam ipsi Salvatori inferre satagebant, & vindictam quæ illos manet, clamabat. Unam hic toti Belgio, imò orbi Christiano celeberrimam Sacramenti miraculosi, quod Bruxellis asservatur, tragœdiam paucis enarrabo.

Anno partæ salutis 1370. *c* die veneris sanctiore, quo Cives Christiano ritu memoriam cruciatuum Domini nostri recolunt, Judæi quidam raptam jam antehac in æde S. Catharinæ sacram pyxidem, cum hostiis aliquot consecratis, in Synagogam detulerunt, hostias, ut sic loquar, suo furori sacrificaturi. Præludia fuere scommata in Christum impia, sputa, diræ, dentium stridor cum amaro risu, insultoria verba in deastrum Christianorum, & hujusmodi cetera, quæ quisque pro virili excogitaverat, impietate magistrâ. Inde ad graviora ventum: correpti pugionibus confodêre hostias Sicarii numinis, donec è foraminibus sanguis emanans ea ac mensam cui impositæ erant inficeret; viso sanguine universi nimium quantum perculsi supini de sedibus corruêre majorum exemplo, qui Christum in olivetico horto prehensuri venerant, quorum utique impietatem si non in eodem genere imitabantur, in su superabant. Humi jacuerunt bene longo tempore super pavimento fusi, tanquam afflati fulmine; erigunt se tandem ut ti uti possunt: tumque hostias ac se mutuo respectantes, primùm, hærent velut mente, & lingua capti. Deinde trepid

a Lessius de beatit opusc. posthum.
b S. Thom. opusc. 58. cap. 13.

c Rosvveyd. hist. Eccl. Belgii an. 1370

ac perturbatè eas in pyxidem rejiciunt. Amotâ porrò ab oculis pavoris causâ, quasi Psalmistæ *a* vaticiniū ad se derivare laborarent, *dissipati sunt, nec compuncti tentaverunt* Christum, *subsannaverunt* illum, *frenduerunt super* eum *dentibus suis* Verùm, *ô Domine, quando respicies?* euge, *non supergaudeant, qui adversantur* tibi *iniquè*, qui *annuunt oculis, & oderunt te gratis.*

Ite recutiti, pyxis clausa est, vestra res in tuto est, scelus pyxide occlusum & occultum. Quasi qui prodigioso sanguine notas quasdam descripsit Divinitatis suæ, is scelus vestrum prodere non possit. Imò prodidit: cùm enim ne deprehenderentur, veriti, Catharinæ cuidam genere Judææ, at Religione Christianæ, pyxidem cum hostiis tradidissent, Coloniam ad suos gentiles transferendam, illa facinoris conscientiâ deterrita, & divino afflatu impulsa, postridie summo mane sacrum tribunal adit, pactum cum Judæis initum Confessario suo, Petro de Heede, in divæ Virginis Sacello, Pastori aperit, pyxidem exhibet, ad extremum Venceslao Bohemo Brabantiæ Duci, Judæorum facinus juridico more defert; ac tum tandem deprehensi illi, disceptatoque crimine, flammis adjudicati sunt. Ad supplicium ita processum: nudi per plateas Bruxellenses in carris circumvecti: singulis in compitis quâ transirent, item in majore foro, nec non ante vestibulum ædis S. Catharinæ, unde raptum erat ter adorandum Sacramentum, candenti forcipe ustulati, laniatique; ac tandem pridie Ascensionis Domini, flammis vivi combusti, ad periculum Tartarei rogi faciendum, quo perfidiam deferebant. Hæc sceleris merces fuit. Exinde piâ ac celebri pompâ delatæ hostiæ cruentæ, partim in templum S. Gudulæ, partim in Sacellum S. Catharinæ, unde pyxis fuerat ablata, ex omnibus (sedecim fuisse memorantur) tres reliquæ, hodieque visuntur; ignoratur, quid cæteris factum. Etiamnum sanguinis tinctura in ijs apparet, quamvis dilutior, propterea quòd jam olim nescio qua incuria, cœlo pluvio, in supplicatione expositæ immaduerint. Ceterùm inter innumera quæ Deus per illas miracula edidit, hoc illustre, quod ann. 1529. accidit, dum Belgium infectum erat sudore, quem Anglicanum, quæ ex Anglia fluxerat, vocabant genus pestis præsentaneæ, quæ intra 24. horas sudore & calore homines conficeret. Bruxellenses huic malo vitando vel profligando, indicto jejunio & celeberrimâ supplicatione, cū prodigiosis hostiis urbem lustrarunt, & ex eo, nemo unus Bruxellensium istâ lue extinctus est; cùm tamen eadem afflatæ circumjacentes urbes, eo tempore nil nisi funera viderent. Quid quòd eodem supplicationis die, duobus claudis gressus, precibus ad dictas hostias fusis, divinitus firmatus sit: quis hoc immane Judæorum sacrilegium, non gravissimè detestetur, & illud Pauli in eos vibret: *b Quanta putatis mereri supplicia qui filiū Dei conculcaverit, & sanguinē testamenti pollutum duxe-*

a Psalm. 34.

b Heb. 10.

auxerit? dum interim quis credat? fortè etiam in hoc cœtu reperire est, qui hisce Judæis, atque ipso Juda truculentior, manus corpori Dominico inferre non veretur! *a Etenim qui indignè Christum sumit, idem agit ac si interficiat. Quàm temerarium est, quàm nefarium est, cruentis manibus, intemerata Virginis tractare filium? quis auditus sustinet aurium? quis oculis non confunderetur ad intuitum? cujus mens non paveretur in excessum, ubi mundi precium mittitur in sterquilinium? non enim minus est detestabile in os pollutum, quam in lutum mittere Dei filium.* Sed hæc alteri *b* ex proposito copiosè egimus. Ut nos filum cœptum contexamus, certâ fide tenendum est, glorioso Christi corpori nil à mortalibus (etsi non minor eorum perfidia) læsionis inferri, atque illam divinorum membrorum unionem, neutiquam infringi posse: *c Corpus Christi quidem sumi potest ab impiis, & peccatoribus; & ab iis sæpissime tractatur indignè; posset etiam ipsa hostia in lutum projici, vel bestiis tradi, seu ab animantibus comedi, & undique multis aliis modis tractari. Quamvis autem talia facientes, gravissimè peccent; tamen corpus Christi per talia nullo modo coinquinatur, nec ullam in eo efficiunt læsionem; sicut radius Solis per lutum transiens, exinde non inficitur, vel gladiis vulneratur. Sic non concisus, non confractus, non divisus,*

Integer accipitur.

Quod expendens Bonaventura *d* ait: *Dominus indivisum, & integrum Corpus obtulit: malè ergo divido, & vel minimâ mei parte illum defraudo.* Hæc vox infamis meretricis, *e* carnalis voluptatis, tartarei tyranni est: DIVIDATUR. Suaviter & fortiter *f* Bernardus: *non Patris, non Matris illa vox erit: nec mihi nec tibi sit, sed* DIVIDATUR. Hæc vox mundi est, vox cacodæmonis est, dum Deus & Dominus cordis nostri, jure suo totum sibi indivisum postulat. Unam partem maritus uxori tradit, *g* ET DIVISUS EST. Unam aurem judex æquitati & justitiæ; alteram crumenæ vel amicitiæ, & DIVISUS EST. Adolescens unum oculum altari, alterum puellæ intendit: unum genu Deo, alterum Diabolo consecrat. Quibus non minùs verè quàm severè Oseas *h* interminatur: DIVISUM EST *cor eorum, nunc interibunt.* Quæ divisio & scissura cùm inter plures gladio linguæ oriatur, & in annos multos cor inveterato odio divisum maneat, hoc Sacramentum, quod unionis, pacis & concordiæ, ubi Christus *non divisus sed integer accipitur*, hodierna die omnium animos unire, & conglutinare debere ostendam. Augustinus, teste Ruperto *i* *Columna veritatis*, hoc Sacramentum *concordiæ* appellare non dubitavit. *Litigabant ergo Judæi, & difficabantur cordibus suis; quia panem* CONCORDIÆ *non intelligebant, ad invicem litigabant; qui autē manducant talem panem, non litigant ad invicem; sed per hunc facit Deus* UNANIMES *in domo.* Concordiæ panem manducare non videtur, qui discordias serit,

a Aug. cit. apud D. Tho. opusc. 58 c. 18. b V. Lux Euang. p. 1. Dom. 2. post Pent. c S. Thom. opusc. 59. cap. 7. d Cit. Salazar. in Prov. c. 9.

e 3. Reg. 3. f Bern. epist. 258. g 1 Cor. 7. h Oseæ 10. i Rupert. l. 7. de opere Spirit. S. c. 19. August. tract. 26. in Joan. S. Thom. in Joan. c. 6.

rit,qui diffidia,& rixas cum altero miscet. Quod utinam non eo ipso die,quo hoc pane concordiæ refecti sunt, contingeret!cum interim hic panis,convivas omnes tam concordes reddere deberet, ut multorum corporum una anima esse videatur.

Hoc votum Divi Cypriani *a* fuit: *Quibus unus est panis unum est corpus, & omnium unum cor, & anima una, uni Christo adhærens*, juxta illud Pauli: *Unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.*

Multa grana quibus panis conficitur, jam contrita ita inter se uniuntur, ut discerni nequeant, ut nec acini, qui in vinum confluunt. Quibus unitatem, ac animorum concordiam Deus nobis maximè commendare voluit, ut docet Sanctus Thomas: *b Propterea Dominus noster Iesus Christus, corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquod rediguntur: ex multis namque granis unus panis conficitur. & ex multis racemis vinum confluit.*

Qui ad hanc unitatis, & pacis mensam communicaturi accedunt, ensem, ut videmus, deponunt; sed quid juvat, ut cum Tullio loquar,nudum gladio habere latus, & animum servare armatum? quid juvat columbinam mansuetudinem in Eucharistico agno tibi proponi, si animus tuus felle redundet, & in rabiem belluinam efferatur? istiusmodi similes dixero Reginæ Semiramidi, quæ pro symbolo *c* habebat columbam, gladium rostro suo præferentem, indicare volens, quod sub sexu fœmineo, truculentos tamen animos gestaret. Istud est quod gravissimè insectatur Chrysostomus, *d* quò.. *lupi fiamus agnum comedentes. Hoc porro mysterium ab omni vel tenui inimicitia purum esse penitus jubet: est enim* PACIS *mysterium*, in quo Deus pacis & dilectionis, intimo cordis nostri sinu excipitur, & unitur.

B. Blondæ, marito vita functo, unicus *e* restabat filius, matris amor & deliciæ. Verùm inveterata odia quorundam in patrem, necdum cum eo sepulta, in filium exarserunt: Sicarii quippe cùm in parentem sævire ampliùs non possent, innato rabiem suam saturarunt, inflictisque vulneribus fœdè trucidarunt. Quid hîc Mater orba marito,& filio?ad lachrimas, ad lamenta ad fœmineos ejulatus confugit,cœlumque lacessit justis querelis; dumque sic aut suam solatur, aut deplorat orbitatem, ecce ingens aliud paratur malum: illi ipsi Sicarii sepultum Adolescentis cadaver, egestâ humo eruunt, ferrum algido pectori immergunt, [illegible] viscera, cor immani crudelitate evellunt, & parato jam epulo inter fercula commiscent, improbeque conditum apponunt feralí mensæ, cui cum aliis fœminis assidebat mœsta ac plorans mater: cùm ecce inscia, incautaque de ferali isto ferculo edere jubetur. Edit illa, nihilque sinistri me-

a S Cyprian.serm.de cœna Dom.1. Cor 10.17. b S Thom.opusc.57
c Caussin. Cour.5.tom.4. pag.514.

d Chrys. ft. hom.. 60. ad pop.
e Ex hist.Ord. Servitarum.

tuens; etiam cor filii absorbet, inque sua viscera dimittit. Nec sic satiata inimicorum rabies, nisi illud ipsum facinus, afflictæ matri manifestaretur. Quid hic exspectatis auditores? quæ irarum fulmina? quæ verborum tonitrua? quæ lachrimarum flumina? quos æstus excitatæ mentis, ac vindictam spirantis? At nihil horum: ilico quippe ex hoc corde flammas sibi non vindictæ, sed divinæ charitatis sentire visa est, quæ ita cor ejus immutarunt, ut ad Christi Crucifixi pedes provoluta, Sicariis ignosci, ardentissimè expetierit, & te, ô Jesu, ô amor, ô corculum ejus, in sponsum delecto, à sæculo ad religiosam, sanctioremque vitam, inter Servitas moniales sese contulerit.

Accipimus in Eucharistia cum reliquo Christi corpore, amabilissimum cor Domini Jesu; numquid eo refecti mansuescemus, & omnem iram, odium, simultatem ex animo deponemus, omnesque velut cor unum, & anima una complectemur? quod charitatis vinculum Deus tanti facit, ut malit omnem suum honorem illi posthaberi, ut disertè testatur Chrysostomus *a* ad illa verba Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo.* Ubi aureo ore *a* exclamat: *O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit, quid his verbis mitius esse potest? interrumpatur cultus meus*, inquit, *ut tua charitas integretur.* Hoc probe norat *b* Alexander Ursinus Cardinalis, qui dum jam iret ut sacris operaretur, literæ illi deferuntur de homine nefario, qui necem ei intentabat. Tum ille: Hoc demum tempus est, ut meum in te amorem, mi Deus, ignoscendo adprobem. Nec plura, literas sacrificalis candelæ flammis, abolevit, & sic ad aram pacis perrexit. Vultis & vos æterno cum Deo unitatis vinculo colligari, si quæ forte in animo odia, aut simultates, ea pro hostia pacifica, Agno Eucharistico immolate.

SEXTUM

MIRABILIUM. *Veneratio à Brutis exhibita. Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.*

QUanta mentis corporisque munditie, religione, reverentia, divina hæc mysteria pertractanda, facile concipit, qui fide verâ & vivâ hic sancta sanctorum, sacratissimum Christi Corpus & sanguinem agnoscit. Ubi non immerito illa quæstio movetur, cur Christus se à Magdalena vel leviter contingi noluerit, *c noli me tangere*: Thomam vero ultro invitarit, ut etiam lateri manum inferere, *d mitte manum tuam in latus meum.* Unde hæc sanctæ mulieris repulsa, discipuli

a Chrysost. hom. 16. in Matth.

b P. Rho. variæ, virt. hist. l. 1. c. 5. §. 20. c Ioan. 20. d Ibid.

puli tam amica invitatio? nisi quia Magdalena necdum spiritus sancti gratia, visibili missione sanctificata, qua discipulus Thomas fuerat præventus; hanc causam adfert *a* Cyrillus Alexandrinus, dicens: *Illi* (scilicet Magdalenæ) *nondum gratia spiritus sancti sanctificata, tangere non licebat: nam antequam Dominus in cælum ascendisset, descensus spiritus in omnes non fuit. Thomæ autem hoc licebat, quia una cum aliis spiritum fuit consecutus: ad universum namque discipulorum consortium vox illa transivit, accipite spiritum sanctum.* Ex quo manifeste colligere est, qua puritate, & sanctitate hoc Virgineum Christi Corpus, à sacerdotibus tractandum, & à fidelibus sumendum sit. Adeo ut si omnes gratiâ, & charitate flagrarent, qua Seraphin & Cherubin, qua Virgo Mater prædita fuit, non dignæ satis ad hoc omnis sanctitatis, & divinitatis mysterium, accederent. Sed quoniam hæc alibi *b* fusius deduximus, ne actum agamus, inde nunc ad ruborem & confusionem Hæreticorum, argumentum deducam, ut qui Augustissimo huic Sacramento fidem derogant, atque omnem Venerationem & adorationem denegant, ipsis brutis animantibus, quæ stupenda venerationis signa exhibuere, stolidiores esse convincam. Justissimæ sunt illæ *c* Isaiæ Vatis querelæ: *Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Hieronymus docet, *d* Argumentum hic desumi à minori ad majus, à brutis ad homines, & observat Judæos rebelles, & ingratos, hic non conferri cani sagaci, & grato animali, sed stolido bovi & Asino, atque iis stolidiores, & minus gratos exstitisse. Huic consentit illud *e* Eusebij: *Cunctam Iudæorum nationem redarguit dicens: cognovit bos &c.*

Ut autem cognoscatis, nostri temporis Hæreticos hic una redargui, notandum est, quod ipsi panem Angelorum in præsepi, Asino stolidiores non agnoscant, cum interim clarè, & præclarè *f* Augustinus: *Quia Dominus noster Iesus Christus* CIBARIA NOSTRA *voluit esse propterea natus, in præsepio collocatus est.* Enimvero Israel hoc non cognovit, & populus meus non intellexit, id est, inquit *g* Hugo Card. *me per fidem*; Calvinista, Lutheranus, Sacramentarius *non intellexit.* Unde illos quoque hoc Isaiæ vaticinio contineri, Nazianzenus *h* satis aperte declarat: *Hisce verbis,* COGNOVIT BOS POSSESSOREM *&c. Iudæos mutis animantibus propemodum stupidiores exstitisse ait: atque omnibus iniquè, & ingrate erga Deum affectis, hæc oratio congruit.* Quam autem iniquè & ingrate heterodoxi omnes, erga Christum afficiantur, & ipsis brutis brutaliores sint, ex eo manifestum est, quod quem muta mula ad nutum Antonii de Padua in Eucharistia præsentem agnovit, & flexo poplite venerata est, Asinii illi non agnoscant. Res sic se habet.

R 6 Bon-

a Cyrill. Alex. l. 12. in Ioan. c. 58.
b V. Lux Euang. p. 2. dom. 2. post pent.
c Isaiæ 1. v. 3.

d Cornel hic e Eusebii 2. demonstr. Euang. c. 26. f Aug. in Ps. 126. v. 4.
g Hugo Card. in Isaiam c. 1. v. 3.
h Naz. orat. 38. Nicetas.

Bonvillus quidam Heresiarcha, *a* cum S. Antonio Patavino de Veritate Eucharistiæ, disceptans: *Tum demum credam,* inquit, *cum hoc prodigij, quod objiciam, fieri videro, triduana fame macerabo mulum meum ac tum demum post triduum deducam in populi conspectum, ibidemq; pabulum illi offeram, tu vero Antoni, stabis ex adverso, cum tuo illo, quod ais, Christi corpore. Quod si neglecto pabulo, mulus ad venerandum Deum tuum feratur, tum demum nec antea, præsentiam Christi in Eucharistia tibi credidero.* Ita ipse pretiosa nimirum fide, quam non nisi miraculo vendebat. Sed bene habuit, quod ejusmodi miraculum postularit, ut bestia à bestiâ doceretur. Porro conditionem accepit vir sanctus. Certamini dies condicta est, locusque, ac tota res brevi tota civitate evulgata, adveniente die, undique in plateam assignatam concurritur, adducitur ab hæretico famelicus mulus, intereaque in proxima ædicula sacris operatur Antonius; quibus peractis ad populum egreditur, maxima cum reverentia manibus, Eucharistiam gerens, simulque animo summam in prædem suum, quem tenebat, fiduciam. Deinde suspensis rei exspectatione omnibus, Bonvillus animo jam devorans Victoriam, lectissimum ac copiosum pabulum mulo huic proponit, etiam saturo futurum in deliciis; illinc vero Augustissimum Sacramentum ab Antonio profertur, qui eo rerum articulo, ubi Dei gloria, hujusque in divinum mysterium agitur, fiduciam prodigii exsuscitans, cunctis audientibus, atque avide defixis, mulum adhuc detentum compellans: *Hujus,* inquit, *nomine Conditoris tui, quem manibus tametsi indignus revera teneo, præcipio tibi, ut confestim huc accedas, eumque quo par est cultu venerêre, ut vel hinc intelligat hæretica perfidia, omnes res creatas suo subdi Creatori, quem sacerdos in altari voce conficit, ac manibus contrectat.* His dictis solvitur rabidum fame animal ac sibi relinquitur: atque è vestigio, ó vim divinam! ó prodigium perfidia teste certissimum! neglecto pabulo, ante os, oculosque posito, ad Eucharistiam se convertit, usque ad poplites dimittit caput, & coram eâ genua curvans, adorabundum accidit. Hic præ gaudio non se capere Catholici: acerrimo pudoris aculeo compungi hæretici, Bonvillus ipse hæresiarcha mulum Doctorem sequi, hæresim execrari suumq; in hostiâ adorare Conditorem, gratias Christo suo agente Patavino, quod & ille cæcus & cum eo multi ex affeclis, è plateis, & vicis civitatis Tolosanæ lucem aspexissent.

Nec adhuc vos pudet Calvinianos, jumentis insipientibus stolidiores persistere? cognovit bos, cognovit asinus & mulus Dominum suum, quem beati illi spiritus velata facie in ara venerantur & adorant. Aureo vos sermone (tam pretiosa mihi vestra salus est) quemq; compello: Tu homo si non mox cum *b Angelis, agnosce vel tardissime cum jumentis: ne dum miraris, ipsis jumentis quibus ante comparatus fueras, postponaris.* O bestias, testes sacramenti

a. Surius 13 Junii.

b Chrysologus serm. 141.

menti mirabilis fideles, rationalem* sine ratione cultum exhibentes! Hæc dum commemoro, nonne pudore summo suffusis merito ambæ aures iis tinniunt? a *qui ore fatentur se nosse Deum, factis autem negant.* qui se fideles, & veraciter Christum sub hoc Sacramento mirabili contineri profitentur; Vita autem & moribus ita ei præsentes assistunt, ac si fictus aut pictus Deus, vel, ut Calviniani, veritatis dumtaxat umbra, & figura nobis in altari exhiberetur. confitentur se hic nosse Deum, sed risui, nutibus, gestibus, fabulis, summæ irreverentiæ in loco sancto indulgentes, illic præsentem negant. *b* Nudis pedibus, & ima veneratione Turcæ non solum Moscheas suas, sed & cænaculum nunc in Basilicam constructum, in quo Christus sanctissimum Sacramentum instituit, ingredi consueverunt, adeo ut vel luto, vel sputo, locum illum fœdare ipsis etiam piaculũ sit. O si hæc illorum mentibus hærerent, qui in Dei templis, ubi hoc mysterium [illegible] peragitur, adeo non luto & sputo contaminare, sed domum Dei vertentes in speluncam latronum, liberiore visu [illegible] risu, verbis lascivis, affectu perverso fœdissime conspurcant, & Creatori suo dorsum obvertentes, abominationes gravissimas, ut in spiritu vidit *c* Propheta, committere non reformidant. Digni profecto in quos severus vindex Deus, & zelosi pro domo Dei animadvertant, quam qui mortali Regi aut Principi, indecenter aut impudenter assistunt. Princeps quidam *d* legatis Turcicis se coram, operto capite consistere [illegible], cydarim tribus clavis capiti affigi jussit. Non caput, non lingua, non manus, sacrilegis illis configentur; sed atrociora, & æterna illos manent supplicia. Nunc unde digressi sumus, revertamur, & à minutis animalculis, novum Eucharistiam venerandi modum condiscere non erubescamus.

Audite *e* quæso, quod olim contigisse locupletissimi testes prodiderunt: Mulier quædam cum ex apibus suis non referret exspectatum proventum, videretque eas nescio qua lue, aut veneficio contabescere, atque emori, ab altera muliere sibi persuaderi fatuè passa est, ut retentam ore sacram hostiam, quam super mensa divina à sacerdote acciperet, in unum alvearium suorum inijceret. Injecit. nec fefellit eventus vota, optimo Deo, ut nonnunquam solet, malis mortalium consiliis, utente in bonum: siquidem ab injecta hostia cessavit lues, viguere apes, fluxere mella, quid super apes? amplius ne per [illegible] cursitare? petulcis pedibus lascivire? labem aliquam [illegible] hostiæ aspergere? nihil vobis minus veniat in mentem. Ecce tibi omnes confestim advolant, officiosissime circumstant, religiosè venerantur, bombis ad harmoniæ legem temperatis prosequuntur. Interim aliæ in selectissimis floribus, ceram conflant, aliæ ex cerâ ædiculam compingunt: idoneo

a Ad Titum, 1. 16. b Novarin. Agnus Euchar. l. 5. pag. 31.
c Ezech. c. 8.

d De l'Ancre in constance du monte.
e Cæsarius l. 8. c. 9. Antonin. 2. p. summæ tit. 12. c. 8. Thom. Cantip. li. 2. c. [illegible]

neo etenim tempore alveare mulier aperiens, ut mel educat, ecce in illo rem miram, Apiculæ ipsa sapientiores, Dominum suum, ut par erat agnoverant; & Angelica quadam arte, sacellum illi è Virgine cerâ eas concinnasse deprehendit. Parietes hinc & hinc substructi, ac suis fenestellis apposite instructi, introrsum ostio jungebantur: in medio erecta ara SS. Eucharistiam velut in Hierothecâ spectabilem, exponebat. Supra eminebat turricula, non sine campanulis, quasi ad venerationem hospitis, homines accire vellent, & volebant omnino: nam qui sonus cymbalo deerat, eum festivo amabilique bombo repræsentabant, ambientes Conditorem suum, venerabundo volatu, & pro facultate prædicantes. Eo miraculo attonita mulier, ad sacerdotem defert rem totam; qui advocato undique populo stipatus, supplicabundus ad apiarium contendit, indeque subductam sacram hostiam ad templum deportavit. Hæc Cæsarius Antistes Arelatenus, *a* vir ea sanctimonia præditus, ut non prius ipse mortuus è vivis abierit, quam mortuum ad vivos ipse revocasset, S. Antoninus Florentinorum præsul, B. Thomas Cantip. Magni Thomæ Aquinatis, insignis discipulus. O Apiculæ ingeniosæ in Domini vestri. nostrique cultum architectæ! quis vobis non invideat tam raram, tam præclaram artem? quis eam non in animo suo æmuletur? ut templum unum Domino nostro concinnamus, aram in corde nostro illi exstruamus? *pudeat certe*, quod vel gentilis Philosophus *b* inculcat, *à parvis animalibus non trahere mores*; docent nos in Eucharistico cultu ingeniosæ apiculæ hujus SS. Sacramenti reverentiæ, ac Religioni augendæ, omnem solertiam & industriam conferendam: docent ædiculas & aras ei exstruendas, docent eas cereis & floribus exornandas, voce, gestu, moribus, omnemque venerationem exhibendam. Consimilem apibus, oviculas Sacramento mirabili religionis signa exhibuisse, refert *c* Rosvveydus. Qui vero his dictis humanam fidem denegant, quia sacris Biblijs non continentur, ij etiam Amstelrodamum in rerum natura esse pernegant, quos velut oves errantes, forte canis Ulyssiponensis, quo nihil unquam mirabilius hoc in genere legisse me memini, reducet. Joannes Eusebius Nierenbergius *d* sacrarum litterarum doctor eximius, & scriptor religiosissimus, sic refert: pro confirmanda fide, augendoque cultu sacerrimæ mensæ, novum in urbe Ulyssiponensi, & mirandum prorsus eventum narrabo, quia dum hæc scribo, in omnium admiratione, & lingua versatur. In templi divæ Justæ vicinia, artocreatarum quidam artifex habitat, qui domi canem alit mediocri magnitudine, denso rubore nonnullis albis maculis distinctum, & nomine Tudescū, duos ante annos S. Eucharistiam, cum in niveo velo defertur ad ægrotos, cœpit comitari,

a in vita 27. Aug.

b Seneca l. 1. de Clement. c Hist. Eccl. Belgij. a. 1254 d Nierenb. hist. naturæ l 9. c. 94. pag. 200.

tari, ut à pluribus attentius fuit obſervatum. In primis quotieſcumque parvum cymbalum (cujus ſonitu monentur vicini ad Domini corpus honorandum vel æra campana è turri concrepant, domo erumpit celer, accurritque ad templum feſtinanter, eoque circumquaque luſtrato, repetit domum. Cum vero ad templi oſtium, egredientis Domini parvum cymbalum, alterum ſignum edit, incredibili velocitate redit ad templum, ibique proſpectans conſiſtit, donec ſub pallio, ſeu umbraculo Sacramentum jam procedat. Tum repetito cum alacritate ſaltu, pergit ad canentes pueros initio pompæ, huc illucque ſæpius recurſans, quaſi ipſe ad reverentiam, & venerabilem comitalem diſponeret pompam. Manſuetus licet cum natura, tum familiaritate canis: id temporis tamen hoc unum, agit, & obtemperat nemini, nullum ſequitur, nullum agnoſcit, ne herum quidem vocitantem. Ubi ad ægroti deventum eſt ædes, hic in propatulo exſpectat, dum exeuntem Dominum ad templum denuo deducat; nec prius quam in ſacram cellulam Sanctiſſimum Domini corpus reconditum ſit, mirus ille anteambulo diſcedit. O mortalium ſocordiam! ô Chriſtianorum ignaviam! in Auguſtiſſimum hoc epulum, fidem prope dicam mortuam! quis veſtrum eam quam canis hic docet promptitudinem æmulatur, ut nola audita præ fortibus velociter excurrat, alacer comitetur, quacumque cœli temperie Dominum ſuum per vicos, & plateas ad moribundos proſequatur? aut ubi in publicis ſupplicationibus ſacrum hoc ferculum defertur, præluceat? a *Non eſt ſervus major Domino ſuo*; ille etiam, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, ſic libenter etiam à morte plateas obambulat, omneſque invitat, ut hunc circuitum amoris divini, filij hujus ſœculi præ circuitu vanitatis (*den tour* à la mode) frequentare dignentur.

b Joanna Regina Caſtellæ & Aragoniæ, maritum ſuum Philippum I. Pulchrum nomine, tanto amore proſecuta eſt, ut nunquam à corpore ejus jam mortuo potuerit ſeparari; indies ſarcophagum aperiri jubebat, & quorſum iter faceret, cadaver ſecum aſportari volebat, quo Prophetia implebatur, olim Philippo, Regia magnificentia Hiſpaniam ingredienti, à vetula denuntiata: *Magis illum à morte, quam in vita ambulaturum*. Quod cum Rex Regum in ſe verificari voluerit, impius ſit, qui hunc ſuo, ſuorumque comitatu ſolitarium deſtituat. Sed cœptum hiſtoriæ proſequamur. Semel noctu canis idem excitatus tinnitu cymbali, currit properè ad januam: quam ut obſeratam reperit, cœpit unguibus vellere, pulſare, faucibus ululare ut ſolverent. non exauditus heri dormientis cubile intrat, circuit, gemit, clamitat, & ſatis ea arte ſibi exitum dari flagitans, ſed cum ab hero ſopito non exauditus, vel à nolente contemptus eſſet, ad ancillam etiamnum vigi-

a Joan 13 b P. Hilarion de Coſte Eloges des Reyes & Dames. tom. 2. pag. 61.

vigilem, & domesticis officiis occupatam accurrit; insilit ludibundus, vestis oram levi dente admordit, perducit ad januam, eaque patefacta ad templum procurrit, comitatusque SS. hostiam, ad propria rediit.

Accidit & alias, cum S S. Sacramentum de more præcederet, ut catulum quendam offenderit dormientem ad fontem roris, tenentem capistro bestiam: hunc extemplo allatrat vehementer, nec dimittit donec experrectus, se illico in genua venerabundus abjecit. Aliquando in eodem comitatu Rusticanæ occurrit, asello insidenti, quam adeo animose allatrat & assilit, ut conterrita, & quid agendum à nonnemine commonita, descenderit, & genua flexerit. Ita & alterum virum nobilem equo descendere, & Eucharistiam pronum venerari compulit, non leviter interim ungula equi in pede læsus, quem obligari detractavit, donec claudicans morem suo mori gessisset.

Viginti quatuor horarum spatio adfuit Christo velato in hebdomada sancta.

Ingenti sexus utriusque turba, frequentissimum erat templum in octava paschæ, eratque jam sacerdos accinctus, ut S. hostiam ad ægrum deferret, cum fœmina quædam vestitu non vulgari, quamquam vulgari turpitudine, per transversum ostium ingressa staret, hanc ut canis videt, curriculo illam impetit, & impetu tanto, tamque terrifico insilit, ut pudore ac terrore correpta, & à circumstantibus officij monita, solo se abjecerit, ac tum tandem canis comitando, se in sua statione solita locavit. Istiusmodi canes si plures excubarent, quam multos hæreticos, & frigidos Catholicos ad officium compellerent; atque utinam in omnibus templis circumcursarent, & infames quosdam juvenculos, canesne an homines? certè minimè Christianos, officij sui, ac venerationis commonerent, dum vel unico genu curvato Judæos; vel toto corpore ad irreverentiam, imò ad probrum Numinis composito, Atheos repræsentant! nam quid ego de iis loquar, qui ædes sacras ut lustra Veneris, ac lupanaria adeunt? quam meritò illis oblatraret illis similis Ulyssiponensis ille Molossus, imo ad sanguinem usque morderet, quos conscientiæ tam fœdarum cogitationum, ac cupiditatum non remordent. Sed foris illi canes, canibus inverecundiores.

Hic autem si quis se perstringi sentiat, audiat, & obaudiat B. Chrysologum a graviter commonentem: *Ecce jumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu quo possunt, Auctorem suum fatentur contra naturam, in tuam venisse naturam*, Israël verò, populus electus, me non cognovit, non intellexit; contemptui, & despectui habuit. Quod dum attentius considero, & animo pervolvo, inter animantes quæ mirabili huic Sacramento, se mirabiles exhibuere, non possum quin Aquilas inducam, sed morales & rationales, Aquilas, inquam, Austriacas, b *quæ ubicumque fuerit corpus, illic congregabun-*

a Chrysost. serm. 141. b Matth. 24.

labuntur. In quæ verba *a* divus Ambrosius : *Est corpus de quo dictum est . Caro mea verè est cibus. Circa hoc corpus , vera Aquilæ sunt , quæ alis circumvolant spiritualibus.*

Quod quàm solicitè, quàm solerter Aquilæ Austriacæ fecerint, quàmque alacriter & ardenter alis spiritualibus SS. hoc corpus circumvolitarint, attendite. Rudolphus Imperator, unde hæc prima Aquilarum origo promanavit, quàm studiosè ubi hoc corpus fuerit, adfuerit, omnibus in comperto est. Non indegeneres, suis spiritualibus alis hoc corpus circumvolitarunt Maximilianus I. Ferdinandi omnes. Carolus V. & omnes Philippi, Reges ac Principes, Austriacum eum secuti, ut apud Historicos *b* domus Austriacæ legere est. Hoc paucis ad commendationem dixisse sufficiat, ex illo auro, quod primum in Castellam, ex India Occidua advectum, facta est Hierotheca, in qua augustissimam Eucharistiam sancta Ecclesia Toletana pro more retectam proponit. Et ex eo, quod primum Indiæ orientalis Reges, Clientelaris obsequii nomine, Emanueli Lusitaniæ Regi persolverunt, fabrefacta similiter est sacrosancta Dominici Corporis pyxis, quæ Ulyssipone in templo Bethlemiticæ Virginis, Indicarum victoriarum magnificentissimo trophæo visitur. Laboravit posterorum fides, ut credat quod refert alloquens Philippum IV. *c* Scribanius : *Memineras te ab ijs venire, qui in sole occidente supra septuaginta templorum millia, ditissima pietate erexerunt, & à Iacobo Aragonio, qui solus bis mille templa, Dei Matri fælici, locuplete, ac regia manu ædificavit.* Nusquam clarius fulget, quàm in aris, delubris, & Divorum simulachris, Austriacum aurum, & potissimum in sacrosanctis capsis, in quibus ille latet, quem orbis non capit. Addit *d* Surius ; *Tot hominum millia in novo orbe Carolino* (Sic Americam, Caroli V. armis subactam nuncupat) *Christi fidem complexa, atque hoc admirandum Eucharistiæ mysterium istic veneratos fuisse , quot esse possint Christiani in veteri orbe nostro.* Quare frendeat orbis & Orcus, domus hæc tali basi fulta, nunquam corruet. Narrat quidem *e* Spondanus, internecinum inter Duces Austriæ, & Suiceros odium esse, adeò amarum, ut non possent nomen audire : & si quis bonum aliquid locutus fuisset de domo Austriaca, aut signo aliquo favere monstrasset, fuisset sine judicio occisus ; in tantum ut non solùm insignia ejus, ex omnibus locis sacris, & profanis (quæ jam ubique præfulgent) abrasissent, verùm etiam quoniam Duces Austriæ gestant in galea, pavonis caudam, nullum ipsi in tota terrâ sua pavonem esse paterentur : & si quis in pileo gestasset pavonis pennam, sine interrogatione interficeretur. Hactenus Spondanus. His tamen frendentibus, & aliis invidentibus, Religiosissima hæc domus perstabit, quam Lipsius *f* vocat : *domum ad summum fastigium*

a Ambr. l.8. in Luc. c.17 b Scriban. polit. Chryst. in præf. Vernulæus Apolog. gent. Austriac. c Scriban. polit. in præf.

d Surius in Ann. I. e Spondan. Annal. Eccl. a. 1454. n. 14. pag. 39. f Lipsius epist. cent. 2. epist. 98.

ſtigium genitam, quæ ut alius *a* rectè aſſerit: *una manu Orientem, altera Occidentem ferre videtur.*

His denique Aquilis dum corpus hoc, alis ſuis ſpiritualibus circumvolant, nulli accipitres, aut gryphes nocebunt.

SEPTIMUM

MIRABILIUM. *Species extra ſubjectum ſub diverſis ſpeciebus, ſignis tantum & non rebus.*

S. Thomas *b* opuſc. de Sacramento Altaris, agens qua ratione Deus noſter abſconditus, ſub ſpecierum velamine deliteſcat, dicit hoc *pulchrè ſignari in benedictione Iacob. c ubi ſenſus Iſaac ſunt decepti, putantes ſentire Eſau, dum ſenſit ſimilitudinem ejus, qui velatus erat Iacob. Eſau quem amabat Iſaac, id eſt corpus, eo quod de cibo ſuo veſcitur, ſignificat ſubſtantiam panis, cum ſuis accidentibus, ſcilicet colore, ſapore &c. Dum itaque Iſaac quaſi homo exterior, id eſt Sacerdos benedicere debet; Eſau id eſt ſubſtantia panis recedit; ſed ſimilitudo Eſau, ſcilicet veſtes cum odore, cibus cum ſapore &c. Manent circa Iacob, & ſenſus noſtri falluntur.* Hic Jacob ſub veſtibus Eſau, hoc eſt Chriſtus ſub ſpeciebus panis, adeo gratum erat ſpectaculum *d* B. Coletæ, ut nullum formoſius ulli mortalium exhibitum ſit. Colera oculos ſuos magno habebat in pretio. Quid illud? an quia oculis poterat ſuſpicere vas illud admirabile, opus excelſi *e* ſolem? vel luminare illud minus, quod præeſt nocti, Lunam? vel ignes illos minores, rutilantes illas faculas, ſtellas? an quia poterat adſpicere viridaria, & agros, & horros tanta florum verſicolorum pompâ, & virentium herbarum decore collucentes? ab illis potius oculos, ne viderent illam vanitatem, avertebat; ſed ideo tantum gaudebat ſe pollere oculis, ideo æſtimabat oculos, quod ijs liceret ſibi ſpecies Euchariſticas intueri: quod ſi ajebat illa, oculorum uſura ante mortem privarer, ob id præſertim eorum jactura acerba mihi foret, quod deinceps prohiberer divinas illas ſpecies, & ſponſi abſconditi, Jeſu latentis candidiſſimam urbem, & tegumenta aſpicere. Fruſtra poſt hac & nobis objiciantur facies ſtybio & fuco, ut alliciant, illitæ, in quibus ſunt roſeæ genæ, corallina labra, lucentes oculi, lactea colla; fruſtra nobis proponantur tot oculorum lenocinia, aurum, argentum, gemmæ, purpura, oſtrum, & quæcumque ſunt digna viſu, vel propter pretium, vel propter decorem, vel propter ſplendorem, claudit his omnibus oculos Coleta, & ſpretis omnibus quæ poſſunt oculi adſpicere, uni intenta, qui eſt *e ſplendidus in panibus.* Sic amantes animæ, fidei luce oculatæ, ſponſum ſuum, etiam poſt candidum hunc parietem deliteſcentem agnoſcunt, & amicè confabulantur. Dum interim falſitatis ſectatores volunt ipſam primam veritatem nobis, ut olim Heliogabalum convivis ſuis, fictis & pictis epulis illudere voluiſſe. Nec aliter agunt falſi

a Vernul. cit. b S. Thom. opuſ. 58. c. 7. c Gen. 27. d Barrij faveur de Ieſu. 446. In vita.

e Eccl. 31.

falsi isti sacramentarij, & testamentarij, quam si Rex aliquis filio suo secundo genito, talem, ac talem civitatem relinqueret testamento, & postea executores, tabulam illi regis filio traderent, in qua illæ civitates pictæ continerentur, dicentes: Ecce civitates à patre, tali testamento relictas! Itane Principi satisfacerent? audiant hi *a* D. Thomam: *quid hoc Sacramento mirabilius? in ipso namque panis & vinum in Christi Corpus, & sanguinem substantialiter convertuntur. Accidentia autem sine subjecto in eodem subsistunt.* Hauserat hoc ex ipso fonte æternæ veritatis, qui fallere non potest: *b Caro mea* VERE *est cibus, & sanguis meus* VERE *est potus.* Cur Dominus non simpliciter dixit: *Caro mea est cibus &c.* Cur apposuit illud VERE? S. Chrysostomus: VERE, inquit Dominus, *Caro mea est cibus, ne obscurè locutum, & in parabolis, audientes arbitrarentur*, Ambrosius *c* hæc tam vera esse asserit, quam Christum esse filium Dei: *Christus est* VERE *Dei Filius, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris: ita ejus caro* VERA *caro est, sicut ipse dixit, &* VERUS *sanguis ejus.* Quæ adeo manifesta S. Hilario *d*, ut dicat: *de veritate carnis, & Sanguinis Christi, non est relictus ambigendi locus: nunc & ipsius Domini professione, & fide nostra* VERE *caro est, &* VERE *Sanguis est.* Sicut cum quis domum suam Regi in hospitium offert, optimis tapetibus, & stragulis, & suppellectili ornatam, ipso jam inde decedente. Rex domum intrat, quam quidem alienam inhabitat Rex, & solus eam occupat: non enim Dominus domus ibi remanet, sed solum suppellex ejus. Sic panis ad hoc Sacramentum, accidentia sua, velut suppellectilia quædam obtulit; ipse tamen abijt, & recessit, & quantitatem, candorem, colorem, odorem cum aliis speciebus, velut domum ornatam Christo Domino relinquit. Atque hac recepta ineffabili veritate, post mille annos, quidam nomine *Berengarius* hanc corporis Christi sub speciebus Eucharisticis impugnare ausus præsentiam, hæresim induxit, multosque seduxit cujus errorem ut confutaret, & exscinderet Nicolaus Papa II. Concilium Lateranense, centum & tredecim Episcoporum coëgit, ubi ejus hæresim damnavit, & anathematizavit, atque in ipso concilio Berengarius divina misericordia oculos aperiens, hæresim ejuravit, & conversus ad Dominum, seductum se fuisse confessus est. Ac tandem in hora mortis suæ, angustias in eo magnas passus est, quod eos ad veritatem reducere non posset, quos subdolâ suâ doctrinâ pervertisset. Hunc ergo, *e* qui Ecclesiam non audiunt, sic in extrema lucta audiant profitentem: *Deus meus, hodie mihi apparebis ad meã salvationem, ut spero, propter pœnitentiam meam, vel meam condemnationem, ut timeo, propter eos, quos perversa doctrina mea decepi, quos reducere neque vivi ad veritatem tui Sacramenti.* & sic expiravit. Erit aliquando illa dies, dum & ipsi sero, quos Beren-

a S. Thom. opusc. 27. b Ioan. 6. v. 55.
c Ambr. l. 6. de Sacram. c. 1.
d S. Hilar. l. 8. de Trint.

e Labata tit. Eucharist. prop. 2.

Berengarius deplorat, agnoſcent Deum ſuum abſconditum, quem hic dum habitaret in nebula, vera fide agnoſcere noluerunt.

Aulicis hæc ſolicitudo, & unica cura eſt, Regem aut principem non ſolum coram, dum conſpicuus eſt venerari, verum etiam in ſacello ſuo regio, ut non ſemel conſpexi, ſub umbella, clauſis cortinis deliteſcentem, ita præſentem agnoſcere, ut ne minimum ſtrepitum excitare, nec unquam tranſire ſine profunda reverentia præſumant. Vivacius longe, ac veracius ſub candidiſſimo ſpecierum ſipario, Thomas Sanchez, vir doctrina eximius, & ſanctimonia excellens, Deum ſuum hic latentem adoravit, de quo ſuum erga SS. hoc Sacramentum ſtudium, affectum, voluntatem verbis illis memoria dignis reſtatus eſt, quæ ab ejus morte inter aſcetia adverſaria fuerunt reperta: a *Omnis mea cura eſt Deus meus in venerabili Euchariſtia abſconditus.* O beata cura! ô optanda cura! quæ cura reddit hominem ſine cura ſecurum. *Omnis mea cura, eſt Deus meus in Euchariſtia abſconditus*; curent proceres, magnates, palatini, placere cui ſerviunt principi, Cives cui ſe ſubijciunt conſuli, Maritus quam diligit, uxori: filius cui devincitur parenti, ſervus cui famulatur Domino: Amicus quem amat amico: *Omnis mea cura, eſt Deus meus in Euchariſtia abſconditus.* Cura militum ſit in campo belligerando aucupari gloriam, mercatorum in foro conquirere pecuniam, cauſidicorum in muſeo intendere litibus, Philoſophorum in ſcholis excellere ſcientia. Curent alii hoc, alij iſtud: *Omnis mea cura, Deus meus in Euchariſtia abſconditus.* Sic illa ſit vobis omnis cura, ſeponite jam omnem curam, quoniam b *ipſi eſt cura de vobis*; ipſi erit cura, ne quid deſit è temporalibus corpori, è ſpiritualibus animæ; ipſi erit cura de vobis in morte, in proſperis; in adverſis, in tempore, in æternitate.

Et quid ni ſit hæc omnis Jeſum amantium cura, per has ſpecies ad cor ejus penetrare, quandoquidem omnis quodammodo infinitæ ſapientiæ cura, & induſtria in eo poſita fuit, ut ſic aditum ſibi in animam noſtram mirabili amoris ſtratagemate aperiret. Sic ſe res habet, Sereniſſimus aulæ Princeps in filiam Nobilem, ſed ſolitudine abditam, & arcte concluſam potenter exarſit: unicum illi votum, ad penitus amaſiæ ſuæ cubile ſibi viam ſternere.

Tandem cum omnem aditum ſolerter exploraret, advertit famulum ultro citroque ad eam commeare: hoc itaque aſtu uti placuit: veſtes famuli, formamque indutus, ad eam ſibi acceſſum patefecit, & votis potitus eſt.

Hæc non fabula, ſed hiſtoria, non infrequens, ut certis auctoribus comprobare poſſem, peracta eſt. Nullus unquam potentius & ardentius filiam, quam Princeps ille ſupremus animā, tam ſublimi ſtemmate progenitam, tanto pretio emptam, hujus corporis ergaſtulo concluſam adamavit: cui ut intime conjungeretur, hoc divino uſus eſt ſtratagemate, formam & figuram

a Barrii cit. 554.

b 1. Petri 5.

guram famuli, id est panis, qui indies ad nos subingreditur, assumpsit, seque nobis ita intime communicavit, exinanivit semetipsum formam servi accipiens. *O adinventiones mirabiles! ô amoris abyssum! ô amoris excessum!* Hæc Magdalenæ de Pazzis ardentia erant suspiria.

Sub hisce vestibus Esau, quam amabilis mihi Jacob est: S. Getrudis *a* divinitus intellexit, *quod quoties homo cum desiderio, & devotione aspexerit hostiam, in qua latet corpus Christi Sacramentaliter, toties meritum suum auget in cœlo: quia æternaliter in futura visione Dei, tot sibi speciales delectationes alludent, quoties in terris cum devotione, & desiderio inspexerit Corpus Christi, vel etiam videre vellet si posset, cum rationabiliter impeditur.*

Alterum est, speciebus Eucharisticis manentibus, si homo sacro epulo refectus sese magis & magis disponit, ex opere operantis gratiam augeri, ac cœlestia dona cumulari, ut apud *b* Suarem, *c* Lugo, *d* Valentiam, aliosque Theologos videre est. Ea propter S. Theresia *e* merito monebat suas, *ut cum Christo Domino in Eucharistia recepto, tamdiu orando manerent, quamdiu species panis, à naturali calore consumptæ non essent. Si enim vel solo attactu morbidos sanabat, minime dubitandum est, quin jam adeo intime, intra nos constitutus, miracula patraturus sit, dummodo fidem vivam habeamus.* Ad hanc devotionem inflammabat Novitias B. Magdalena de Pazzis, *f* hisce verbis: *ô meæ sorores, si penetraremus, quod tunc dum durant in nobis illa sacra species facit in nobis verbum divinum!* illud porro est quod S. Thomas, *g* & Henriques asserit: Christum per species, tanquam per instrumentum, excitare, & active inclinare ad actum vitalem devotionis, si homo sit bene dispositus.

a L. 4. c. 25. insinuat. divin. piet. b Suar. 3. p. q. 729. a. 8. sec. 7. c Lugo de Eucharist. disp. 12. sec. 2. n. 54. d Valentia. q. 7. disp. 6. punct. 1. Gabriel Major. Paludan. e S. Theresia viner. perfect. c. 34.

f In vita. cap. 49. Lancicius opusc. 14. c. 5. n. 27. g. S. Thomas in 4. d. 45. q. 2, a. 3.

OCTAVUM

MIRABILIUM. *Compendium omnis bonitatis & sanctitatis: Latent res eximiæ.*

CArolus IX. Galliarum Rex, pretiosum monile illustri fœminæ donavit, hisce Gallicis verbis insculptum: *qui m'a, n'a faute de rien*, hoc est, *qui me habet, nullius eget.* Quod gloriosum ac insolens lemma, potiori jure divinus amor, Sacramento mirabili subscribet: *qui me habet, nullius eget.* Olim Deus bona sua donavit hominibus, terram cum plantis, & frugibus, atque omnibus feris & animantibus: maria & flumina cum suis piscibus: aërem cum volucribus: cœlum ipsum cum astris & planetis, gratisque influentijs, at in hoc cœlesti convivio dedit & se. Unde summus Pontifex in Clementina de reliquiis SS. *O larga & prodiga largitas, ubi donator venit in domum, & datum est idem penitus cum datore.* In quo cum sint omnia, quid

quid non cum ipso donavit? a *Quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* quomodo non, quod ipse est, nobis *omne bonum* donavit? Unde in magna illa cœna (quam S. Cyrillus ait fuisse SS. Sacramenti symbolum) ecce inquit Deus, *parata sunt omnia*. Non ait parati sunt cibi, paratæ epulæ, parata vina; sed *parata sunt omnia*; quia nobis hic exhibetur Deus, qui omnia est. Atque hoc omne bonum, non quomodocumque collatum, sed in summo gradu; ut præclare de hac re disserit b Doctor Angelicus: *Redemptor totum quod ipse est, & habet cum sancto spiritu, in summo dedit. Divina natura totum quod est optimum, naturaliter in se habet. Cum ergo Corpus & sanguinem filii sui Deus pater sub Sacramento dedit, tunc corporalem substantiam in summo contulit: quando vero animam ejusdem filii dedit, tunc spiritualem substantiam in summo tradidit, cujus anima omnibus Angelis, & sanctis animabus, perfectior gratia in omni sanctitate fuit. Insuper in eo totam divinam naturam, obtulit, omne* BONUM IN SE *naturaliter, & æternaliter continentem. Nec hoc semel tantum, aut bis, in tota hominis vita fecit; imo quocumque tempore, quocumque loco, à quocumq; sacerdote fideli, bono, vel malo salutare illud sacrificium in forma Ecclesiæ oblatum fuerit, totties Deus Pater cum Spiritu S. singulis animabus se totum ad fruendum exhibet*. Fingite animo ex universis rerum omnium formis, quæ divina mente continentur infinitæ, excellentissimam speciem atque perfectissimã ideam, hoc quidquid est, hic est. Cogitate absolutissimum opus, in quo efficiẽdo divinæ virtutes singulæ toto conatu, atque impetu elaborarunt, quo sapientia nihil mirabilius, bonitas nihil melius, potentia nihil majus, majestas nihil augustius, ipsa denique infinita Dei Charitas ad amorem potentius possit effingere, hic est. Nam Deus c *hic posuit quidquid ubique fuit*.

Quæris in hoc opere potentiam Authoris? stupendum prodigium est, in quo se tota numinis potestas exhausit. Quid sapientiam commemorem, quæ inaudito hactenus artificio, ipsum artificem immensum, in suum opus conclusit? Quis bonitatem non obstupescat, quæ quo majus aut melius nihil dari, vel excogitari potest, se ipsum, id est, omne bonum donavit.

d *Tot bona, tam parvo clausit in orbe Deus.*

Quid igitur vis ultra me hic dicere, cum plus neque tu possis optare neque Deus ipse communicare. Unde Ambrosius; e OMNIA *habemus in Christo, &* OMNIA *Christus est nobis*. Quare dumtaxat dolendum est, adeo hujus infiniti, & omnis boni imperitos, aut avaros esse, quibus hæc omnia simul non sufficiunt.

Horum quemque compellat f Augustinus: *avare quid aliud cupias? quid tibi sufficit, si Deus non sufficit?*

Eadem lamenta, & justæ querelæ fuere B. Mariæ de incarnatione: *nimis avarus est, cui Deus non sufficit*. Si unquam, nunquam aptius, quam ubi hoc cœlesti

a Rom. 8. b S. Thom. opusc. de beatit.

c Tibull. l. 3. eleg. 21. d Tibull. l. 3. eleg. 17. e Ambr. l. 3. de Virgin.
f August. serm. 29. de verbis Dom.

cœlesti pabulo refecti, Deum intra cordis sinum complectimur, in Seraphica illa suspiria prorumpendum nobis est: *Deus meus, & omnia.* Alij alia quærant, alia desiderent, alijs oblectentur, quem quæro, desidero, in quo solo delector, intra me est, *Deus meus & omnia.* Opes alijs & honores, voluptates aliis universas relinquo, sufficit mihi *Deus meus & omnia.* Totos ego alijs mundos concedo, aureos & gemmeos montes non invideo, exquisitissimas illorum delicias non ambio, mihi *Deus meus est omnia.* Tu mihi ô bone Iesu cibus es, tu mihi potus es, tu mihi quies, mihi gaudium, voluptas, meus mihi maximus honos es *Deus meus & omnia.*

Alterum est non tantum omne bonum hoc Sacramento contineri, sed & omnibus malis illud ipsum mederi: *a cibus medecinalis est, contra pomi mortiferi corruptionem.*

Æneam ferunt ad inferos descensurum, visendi Patris Anchisis gratia, à Sybilla medicatum panem accepisse, quem Cerbero obijceret. Commentum hoc Poëtarum est, sed uti ait *b* Eusebius Emissenus: *licet fabulis nihil possimus probare, recte quidem possumus obscura declarare.* Intra nos triplex concupiscentia seu triceps Cerberus latet, cui si panem hunc cœlestem objeceris, ilico omnem iracundiam, superbiam, luxuriam sedabis, & ora obturabis. Suos ipse Abbas in Claravalle fratres, hic testes compellat, dicens: *duo hoc Sacramentum operatur in nobis, in minimis peccatis minuit sensum; & in gravioribus tollit omnino consensum. Quare si quis vestrum fratres, non ita sæpe sentit iracundiæ motus, aut invidiæ,* (vel luxuriæ) *aut aliorum hujusmodi gratias agat Corpori Domini: nam Sacramenti operatur in eo.* Idem confirmat Tridentinum sessione 13. Can. 2. *sumi voluit Christus à nobis hoc Sacramentum, tanquam* ANTIDOTUM, *quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur*, diserte S. Thom. 3. p. q. 79. a. 4. *hoc Sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis: nutrimentum autem cibi esse necessarium corpori ad restaurandũ id quod deperditur quotidie per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autẽ quotidie in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis, & ideo competit huic Sacramento ut remittat peccata venialia.* Tum Mediolanensis præsulis *d* adducit testimonium. *Vnde & Ambrosius dicit quod iste panis quotidianus, sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.*

Quid, quod à mortali non modo præservet, sed & in eo qui ignorat, delet, gratiam insuper & salutem confert æternam *e* principis Theologorum, omniumque communis sententia est: *potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati, perceptũ ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectũ non habet.* Adeo ut duo invincibiliter ex oblivione ignorantes, se admisisse noxã lethalem, si eorum alter in extremis sacra synaxi, nullius gravioris peccati sibi conscius, bona fide, reficiatur;

a S. Thom. opusc. 58. cap. 1.
b Euseb. hom. in Pascha
c Bern. serm. 1. in cœna Dom.

d Amb. de Sacram. l. 5. c. 4.
e S. Thom. 3. p. q. 79. a. 3.

ciatur; alter non, prior salvandus, alter damnandus sit: nescit etenim hæc medicina vitæ, cum veneno mortifero consistere. Vides certe prodigiosa quadam mutatione, ex virtute hujus Sacramenti ea fieri, quæ David velut impossibilia ducebat, cum ait: *a Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt?* quod nulla medicorum ars valet, virtus valet hujus cœlestis medicamenti. Caro nostra viperina est, & labefactata remansit veneno serpentis antiqui; at caro Christi, virtute qua pollet divina; in Eucharistia à nobis sumpta cœlestis, quædam adversus omne peccati virus theriaca est, ut ipsum nomen indicat EUCHARISTIA Anagran[...] matismo: VIS THERIACAS. Igna[...]tius Martyr epistola ad Ephe[...]sios, vocat *Pharmacum immor[...]talitatis, & amuletum,* ad Circæ pocula, & philtra, ad mundi ill[...]cebras & tartarea toxica ener[...]vanda. Unde recte concluser[...] cum S. Ambrosio: *b* OMNIA *ha[...]bemus in Christo* (qui in Euchari[...]stia continetur) *& omnia (Chri[...]stus est nobis, si vulnus curare desi[...]deras, medicina est; si febribu[...] æstuas, fons est: si gravaris iniquita[...]te, justitia est. si auxilio indiges, vir[...]tus est: si mortem times, vita est: [...] cœlum desideras, via est: si tenebra[...] fugis, lux est: si cibum quæris, ali[...]mentum est.* Denique cum se hi[...] dedit nobis, *omnia simul donavi[...]*

a Psal. 87.

b Amb. l. 6. hexam. c. 4.

FESTUM[...]

FESTUM
B. ALOYSII, SOCIETATIS JESU.

Qui facis Angelos tuos Spiritus. Psal. 103.



Terrenæ nil fæcis habentes. Ovid. l.1. Met.

ARGUMENTUM.

IN terris Angelos versari fictos, & pictos conspicimus; veros cœlis delapsos, aliquando audivimus. At inter homines, homines Angelos commorari, omnibus propè inauditum est. Ex iis tamen vobis hodie unum, non tam corporis, quàm mentis oculis conspiciendum proponam Aloysium: quem dum attenta, & assidua ipsius divinitatis contemplatione, rerum

 omnium

omnium humanarum contemptu, prompta ad omnes Dei, ac Moderatorum nutus, quasi alis instructum, observantia; integerrima denique corporis, animique castimonia, quæ, ut videbimus, homines Angelis æquales, quin imò & superiores facit, excelluisse ostendero, Aloysium in terris verum Angelum exstitisse, nemo diffitebitur. Quem si plures ea in ætate adolescentes, inter Mundi delicias, aut carnis illecebras enutriti æmularentur, ejusque exemplo animum orationi, corpus mortificationi addicerent, oculosque non in cœnum, sed in cœlum sustollerent, plures terra Angelos haberet, & terra cœlum fieret.

§. I. *B. Aloysius moribus, & vita Angelus.*

§. II. *Aloysius ut aliis virtutibus excelluerit; castitate potissimùm Angelus exstitit.*

§. III. *Qua ratione B. Aloysius Angelis major, & excellentior dicendus sit?*

F E S T U M
B. ALOYSII, SOCIETATIS J E S U.

Qui facis Angelos tuos spiritus. Psalm. 103.

Nihil nobis propè frequentius in ore, in oculis, quam Angelus: nullæ ferè ædes sacræ, nullæ aræ, nullæ piæ tabulæ sine cœlesti genio integras passim vides in aëre depictas Angelorum turmas: hos peniculo expressos, cera fusos, celte sculptos, acu pictos, argento & auro ductos, indies cernere est: quos dum pumilionum instar venustissimè adumbratos contuemur, nil minus videmus quàm Angelos, nil minus intelligimus quam Angelos: nam, ut de iis *a* Doctor Angelicus; *Substantiæ Angelicæ, sunt supra intellectum nostrum*; unde intellectus noster, non potest attingere ad apprehendendum eas: & dum homo de natura Angelica, de motu, de locutione, de præstantia differit, cæcus de coloribus loquitur.

Quare noli tales tibi fingere, quales fortè apud fictores & pictores sæpe vidisti, pusiones formosulos, quibus vultus admirabili fulgore circumfusus crines in cervicem molliter effusi, auro obryzo flavescunt, & lactei colli nitorem blandissimo favoniorum spiritu ventilati, percurrunt: quibus alæ ex humeris emergunt geminæ, in cœ-

a S. Thom. 1 p. q. 50 a. 2.

æleſti textrina concinnatæ, lorida varietate, qualis in pavonibus eſſe ſolet, irradiatæ: aureo, croceo, puniceo, cæruleo denique colore, miti admodum emperie diſtinctæ, tot referunt ſpectantibus pigmenta, quot in arcu cæleſti, cum voluptate miramur: tunica deinde byſſina eſt, quam ſubtilis denticulati operis limbus aureus circumquaque excurrens, nagna veſtit cum dignitate.

Tales ſi Angelos cogitas, quaes tibi cum pictoribus ludens xpreſſi; totam vim ignoras ngelorum 1. natura illis pura ſt, ſubtilis, ætherea, quam ulla Corporis figura delineat, ulla materiæ labes infuſcat, ullius corruptionis nævus adpergit: magnæ illius mentis uriſſimæ quædam ſcintillæ int de ſuperni luminis facibus ccenſæ; & , ut ſum matim onia dicam, noſtri pars melior, imus eſt, Angelus nihil eſt æter animum, ab omni cars concretione remotum, tan- expreſſiùs ad æternæ pulritudinis exemplar conforatus, quantò de ejus fonte opius, & uberius reſperſus. inc eſt quod Seleucienſis ntiſtes *a* vocet *incorporeã creaam*; Damaſcenus; *b ſubſtantiintellectualem, materiæ atque poris expertem*; Dionyſius *c ellectuales ſubſtantias, ab uniſa corruptione, morte, materia, eratione, mundas exiſtentes.* ucis omnia: *d Qui facit Anos ſuos ſpiritus, nec e quidam terrenæ faces habentes.*

Has ſubtiles intelligentias, blimes mentes, puriſſimos ſpiritus, *Verbum Patris* in cæleſti Regia aulicos habet & domeſticos; jamque hominem induens, ut & homines ſocios haberet Angelicos, è cælis vitam Angelicam devocavit in terras, dum Patrem habens Virginem, (ſiquidem, teſte Gregorio *f* Theologo; *prima trias Virgo eſt*) è Virgine Matre naſci voluit, Virginitatis filius, quod Mediolanenſis Præſul *g* expendens: *Virginitas*, inquit, *à cælo accerſivit, quod imitaretur in terris. Hæc nubes, aëra, Angelos, ſideraque tranſcendens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris invenit.* Quod ut à conglobatis comprobemus, Magnus Gregorius *h* Pontifex maximus, ſic ait: *Eximia res virginitas, atque in Angelorum natura ſingularis ordine debet cenſeri: vereor enim dicere Chriſti; qui cum propter nos procreandus eſſet, ex Virgine procreatur Virginitas.* Hieronymus verò epiſt. 22. ad Euſtoch. c. 9. *Statim*, inquit, *ut filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, novam ſibi familiam inſtituit; ut qui ab Angelis adorabatur in cælis, haberet Angelos in terris*, nempe Virgines. Natales ſuos caſtimonia è cælo ducit, quare vetuſtiſſimi in Italia ſapientes, qui Latinam linguam exornarunt, & nomina rebus impoſuerunt, caſtos appellavere *i cælibes, quaſi cælites & cæleſtes*; quod vitam in terris æmulentur cæleſtium, quam in lege veteri, Priſci Patres, ac Patriarchæ ignorarunt: nec vulgare illis Elogium viſum eſt, quod Pſaltes Regius de homine mortali protu-

S 2

a Baſil. l. 12. contra Eunom. b. S ... ſc. l 2. de fide cap. 3. c Dionyſ. c. 4. de divin. nomin. d Pſ. ... e Ovid. l. 1. Metam.

f Greg. Naz. 2. carm. de Virg. g Amb. l. 1. de Virg. h S. Greg. Orat. de laud. Baſilij. i Quintil. l. 1. c. 10.

protulit, cujus dignitatem tantum non Angelis æqualem exclamat: *a Quid est homo, quod memor es ejus; aut filius hominis; quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Ubi Doctor Asceticus: *b* Equidem magna gloria, & honos humani generis, pro illo legis statu erat, paulo minus Angelis esse; nunc autem post descensum filij Dei ad nos, ascendit humana dignitas ad æqualitatem Angelorum, idq; ex eo confirmat, quòd cœlestes genij se olim ab Abrahamo, alijsque Patriarchis adorari permiserunt: *quos c* inquit, *nondum æquales sibi per Virginitatis dignitatem agnoverant.* At ubi filius Dei, Virginitatem de cœlo in terras detulit, jam suspiciunt Angelicæ illæ mentes, homines castos, & Virgineos, non ut paulò se minores, sed ut æquales, & conservos. Sic Virgini Joanni respondit genius ille Apocalypticus, fas non esse ut se adoraret: *Vide ne feceris,* CONSERVUS *enim tuus sum.* Ubi Magnus Gregorius hom. 8. in Euang. ANGELI, *quos prius infirmos, abjectosque despexerant, jam socios venerantur: hinc est enim, quod Loth, & Iosue, Angelos adorant; nec tamen adorare prohibentur; Ioannes vero in Apocalypsi sua, adorare voluit, sed idem hunc Angelus compescuit. Natura sua,* dignitatis suæ, conditionis suæ immemor videtur cœlestis aulicus, divinus spiritus, nisi in Joanne quid emergentis, & sibi paris excellentiæ perspexerit. nosti, quænam illa fuerit? Eminentissimi Cardinalis Petri Damiani *d* doctrinam attendite: *Refugit obsequium ab illo* ANGELUS *suscipere, & noluit adoratorem, quem noverat* ÆQUALEM, *fratrem recognovit, socium judicavit, subjectionis obedientiam non accepit: Quia e in omnibus Sanctis, semper &* ANGELICÆ MUNDITIEI *contubernalis, & cognata Virginitas.*

Nulla Medea in vetustis fabulis tam potens fuit medicatis herbis, quàm divinæ gratiæ dono, & potenti Numinis auxilio, Virginalis castitas, quæ ex homine possit Angelum efficere. Talem vobis hodie castissimum Juvenem B. Aloysium, hominem cœlestem, & nescio qua divina Metamorphosi, totum Angelum, & quidem visibilem, omnibus ad imitationem, atque admirationem in medium adducam.

§. I.

B. Aloysius moribus, & vita ANGELUS.

NEscias quid à primis incunabulis *f* in Aloysio nostro radi[arit], quo parens ejus lectissim[a] Matrona eum cum reverentia ut rem sacram sinu reclinabat *illum non tam filium, quàm* ANGE[LUM] *suum vocitarit*; nisi fortè e[x] eo, quòd quemadmodum cœlestes intelligentiæ in grati[a] creatæ sunt, ita divinum hun[c] pumilionem in gratia natum imò antequam solis lucem a[d]spiceret, luce gratiæ præven[tum], ut Angelum cœlo del[apsum] ipsum Mater contemplata sit. D[...] A[...]

a Psal. 8. b Nierenb. doct. ascet. l. 4. doct. 4. c. 20. c Nierenb. ci. d B. Pet. Damian. serm. de S. Ioan. Bapt.

e Greg. Naz. carm. de Virg. f Ceparl[...] in vita l. 1. c. 1. Nierenb. in vita § [...] Pintus Ramirez scripturæ sacræ [...] cta tract. 2 c. 5. § 10. n. 862.

Angelis quidem *a* Doctor Angelicus: *Statim cum natura, gratiam dare conveniens fuit*; & divinus Doctor Augustinus: *b Bonam voluntatem quis fecit in* ANGELIS, *nisi ille, quo eos cum sua voluntate, id est, cum amore casto; quo illi adhærent, creavit? simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* De Aloysio verò, qua ratione idipsum prædicari, & affirmari possit, ortus ejus propè divinus comprobabit. Etenim cum Marchionissa parturiens, unà cum prole, de vita graviter periclitaretur, votum Matri Misericordiæ, Lauretanam ædem cum prole sua salutandi, emisit: jamque fœtum in lucem eniti videbatur, *c* dum ea primum cura tenuit, ut quam primùm animæ succurratur: & nondum totus natus, inter parturientis Matris angustias, vix toto emisso capite baptizatur. Nonne verissimè benignus Deus *simul in eo condens naturam, & largiens gratiam*; *statimque cum natura gratiam dare, conveniens duxit?* ut dici possit, inquit *d* Nierenbergius, *ope Virginis baptizatus, & Deo prius natus quàm mundo. e* Triumphavit certè adhuc Diabolum, atque hoc splendido Divi Joannis, quem prima veritas Angelum nuncupavit: *Ecce ego mitto Angelum meum*, dignus fuit elogio: *Antequam exires de utero, sanctificavi te.*

O vere cœlesti fato, & fausto sidere natum puerum! *f* Planè præsagiebat id, qui, ut idem auctor affirmat, in albo Baptismi, post Aloysii nomen notatum sic scripsit:

Sit felix charusque Deo ter Opt. terque
Max. hominibus in æternum vivat.

Natus anno 1568. die 9. Martii, ut primum fari potuit, salutationem Angelicam, etiamnum reptans per quoslibet gradus puer recitabat; adeò cunctis amabilis, ut qui eum in ulnas sumebant, *sibi* ANGELUM *cæli complecti viderentur, seque intus ad pietatem commoveri persentiscerent.* Jamque tam familiare erat parentibus, ac domesticis, *g* Aloysium compellare Angelum, *ut si hospes aliquis ad palatium divertisset, existimaret*, ANGELUM *esse puero nomen.* O Adam! si rursum nomina rebus conditis propria, à te imponenda forent, Aloysii proprietates expendens, non dubito quin eum Angelum appellando, diceres: *h Ipsum est nomen ejus.* Addo ipsis Angelis, in gratia à Deo procreatis, excelsiorem fuisse; quod irrefragabili Cardinalis Bellarmini constat testimonio, qui animum Aloysii perspectum habens, *i* eum *in gratia confirmatum* fuisse pronuntiavit, & mentis integritatem, quam in baptismo velut candidam vestem induerat, ab omni labe puram, intactamque servasse. Ubi & illud observatione dignum occurrit: Admodum Reverendum Patrem Mutium Vitellesci, Societatis Jesu Generalem, pro informatione Canonizationis, juramento deposuisse: se quodam

 die

a S. Thom p. 1. q 62. a.3. ad 3. b Aug. l. 12. de civit. c. 9. c Rinad in vita. d Nierenb Hisp. in vita § 1. e Linitus Ramirez cit. f Ceparius in vita l. 1. c. 1. Nieremb. cit.

g Escobar in Evang. tom. 6. in c. xii Luc. l. 12. sect. x. ... 9
h Gen. 2. i Ceparius l. 1. cap. (Nierenb. cit.

die familiariter cum Aloysio agendo, hanc illi quæstionem D. Thomæ movisse, 1. 2. q. 9 a. 6. *Quam primum quis ad usum rationis pervenerit, teneri sub peccato mortali actum amoris elicere*; atque ad hæc candidè, & sincerè Aloysium respondisse; se ne minimo ea in re scrupulo angi quòd certus esset, primo eo ipso instanti, quo usu rationis præditus, ea gratia præventum, ut se totum ad Deum converterit, eique ex toto corde se dicarit, ac consecrarit. Nunc quibus coloribus, seu quibus moribus Angelus hic depingendus sit, videamus. Alij illum Angelum ex sublimi mentis in Deum volatu: alij ex prompta & veloci ad nutum moderatorum obtemperantia; nonnulli ex generoso rerum omnium terrenarum despectu; quidam etiam ex Seraphico, quo intus flagrabat, divini amoris æstu, hoc eum nomine indigetandum, & pari cum beatis mentibus gradu, non injuria, constituendum putarunt. Quod si cui fortasse mirum videbitur, audiat *a* non humanam, sed divinam olim B. Mechtildi factam revelationem.

Illa aureum ascensum vidit, novem gradibus instructum, cinctumque ingenti Angelorum multitudine, qui sic erant dispositi, ut in primo gradu Angeli, in secundo Archangeli, & ita ceteri ordines, & chori Angelorum collocarentur. Neque hic spectaculi finis fuit, Deo illi ulterius significante, homines pro diversis meritis, in diversis itidem Angelorum gradibus esse constitutos; ita quidem, ut intelligeret, eos qui peregrinis, & egentibus bene fecissent, ut & pacificos, *inter Angelos versari*: Orationis, obedientiæ, paupertatis, & humilitatis studiosos, cum *Archangelis* esse; virtute præditos, qui se ardenter, ac seriò virtutum omnium studio consecrassent, inter *Virtutes* numerari: gloriosos vitiorum triumphatores, quique salutis inimicum cum suis illecebris contempsissent, *potestatibus* accenseri: prælatos, qui pro suis ovibus diu, noctuque strenuè excubassent, inter *principatus* vivere: excellenti humilitate insignes, quique aut divinæ voluntati per omnia se permisere, aut animo Corpus subjecere, fortiterque suas cupiditates edomuerunt, *Dominationibus* annumeratos: contemplationi deditos, quique mentis puritati, paci Spiritus, & animæ tranquillitati studuissent, cum *Thronis* considere: scientia rerum divinarum illustres, inter *Cherubinos* collocari; Denique flammis divini amoris exæstuantes, *Seraphinis* assidere, qui increatæ illi essentiæ quam proxime appropinquare perhibentur. At quo in gradu, cælesti huic juveni consistendum sit, spectatis virtutum Angelicarum præconiis, vobis dijudicandum relinquo.

Ac primum quidem, præcipuum, & perpetuum beatorum spirituum officium est noctes, & dies sine ulla errabundæ mentis ad alia evagatione, immensam illam Dei Maje-sta

a L. 1. gratiæ spirit. c. 54. Barry Pædag. cælest. c. 3.

ſtatem deprædicare, ejuſque pulchritudinem contemplari. ANGELORUM *munus eſt*, inquit *a* Baſilius, *Deum ornare laudibus*. Quo ſi mortales quoque rite perfunguntur, Angelis non immeritò accenſeri poſſe, ſanctiſſimus Præſul Nolanus *b* affirmat, qui expendens illud Matthæi 18. ANGELI *eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt*, ſic ait: ANGELIS *efficitur ſimilis, qui per veram orationem, cupit videre faciem Patris, qui in cælis eſt.* Oratio homini alas aptat, brutis animantibus ſubducit, ſupra omnia terrena ſuſtollit, Angelis conſortem facit. Orator aureus *c* in hanc rem teſtis locupletiſſimus: *Orare*, inquit, *commune opus eſt* ANGELORUM *pariter & hominum; neque quidquam intereſt inter noſtram naturam, & illorum, duntaxat quod attinet ad precationem; hæc te ſeparat à mutis animantibus, hæc te ſociat* ANGELIS. His alis inſtructus, hoc munere Angelico, quàm divinè Aloyſius perfunctus ſit, audite.

d Orationem auſpicaturus, inter beatos ſpiritus ante Thronum Dei hymnum illum: *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis*, concinentes, ſeipſum animo præſentẽ ſiſtebat. Tanta adoleſcentulo ac propè puero, erat precum, ac divina meditandi contentio, ut cum alij ſe ad quietem recepiſſent, ipſe linteo tantum amictus, media hyeme, frigidiſſima Inſubriæ plaga, extenſis brachijs, perfuſus tam largo lachrymarum imbre, ut pavimentum cui ingeniculatus fuerat, perplutum diceres: Quandoque in terra pronum, per plures horas, famuli obſervarunt. Subinde ſtatuæ inſtar immotum; quaſi verò frigoris illa inclementia, fluxam ejus corporis molem in marmoream firmitatem ſolidaſſet, & animus habitator, ut Auguſtinus loquitur, relicto terreno habitaculo, in cælos evolaſſet; *e* Nec unquam ocyus, aut altius, quam dum perfectiones divinas, ſeu attributa, ut vocant, (quæ cælitus edoctus eſt) attento mentis oculo contemplanda ſuſcepiſſet; ijs verò inhærendo, tanto divini amoris æſtu abripiebatur, ut Moderatores, ne ador ſpiritus, corpus in cineres redigeret, temperandum rati, à divinis animum avocare, & quibuſdam humanis adminiculis vires inſtaurare juſſerunt. Verum enim verò hæc ab oratione quies & ceſſatio, *f* tormenti genus graviſſimum illi videbatur affirmabatque ſanctè, longe ſibi difficilius fore, mente aliò evagari, & per hæc inferiora diſtrahere, quàm de Deo cogitare, diviniſque inhærere. Utpote, inquiebat, hoc mihi nunc *uſu quodam naturale eſt*; atque adeò violentum, à cæleſti hac contemplatione avelli; ut cum ſuperiorum imperio obtemperandum eſſet, non ſemel exclamare *g* auditus ſit; *Recede à me, Domine, recede Domine*; quæ omnia cum beatis illis Mentibus, ſi lubet, conferamus, de quibus Proco-

a S. Baſil. l. de pœnit. b S. Nilus in Hecaten de orat. c Chryſoſt. lib. 1. de orando Deo & tom. 1 in Pſal. 4. d Nierenb. in vita §. 7. Cepar. l 1. c. 6. P. Rho. varat. virt. Hiſt. l. 3. c. 8. Noſtra. §. 6.

e Ribadin. in vita. f Nierenb. §. 8. Ribad. g Ibid.

pius in Isaiam c. 6. *Primaria est Angelis & NATURALIS VITA, in Dei pulchritudine semper aciem intendere, eumque perpetuo celebrare.*

Addit a Doctor Angelicus: *Neque sic à divina visione foras exeunt, ut interna contemplationis gaudiis priventur.* Illud certè solis Angelis ita proprium videtur, divina semper sine ulla mentis evagatione contemplari, ut si id mortali cuipiam concessum sit, eum Choris ipsorũ jure meritissimo inserendum, omnes mecum suffragentur. Hoc b in Aloysio nostro obstupescite. Auditum illius ex ore, veritatis religiosissimo, quod præcisa imitandi spe, uni tantum debeatur admirationi: cum legitima inspectione, quæ bis quoque anno Societati solennis moris est, beatæ illius mentis rationes omnes, Collegii Romani Rector ipso aperiente lustraret toto illo semianni spatio, qui horas quotidie aliquot, meditando, orandoque exigeret, vagæ, perque devia errabundæ mentis importunas avocationes, expertum se nunquam, nec in minimo distractum, nisi fortè, si omnia momenta in unum conjicias, tantillo temporis spatio, quo quis Angelicam percurreret salutationem; unde quod fieri consuevit, singulorum conclavia, indics lustrentur, ut exploratum sit, omnesne statis horis orationi vacent, Aloysius quamdiu in Religione vixit, nunquam ad se quemquam inspiciendi gratia venisse sensit. Non jam miror Adolescentem ab humanis abiisse, à quibus animum ita abalienaverat; mirari potius lubeat, cælestibus assuetam mentem, mortalia hæc vincula ocyus aliquantò non exuisse; Quæ gratia, ut etiam præcelsis in Ecclesia Sanctis concessa non sit, nobis interim ruborem incutit, qui à divinis tam longè, tam latè, tam frequenter evagamur, ut per omnem sæpe orationem, vix tantillum attentionis, quantum ille distractionis, reperturi simus, quo salutatio Angelica recitatur. Quantò os verius illud mellifiui Benardi c usurpare possumus! *Nihil est in me corde meo fugacius, cor meum, cor vanum, vagum & instabile: sicut enim molendinum velociter volvitur, & nihil respuit; sed quidquid imponitur molit: sic cor meum semper est in motu*; & alibi; *Facilius*, ait, *atomos cæli numerari posse quam cordis motus*. Quoties accidit nobis, ut d *Corpore in choro, animo in foro*; corpore in claustro, animo in campo; corpore in templo, animo exercitus hostium, amœnitates nemorum pervagemur, negotia forensia, domestica volvamus? illudque Hieronymi e in nobis verissimum experimur, qui in vasta solitudine perdius & pernox orationi intentus, sic sibi sanctè indignabatur; *Creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiã quæ dictu erubescenda sunt, gero.* Ipse Psaltes regius f amare queritur *Cor meum dereliquit me.* In ipsas solitu-

a S. Tom in Matt. c. 18. Angeli eorum semper vident, &c. b Nierenb. cit. P. Rho. cital 3. c. 9, Nostra § 3.

c Bern. lib. Medit. c. 9. d S. Thom. in Opusc. e Hieronym. advers. Lucif. f Psal. 39.

solitudines, per claustra, per crates, per feras, cogitationes in intimum cordis sinum penetrant, ut facilius sit cælum claudere, quam animum. Hoc B. Petri Damiani *a* S. R. E. Cardinalis judicium est: *Non puto quod ille qui clausit cælum oratione, clauserit animum cogitationi; ut facilius sit cælum obserare, quam animum.* Vnde non abs re Theologus, *b* quid rerum omnium difficillimum? rogatus, respondit: hæc tria, laborantis in partu, imperantis in bello, & precantis in templo, seu oratorio; quia omnes infernales furiæ, uno quasi agmine in talem irruunt; quibus tamen omnibus superior Aloysius noster, nihil oratione facilius sibi ducebat: Sed hæc fusius alibi egimus. Vnũ dico, Cælestes illas intelligentias, quæ Deo semper intentæ sunt, has mentis evagationes, præsertim voluntarias, gravissimè execrari, ut reapse aliquando manifestarunt.

B. Veronica de Binasco *c* cum sacrificio quondam interesset, è sacris sororibus unam curiosius aspexit, ex aliqua mentis instabilitate; ac paulò post ad se reversa, ita ad Deum, & divina adspiravit, ut à sensibus abriperetur. In ea ecstasi videndum se illi præbuit Genius tutelaris, eamque noxæ illius tam acriter redarguit, ut reprehensionis aculeum vix vita salva sustinere posset. Cum ergo ab eo raptu sui compos facta fuisset, per triduum, tota in lacrymas abijt, addens, gravem insuper Pœnam ejusdem culpæ, impositam sibi à Christo esse, prohibitamque ne indicaret. Quod si ejus quæ sacris aderat, levis in speciem, mentis atque oculorum evagatio, tanto illi constitit, expende, amabo, qua pœna mulctanda sint, ut Augustinus *d* loquitur, *tot corda precantium, & diversas res cogitantium Omitto dicere & noxias; omitto dicere aliquando perversas, & inimicas Deo?*

Sed ne & nos longius ab oratione evagemur, non modo primum, *e* & proprium Angelorum munus est orare; sed *& perpetuum*: quia, ut supra diximus, *primaria & naturalis illis vita est, in Dei pulchritudine semper aciem intendere, eumque perpetuo celebrare.* Quod ipsum confirmat Origenes in ea verba Iob: *Venerunt filij Dei, ut starent ante Dominum*; Vbi sic ait: *Opus, & studium sanctorum* ANGELORUM *est, ut* ASSIDUO *Cælestem Dominum laudent, Deo* INDESINENTER *gloriam pro beneficiis ejus deferant.* Vultis ejusmodi breve, sed efficax de Aloysio elogium? non modo ad quaternas, quinas horas Aloysius orationi continenter insistebat; *sed tota vita, orare fuit.* Verba Religiosi Auctoris fideliter refero;

f Finalmente el estava tan recogido, y tan metido en sus meditaciones, que se puede con verdad dezir, que TENIA ORATION CONTINUA.

g Quid, quod ipsas inter epulas, ad minimam de divina pulchritudine auditionem, con-

S 5 ceptis

a B. Pet. Damian. ser. in Nativ. B. Virg. b Drexel. Rhet. l. 2. c Hautin. de Sacram. Amoris pag. 130.

d Aug. in Psal. 85 e Procop. in Isa. c. 6 f Nierenb. cit. § 3. § 11. g P. Rho. l. 1 c. 1 nostra § 3.

ceptis in fomite veluti flammis, temperare sibi non posset suffusus illico rubore, intumescenti pectore, atque æstuante corde, immotus hærere, furtivas inter lachrymas sui oblitus, totum se amori permittere, quasi cælo, Deoque jam proximus; ut timor esset, spectantibus, ne animus, libata summi amoris dulcedine, ad se non rediret. Accedit *a* (in quo Angelis certè major videri posset, ea fiducia ipsum orasse, ea gratia apud Deum valuisse, ut candido pectori & ore, in quo non est inventum mendacium fassus sit: nil se unquam, quantumvis difficile, quodque alijs impossibile videretur, Deum rogasse, quod non impetravit? sic enim habet: *Affirmo de si cosa maravillosa, que iamas encomendò à Dios cosa ninguna, grande ó pequeña, que no tuviesse el successo, que desseava, por mas difficultosa, y parecer de otros impossibile.* Ex quibus illud Divi Chrysostomi *b* rectè concluseris: *Homo qui sic cum Deo loqui didicit, ut par est, erit deinceps* ANGELUS. Velocitatem hanc in cælos evolandi, mentisque agilitatem, quæ Angelis propria est, Aloysio, orationis comes abstinentia contulit, de qua juvat aureum *c* Antiocheni Antistitis audire oraculum: *Iejunans levis est, & ALATUS.* Nemo non videt quantum intersit, inter anseres saginatos pane domestico, & avem paradisi, ut vocant, quæ *vescitur aura.* Illi obeso jam corpore, ægre se in altum sustollere, aut si ingenti nisu id conentur, statim deorsum eos trahente sagina, mole sua in terras decidunt; hæc verò prorsus agilis, expedita, nullo corporis depressa pondere, per aëra pernici volatu fertur. Vides, inquit idem SS. Doctor, *d* quanta res sit abstinentia? ANGELOS *ex hominibus facit.* Angelicam quippe vitam is passim inter mortales ducere perhibetur, qui cibo potuq; prorsus abstinens est. Hanc vivendi rationem, quis in Aloysio satis valeat admirari? *e* etiamnum puer bis, aut ter in hebdomoda, inedia tenerum, pane & aqua contentus, corpusculum macerabat; pro communi refectione, ovum vel unicum prægravare dictitabat. Atque hunc Domini sui, planè divinum se sustentandi modum quò famuli exploratum haberent, dum quid in quavis refectione absumpsissent, accurata lance expendissent, vix unciatim in diem vivere affirmavere. Mitto exinde, pane & frigida illum vitam tolerasse, omnisq; planè in terrenis hisce cibis, gustus ac saporis expertem, semper quasi miraculosè & planè divinitus vitam sustentasse, ut gravissimi Auctores asseverant. O vitam planè Angelicā! Hanc jejunium metamorphosim inducit, ut hominem in Angelum transformet, teste *f* Hugone Cardinale, qui ait: *Semel in die comedere, quasi vita Angelica est, bis, vita humana; pluries, vita jumentina, sive vita brutorum.* Hinc S. Chrysost. *g* virum abstemium, æc compellat: *Non es homo, sed ferme Angelus;* *quia* ANGELUS.

a Niereb. §. 3. b Chrys. l. 1. de orand. Deo. & in Psal. 6. c Chrysost. hom. 72. ad pop.

d Chrysost. hom. 13. In Act. e Cepari l. 1. c. 6. Nierenb. §. 2. P. Rho l. 7. c. 6. f Hugo Card. in l. 4 reg. c. 8. g Chrysost. serm. 2. de jejunio.

los *est jejunans*, & quisquis abstinens est, vitam vivit Angelicam, quod vir immortali nomine dignus Athanasius *a* confirmat, dicens: *Iejunium Angelorum cibus est, ut qui eo vescitur, merito* ANGELICI ORDINIS *censeatur*.

Scio hic quibusdam fortè dubium hoc suboriri; Num Angelorum sit alimento omni abstinere? Num Angeli non comedant? cum Genes. cap. 18. Abraham Angelis vitulum tenerrimum, & optimum apposuerit; & c. 19. Loth convivium Angelis exstruxisse, & apud hunc, & illum comedisse dicantur. Quam quæstionem more suo Theologorum Phœnix Aquinas *b* dissolvit, dicens: *Comedere est proprium opus animalis, & Angeli in assumptis corporibus apparentes comederunt, & Abraham eis cibos obtulit.* Tum respondet: *Vera non fuit comestio Angelorum; sed figurativa spiritualis comestionis. Hic fidem & lucem addit, quod Raphael dixisse legitur Tobiæ: Cum essem inquiens vobiscum,* VIDEBAR *quidem manducare, bibere, sed ego cibo invisibili, & potu utor.* Haud aliter homo ille cœlestis, & terrestris Angelus, *c* velut *incorporea natura*, non tam vesci humanis cibis, quam cœlesti pabulo enutriri videbatur. Vetus illud exstat *d* Tertulliani effatum: *Omnis spiritus Ales est, hoc Angeli; igitur momento ubiq; sunt, velocitas divinitas creditur.* Sic eos non usitata penna olim sapiens descripsit: *e Aves cæli portabunt vocem tuam;* quod ad Angelos SS. Patres referunt, Olympiodorus, Carensis, Neocæsariensis, & his luculentior Hieronymus, qui eos *instar avium*, ad Dei nutum promptos evolare asserit, imò speciem ac pennas induisse, maximi Magistri magnus discipulus *f* contestatur: Avem scilicet miræ pulchritudinis & decoris, argutissimo cantu, & ineffabili vocis suavitate, plurimis ante mortem annis, venerabilem quandam fœminam multo tempore, graves inter cruciatus, lecto affixam, solatam fuisse, cumque ab ea quæsivisset, cujus avis vocem imitari illa volucris videretur? Nihil, ait, in terris esse, cui comparetur; sed cœlestis paradisi philomelā fuisse in cōperto est.

Verum quod ad propositum nostrum facit, norat Ales noster Aloysius si visco, si luto, si pulvere, volucrum alæ infectæ, aut respersæ fuerint, ad sublimiora eniti non posse; ea propter, terrena omnia quæ hic inquinant & prægravant, contempsit, abjecit, excussit. Angelica hæc paupertas onus non sustinet, nec divini illi alites, pennas suas patiuntur aggravari: Eliam olim à cœlestibus illis spiritibus in cœlum PP. testantur; sed quid causæ fuisse arbitramini, quod pallium suum, jam raptus in cœlos, dimiserit? itane perturbatus ascendit, ut illi inscio exciderit? minime. Tulerat secum è terra licet spolium abjectissimum, palliolum superfluum, quod sentit in medio cursu, oneri & impedimen-

a Athan. de S. Virg. b S. Thom. 1. p. q. 51. a. 3. c Theod. q 29. in Exod. d Tertull. apol. c. 22. e Eccl. 10.

f Cantip. l. 2. c. 25. num. 8. Lactantius Augustin. cap. 13.

to esse sibi, & vectoribus: Hieronymus: *a Elias ad cœlorum Regna festinans, non potest ire cum pallio; sed mundi in mundo vestimenta dimisit.* Sic nimirum velociores pennas & expeditiores reddit, *b* quasi ipsi Angeli inquit ingeniosus interpres, (qui, ut Ambrosius & Chrysostomus sub igniti currus, & æquorũ forma delitescebant) superfluo illo pallio prægravari viderentur. Huc ergo inquit, collineavit Aloysius: nihil superflui, licet vilissimum retinuit, è terra scilicet Angelus ad cœlum ocius evolaturus.

Hieronymus in illud Matth. 19 *Si vis perfectus esse, vade, vende omne quod habes, &c.* Sic in rem nostram acute disserit: *Difficile intrant divites in Regna Cœlorum, quæ expeditos & alarum levitate fulnixos habitatores desiderant.* Hinc celeberrimus Ecclesiastes, & S. literarum interpres egregius *c Paupertatem Angelicam*, aptissimâ nomenclaturâ indigetavit, & pluribus, ut videre est, comprobavit. Angelis quippe nihil ditius, nihil pauperius potest reperiri: nudæ sunt, & simplices substantiæ non carne, non cute, non veste ulla contecti: nan tecto, non lecto, non auro & argento, non fundis, non censu, non victu, non amictu ullo instructi; omnibus plane destituti. Quæ omnia, cum Aloysio conveniant, quis Angelum fuisse diffitebitur? Pauperiem adeo diligenter ac reverenter velut matrem observavit, ut ne in levissima materia unquam violarit, nec phyliram chartæ, citra licentiam usurparit. Nihil ejus cubiculo pauperius, nihil veste vilius, nihil lecto abjectius, nihil victu tenuius.

Paupertas alata est, ubi solerter observandum, pauperibus non promitti, sed ipsorum esse Regnum Cœlorum, dum dicitur: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum* EST *Regnum cœlorum*; cum aliis beatis, merces duntaxat promittatur. Apposite hic *d* Sanctus Bernardus: *Magna quadam penna est paupertatis, qua tam cito volatur in Regnum cœlorum:* nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur; paupertati non tam promittitur quam datur unde concludit *e* disertissimus Ecclesiastes: non temere igitur pauperes Spiritu, *Angelos* appellaverim, quibus ejusdem Regni consortium, communis patria, alarum expeditio conceditur: meritissimoque hinc etiam *Gonzaga*, *Angelus perhibetur*, quem perfectissima paupertas exutum terrenis omnibus laureavit. Et quid mirum si cœlum teneat, qui universum terrarum orbem, jam sub pedibus habebat?

f AlexandrumMagnum quandoque in tabulâ conspicati estis, mundi globum (ut moderni Imperatores pingi assolent) manu gestantem; B. Aloysium vero nunc orbem pedibus proterentem, exprimere consueverunt. Accidit autem ut infanti suo ludibunda Ma-

a Hieron. 4 Reg. 2 b Pintus Ramires script. selectæ pag. 512. c Pintus Ramirez script. selectæ t.2. c. 3 § XI. n. 890.

d Bern. serm. 4. de adv. e Pint. Ramirez. l. ii. t.2. c.5. § XI. n.890.
f Imago 1. sæculi Societ. p.264.

Mater, expressam utriusque in diversis tabulis effigiem obtulerit: mundi globum obterebat imposito pede Aloysius; orbem subjecta manu sustentabat Alexander; hic multa, cum pro ætatis ingenio percunctando, curiosè tandem ex Matre quæsivisset: Rex ne esset Aloysius, & orbis victor, eò quod eum pedibus calcaret? respondissetque illa, non quia universo imperaret, orbem pedibus conculcare; sed quia animo excelso, infra se humana omnia duxisset, victorem eum dici, ac mundo excelsiorem haberi. Tum ad imaginem Alexandri puer conversus: Isténe igitur Mater à mundo victus est, qui onus, dominatumque subjecta manu ferre compellitur? belle hercule supra ætatem, siquidem ut manum, sic mentem mundi jugo Alexander subjecerat, quam Aloysius mundo longè sublimiorem gestabat.

Qua super re melleo flumine *a* S. Bernardus excurrit: *Quid gloriosius quàm mundo contempto, mundo se cernere celsiorem, ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem; totum mundum habere sub pedibus?*

Sed quàm multos reperire est, etiam de hîc stantibus, qui mundum non sub pedibus, sed in capite, & super caput gestant! quam multi nil aliud, quàm de Mundi vanitate interdiu cogitant, noctu somniant? quot puellæ mundum in capite gestant, & mundum muliebrem circumferunt? Nunc quoniam alæ non desunt, alio convolemus: magnæ sunt & præstantes Angelorum dotes, ac dona prorsus singularia, ob quæ maximè gloriari censeantur: mens ab omni terrenâ colluvione libera, ingenii vigor, mentisque acies, omnia quæ sub cœlo, terraque continentur, mira perspicitate pervadens; vis, & potentia in agendo supra omnem humanam stupenda: omnis incorruptionis, ac immortalitatis honor perpetuus: cœlestium gratiarum ubertas, denique quod in sinu, & intima Numinis familiaritate, liquidâ lætitia delibuti, versentur; hoc uno tamen præ ceteris gloriari ad quod toti facti videntur, & quo uno secluso, cœlum illis in Barathrum verteretur, quòd supremo omnium Domino, quam promptissimè obediant, ejusque nutus avidi præstolentur. Quod verè, ac eloquenter notavit Lactantius lib. 2. cap. 17. *Quorum* inquit, *unum, solumque officium est, servire nutibus Dei, nec omnino quidquam nisi ejus jussa facere.* Quæ ea animi alacritate, ea pernicitate exequuntur, ut nutu perceptum præceptum prævertere omni studio nitantur, Unde Propheta: *b Benedicite Domino omnes* ANGELI *ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus*; facientes, inquit Lorinus, antequam audiant, quasi præceptum præveniendo, juxta illud *c* Bernardi: *Fidelis obediens, prævenit præcipientem.* Tamprompta, tam alacris, tam velox fuit Angelici hujus juvenis *d* obedientia, ut nullum vel minimum unquam mandatum, aut regulam religionis violarit, &

ad

a Bern. opusc. de charit, cap. 18.

b Psal. 102. c Bern. serm. 41. in Cant. d Ceparius Nieremb. §. 7. 10.

ad omnes superiorum nutus non curreret, sed volaret. Affirmabat se nec minimum renisum habuisse, vel sensisse contra Superiorum voluntatem; nec unquam rationem inquirebat, aut propensionem suam exponebat, ad omne Moderatoris arbitrium, quasi ipsius Dei, (quem in Superiore se agnoscere & venerari dictitabat) indifferens; ut dici possit Aloysius, voluntatem Dei fecisse in terris, sicut Angeli in cœlis; quod quid est aliud, quàm cœlum sibi in terris struere, & homines ad omnia promptos, Angelos æmulari? ut scitè Chrysostomus *a* exponit; *Iubet Deus hic degentes, conversationem cum cœli habitatoribus, habere communem: & antequam superna illa præstetur habitatio, cœlum quodammodo vult fieri in terra, aliosque nobis* ANGELOS *terram monstrare*. Quos Angelos, non alios Doctor Angelicus describit, quàm eos qui Dei voluntatem in terris faciunt, sicut Angeli in cœlis, hilariter, promptè, integrè, constanter, amanter: *Sicut*, inquit, *b* ANGELI *faciunt voluntatem in cœlo; sic nos terreni faciamus in terra*.

Scire vultis, quâ arte vobis alas conquirere, quo remigio volare possitis? verbo tradam unico: si filii ad omnia præcepta parentum, & quisque vestrûm ad præcepta Dei semper responderit *Volo*. Hæc volendo, quæ ipsi volunt, quæ Deus vult, jam volas, jam Angelis non modo simillimus, sed ipse Angelus effectus es. Si pater huc; illuc te miserit, *Volo*: si hoc, illudve operis commiserit, *Volo*; si Dei jussu jejunandum præceperint, *volo*; si sacrum andiendum, *volo*; si mendacio, perjurio, turpiloquio, furto, fornicatione abstinendum, *Volo*. Atque ut Princeps ac præcipuum Angelorum munus est, Dei præceptis obtemperare; ita vestrum esse debet, si eos æmulari studueritis. *Quid præcipuum*, quærit *c* Chrysostomus, *in* ANGELIS *& magnificum videmus? profectò quod cum omni curâ* OBEDIANT DEO. Amabo vos, quid præcipuum in filiis? quid præcipuum in vobis, & magnificum videmus? quòd in studia diligenter filii incumbant, quòd globulos Marianos manu volvant, quòd sacris quotidie intersint; quòd vos in pauperes profusi, in oratione assidui, in jejuniis eximii; at nisi ad hoc accedat, quòd ipsi *cum omni cura obediant parentibus, & vos Deo*, nunquam in Angelos evadetis. Accedit, Angelos non modò, ut etymo patet, celerrimos summi Regis nuntios esse, sed & omnes *d sunt administratorii Spiritus, in ministerium* quamtumvis humile, & abjectum missi. Angelus ministrat Danieli in lacu Leonum. Angelus ministrat Eliæ, & cibos, quos corvi deferre solebant, hic dapifer portat. Angelus Tobiæ se comitem præbet. Angelus Domini descendit de cœlo, & movebatur aqua. Infinitus sim, si obsequia quæ mortalibus ægris, cœlestes Spiritus, infima etiam, exhibuere, recensere velim; unum digito signasse suf-

a Chrysost. in c. 6. Matt. b S. Thom. in Matth. cap. 6.

c Chrysost. ser. 39. ad divit. d Hebr. 1.

sufficiat. B. Joanni *a* ægrotanti Angelus custos familiarem operam præstitit: illi etenim cùm vena aperienda esset, nec quis mortalium præter Medicum secantem adesset, duo Angeli advolarunt, qui lumen ac alia necessaria ministrabant, quique ex ægri Joannis venâ fluebat, sanguinem excipiebant. *b* Ejusmodi innumera apud Auctores videre est. Unde rectè Athanasius: *c* *Angeli sursum, deorsum commeantes, ministros se præbent.* Videtis, ut opinor, cœlestis aulæ Principes, quorum excellentiam humanus animus nullâ cogitatione complecti valet, abjectissimis hominibus famulantes, æquè ad pauperum casas, ac Regum Palatia diverrere, afflictis ægris, etiam peccatoribus, ima obsequia præstare, nullo gloriæ aut meriti incremento, solâ obedientiæ excellentiâ spectatâ. Quo unico parendi desiderio omnes incensi, ejus se exercitio beatos arbitrantur. *d* Talem se Aloysius noster præbuit, qui ad infima se semper abjecit, pauperibus, miseris, ac ulcerosis in nosocomio se mancipem verè præbuit, horum lectos sternere, pedes abluere, cibos ingerere, sordes efferre, & ubi paulò gravior, aut fœdior æger decumbebat, ibi adesse, ac veluti à pulcherrimo, in quo charitas saturari posset, flosculo, non abire. Nec præsens periculum luis aut contagionis, quo non pauci exspirabant, deterruit: unde & ipse febrim lethalem domum detulit, quæ corpus quidem, sed animum non dejecit, ut votum conceperit, vitam si superstes foret, pestilentiæ malo infectis libens impendere, ac devovere. Sed charitatis victimam *e* Deus in cœlum extulit; atque in ipsa rota canonizationis agitatum, an non Martyris instar habendus, qui dum contagiosis adfuit, animam pro proximo ponere non dubitavit, ut ex rationibus illic adductis, probat *f* Nierenbergius, & ex illustri revelatione B. Magdalenæ de Pazzi Carmelitanæ, in urbe Florentina, sanctimoniali, notæ ac celebratæ sanctitatis fœminæ confirmari potest: quæ eximiam in cœlis B. Aloysii gloriam, divinitus sibi manifestatam jurejurando testata est, coram commissariis Apostolicis, jussa id dicere auctoritate Apostolica, dum processus pro canonizatione B. Aloysii institueretur, & habetur in vita B. Mariæ cap. 65. Cùm enim illa, anno 1600. 4. Aprilis esset in profundissimo raptu, intercisim loqui cœpit, atque hæc ipsa verba, quæ alta voce protulit, à Monialibus ejusdem Monasterii illo ipso tempore scripto consignata: *Vix capio tantam cœlestibus communicari posse gloriam, quantam video in Aloysio. O quanta est Aloysii, prolis Ignatianæ gloria! nunquam credidissem, nisi meus mihi monstrasset Iesus. Aloysium magnum esse Sanctum affirmo. Quos in Ecclesia habemus Sanctos, tanta non opinor gloria fulgere. (Eos intelligebat quorum ossa, & reliquias in Lipsanothecis templi*

a P. Nadas. annus Angel. pag. 341. b V. Lacerda de Angelo Cust. Barry Pædag. cœl. c Athan. serm. 2. contra Arian. d Nierenb. §. 13 Rho, l. 1. c. 6.

e Sacchin. in vita l. 3 cap. 1.
f Nierenb. cit, Lancic. Opusc. Spir. 8 c. 6. n. 93.

pli sui religiosè asservabant. (Utinam orbem universum peragrare liceret, ac prædicare Ignatii filium Aloysium, magnum Sanctum! Utinam gloriam ejus omnibus, ad maiorem Dei honorem, indicare possem, tanta gaudet gloria, quoniam internè operabatur. Quis valorem, & virtutem operum internorum explicet? non est comparatio intrinseci cum extrinseco. Aloysius fuit MARTYR *incognitus.* Nolim hîc adferre, Aloysium non sine copioso sanguine se diverberare solitum, cumque flagellum ad manum non esset, calcaria sibi currenti subdidisse: ad eam, quæ mortales verè Angelos facit, Virginitatem contendo.

§. II.

Aloysius ut aliis virtutibus excelluerit, castitate potissimùm Angelus exstitit.

OCtennis Virginem Matrem in patronam adscivit, *a* & Florentiæ aram ejusdem Virginis Annuntiatæ, celebri voto perpetuæ castitatis se adstrinxit. Annorum 16. cum de vocatione anxius fluctuaret, assumptæ in cœlos Virginis festivitate Madriti, *b* in templo Societatis, sacra synaxi animum reficit, ibidemque ardentiùs Mariam invocans, vocem claram ac manifestam cœlitus ad se delapsam excepit, *ut in Societatem filii sui Iesu se reciperet:* ubi ea lex viget, quâ omnes quàm proximè eniti debent, *c* ANGELICAM PURITATEM, *corporis, & mentis nostræ munditia æmulari.* Quam olim summum Ecclesiæ caput Gregorius XIII. Pontifex Maximus, in hac minima Societate suspexit: nam cùm alia in aliis Religiosis ordinibus observaret, in Societate, tria potissimùm, ut ajebat, singularia mirabatur.

1. *d* Tantam in tam variâ, excellentique Doctrinâ demissionem animi.

2. Tantam in nationum, ingeniorumque diversitate unionem, ac charitatem.

3. Tantam in tam viridi, vividâque juventute castitatem. Hanc à puero, ut dixi, voto firmatam, ita deinceps Aloysius per omnem vitam inviolatam servavit, ut qui ei ab arcanis confessionibus, interque eos Card. Bellarminus, testati sint, ne minimam illum unquam carnis titillationem vel levissimè persensisse; imò ne cogitationem ejusmodi per umbram ei, unquam objectam fuisse. Quem animi, corporisque candorem, nescio quo nominis omine *e* *Aloysius*, *SIS VIOLA*, omnino inviolata, portenderit. Id si cui unquam à condita Ecclesia contigit, is socium habet Aloysium, cui pares oppidò paucos legere me aliquando memini: solam fortè si Seraphicam Theresiam exceperis. Hæc raræ & Angelicæ puritatis Virgo, fœcunda simul religiosissimi utriusque sexus, Spiritualis Mater, & Magistra sanctissima, *f* omni vita

a Ceparius l.1. c.2. Nierenb. §.2.
b Ceparius l. 1. c.8. Nierenb. §.4.

c Regula summ. 28 d Imago 1. sæcul. sect.l.5. cap. 6. e Aloysius Anagram. SIS VIOLA. f Didacus Iepez, in vita l.3. c.4.

vita ne minimum nævum venialem contra castitatem in animum admisit, qui esset materia confessionis, quemadmodum testatus est noster Pater Franciscus Ribera, in defensione ejus vitæ immaculatæ: & alter Societatis nostræ P. Rodericus Alvarez, a ejus Confessarius, ostensis suis perspiciliis crystallinis, quibusdam dixit: *Sicut est impossibile, ut huc intret mala cogitatio: ita erat anima Theresiæ, beneficio speciali divinæ gratiæ.* Vultis ipsius candidissimæ animæ testimonium? b adierat ad Theresiam una ex suis Virginibus, quam Satanas, omnis osor puritatis, obscœnâ visorum turbâ, & verò reliquâ suâ arte ita fatigabat, ut à medica tantæ Matris manu, certissimo victoriæ compendio, opem quæreret. Obstupuit ad novas illas rerum formas Theresia, & consulentem affata: Tu verò parce, inquit, filia, de his me quærere remedium: in hoc enim bello ita hospes sum & peregrina, (cùm nũquam me his telis malus impetiverit) ut quid loquaris, prorsus ignorem. Quid ni terra cœlum sit, si plures Theresias, plures Aloysios haberet? nam, ut rectè Hieronymus: *In carne sine carne vivere, Angelicum est.*

Baptista, quo non surrexit major in terris, plurimis titulis posset Angelus nuncupari. Sed potissimùm, quòd à Virgine adhuc in utero Angelicam bibit puritatem, hoc Divi Thomæ de Villa nova, disertissimi juxta, ac sanctissimi Oratoris c judicium est: *Laudat* Christus ANGELICAM *puritatem, cùm* ait: *Ecce ego mitto* ANGELUM *meum.* Ita Aloysium potissimùm ab illibatâ vitæ castimonia, & puritate Virginea, Angelum extitisse comprobabo: d *Nulla quippe virtute tam proprie carnales homines, Spiritualibus* ANGELIS *imitatione conversationis æquantur, quàm merito & gratia castitatis.* Unde eam aliis instructam, levissimaque penna præditam ad volandum D. Epiphanius e depingit. *Cùm Petrus & Ioannes pergerent ad sepulchrum Domini, Ioannes præcurrit citius Petro, & venit priùs ad monimentum:* quia, inquit Hieronymus, f Virginitate Angelus erat, & alis volabat. *Ioannes* ALATUS *Virginitatis alis, cucurrit ad Dominum.* Idem Hieronymus: *Nonne castitas, vita* ANGELICA *est, sine corporis cura expedita, & libera, & pura; transcendit siquidem homo carneus, & luteus, ad statum* ANGELICUM, *dum beneficio castitatis: Singularis fit naturæ, sicut Spiritus cœlestes sunt.* Unde cùm olim Christus prædixerit omnes beatos fore sicut Angelos Dei, (Matth. 22.) asserunt gravissimi Patres, Virgines in terris in hoc præmium obtinere. Nam g D. Hieronymus: *Quod alii in cœlo posteà futuri, hoc Virgines in terra esse cœperunt.*

Quisquis vestrum fœdâ dæmonum infestatione impugnatur, spurcis in mente imaginibus ludificatur, cogitationibus h *luxuriæ, turpitudinis, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris incessanter*

a Lancius de profectu in virtut. ca. 1. num. 42. b P Rho. variæ virtut hist. l 7. c. 1. § .6. c Thomas de Villa nova serm. 3.

d Cassian l. 6. instit. Monast. e Epiphan. hæres. 60. f Hieron. de Assumpt. g Hieron. l. 1. contra Iovinian. h Bern. Epist. 42.

fenter ebulliunt, infestatur, hos duos castimoniæ singulares Patronos a Theresiam & Aloysium, de quibus suprà egimus, cœlestes homines, terrestres Angelos inclamet, oret, & exoret. Hanc enim sibi, & illum in hisce animi morbis propitios nonnulli experti sunt.

Hoc certè de B. Aloysio in confesso est: Adolescens Polonus ab ipsa usque pueritia orationi, jejuniis, corporis afflictationi cum primis addictus, annis omnibus innocenter exactis, Societatem Jesu denique ingressus est. Is Cracoviæ tyrocinio posito, gravissimis ac molestissimis phantasmatis, vehementer admodum, orationis præsertim, ac meditationis tempore, urgeri, ac infestari cœpit. Sæpe ille divinum implorare auxilium; sæpe ad SS. Virginem, Beatosque alios confugere; nunquam tamen exaudiri meruit: dum longo in hac animi ægritudine transacto tempore, mane quodam orationi vacans, iisdem infestis de more illusionibus divexatus, salutaris ejus animum subiit cogitatio, ad opem B. Aloysii recurrere. Ipsum itaque precatur, ut afflicto sibi adesse vellet; atque illico Beati meritis, ita se levatum percepit, ut ex ea die nullam deinceps ejusmodi vexationem senserit. Religiosus insuper alius, divino permissu tanta vi & importunitate ab immundo Spiritu exagitari cœpit, ut anno integro, continuum illi cum impuris imaginibus, cum carnis stimulis, sensuumq; illecebris, sine intermissione, sine solatio, certamen esset. Corpus ille quidem jejuniis, flagris, ciliciis nequidquam macerare. Recordatus tandem eorum, quæ de immaculata B. Aloysii vita inaudierat, ac illius nominatim, quod is singulari Numinis prærogativa, nullum quoad vixisset carnis aculeum expertus esset, ad eum veluti ad sacram anchoram sese confert; tota illum animi contentione invocat, ejus, quantum opportune ad manum, lipsana collo applicat; vix applicuerat, cùm desubito per molestis illis curis & angoribus quasi detersa nube, animus serenatur. Hæc obiter.

Quod adulatoriè olim, ac mendaciter de Alipio jactabat Ennapius in Jamblicho: *Alipium fuisse totum animam*, quasi corpore, & materia caruisset, id verè in Aloysium cadere potest. Cogitationes ejus nil terreni; amor ejus & desiderium nil sensualis oblectationis spectabat; nil carnis, nil corruptelæ habebat; sed *totus Anima* erat; &, ut Nierembergius §. 10. vitæ Hispanicè scriptæ loquitur, *parece mas* ANGEL *sin cuerpo, que mego compuesto de carne*; magis Angelus sine corpore, quàm juvenis in carne apparebat. De hujus castimonia usurpare licet illud D. Ephrenii serm. de Cast. *O castitas! cui abominationi sunt delicia, venustas corporis, ornatus vestium! O castitas! dapibus, epulis ebrietati inimica! O castitas! qua carnem castigat & in servitutem redigit! O castitas! Mater* PULCHRÆ DILECTIONIS, *&* ANGELICÆ *vita ratio! O castitas! qua mundo es corde! O castitas! qua homines* ANGELIS *similes reddis!*

a Sacchin. compendio vitæ l. 3. c. 3.

Al

Aſt illud obſervatione hîc dignum occurrit, eam mentis, corporiſque puritatem, accurata ſenſuum cuſtodia Aloyſium ſibi procuraſſe, & conſervaſſe. a Miraculo propius quàm virtuti eſt, navigaſſe illum in Hiſpaniam cum Maria Auguſta, ejuſque inter pueros, quos Hiſpani, patria voce *Meninos* vocant, Ephebum ei per annum integrum fuiſſe, promptum indies ad miniſteria; atque ita inde diſceſſiſſe, ut atrine, an albi coloris eſſet Regina, prorſus ipſe unus neſciret, cùm ab omnibus Auguſtæ forma, qua plurimùm excellebat, avidè admodum ſpectaretur: ut proverbio inter primos aulæ jactaretur; *Aloyſium non conſtare cerne.*

Sed quid ego de Auguſta commemoro in Aloyſio, qui Matris ipſius, Matronæ modeſtiſſimæ ac religioſiſſimæ, conſuetudinē, ſine arbitro vitaret, nec eam intueri ſuſtinuerit. b Juſſerat aliquando Marchioniſſa parens perfamiliariter: Aſpice me, Aloyſi, nec fugias eam quæ te genuit. At ille ingenuo rubore: ideo te fugio, quia ſcio te me genuiſſe: ſi natus non fuiſſem ex muliere, ſed Spiritus qui carnem & oſſa non habet, haud mihi eſſet formidabilis fœminarum adſpectus. Vel hoc ipſo Angelis annumerandus; etenim qui tam illibatam, lutea in domo vitam degunt, meritò, Tertulliano c teſte, *de familia* ANGELICA *deputantur.* Quod ſi hujus Angelici Adoleſcentis exemplo, plures fœminarum conſortia devitarent, & à leviſſimo adſpectu, nedum tactu abſtinerent, facilè de carne triumpharent; quam Virgineam etiam corporis integritatem Servator noſter, omnibus cordi, ac curæ eſſe debere, oſtendit Dum ne in corpore glorioſo, ardentiſſimo divini amoris igne Magdalenam incenſam ſe tangere paſſus eſt, d dicens: *Noli me tangere*, idque inquit D. Epiphanius, hæreſ. 26. *Vt oſtenderet manifeſtam caſtitatem, & ſanctimoniam.* Quod eventu prorſus inuſitato, idem Auctor confirmat. e In urbe Legionenſi, magna in veneratione eſt ſepulchrum Iſidori Hiſpaniarum ornamenti, juxta quod Regia erigitur aula; quâ opportunitate Regia Sanctia, Virgo caſtiſſima, plurimùm ſibi gratulabatur, ſeque cœli civem & ſanctorum domeſticam arbitrabatur, quòd è feneſtra Regii cubiculi oculos in aram D. Iſidori poſſet intendere, & Sanctum quaſi præſentem precari. Dum ecce nocte quadam Vir Sanctus è ſepulchro procedens, cœleſti luce circumfuſus, ſeſe Reginæ oſtentavit, edicens; *Quamvis ipſa Virginitatis voto te Deo ſacraveris, & ego Deo devotas ſemper dilexerim fœminas, tamen numquam acceptam habui earum mecum diuturnam reſidentiam corporalem.* Ita Lucas Epiſcop. Tudenſis hiſt. miracul. D. Iſidori cap. 35. l.

Si purus Spiritus jam es, ô Iſidore, à corpore jam ſeparatus, cur refugis caſtiſſimæ Virginis conſortium? adhuc meum corpus in terris reſidet, nolo ad illud accedere fœminā; licet Spiritu

a Ceparius l. 5. c. 7. Rho. l. 7. c. 3. b Eſcobar. Euang. vol. 5. l. 12. ad c. 12. Luc. ſect. 10. obſerv. 3. c Tertull. ad uxor. l. 1. c. 4.

d Cornelius in Euang. hic.
e Eſcobar. cit.

Spiritu Angelus sit, corpore tamen mulier. Quare juverit hic illud D. Hieronym. *a* monitum inculcare: *Grandis esse virtutis, & solicita diligentia, in carne, non carnaliter vivere: secum pugnare quotidie, & inclusum hostem, Argi, ut fabula ferunt, centum oculis observare.*

Alterum quod ad nitorem illum Angelicum, plurimum contulit, fuit Panis Angelorum: nam si juxta Aristotelem, alimentum vertatur in substantiam aliti, qui pane Angelorum rite vescitur, in Angelum converti necesse est: unde *b* B. Algerius, *ne cœlesti alimonia indignè reficiamur, simus spe & conversatione cœlestes, Panis* ANGELORUM ANGELICÆ *vitæ stipendium est.*

Ad hunc panem dignè suscipendum B. Aloysius, etiamnum puer, à S. Carolo Borromæo *c* plenè instructus, eâ mentis ac corporis puritate per omnem vitam comparatus accessit, ut facile constaret, qualem quantumque in hac materia Magistrum nactus fuerit. Hebdomadam omnem ita sibi in hanc pietatem descripserat, modò horas aliquot post sacras epulas, liquidissimæ voluptatis lachrymis perfusus, iisdem altius ruminandis insumeret; sed & proximos à Dominico dies gratiæ, & suavissima cum Deo hospite colloquia occuparent; reliqui præparando novis epulis animo destinarentur; itaque æternitatis epulo, tempus omne habebat operatum. Advenerat fortè ingenti nobilium comitatu stipatus frater Marchio, ut Aloysium conveniret; cùm Janitor *d* properè jam S. Synaxi refectum admonet eum exspectari; at ille cùm cœlestium aulicorum Domino occupatus, per duas omnino horas, Angelicæ huic mensæ assistere perrexit, & vel gravatè assurrexit. Et dubitamus adhuc Aloysium ab omni iniquitatis labe alienum, Angelicam in terris vitam duxisse, qui Angelorum Domino copulatur, Angelorum pane toties, tam avidè vescitur, Angelorum mensæ tam instanter assistit?

De hoc etenim pane Propheta *e* admirabundus exclamat: *quid bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans* VIRGINES? vinum terræ, *omnium malorum Metropolim*, Pontianus jure vocitavit; Aristophanes *lac Veneris*, Hieronymus *f seminarium libidinis*. Vinum verò illud divinum, ut S. Cyrillus *g* observavit, *sedat sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat perturbationes animæ extinguit.* Cœlestis hujus alimenti figurám describens Moyses, dicit cecidisse rorem in similitudinem pruinæ super terram, quod exponens D. Thomas, *h* & in rem nostram excellenti judicio accommodans: *Panis*, inquit, *cœlestis, in similitudinem pruinæ, rorisque apparebat; quia corpus Domini à fervore pravæ* CONCUPISCENTIÆ REFRIGERAT. Et alio in loco *i* ait, augustissimum hoc Sacramentum *imminuere fomitem*

a Hieron. epist. 10. ad Furiam. b Algerius lib. 1 de Sacram. altar. c. ultimo. c Sacchin. l. 1. c 6. vitæ comp.

d Nierenb. §. 12. e Zachar. c. f Hieron l. 2 contra Iovinian. g Cyrill. l. in Ioan c. 37. h S Tho. opusc. 48. c. i D. Thom. 3 p. q 79. a. 6. ad 3. August. l. 83 qq. q 36.

em concupiscentiæ; quia, ut dicit *a* August. *augmentum est charitatis, & diminutio cupiditatis.* Si quis istiusmodi stimulis carnis exagitetur, inde sibi medelam poscat, & certissimam inveniet. Vadem, habeo *b* Doctorem mellifluum: *Quis poterit*, inquit, *tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Dominici Corporis & sanguinis pretiosi investiturã habetis: duo enim Sacramentum illud operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.*

Contra Cerbereum illud libidinis virus, nullum præsentius antidotum hoc pane Angelico. Unde divinæ adinventiones; illius fuere, qui feliciter hoc affecutus, EUCHARISTIA, anagramma, VIS THERIACA. Caro nostra vipeino, & læthifero veneno infecta, carne Christi velut Theriaca, omnĩ veneno expurgatur. Quare *b* fuit olim consuetudo; ut energumenis sæpe daretur Eucharistia, ad impurum Satanam ejiciendum, & ejus spurcitias exurendum: quippe illa ab homine sumpta, inquit Serenus apud Cassianum, *c* insidentem in membris luxuriæ Spiritum, *velut exurens fugat incendio*, atque animum divino castimoniæ ardore simul inflammat. Hinc & illud complures observârunt, atque hos inter P. Justinelli *d* è Societate JESU, primis illis Ecclesiæ temporibus, ideo tot præstantiã, ac numero floruisse Virgines, quòd frequenter divino hoc pabulo reficerentur. Et nunc, quæso, quid est, quòd tot Virginum choros, postremis hisce temporibus Orbis dedit? quid tot modestissimis viduis, castæ orbitatis studium inseruit? quid tot pudicis conjugibus, amorem integritatis conjugalis indidit? nónne Eucharisticus panis frequentior? Quod si quis ulterius causam sciscitetur, cur in Societate Jesu, hactenus Angelica viguerit castitas, etiam inimicorum & herodoxorum calculo comprobata? eam in studium frequentandæ Eucharistiæ, ejusque cultum referendam dico. Ut auream hîc usurpare possim D. Algerii *e* sententiam: Eucharistiam esse *Sacramentum Societatis Iesu.* Facit huc Seraphicæ Theresæ testimonium, quæ non semel in Ecclesia nostra conspexit, Societatis Religiosos, cùm *f* ad Eucharistiam accederent, *sociari ab Angelis*, pallium interìm pulcherrimum, & locupletissimum obtendentibus super capita ipsorum, ut eos tanquam Regias sponsas hoc cultu condecorarent. Quos inter, quis non eximium Gonzagam exstitisse dixerit, qui tanto hujus cœlestis epulĩ sapore capiebatur, tanto ejus ardore inflammabatur, eique tam jugi meditatione inhærebat, *g* ut Patres Romani, cùm de imagine ejus in tabulâ exprimendâ ageretur, illum ante Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum depingendum censuerint.

Denique ut concludam, Aloysium

a August. l. 83. qq. q. 36.
b Bern serm. 1. de Cœna Dom.
c Cressollii Antholog. decas 1. c. 11. sect. 5. d Cassian, coll. 7. cap. 30.

e Algerius l. 1. c. 3. f Nierenb. de adorat. in Spirit. g Nierenb. in vita §. 8.

loysium Angelum moribus, & vitâ extitisse, ex hactenus dictis in confesso est, ut non injuria Societatis nostræ Generalis Claudius Aquaviva, cùm vitæ historiam, typis mandari approbasset, Juvenem hunc *Angelicum* appellarit; & quod caput est, Venerabilis Congregatio Cardinalium, in processu Congregationis, illum meritissimo *Angeli* titulo insigniendum decrevit. Nec hoc satis.

§. III.

Qua ratione B. Aloysius Angelis major, & excellentior dicendus sit?

SEleucienfis Antistes *a* de Virginibus agens, illas quidem summis Angelis superiores censet, dicens: *Si in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli, efficientur filii Dei; & hi profecto qui Virginitatem servant, ANGELI sunt, qui viventes in carne corruptibili, mortalium vitam illustrando tuentur. Sunt autem ANGELI non ex infimo quovis ordine, sed certe illustrissimi atque nobilissimi.* Atque adeo omnibus etiam supremis intelligentiis homines castos antecellere, recte sermone aureo *b* Antistes Ravennas declaravit: *Semper est Angelis cognata Virginitas: in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Et si vultis scire: Angelicam gloriam acquirere majus est quam habere. Esse ANGELUM felicitatis est, Virginem esse, virtutis*, & certe heroicæ, quæ Athletas suos exercet, & sæpe non sine sanguine comparatur, ac servatur: hac nos Angelis fortiores esse, candido ut solet stilo, S. affirmat *c* Bernard. Epist. 2. *Quid castitate decorius, quæ Angelum de homine facit? differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus; sed felicitate, non virtute sed etsi illius castitas felicior; hujus tamen fortior esse cognoscitur.* Quid? quod alibi ipsos Angelos Virginibus, sibi veluti Prælatis, invidere non obscure insinuet. Ubi enim hanc movisset quæstionem: *Virginitas cui gloria præfertur?* respondet: ANGELICÆ. Et rationẽ subjicit: ANGELUS *habet Virginitatem non carnem; sane felicior, quam fortior. In hac parte optimus, & optabilis ornatus iste, qui & ANGELIS possit esse invidiosus.* Tuam enim Angelus puritatem conservando, nullum meriti, nullum gratiæ, nullum gloriæ accipit incrementum; sed homo castus, per actus singulos in excelsum gratiæ, & gloriæ apicem conscendit. Chrysol. serm. 120. *Homo è terrena vilitate concretus, dum terrenam labem vincit, dum sanguinis stimulos frangit, dum carnis exsuperat passiones, transcendit cœlum, ad ipsam Deitatis pervolat sedem, & sic fit major cœlo, meritis supergreditur* ANGELOS. Nec mirum, cum pro hac animi, corporisque castimonia, multi ad sanguinem decertarint. Atque *d* illud præ cæteris obstupescendum, Aloysium nostrum omnis luctæ, ac certaminis expertem, nullis unquam carnis stimulis vel levissime perstrictum, carnem tamen ne unquam recalcitraret, & sanam ne computresceret, singulis hebdomadis minimum ter flagris

a Basil. de Virg. b Chrysolog. ser. 143.

c Bernard. Epist. 113. ad Sophiam Virg.
d Ceparius l. 1. c. 6.

agris excepisse: ultimis vero nnis, quibus in sæculo versatus est, quotidie; ac tandem intra noctis & diei spatium tertio, usque eo dum se sanguine erfunderet. Quia vero principio, contexto in hunc usum flagello carebat, loris quibus cates alligari solent, aut catena errea se diverberabat. Matri on semel ostensa indusia sanguine imbuta. Faciebat & illud rebro, ut fragmen aliquod tabulæ linteis tegeret, quo durius ubaret. Ne vero interdiu perpetuo dolore corpus vacaret, ro cilio calcaria nudo corpo admota gestabat, & in molem suam carnem ferreos ipsorum radiolos defigebat; non a o consilio, quam quod nollet arnem etiamnum integram, & corruptam, sale condiendam ne computresceret. Aloy! exclamat hic *a* Hispanus rator, plus te catenulis duabus constrictum revereor, uam Angelicæ naturæ æmulaorem. Contemplare, quæso, ngelum descendentem ad Petrum catenis illigatum. Act. 12. ifne esse Angelus, splendore rcumfusus, an Petrus catenis illigatus? respondeo cum Chrysost. hom. 8. in cap. 4. ad Eph. *Hic si mihi quispiam dixisset: Vis esse* ANGELUS *Petrum solvens, an Petrus vinculis constrictus? Petrus utique esse maluissem.* Ita Angeli non semel ad cubile Aloysii viserunt & duplici catenula vinum repererunt, *hic* profiteor genue: *Si mihi diceretur, vis* ANGELUS *Aloysii Custos, an loysius catenulis illigatus?* Aysii vinculis potiri libuisset.

Denique ut multa paucis complectar, incredibilis amor Angelorum est in homines pudicos, ut si magnus Mundi Imperator sineret, subito illos ex hac fæce & colluvione raperent, & secum ducerent ad æternam gloriam perfruendam. Cujus rei species quædam, & imago in Elia fuit, qui quadrigæ igneæ impositus, & in quodam velut castitatis triumpho cœlum invectus. Huc opinor, intuens B. Ephrem *b* exclamat: *O castitatis currus spiritualis, possessorem tuum in sublime evehens!* Quod si quem vestrûm Adolescentes, divinus hic ardor, & cœlestis ambitio teneat, ut consimili triumphali curru sublime feraris, *c imitari non pigeat quem celebrare delectat*; imitari non pigeat cœlestem in terris Angelum, de quo ingeniosus Poëta lusit:

Angele Gonzaga es, si pictas exuis alas;
Si Gonzaga alas induis, ANGELUS ES.

Et vos Angelici, toti Angeli existetis, si castos oculos, castā linguam, castas manus, castas cogitationes habueritis. Huc & vos etiam conjugati conniti, & conscendere potestis, castimoniam conjugalem sectantes, quam inculcat Apostolus Heb. 13. *Honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* & 1. Thess. 4. *Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore.* Atq; ubi 2. Cor. 11. dixit: *Despondi vos uni viro* VIRGINEM CASTAM *exhibere Christo.* Chrysost. *d* ad conjuges ita Virginitatē extēdit, dum ait: *Non solis dicebat*

a Escobar. tom. 5. in Euang. in c. 12. Luc. l. 12. sect. 10. obserr. 9. n. 46. 49.

b S. Ephr. de laude cast. c Aug. ser. 30. de Sanct. d Chrys. ad Heb. 11. hom. 28.

cebat VIRGINIBUS. *sed ad diversam Ecclesiæ plenitudinem loquebatur: anima quippe incorrupta*, VIRGO *est, etiamsi virum habeat*: VIRGO EST VIRGINITATE *vera atque mirabili*.

Quam ut confido suo apud Deum Patrocinio, Angelicus noster juvenis vobis impetrabit, a *si celebrare non pigeat, quem delectare delectat*.

a August. cit.

NATIVITAS

S. JOANNIS BAPTISTÆ

Quis putas puer iste erit? Lucæ I.



ARGUMENTUM.

Fortunate puer. Virg. Eclog. 5.

NIhil parentes magis solicitos habet, quam scire fata suorum: ubi proles in lucem edita, ea primum cura solicitat: *Quis pu-*

tas puer iste erit? potissimum si insitata quædam signa Natalis prognostica antecesserint, aut consecuta sint: quæ cum in Nativitate Joannis, omnino illustria exstiterint, jure meritissimo percunctari juvat: *Quis putas puer iste erit?* qui qualis, quantusque fuerit, ubi omnibus perspectum fecero: quales vestri liberi futuri sint, quem vitæ statum, quem exitum nacturi sint, non ex horoscopo, aut vanâ cœlestium siderum observatione, aut fallaci etiam Physionomiæ scientia, sed certiori conjectura, ex natura, ex moribus, & genio parentum, ac puerorum educatione, vos consequi posse comprobabo. Tum quid momenti in nutrice ponendum sit, exaggerabo: nec levi sanctorum Patrum censura, eas Matres perstringam, quæ nulla, nisi commodi, voluptatis, aut formæ propriæ tuendæ causa, liberos tradunt aliis fœminis inurbanis, sæpe corruptis, ac pravis moribus & humoribus nutriendos. Ex hoc autem quæ, & quanta incommoda subinde orta, & indies oriantur, tragici exitus satis loquentur.

§. I. *Quis putas puer iste erit? è testimoniis sacræ paginæ ac ipsius primæ veritatis oraculo declaratur.*

§. II. *Quis putas puer iste erit? non quærendum ab Astrologis, Magis, Necromanticis, aut Ægyptiacis, nec etiam ex Physionomia.*

§. III. *Certior conjectura, ex natura, genio & ingenio parentum ex nutricibus & puerorum educatione.*

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ

Quis putas puer iste erit? Lucæ I.

JActavit olim antiquitas, jaculandi peritiam, in Alcone Cretensi, nobili sagittario, qui cum filium dormientem ingenti serpente implicitum videret, arcum è vestigio arripit, atque ita sagittam direxit, ut illæso filio, serpentem confixerit. Unde acute Manilius: a

Ars erat esse patrem, vicit natura periclum,
Et pariter puerum somnoque, & morte levavit.

Aliam hodierna die parvulum, Stygius ille serpens, suis spiris involverat, quod ut cœlestis Amazon inaudiit, Alconem arte & affectu materno lōge antecellens, festinavit eripere, & puero innoxio, serpenpentis caput contrivit. Maria inquam, teterrimum originalis noxæ spectrum, quo Joanne

a Valerius Flaccus l. I.

nes miserrime implexus, confecit: *a Hæc siquidem est illa mulier fortis, de cujus fortitudine dictum est diabolo: Ipsa conteret caput tuum: Illud*, inquit *b* Augustinus, *Caput serpentis, quod initium omnis peccati*. Quid quod celeberrimus Ecclesiastes P. Paravicinio, illud *c* Isaiæ: *Posuit me sicut sagittam electam*, Deiparæ applicat. Atque hanc festinationis causam *d* Origenes allegat, dicens: *Festinabat adhuc in ventre Matris, Ioannem positum sanctificare*. Inimicitias ab ipsis Mundi incunabulis posuit Deus inter serpentem & hanc mulierem, quem non modo in se, sed & in prædilecto Joanne triumphavit.

Ars erat hæc Matris.

Exclamat hic Albinus, sermone de Nativitate Virgin. *Tu bellatrix egregia, primo eum, qui primus Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es*, hodieque illustriorem quam ullus unquam de fusis, fugatisque, infinitis hostium myriadibus, de hoste tartareo victoriam reportasti, quam suo mellifluo encomio Bernardus *e* celebrans, ad illa verba: Ipsa *conteret caput tuum*, ait: *Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ?* Adducit idem Doctor S. Victorem adhuc in utero existentem, inferorum spectris terrori fuisse, atque inde illustre *Victoris* nomen obtinuisse: *Miror*, inquit, *f & stupeo, infantulum adhuc in utero, pavori fuisse pavendis Dæmonibus: quippe ab ipsis præcognitum, & jam tunc ex nomine designatum. Nec vacuum nomen, ubi hostium fuga, & extorta confessio victoriam*

a Petr. Blesensis ser. 1. in adv. b Aug. in Psal. 37. c Isa 49. d Orig. hom. 7. in Luc. e Bernard. ser. signum magnum. f Bernard. serm. de S. Vict.

concessit infantulo. Verum enim vero *plus miror & stupeo infantulum adhuc in utero*, unius Virginis ope non terrori dumtaxat fuisse dæmonibus, sed & fugasse, & superasse. Extolle[t] nunc Romanæ scriptor historiæ, *g* inauditum à sæculo festivitatis prodigium: Infante[m] utero matris etiamnum conclusum in Maruccinis disert[e] clamasse: *Io triumphe. Quis putas puer iste erit? h* quam aure[a] infanti huic fortuna? quam fu[sa] vitæ aurea nectenda? quam au[rea] illi sæcula ducenda augu[ramini]? Ast aliam obtrito ta[rtareo] tareo serpente, exultandi ca[u]sam, & exclamandi, *Io triumphe*, hodierna die infans Jo[an]nes per Virginem Matrem n[a]ctus est, ut jure meritissimo l[i]ceat sciscitari: *Quis putas pu[er] iste erit?*

Nulla Mater unquam tan[tum] in unicam prolem affectu fu[it], quanto Dei Mater Nepotulu[m] suum Joannem, ut ex dicen[dis] patebit, complexa est. Ex[i]mium illud sane celebrat M[a]terni amoris exemplum Spo[n]danus: *i* quod a. Christi 1 2[59] accidisse commemorat: [E]rat populo Florentino, donat[us] quidam Leo ferocissimus, q[ui] cum aliquando incuria cust[o]dis, è cavea elapsus per ur[bis] compita, ingenti omnium te[r]rore rugiens pererraret, ar[re]ptum infantem unguibus [te]nuit; quod videns Mater vid[ua], cui unicus erat, dolore [&] præpotenti amore abrepta, leonem insiliens, filium ei e[ri]puit, nihil eos lædente leo[ne]; respexit tantum, & abiit, m[a]jori

g Liv. l. 21. h Raderus in Mart. l. [...] 9. i Spondan. annal. an. 1259. n. [...]

forine belluæ generositate, an fœminæ animositate. *Sed quis putas puer iste erit?* servatus infans, Orlanducius de Leone dictus, jam vir factus, indolem & animos Materno æmulatus, hostes parentis, ac interfectores propria manu jugulavit.

Stygium illud monstrum, quod è sacris paginis serpentem nominamus, Regius Psaltes draconem indigetavit Psal. 73. *Confregit capita draconis*; Princeps Apostolorum, *a Leonem rugientem* nuncupavit, *qui circuit quærens quem devoret*; hujus unguibus, Misericordiæ Mater hodie Joannem eripuit, Leonem contrivit, quidni exclamet: *Io triumphe.*

David inter pueros opiliones puer, animose gloriatur: *Veniebat Leo vel Ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, eruebamque de ore eorum.* Ac tandem subdit: *Leonem & Ursum interfeci ego.* Unde hæc tenellulo vires? unde puero robur, & lacerti? Hipponensis Antistes *b* hic quid divinum observat, dum sic Saulem loquentem inducit: *Intellexit cum videret audentem puerum, aliquid divinitatis in eo esse, nec illum tenera ætate sine divino instinctu, talia posse præsumere.* Quæ rudimenta Saulem in tantam admirationem rapuêre, ut non injuria percunctari potuerit: *Quis putas puer iste erit?*

Nolim hic inducere Herculem, etiamnum in cunis, angues præfocantem, de quo Poëta Tragicus:

> c *Gemina cristati caput*
> *Angues ferebant ora, quos contra obvius*
> *Reptavit infans: lumine ad placido intuens,*
> *Et tumida tenerá guttura elidens manu,*
> *Prælusit hydræ.*

Quis autem, qualisve exinde puer exstiterit, duodecim Herculei labores, miranda totidem invictæ fortitudinis supra humanam argumenta, satis loquuntur.

Joannes, cum teste *d* Luca, miraculum nullum fecerit, perpetuum, inquit *e* Maldonatus, fuit ipse miraculum, angues originalis, & actualis peccati, miraculo inaudito superavit, „*nesciens labem nivei pudoris*, „ quod ab omni peccato immu„nis; miraculo conceptus, mi„raculo clausus adhuc in ute„ro venientem Dominum sen„tiens, & matri suæ demon„strans: miraculo circumcisus, „ mutam patris sui linguam e„volvens, miraculo inter feras „ vitam degens, ipsasque fero„cissimas belluas, mansuefecit. Unde Athanasius Episcopus Nissenus q. 63 *Dracones & aspides, & cerastæ Ioannem in solitudine formidarunt.* Quæ omnia miranda prorsus ac stupenda præsagia, cogunt exclamare: *Quis putas puer iste erit?*

Lucem hic cumprimis præferunt, fausta vel infausta, sub infantis ortum edita prodigia.

Nota est ista Trojanorum fax, quam utero se gestare somniavit Hecuba, dum prægnans, Paridem utero gestaret.

Anno 1361, *f* Norinbergæ natus est Vencеslaus, filius Caroli IV. Imperat. sinistro omine

a 1.Pet.5. b Aug.tom.10. hom.31.ex 50.hom. c Seneca Hercul. furens.

d Luc.1. e Maldonat.in Matth.11. f Petard.festo Nativit.S.Ioan.

ne in lucem editus: nam Mater in partu extincta est. Ædes ubi aqua ad eum baptizandum calefiebat, incendio absumptæ: ipse fontem baptismalem, ut alter Copronymus infecit: *Quis putas puer iste erit?* timendum, inquit Auctor Francus, non fore magnum Imperatorem, *Grand Empereur, mais un tres-grand Empereur de bonnes mœurs.* Sed missis, hoc auspicatissimo die, sinistris prodigiis, festiviora audiamus.

Zoroastes, quo die lucem aspexit, omnium præter morem infantum, in risum solutus est. Puerum Octavianum catena aurea è cœlo, in Capitolium dimitti vidit Tullius. Aureliano quondam Augusto, felix ac bene fortunatum portendisse imperium testantur Annales, quod puerum adhuc in cunis vagientem, Aquila innoxie aureis è cunabulis extulerit, atq; in aram portarit, quæ prope sacellum erat ornatissima. At Joannem nostrum etiam in utero non risisse modo, sed exiliisse; ut hominem cœlo delapsum, atque ipsis è cunis ad Sancta Sanctorum, ad complexum Jesu, ad basia Mariæ translatum, quis satis valeat deprædicare! *Quis putas puer iste erit?* qualem Auditores augurari par est prolem, quam non avium præpes Aquila, sed idem summus ille cœli aliger, mirando prope magis prodigio, quam ipsum Redemptorem, nascituram prænuntiavit: *Salva reverentia Redemptoris* (inquit Cardinalis a Damiani) *digniore præmonstratione Ioannes nuntiatur, quam Christus: Christus fortasse in thalamo, Ioannes in templo; & non solum in templo sed etiam ante Sancta Sanctorum Ioannes ab eodem Archangelo, i[n] loco digniori, tempore sacratior[i] apertiore miraculo prædicatur.* Quæ dum commemoro, video mihi cognatos, & vicinos Za[c]hariæ vosque omnes quæri[...]tantes.

§. I.

QUIS PUTAS PUER IST[E] ERIT? *è testimoniis s[a]cræ paginæ, ac ipsius prim[æ] veritatis oraculo declara[n]tur.*

PRimum quidem, nemo qui[...]quam, prolis indolem ac na[...]turam, magis perspectam ha[...]bere censetur, quam ipsi prog[e]nitores. Te itaque compello Z[a]charia, cujus linguam Spirit[us] S. fecit disertam: *Quis putas pu[er] iste erit?* quid dicis, quid cens[e]s de puero hoc? *Tu puer Proph[eta] Altissimi vocaberis.* Præclarissim[um] hoc parentis vaticinium, for[san] quis elidere conabitur, ipsi[us] filii testimonio, qui interrogat[us] à Judæis: *Propheta es tu?* diser[te] respondit: *Non sum.* Cui obj[e]ctioni occurrit b Augustinu[s] dicens: *Non erat Propheta Ioa[n]nes; major erat quam Prophe[ta] & plusquam Propheta.*

Nostis cur plus quam Pr[o]pheta? rationem reddit Ambr[o]sius; *plus quam Propheta,* quia[...] *quod nulli contingit, nondum e[...]tus prophetavit.* Plusquam Pr[o]pheta, inquit Hieronymus; *Quia non tantum Propheta, [...] & Apostolus.* Quam Apostoli [di]gnitatem, Chrysostomus, O[...]gen[...]

a B. Pet. Damian. ser. 1. in Nativ. S. Ioan.

b Aug. l. 4. in Ioan. c Aug. l. 2. de [...] c. 4. d S. Hieron. ad Gal. 1.

genes aliique apud Suarem *a* Joanni tribuunt. Quid, quod à Chrysologo *b* audiat *vox Apostolorum*, & *silentium Prophetarum*. Aliam causam adfert S. Greg. hom. 3. *Ioannes plus quam Propheta, quia quem verbo dixit, digito ostendit*. Quemque alii in ænigmate, hic facie ad faciem vidit, & exhibuit. Hieron. Epist. 151. ad Algasiam *dicit, eum non solum Prophetam, sed plus esse quam Prophetam, quia quem illi venturi esse dixerint, hic venisse monstravit, dicens: Ecce Agnus Dei.* Ac tandem alteram rationem subnectit: *Præsertim*, inquit, *cum ad privilegium prophetale, Baptistæ accesserit præmium.* Quod & S. Maximus *c* in Joanne miratur, illum supra verticem Domini evectum, eique se Mundi conditorem inclinasse: *Cujus manibus quod nulli est præstitum Prophetarum, baptizandum se Dei filius inclinavit.* Hujus muneris dignitatem, & excellentiam prope divinam, pia secum commentatione expendens Bernardus, *d* in has voces erumpit: *Pavet cælum, stupet terra, Jordanis arridet, mirantur Angeli, Dominum Sabaoth inter manus baptizantis concludi.* Ubi vere mirandum, tres Sanctissimæ Triados personas in Joannis favorem condescendisse quodammodo, seque illi humano more (liceat ita loqui) amice inflexisse, & familiariter inclinasse: *e Nam Pater auditur in voce, filius in flumine, Spiritus Sanctus in Columbæ specie demonstratur: adest Ioannes totius meruit Trinitatis:* Plus dicit *f* Chrysologus: *Totam solus capit, tenet, & complectitur Trinitatem.* Sed quoniam parentum, ac propinquorum testimonium, in jure passim infirmum, ac suspectum censeri consuevit, rursus percunctari libet: *Quis putas puer iste erit?* ex antiquioribus vatem Malachiam, inducentem Dominum sic de Joanne loquentem audiamus: *g Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam*, quod ipsius Christi confirmatum est suffragio Matth. 11. Joannem vero non solum nomine, sed officio, vita, & moribus *Angelum* fuisse attendite. An non Angelus officio, & legatus Dei ad homines ut illos ad Christum adduceret, testante Evangelista: *h Multos filiorum Israel convertet ad Dominum, & ipse præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ, & convertet corda patrum in filios & incredulos ad prudentiam Iustorum, parare Domino plebem perfectã.* Nunquam ad hæc omnia peragenda, velut Angelus cœlitus est missus, cœlitusque edoctus? *Angelus enim non natura, sed officii est nomen.* Possumus & in hoc nos fieri Angeli, & Joan. imitari, ut ostendit *i* Greg. dicens: *Hujus altitudinem nominis* (scilicet Angeli) *etiam vos si vultis, potestis mereri: nam unusquisque vestrûm, in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit, si à pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum Regnum, vel supplicium erranti denuntiat, profecto* ANGELUS *exstitit.* Atque ejusmodi Angelici offi-

a S. . r. 3. p. to. m. 2. disp 24. sect. 5.
b Chrysolog. serm. 127. c S. Maxim. hom. 2. de S. Ioan. d S. Bern. serm. de privil. Ioan. e Damian. ser. de S. Ioan. Bapt. f Chrysolog serm 43.

g Malach. 3. h Lucæ 1. i S. Gregor. hom. 6. in Euang.

cii, vobis omnibus in privatis familiis, in quotidianis congressibus, in conviviis, in navibus, in curribus exercitium quotidie suppetit. *a* An non Angelus vita, & moribus, qui ab Angelis ductus in disertum? *ab ipsis incunabilis*, teste *b* Chrysost. *in eremo semper habitavit, non tecto usus, non lecto: non mensam vel aliquid hujusmodi requisivit; sed* ANGELICA *quadam vitâ, in carne mortali resplenduit. Venit* enim (quod Angelis proprium est) *neque manducans, neque bibens.* Hæc frugalitas, puritatem Angelicam, ac Virginalem continentiam, comitem habuit, & ideo *c quia vita humana possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed* ANGELUS *est existimatus.* Tam veris, tam vivis coloribus, id est moribus ac motibus Angelum expresserat, ut Hieron. *d* attestante, *quidam* (inter quos Origenes) *Ioannem* ANGELUM INCARNATUM *esse putaverint. Verum,* inquit, *decepti sunt. Non fuit ille natura Angelus; sed fuit Angelus vita, & castitatis eximia puritate: nam in carne prater carnem vivere,* ANGELICA EST VITA; quisquis vestrûm in terris Angelicam vitam ducere satagit, abstinentiam Ioannis, castimoniam Ioannis, quam proxime imitetur, moribus Ioannem referat, & Angelum expresserit.

Qua super re vide, quæ fuse diximus festo B. Aloysij.

Sed ne testimonijs hominum dumtaxat immoremur, unum è supremis illis intelligentiis rogemus: *Quis putas puer iste erit? testimonium e perhibet non quilibet Angelus, sed iste sublimior qui B. Virgini nuntium attulit singulare, & electus est ut nuntiaret militem, qui nuntiare debebat Regem.* Gabriel, inquam, hoc breve, sed excellens de Ioanne tulit elogium *Hic magnus erit coram Domino.*

Coram hominibus Magnus exstitit Alexander, magnus Pompejus, Otho Magnus, Carolus Magnus, Magnus quoque Turca, & magnus Chan indigitantur; alij magni imo maximi fiunt apud homines divitiis, aurea basi innixi, magni potentiâ, magni honoribus quales in aula Hispaniarum Regis, complures magni, *Grandes* dicti, qui Regi adstant tecti. At noster *Archidux novi Testamenti* (ut eum S. Cyrillus *f* appellat) summi ac potentissimi Imperatoris (cujus regni non erit finis) Grandis declaratur. Quare *laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.* Multi magni coram servis & subditis suis non *coram Domino.* Multi magni in oculis suis, parvi in oculis *Domini*, unico, quod vere magnos facit, fundamento virtutis destituti. Si quis veræ magnitudinis mensuram scire desiderat, Bernardum consulat serm. 27. in Cant. *Quantitas cujusque anima, æstimetur de mensura charitatis quam habet ut verbi gratia, qua multum habet charitatis, magna sit, qua parum, parva; qua vero nihil, nihil dicente Apostolo* 1. Cor. 3. *Si charitatem non habuero, nihil sum.*

Huju

a Nice; h. hist. l. 1. c. 24. b Chrysost hom. 10. in Matth. Matth. 11. c Ambro. lib. de Elia & jejunio. d Hieron, in Aggæum c. 3.

e B. Pet. Damian. serm. in Nativ. S. Ioan. f Cyrill. in Catechesi.

Hujus magnitudinis omnes vos a beata quadam superbiâ ambitiosos esse pervelim; ut omnes viri vere magni sed *coram Domino* existere possitis; qualis vero hæc magnitudo sit, divino stylo Mediolanensis Antistes *b* expressit, dicens: Non *Corporis, sed animi magnitudinē declaravit.*

Est coram Domino, magnitudo animæ, magnitudo virtutis. Est etiam parvitas animæ, & pueritia virtutis. Pusillus est, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse progressum. Vir MAGNUS *iste dicitur, qui caret errore pueritiæ.* Varijs titulis vere magni exstitere, Iob *c* à facultatibus, & fortunis suis VIR MAGNUS habitus est: *Fuit possessio ejus, septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingenta Asinæ, ac familia multa nimis.* Dum tandem addit Scriptura: *Eratque* VIR ILLE MAGNUS *inter omnes Orientales.* Quia amicitia, & gratia Mardochæus *d* valebat in aula Assueri VIR MAGNUS *& inter primos aulæ Regis* habitus est. Ob generis splendorem Azarias, MAGNUS à Tobia nuncupatus est. *Ego sum Azarias Ananiæ Magni filius*, & respondit Tobias: *Ex* MAGNO GENERE *es tu.* Exodi. 11. Moyses ob stupenda prodigia, & signa mirabilia quæ patravit, omnibus admirationi, *fuitque Moyses* VIR MAGNUS *in terra Ægypti* Qui omnes in terris *viri Magni*, & ex parte tantum exstitere. Iob vir Magnus in Oriente, Mardochæus Vir magnus in aula Regis Persarum, Ananias vir magnus inter Iudæos, Moyses vir Magnus Ægypto: At ut quis vere *vir Magnus* sit, ut quis *magnus* sit non in terris, sed *in regno cælorum*, ut sit magnus *coram Domino*, quæ magnitudo *e non corporis, sed animæ & magnitudo virtutis est*, ut charitate magnus sit, castitate magnus, mansuetudine magnus, Eleemosyna magnus omni denique virtute magnus sit, spectare debet. Ubi hoc quam maxime deplorandum est, cum omni in re homines magni esse satagant, magna sperent, ad magna anhelent & contendant, in virtute sola pueros, ac pusillos existere. Stulti porro mortales, Magnitudinem à basi aurea, à cumulis argenteis, quibus innixi, à vanis titulis, & honorum gradibus quibus insistunt, metiuntur quasi gigas non magnus etiam in valle sit.

O vani filij hominum, qui magnitudinem hic fictam, & falsam, per mille discrimina & mortes sectamini, ut sua auctoritate, & magni Pompei illustrat exemplo, sapientissimus *f* Seneca his verbis: *Nec Cneo quidē Pompeio, externa inire bella, aut domestica, virtus, aut ratio suadebat, sed* INSANUS AMORE MAGNITUDINIS FALSÆ, *modo in Hispaniam & Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur causæ ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septentrionem? quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi: cum sibi uni* PARUM MAGNUS VIDERETUR. ubi expende, quanto cum acumine dicatur Pompejus: *Insanus*

a Pet. Damian. ad Americum Imperat. b Ambr. l. 1. in Luc. c. 1. c Iob. 1. d Esth. c. 2.

e Amb. cit. f Seneca epist. 95.

AMORE MAGNITUDINIS FALSÆ; profectò falsa est ea magnitudo, quam tanto amore homines prosequuntur; ac tanta molitus est Pompejus, *cum sibi uni,* PARUM MAGNUS *videretur.*

Istiusmodi merito ridet *a* Romanus Philosophus: *Nemo istorum quos divitiæ, honoresque in altiore fastigio ponunt,* MAGNUS EST. *Quare ergo* MAGNUS *videtur; cum basi illum sua metiris. Colossus* MAGNITUDINEM *suam servabit, etiamsi steterit in puteo.*

Nunc quam non falso, sed vere magnus Joannes fuerit, videamus. Quo super argumento, non hominum, non Angelorum, sed increatæ sapientiæ, ac primæ veritatis consulendum est oraculum, ipsum Dei filium interrogemus: *Quis putas puer iste erit?* Hunc audite: *inter natos mulierum* inquit, *non surrexit* MAIOR *Ioanne Baptista.* Alexander ille Magnus, felicem appellavit Achillem (inquit *b* Hieronymus) quod Homerum laudum suarum haberet præconem; At nos meliori jure, Joannem felicissimum nominabimus; quod non unum Homerum, sed plurimos illo præstantiores præcones, imo ipsum virtutum suarum Deum habuerit laudatorem. Quod egregie deducit Abbas *c* Guarricus: *Salomon,* ait, *laudent te labia proximi tui; sed quam felicius & gloriosius, cum laudant quempiam labia Dei sui: Deus quippe nec falli potest, nec adulari:* Ac paulò post subdit: *Indubitabile eximiæ virtutis, & magnæ perfectionis est indicium, quoties hominem adhuc corruptioni subditum, sua suffragio laudis illud irrefragabile Dei dignatur judicium.* Non possum quin hic exclamem cum *d* Ruperto: *O magnum præconium! O magnum & fidele testimonium ore veritatis depromptum!* laudatur fides Abrahæ, obedientia Isaac, Patientia Jobi, Castitas Josephi, mansuetudo Moysis, pietas Samuelis, Eliæ zelus, sanctitas Davidis; At ubi de Joanne sermo est, *præcellit cunctis* (inquit Ambrosius) *eminet universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis ex muliere est, inferior est Ioanne,* non surrexit major gratia, non surrexit major castimonia, non surrexit major corporis austeritate, non surrexit major animi modestia, *e non surrexit major Virtutum sublimitate.* Sunt qui prædilectum Christi discipulum Joannem Euangelistam, Baptistæ *f* conferant atque hos inter parallelas edidere sed hunc alteri antistare, atque ipsi Apostolorum principi, Claravallensis doctor *g* adstruere, videtur, dicens: *Non opponas mihi Euangelistam ceteris discipulis magis dilectum, non Apostolorum principem, nec Apostolicus splendor, audeat occurrere præcursori.* Magna quidem laus, magna dignitas: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Magnum Christi jam morientis, in Euangelistam, amoris testimonium: *Mulier Ecce filius tuus*, Habuit & Nathanael, & Centurio, & Magdalena, Verbum Patris, Mundi Redemptorē encomiasten;

a Seneca Epist 76. b Hieron. in vita Hilarion. c Guarricus serm. 3. in Nativit. S. Ioan.

d Rupert. in Ioan. l. 1. c. 1. e Cyrill. l. 2. Thesaur. c. 4. f Rhodericius de utroque Ioanne. g S. Bern. de privil. S. Ioan. Bapt.

ſten;ſed illud: quo *non ſurrexit major*, omnium aliorum merita tranſcendit, omnemq; gloriam quodammodo obſcuravit. *Eleventur omnes*, inquit Petrus Damiani, *& meritorum prærogativis ante conſiſtorium Majeſtatis exultent, non erit tamen, qui ad Ioannis Baptiſtæ privilegium audeat aſpirare. Unus eſt. ſecundum non habet, qui choris interextus Angelicis, ſublimioris coronæ titulis, Univerſitatis humanæ tranſcendit aſcenſum*, atq; ut hunc ſummum (Unam ſi Deiparam exceperis) in cœlo cognoſcatis, addit *a* Arelatenſis Antiſtes; *cui nullum propoſuit in præconio Chriſtus, an ullum ei prælaturus, eſt in præmio?* Hæc paucis complexus, *b* Auguſt. *quiſquis Ioanne plus eſt, non tantum homo, ſed Deus eſt*. Quod veſtrum nemini mirum, nedum nimium exiſtimabitur, ſi attenderitis tãta Joannem gratia, tanta vitæ ſanctimonia excelluiſſe, ut Meſſias; & ipſe Dei filius habitus ſit. Auguſt. ſer. 21. de SS. *tanta in illo excellentia erat, ut ipſe putatus ſit Chriſtus*, & cum tantus fuerit Joannes, atque tantâ apud homines in veneratione, id maxime mirandum occurrit, virum hunc tam mirabilem, nullum patraſſe miraculum, Euangeliſta teſtante *Ioannes quidem fecit ſignum nullum*. Joan. 10. *c Non Dæmonia fugavit, non expulit febrem, non cæcos illuminavit, non mortuos ſuſcitavit, non tot millia hominum de quinque vel ſeptem panibus pavit: non ſupra mare ambulavit, non ventis & fluctibus imperavit, nihil horum fecit Ioannes.* Quod quam in commendationem Joannis, ejuſque ſummam excellentiam ceſſerit, ex eo colligere eſt, quod tanta, tamq; ſtupenda ſanctitatis famâ & virtutum ſplendore apud homines valuerit, ut ſine ullis ſignis, & miraculis, eum Meſſiam agnoverint. Toletus Cardinalis: *d* Hæc magnitudo in Joanne reperitur, & quidem mira: quia ad hanc magnitudinem „ pervenit ſine miraculis, quæ „ nulla fecit; ſed vitæ ſanctitate „ & ſplendore, quod fieri non „ poſſet, niſi ejus vivendi, præ„ ſtantiſſima, planéque admira„ bilis omnibus, vita fuiſſet.

Adeo ut ſi ſigna & miracula acceſſiſſent, timendum, ne totus Mundus, in errorem idololatriæ incidiſſet, *e* Joannem pro Chriſto adorando, quam rationem Salmeron gravis auctor obſervaſſe videtur to. 2. tract. 22. in illa verba: *non erat ille lux*; „ Joannes, inquit, *nullum ſignum* „ *fecit*: nam ſi ſigna edidiſſet, „ magis de Chriſto dubitaſſent, „ & majorem procul dubio re„ futandi Jeſum, & Joannem „ in Meſſiam accipiendi, ha„ buiſſent occaſionem, nam ci„ tra etiam nulla miracula, ita firmiter Judæi illum Meſſiam eſſe in animam induxerãt, ut iſti opinioni immortui fuiſſent, niſi, Joannes apertè ſe Chriſtum eſſe negaſſet, Joan. 1. *Confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus. Elias es tu? & dixit, non ſum. Propheta es tu? & reſpondit, Non.* Ubi ad propoſitum ſolerter *f* Auguſtin. *Potuit credi Chriſtus, imo ab eis, qui ejus magnitudinis gratiâ fallebantur, credebatur Chriſtus, & in illo morerentur, niſi ab illo confitente corriga-*

a S. Hilarius. Eckius hom. 6 de S. Ioan. sit hanc com DD. Sentent. *b* Aug. ferm. 4. de S. Ioan. vel. 23. de SS. *c* Auguſt. tract. 48. in Ioan.

d Tolet. in Luc. c. 1. annot. 21. *e* Rodericius de utroque Ioanne pag. 473. *f* Auguſt. ſerm. 23 de Sanctis.

rigerentur. Tandem ut & nos exemplo Joannis magni esse valeamus, modum & methodũ disquiramus, quo Joannis tantus evaserit, ut inter natos mulierũ major non surrexerit. Noster Salmero *a* imprimis, non alios ad hanc sublimitatem, quam profundissimæ humilitatis gradus assignat: dum populo existimante, quod ipse esset Christus recusavit, tantum honorem; ob hoc humilitatis me-„ritum, à Domino pronuntia-„tum est: *Non surrexit major* „*Ioanne Baptista*.

A castro in parte hyemali fol 71. festivum quid refert; Imperatorem fingit curasse statuam S. Joannis sedentis tantæ altitudinis, ut vertice fornicem pertingeret, subjecto lemmate: *Non surrexit major Ioanne Baptista*; cumque unus è proceribus ridendo diceret, si assurgat, totum templum destruendum, respondit Imperator, nullum inde metuendum periculum, certo confisus de humilitate Joannis, qui hoc major quod non surrexit, eo quippe altitudinis per humilitatem conscendit, quam omnium virtutum maximam nuncupavit, *b* dicens: *Hæc utique illa* MAGNITUDO *Ioannis fuit, qua inter magnos tam* MAGNUS *excrevit: qua videlicet virtutes suas* MAGNUS *& innumeras, quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtute humilitate cumulavit*. Apposite in Argumentum summæ sublimitatis adducit Chrysologus, *c* quod se indignum duxerit, qui solveret corrigiam calceamenti: *Manum*, inquit, *quam calceamento dicit indignam, super caput suum Christus attraxit*.

Quicunque veræ gloriæ cupidus, quem summi honoris *d* laudisque immensa cupido exagitat; quicunq; MAGNUS *esse vis, à minimo incipe, cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis*.

Æterna lege sancitum est, ut omnis qui se humilliat, exaltetur, quod consimili prope modo Basilius *e* fieri asserit, ut si in statera alteram lancem depresseris, altera eleveturnecesse sit. Nummo aureo justum pretium est, si bilanci impositus descendat, si enim *f se pondere prodit*; at si ascenderit, ut scrupis aliquot levior, reprobatur. cui similes hodierna die omnes illi levi corde, levi capite, levi oculo, levi pede, qui *g in levitate ambulant*, quanto quisque magis depresserit, hoc altius extolletur. Celsitudinis origo vera, & prima, humilitas est. Proinde recte Augustinus *h* dixerit: *Mensura humilitatis cujusque in mensuram ipsius magnitudinis data est*.

Unum, ut ad Joannem revertamur, dixisse sufficiat, manum illam *quam calceamento dixit indignam*, Deum prodigiosa virtute exaltasse: Sebaste (civitas diurno itinere Hierosolymis distans) ubi præcursoris corpus humatum dicitur, Lucas Euangelista, dexteram ex Prophetæ corpore manu detraxit, secumque Antiochiam depo-

a Salmeron. tom 7. tract 22 n. 10.
b Guerricus serm. 3 in Nativ. Ioan.
c Chrysolog. serm. 38.

d Aug. serm. 10. de verbis Dom. e Basil. in illud. Attende tibi. f Virg. Georg. g Tob. 3 h August de sanct. Virg. c. 31. i Metaphrastes 29 Aug. Raderus in viridario sanctorum translatio dexteræ S. Ioan. Baptist.

eportavit, ubi plurima desi-navit miracula inter quæ dra-o erat, in finibus illis laritans, uem cives Deum arbitrati, uotannis stato die, immola-ione hominis, per Græcani-am sortem delecti, veneraban-ur. Accidit progressu tempo-is, ut sors super Virginem hristianam ceciderit, ut dra-oni objiceretur, cui tam im-ani sacrilegio, ac barbaræ anienæ, ut parens filiam eripe-et, pium, ut rebatur, sed audax acinus comminiscitur. Impetrat otestatem colendæ sanctæ præ-ursoris manus, quam dum ex-sculatur, clam dentibus polli-em morsu avellit, desiderato-ue pignore potitur, templo e-reditur, dieque sacrificii de-inato, populo frequentissimo ffuso, filiam sistit, proximus-ue jam draconi, ubi illum a-erto rictu hiantem vidit, ho-iamque anhelantem, sacrum lum digitum, in medias hian-s fauces conjicit; quo illo bo-repente interemptus con-idit. Populus insoliti facti ortento attonitus, persolutis eo, & Dei prodromo Joanni ratiis, magnificentissimam æ-em, in qua digitus reconditus, is sumptibus exædificavit.

Dicitur Episcopus die sacro xaltationi S. Crucis, veneran-am hanc manum spectante opulo sublimem tollere, eam-ue dum tollitur, subinde ex-licari, subinde contrahi: atque er explicatam quidem ma-um, frugum ubertatem por-endi; contractione vero, anno-æ caritatem denuntiari. En uanto manus in honore, quan-in veneratione, manus illa oannis humilitatis, quanta vir-te, potentia, manus illa con-decorata est! Ita & alio quoq;

a *Exultabunt ossa humiliata.*

b *Amplectamur itaq; humilitatem, si sublimes fieri desideramus.* Hæc enim unica ad supremos, ad divinos honores via est. Quia Elias popularem auram aversatus est, igneo curru hominum oculis subductus, in cœlum evectus est. Quis autem hic radiosus, ac triumphalis currus fuerit, aureo ore Chrysost. pronuntiavit, qui ad consimilem ascensum quemque vestrûm hortatur, dicens: c *Sedeto in curru* HUMILITATIS, *qui te in cœlum sustollet, qui equos habet alatos.* Ita enim vero sese res habet, teste d Propheta, *qui* HUMILIATUS *fuerit, erit in gloria.* Ut ex composito fuse diximus, & deduximus p. 2. Lucis Euang. Dom. x. post Pentec.

Nunc ad vos parentes me converto, quibus quam primum proles in lucem edita est, omnium sollicitudo, omnium exspectatio, omnium saltem tacita interrogatio est: *Quis putas puer iste erit* quid felicitatis, quid fortunæ, quid ominis boni, vel mali, capiti ipsius immineat? quo genio, quo ingenio, quibus moribus futurus? quibus occupationibus, studiis, scientiis se maximè, daturus sit? Ad quæ munia, officia, gradus, dignitates deventurus? quem vitæ statum, secularem an Ecclesiasticum electurus? an divitem an pauperem ducturus, nullam vel numerosam prolem habiturus? quem tandem finem & exitum ex hac vitâ ad immortalem (quæ rei summa est) nacturus sit? Hæc & similia, prænoscere, præscire, omnium

a Psalm 50. b Chrysost. hom 66. in C. 20 Matth. c Chrys. Rh. or 29. in Epist. 1. ad Cor. d Iob 22.

& patrum, & Matrum avidissima propensio est.

§. II.

QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT? *Non quærendum ab Astrologis, Magis, Necromanticis, aut Ægyptiacis, nec etiam ex Physionomicis.*

MOs fuit antiquis, nascentium Principum partus curiosius inspicere, & ex natalibus conjicere, quid cuique fata servarent, ad quid destinarent. Quid consulta dicam oracula, quid ab Orco quæsita mendacia? quid adhibita tempestatum, dierum, horarum examina? partus ne contigisset amœno vere, an rigida hyeme: Kalendis, an Idibus? die Jovi, vel Palladi sacra? sub quo sideris aspectu, & cœli situ? infinitæ fuere artes divinandi, sed totidem quoque fallendi, atque ut cessit ars in lucrum, nullus inveniendi, ac mentiendi finis fuit. Unde Picus Mirandula qui hanc materiam erudite tractavit & discussit, scribit multorum annorum prædictiones se observasse, & septem dumtaxat, intra centum & triginta dies, veras deprehendisse. Aulus Gellius *a* quoque affirmare non dubitavit: vera ab Astronomis prædicta, non esse millesimam partem mendaciorum, quæ quotidie effutiunt.

Itaque sæpe deprehensum, ait Caussinus *b* de Domo Dei, eos qui benignas quatuor planetas, in domibus & exaltationibus haberent, fuisse admodum infelices: quique Jovem in casu, & in domo cadente nacti sunt, omnes felicitate transcendisse. Ex quo patet, domos istas ficticias, nullo fundamento in aëre nixas. In exemplum hominem adducit, qui dum momenta maritalis commercii, sedulus à Genethliaco inquirit, Cupidines ut ipse arbitratur genituros, edidit monstra.

Non in hoc cõditæ sunt stellæ ab æterno rerum factore. Non est hæc astrorum sapientia; at insipientum decipula, solicitudo crucians, & mera ffallacia, ut scite dixerit *c* Cato; *Mirari se quod non rideret aruspex, aruspicem cum videret:* quota enim res evenit prædicta ab hiis? aut si evenerit quidpiam, cur non casu, cur non ex aliis causis occultis, id evenerit? quis porro est qui dies & noctes tesseras versans, aliquando non senionem jaciat. perperam itaque & impie eventus humani, & animi motus ad astra referuntur. Manifeste augurum falsitatem arguit, dum prædicere audeant Joannem V. Gi. fore Pontificem, quod ex omnium Cardinalium pendet voluntate. Unde non satis est nosse compositionem stellarum, sub quibus Joannes natus est, sed quæ in cœlo constellatio sub singulis Cardinalibus, ac singulorum Horoscopum.

Pererius in Genesim l. 2. c. 3. v. 14. falsas docet cœlestium signorum influentias in ipsis geminis, qui aliquando inter se maximè dissimiles: hic mas, ille fœmina. Cicero de divinatione, Proclum & Euristhenem Rege

a Aul. Gellius l. 4. b Caussin. de domo Dei l. 3. c. 14.

c Cicero l. 2. de divin.

Reges Lacedæmoniorum, fratresque geminos commemorat; quorum tamen exitus vitæ dissimilis, & gloria rerum gestarum dispar fuit. Luculenter Augustinus *a* de geminis sic argumentatur: *Qui fit, quod nihil unquam dicere potuerunt, cur in vita geminorum in actionibus. in eventis professionibus, artibus, honoribus, ceterisque rebus, ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tanta diversitas, ut similiores eis, sint multi extranei, quam ipsi inter se gemini, per exiguum temporis intervallum in nascendo separati.* Quam doctrinam suam, ipse oculatus testis confirmat, *b* dicens: *Novimus geminos diversi sexus, & ambo adhuc vivunt. Iste in officio Comitis militat, & à sua domo pæne semper peregrinatur: illa de solo patrio, & de jure proprio non recedit, insuper quod incredibilius, si astralia fata credantur, non autem mirum si voluntates hominum, & Dei munera cogitentur, ille conjugatus, ille Virgo sacra est, ille numerosam prolem genuit, illa nec nupsit.* Quid quod omnium Romanorum, qui Cannensi clade quam plurimi cæsi sunt ab Hannibale, & omnium Turcarum qui in pugna navali sub Joanne Austriaco periere, idem vitæ exitus & interitus fuerit; quis autem existimet omnes sub eodem cæli, siderumque aspectu fuisse genitos?

Scio geminos, ex diversis diversarum nationum parentibus, casu quandoque, atque ex iisdem parentibus non ex siderum influxu, sed ex simili temperamento simillimos prognatos. *b Nam Cicero dicit Hippocratem nobilissimum Medicū scriptum reliquisse, quosdam fratres cum simul ægrotare cœpissent, & eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminos suspicatum Quos Posidonius Stoicus, multum Astrologiæ deditus, eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos, solebat asserere Ita quod Medicus pertinere credebat, ad simillimam temperiem valetudinis, hoc Astrologus ad vim constitutionemque siderum.* Addit Alex. in lib. de animalibus, se vidisse, in Germania geminos tantæ conformitatis, ut dignosci non possent, qui ægre à se mutuo separabantur, & ab invicem avelli ægerrimè ferebant. Uno in ægritudinem incidente, & alter ægrotabat, illo convalescente & alter convalescebat. Unde? non ex astris, sed ex consimili temperie; hi tamen provectiores, non ideo simile studium, similem vivendi modum & statum complexi, non eundem exitum sortiti sunt. Quemadmodum ovum quidem ovo simillimum est, nihilominus ex hoc albus, ex illo frequenter niger pullus excluditur. Quare toto cælo aberrare docet *d* Hipponensis Antistes, qui in his ad horoscopos confugiunt: *Nos novimus,* inquit, *geminos non solum actus. & peregrinationes habere diversas; verum etiam dispares ægritudines perpeti. Si tamen celeriter alter post alterum nascitur, ut eadem pars horoscopi maneat, cuncta paria quæro, quæ in multis possunt geminis inveniri;* sed summa sæpe in vita, moribus, in omnibus disparitas, ut clarissime patet in

a Aug l. 5. de civit. c.1 b Aug. l. 5. de civit. c.6. c Aug. l. 5. de civit. c. 2.

d Aug. l. 5. de civit. c.2

in Iacob, & Esau; *Nati sunt duo gemini*, inquit, *a antiqua patrum memoria, ut de insignibus loquar; sic alter post alterum, ut posterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum vita fuerunt, moribusque diversitas, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia. Vnus duxit mercenariam servitutem, alius non servivit, Vnus à matre diligebatur, alius non diligebatur: unus honorem qui Magnus apud eos habebatur amisit, alter adeptus est. Quid de uxoribus, quid de filiis, quid de rebus, quanta diversitas?*

Quare istiusmodi Astrologi, augures, chiromantici omnes damnandi, atque execrandi sunt, ut recte *b* Phavorinus demonstrat; aut enim adversa eventura dicunt, aut prospera: „ si dicunt prospera & fallunt, „ miser fies, frustra exspectan- „ do; si adversa dicunt, & men- „ tiuntur, miser fies frustra ti- „ mendo; si vera respondent, ea- „ que sunt non prospera, jam „ inde ex animo miser fies, an- „ tequā è fato fias: si felicia pro- „ mittunt, eaq; eventura sunt, „ tum plane duo erunt incom- „ moda: & exspectatio te sus- „ pensum fatigabit, & futurum „ gaudii fructum, spes tibi jam „ defloraverit. nullo igitur pa- „ cto utendum est istiusmodi „ hominibus, res futuras præ- „ sagientibus.

Alia sidera spectando, aliæ influentiæ è cælo exspectandæ. Adstruant Astrologi ad felicissimum alicujus natalem duo cōcurrere, sidus propitium, & domum in qua dominatur, fortunatam. Ex utroq; auspicatissimum Joannis ortum duxero, ex *Sole*, & *ex Virgine*, in qua velut in domo sua tunc erat, sub quo sidere, & signo magno, quod hodie apparuit, divino quodam afflatu prævenius puer, teste *c* Bernardo exultat: *Quid mirum si miratur puer, & exultat, à tactu tam proxima Divinitatis, & afflatu?* S. Zeno Veronensis Antistes, ac purpuratus Martyr, *d* dum perillustrem Neophytis Ecclesiæ Horoscopum assignat, ad eundem salubriter contemplādum & de Neophytis vestris, id est filiis fonte baptismatis renatis feliciter augurandum, vos invitat: *Forsitan requiratis & à nobis, qua genitura, quove signo, tam diversos, tam plures, tam dispares, una uno partu vestra vos peperit Mater? sicut parvulis morem geram, sacrique horoscopi pandam tota brevitate secreta. Igitur fratres, genesis talis est vestra: primo vos, qui in se credentem reprobat nullum, non* ARIES *sed agnus excepit, qui vestram nuditatem, velleris sui niveo candore vestivit; qui suum lac beatum, vagitu hiantibus vestris labris indulgenter effudit. Idem non tumidus cervice, non torvus fronte, non minor cornu taurus, sed optimus, dulcis, blandus, ac mitis vos admonet vitulus, ut nulla ullo in opere captantes auguria, ejus sine malitia succedentes jugo, terramque vestræ carnis domando fœcundantes, latam divinorum seminum messem, cælestibus horreis inferatis. Et admonet prosequentibus* GEMINIS, *id est duobus salutare canentibus testamentis, ut principaliter Idololatriā, impudicitiam, avaritiamque fugiatis, quæ est incurabilis* CANCER. LEO *autem* no-

a Aug. l. 5. de civ. c. 4. b Aulus Gell. l. 14. c. 1.

c Bernard. serm. de privileg. Ioan.
d S. Zeno serm. 5. ad Neophyt.

noster, sicut Genesis protestatur, Leonis *est, Catulus, cujus ista pia Sacramenta celebravit, qui ad hoc recubans obdormivit, ut vinceret mortem ad hoc evigilavit, ut beata resurrectionis suæ in nos munus conferret. Quem competenter sequitur* VIRGO, *prænuntians* LIBRAM, *ut nosceremus Dei per filium, qui incarnatus processit, ex Virgine, æquitatem, justitiamque terris illatam, quam qui constanter tenuerit, ac fideliter ministraverit, non dicam* SCORPIONEM: *sed sicut Dominus ait in Evangelio. Omnes omnimo serpentes illæsa planta calcabit. Sed nec ipsum quoque diabolum, qui vere est acerrimus* SAGITTARIUS *formidabit unquã variis atque igneis sagittis armatus, totius humani generis omni momento corda distringens, propter quod hic Paulus Apostolus ait: Induite vos armatura Dei &c. Is enim infelicibus, non nunquam immittis* CAPRICORNUM, *vultu deformem, qui alios amentes, alios furiosos, alios homicidas efficit. Innumerabiles nocendi artes habet, sed has omnes salutari profluens amore, non magno opere noster* AQUARIUS *delere consuevit; quem necessario, uno sequuntur duo* PISCES *in signo, id est duo ex Iudæis & gentilis populi, baptismatis aqua viventes, in unum populum Christi, uno signo signati.*

Quis putas puer iste erit? In promptu magis est physiognomia, quæ ex temperamento conjicitur animi facies, acris in bile, in sanguine amoris & iræ capax. In atra bile patiens, & ingeniosa. In pituita marcens, & dejecta Adjuvat etiam conjecturas exterior forma corporis, nam ut ait a Sapiens: *Ex visu cognoscitur vir, ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, enuntiant de illo.* b Facies ampla segnes arguit, parva pusillanimes, carnosa pigros, macilenta subtiles, rotunda iracundos, valde pilosa feros, nimis alba fœmineos, nimis nigra melancholicos, pallida & exsanguis sæpe perversos. Improbi sunt nonnunquam facie deformi, auribus longis & angustis, oculis vibrantibus, ore parvo, exterius protenso, dentibus caninis longis & exsertis, lingua veloci, collo incurvo Prudentes: corpore sunt parvo, capite paulò majore, in sinciput & occiput propenso, fronte quadrata justæ magnitudinis, pectore lato, manibus longis, oculis magnis & fulgentibus. Ingeniosi carne molli & humida, capite mediocri, pilis mediis, inter duros & molles, facie alba, & subrubicunda, magnis luminibus, voce clara, cruribus non carnosis, statura concinna. Probi; magno naso & bene discreto, facie pulchra, anhelitu temperato, pectore lato, humeris magnis, humidis oculis, aspectu miti. Fortes, erecta cervice, vigilantibus oculis, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, lõgioribus brachiis, ventre modico. Sed quid si fœtus informis, luscus, lippus, simus, varus, strabo abjecta prorsus corporis specie, in lucẽ prodierit: *Quis putas puer iste erit?* An ut abortivus despiciendus, abjiciendus, ceteris liberis forma præstantibus, longe post habendus? minime: uti enim sub sordido palliolo sæpe latet sapientia,

a Eccl. 19. 27.

b Caussin. de regno Dei.

tia, ita non raro sub deformi specie virtus, & ingenium; quo velut natura ipsa, corporis defectum nobiliori dote contexit, ut possit illud Poëtæ a libere jactare:

Si mihi difficilem formam natura negavit,
Ingenio, formæ damna rependo meæ.

Agesilaum Lacedæmoniorum Regem, omnibus virtutibus, & imperandi gratia instructissimum quis mortalium satis collaudarit? eum tamen Plutarchus, claudum, pusillum, facie omnino despicabilem fuisse commemoret.

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

Nemo prudens, vinum ex terso aut polito dolio dijudicarit, nam & vas elegantius quandoque vacuum, aut in vappam degeneravit: despumans vero, & limo oblitum, generoso musto plerumque refertum est. Hoc eventu, satis amœno b Fredericus Imperator verissimum comprobavit. Diverterat forte Imperator à venatione ad ædiculam quandam sacram, ubi presbyterum vidit sacris operantem, vultu, totiusque corporis habitudine admodum informi: Vt peracto sacrificio, se continere non potuerit, quin monstrum hoc, se satis demirari non posse circumstantibus insusurrarit, quod ut presbyter percepit, illud Psaltis ingeniose Imperatori respondit: *Ipse fecit nos, non ipsi nos.* Quo dicto Cæsaris animum occupavit, in aulam assumptus, tantam in gravioribus etiam negotiis tractandis dexteritatem ac prudentiam ostendit, ut in Cancellarium imperij à Cæsare adlectus sit: quare errant gravissime parentes, ac moderatores, qui puellum formosum, crispum, comptulum, quasi ex ovo prodierit, depereunt, fovent, favent, adblandiuntur, huic præ ceteris c *Gallinæ filius Albæ*, Alij vilioris formæ, ut *pulli nati infelicibus ovis* contemptui habentur, ac neglectui sunt. Cum experientia Magistra compertum sit, plus vice simplici, excellens ingenium, judicium acre, ac indolem præclaram in misero corpusculo habitare; contra vero Narcissos, trossulos, lacteos, roseos, delicias parentum, stupidos, obtusos, fungos, ima & perversos, ac intractabiles esse. In putri vagina sæpe chalybeus ensis reconditur, & contra ferrugineus ac plumbeus in gemmea, ut recte d Seneca: *Gladius bonus non cui deauratus, est baltheus, aut vagina gemmis distincta, sed cui ad secandum acies subtilis.* Quare quam vana, quam insana, ex Physionomia conjectura sit, ex illo Tullij manifestum est: *Frons, oculi, vultus persape mentiuntur.*

§. III.

Certior conjectura ex natura, genio & ingenio parentum: ex nutricibus & puerorum educatione.

PRæclare e Cassiodorus, *ex parentum virtutibus prolis indicatur successus: quia bona certa sunt*

a Ovid. b Philipp. Barthol. tract. del consegl. disc. 6 Spondan. in annal.

c Iuven. sat. 13. d Seneca epist. 76. e Cassiod. lib. variar. epist. 13.

sunt quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quæ consuevit, radicibus pullulare. Sapor qui concessus est origini, nisi per accidentia forte fuerit vitiatus nescit rivulis negari. Unde Thucydides *a* ait: Insignis ducis filium non facile degenerare, scilicet *b*

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in Iuvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Solidius forte illud *c* principis Philosophorum; *Verisimile est, meliores esse eos, qui sunt ex melioribus.* Hinc nulla prope, non modo conjectura, sed consequentia certior, quam filios ex parentibus, ac vicissim ex filijs parentes dignoscere, juxta *d* illud: *A fructibus eorum, cognoscetis eos.* Quod dilucide Ecclesiasticus expressit, dicens: *In filijs suis agnoscitur vir.* Unde Proverbium *e* Hebræorum: *Sicut Mater, ita & filia*, quæ illam moribus æmulatur: *peculiaris enim ratio est in filiabus*, inquit Procopius, quia *diutius & crebrius cum Matre conversantur, quam cum patre filij*, & S. Amb. lib. 3. de Virg. *Quid potuit filia de adultera Matre discere, nisi damnum pudoris?*

Hinc acute apud *f* Senecam: cum Clytemnestra adultera diceret Electiæ filiæ:
Quis esse credat Virginem? respondit filia, *natam tuam.*

g Scilicet exspectes ut tradat Mater honestos,
Aut alios mores, quam quos habet; utile porro
Filiolam turpi vetula producere turpem.

Quod aureo suo stylo confirmat *h* Chrysostomus: *Solent plerumque filiolæ ad rationem educationis componi, & mores imitari maternos: Esto filiolæ tuæ, castitatis & modestiæ exemplar.* Esto tu Pater filio tuo, honestatis, probitatis, pietatis, modestiæ, temperantiæ exemplar; maximè quippe liberorum corruptela, sunt vitia parentum, qui si segnes, si lascivi, si iracundi, si temulenti, eadem in filios, quasi per traducem, facilius quam morbos naturæ, dum podagricos, epilepticos, phthisicos, progignunt, diffundere consueverunt. Liber id Salomonico judicio vobis manifestum reddere. Adhæserat in urbe, famoso per ea tempora scorto *i* Germanus Miles, consuetudine prope uxoria; cum tandem illi abeundum fuit: in ejusdem pestis ac sceleris possessionem eadem die invasit Hispanus, & nono vertente mense, muliercula infantulum enixa est, oris pulcherrimi, quem Hispanus pro suo sustulit, atque apud Matrem diligenter educavit. Abierant anni aliquot, cum in urbem revertens Germanus, ad amicam divertit, novâque prole delectatur, inita ratione temporum pro sua complectitur, ac fovet. Rem ut rescivit Hispanus, irasci ac negare se filium alteri concessurum. Ubi domestico convicio controversia expediri non potuit, in jus ad Philippum Archiatrum, urbis Gubernatorem ambulatur. Adhibiti ab eo periti conceptionis, ac fœtuum medici, implicante se lupa incerti abiere. Ille

a Thucyd. l. 1. belli Pelop. b Horat. c Arist. 3. polit. c. 8 d Matth. 7. e Eccl. 11. Corn. hic. f Delrio adagia sacra 910. g Iuven. Sat. 6.

h Chrysost. hom. 10. in Epist. ad Coloss. i P. Rho. variæ virt. hist. l. 4. c. 1.

adesse consequenti luce jubet litigantes, cum puerulo, cui ab aulicis, Philippi jussu affatim oblata sunt bellaria, quæ sitim acuerent; mox prodit Gubernator, puerumque blandiens, interrogat, num libenter bibiturus esset? annuenti duas lagunculas offerri jubet, vini alteram, alteram frigidæ, ut pro arbitrio biberet, nec mora, puero strenuè frigidam hauriente, detestatus degenerem animum, aversatusque, ut sibi congenitam indolem Germanus, ultro causa cessit, magno adstantium plausu, & infinita cum Philippi laude, *Salomon* à suis dictus est. Hoc enim vero infallibile maximè de liberis judicium, quod ex parentum vita & moribus efformatur, nutricibus & educatione deducitur. Hinc si rursus percuncteris: *Quis putas puer iste erit?* Nutricem attende, quæ, qualisve lactaverit. Nutricibus proles sæpe similis, quia eas frequenter præ parentibus amant, juxta illud scitissimum oraculum a Alexandrini: *Aluisse majora interdum habet incitamenta, quam creasse*; Ubi autem major amor datur, & major similitudo; quia hæc causa, & velut Mater amoris est; probe id norat Catonis Majoris uxor, quæ vernas, ac servorum liberos lactabat, ut ita eos suis filiis benevolentiores redderet; unde amoris teneritudo non tam parentis, quam nutricis, in scriptura exprimitur. Oseæ 11. *Ego quasi nutricius Ephraim.* Isai. 66. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Num. 11. *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet* NUTRIX *infantulum.* Nutrices melius suas qualitates, & nativas dispositiones in alumnos, quam parentes in filios transfundunt, quia parentes interventu sanguinis; nutrices interventu lactis, quod est sanguis magis coctus dispositionibus ac spiritibus maternis imbutus: b *Adnata etenim sunt lac & genitura*; idque ex Principum medicorum judicio, Avicenna l. 1. fen. 3. doct. 1. c. 3. *Nutrix secundum mores suos consideratur, quoniam ipsam oportet bonorum morũ, & laudabilium esse, quæ tarde à malis animi passionibus patiatur, sicut ira, tristitiâ, & timore: omnes enim isti corrumpunt complexionem, & permutant, & transeunt in infantem lactatum.* (Quod paucis Galenus c complexus, ait: *Cum lacte, nutrices mores quoque transfundunt.* Quale ergo lac puer haurit, talis & indole & moribus evadit, quod SS. Doctoris, ac cœlestis medici stabilire juvat suffragio: d *Nutrices mores suos, vel bonos, vel malos in pueros quos alunt, cum lacte transmittunt.* Innumera sunt exẽpla, quæ majorem inter nutricem & alumnos, quam inter parentes & filios similitudinem probant, quæ fusè Tiraquell. de Nobil. l. 20. n. 83. Ubi de stirpibus & plantis, ad aliud solum translatis, plura recenset. Hinc est, quod multi natura, ac parentibus mites ac benigni, degenerent in feros ac crudeles. Optime apud Justinum lib. 38. Mithridates arguit Romanos de crudelitate & aviditate lupina, utpote qui referrebant originem ad homines lupæ uberibus

a Clem. Alexan. l. 1. pæd. c. 6. Pontan. Attica Bell. p. 2. c. 17. mira.

b Arist. lib. 4. de generat. c Galen. de tuenda sanit. l. 1. d Salvian. l. 5. de prov.

bus enutritos. Dion Græcus l. 2. de Cæsare, crudelitatem Caligulæ imputat nutrici ejus, quæ papillas sanguine illinere solebat, unde & ipse in eam ferociam evasit, ut jam adultus, sanguinem è Cæsarum cadaveribus stillantem avide lingeret, optabatq; unam cervicem populo Romano, quam uno ictu demeteret. Sic Tiberius potator vini, *Biberius* audiebat. Heliogabalus, Cyrus, feroces, ac cruenti exstitere, quia tales nutrices habuerant. Hinc Tartari nonnulli suos infantes lactant lacte canino, ut evadant feri, pugnaces, rixosi instar canum. De Achille etiam dicitur non lacte, sed bile fuisse alitum, quod iracundiæ nimium indulgeret. ita Homer. Illiad. lib. 16. sicque Dido Regina in Æneam excandescit,

a *Hircaniaque admôrunt ubera tigres.*

quo loco Donatus interpretes, ostendit per alimoniam lactis, mores pueris infundi. Illud inquit b Mendosa noster, testibus oculatissimis, ac locupletissimis accepi virum Religiosum & optimis moribus imbutum, in publico valde moderatum, & modestũ, cum se solum crederet, remotis arbitris in morem capreæ saltare & currere solitum fuisse, nec se continere potuisse quin hanc ludicram saltationem exhiberet. Rogatus, reddidit causam: Capreæ lacte fui educatus. Vide capreæ nutricis naturam, in alumnum suum transfusam. Simillimum est illud apud Justinum lib. ult. de Rege Hispaniarum *Habis* nomine, qui cervæ lacte enutritus, cursu pernicissimos cervos adæquabat. Plutarchus morum Magister, Catonem majorem laudat, quod non tantum, filiorum suorum præceptor ac Magister esse voluerit, sed etiam interesse, quoties nutrix illos fasciis vinciret, aut in cunis exponeret, vel alio quovis modo tractaret. Hanc ob causam Tacitus, Germanorum mores probat, quod quæque Mater infantem suum uberibus alat, nec ancillis aut nutricibus id committat: quippe lac, & spiritus materni, longe magis ingenij & corporis augent incrementa: *Ipsum enim*, inquit Avicenna, *est magis nutriens quod magis simile est substantiæ nutrientium præteritorum, quibus alebatur dum in ventre erat.* Ne vero infantes, quod fieri nonnunquam solet, simul cum nutricis alienæ lacte vitia etiam & mores improbos imbiberent, matres ipsas eadem provida dispensatrix natura, duplici quasi instruxit fonte candidioris sanguinis, unde alimenta suppeterent fœtui. At inertia aut metus formæ an itendæ Matris, non raro in causa est, cur Matres, non absque insigni liberorum detrimento, suo fungi nolint officio, & prolis lactationem committant aliis; quæq; Matris viscera gestarunt in filios, recusent nutricis ubera producere in alumnos, juxta illud Chrysostomi c in parentes, quæ filios suos aliis nutriendos committunt: *Erubescit fieri nutrix, quæ facta est Mater, & pietatis insignia abscindit superbia.* Quod factum non barbarum,

a Virg. l. 4. Æn. b Virid. Mendosæ l. 4. Prov. 7. Caussin. Cour S. lib. 4. jugements des esprits.

c Chrysost. in Psal. 50. hom. 10.

barum, sed plus quam bellui-num, Ecclesiæ *a* Doctores exe-crantur; Ecquis porro ferat, ut indies videmus, præpotentes ac prædivites Dominas, acanthi-des, luscinias, graculos psittacos caniculos summa cura ac dili-gentia enutrire, sinu fovere, adblandiri, complecti; liberos autem rurali fœminæ, aut cor ruptæ fili e alendos exponere? In ejusmodi jure excandescit *b* Clemens Alexandrinus: *Quæ psittacos*, inquit, *& graculos enu-triunt; filios domi natos foris expo-nunt; gallinarum autem pullos excipiunt, & quæ sunt expertia rationis*, ijs præferunt. Unde D. Ambrosius *c* has Matres ipsis feris diriores existimat: nam *cornices*, inquit, *volantes filios co mitatu sedulo prosequuntur; & so-licitæ, ne teneritudine deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tem-pore nutriendi officia non derelin-quunt. At vero fœminæ nostri ge-neris, cito ablactant suos, aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt.* Navarrus cum quibusdam alijs, censet peccatum esse veniale, absque justa causa, vel necessi-tate non lactare prolem; alij non excusant à mortali, pro pter gravia incommoda, quia sæpe contingit infantum cor pora, animosque corrumpi, dum alieno lacte educantur. Corpo-ra quidem non ita vivida fiunt ac nobilia, quia lac sugere compelluntur, naturæ suæ non conforme; sic in naturalibus, si hœdi, ovium lacte alantur, pi-los teneriores gignunt; & agni si lac caprarum sugant, lana existunt duriore, & quisquam miratur, si infantes vestri lac sugant nutricis, ferocis, iracundæ, cholericæ, eos per-vicacis cervicis existere? simili-ter si temulenta sit, si impudica, si improba sit nutrix, eadem vi-tia à prole in lacte imbibi. Pe-culiari Dei providentia, id Ca-tharina Suedica dicitur conse-cuta, ut ab infantia refugerit, & abhorruerit ubera, quæ mu-lier minus pudica admovisset; sed suæ Matris, aliarumque pu-dicarum matronarum libens admittebat. Idem legitur de S. Catharina filia S. Brigittæ, de B. Roberto apud Surium 22. Maij. & 24. Aprilis. Tandem hoc omnes Matres monitum velim, si à liberis suis amari, observari, si similes in natura, & moribus reddere desiderant, cum lacte illis amorem, affe-ctum, benevolentiam, ac indo-lem suam instillare satagant, ne nutricibus committant, quæ suppositiam duntaxat curam adhibeant, unde non leves dif-ficultates, nec parva incommo-da secuta. Hujus rei fidem fa-cit eventus sane insolens qui Lutetiæ Parisiorum, quasi in publico orbis theatro innotuit *d* anno Jubilæi 1626. Vir inter primarios vrbis consiliarios, prolem enutriendam, & lactan-dum commiserat conjugi vi-nitoris cujusdam sui extra ur-bem in agris & vinetis com-moranti; cum de sedulitate, & fidelitate mulieres nihil ambi-geretur, tota ei recentis puellu-læ cura ita concredita est, ut fere curam ipsius parentes vi-derentur ad tempus deponere, & resignare. Contigit autem in-fantulam, nutricis negligentiâ, igni

a V. eleg. Mendosa in lib. reg. l. 1. c 1. n. xxiii. b Clem Alex. l. 3. Pæd. 1. c. 4. c Ambros. l. 5. hexam. c. 18.

d Marchant. Cand'elab. Mystic. tract. 8. lect. 10. prop. 3.

igni propius admotam in facie vitulari, & grave ei, deformemque maculam inuri. Quid faceret illa, quæ parentibus id nunquam esset ausa nuntiare inito consilio cum conjuge suam ipsa prolem, nec ætate, nec facie absimilem, loco alterius supponit, & cum per plures hebdomadas, & forte menses altera visa non foret, credunt parentes sine scrupulo suam esse.

Itaque ætate crescens educatur in urbe, more nobilium, quæ filia rustici erat; quæ filia consiliarii, ignobiliter in agris versatur, & more rustico enutritur. Tandem & illa rustica, secundum nobile genus putatitium, alterius consiliarii filio nobiliter & opulente in matrimonium datur, cum dote correspondente. Altera penes vinitorem commoratur ignobilis. Quid faceret Mater, non Mater? urgetur scrupulis conscientiæ, ob fraudem, & ob damnum legitimæ proli inde exortum. Post multos tandem annos Jubilæo advenientे compuncta, suasu confessarii fraudem detegit illis, quos res ista concernebat. Agnoscitur puella legitima per notam quandam secretam, quam in ortu attulerat, instatur pro recuperanda dote extraneæ data, res apud judicem decernenda defertur. Matrimonium prioris non sine perturbatione est, tanquam in quo error fuerat circa personam, quibus omnibus etiam gravissimis incommodis Mater occurrisset, si lactare non detractasset.

Quod si iterum iterumque de prole recens in lucem edita solicitus sciscitteris: *Quis putas puer iste erit?* talem futurum noveris, qualem per educationem rectam vel perversam effinxeris. Quod antequam pluribus probare aggrediar, fatendum est, præclarioris indolis etiam in puero, passim quædam indicia, & generosæ mentis scintillas abliſtere.

a Cyrus admodum puer, & à coætaneis electus in regem, in ea ætatula & imperio puerili, tam præclara edidit facinora, ut latentem magnitudinem animi, & indolem regiam satis ostenderet. Egregii scilicet naturæ partus, ipse se suopte natu produnt.

Jam olim, ingentes animi, mentisque plane præcelsæ illustre specimen in ipsa infantia Hannibalem præbuisse, scribit *b* Titus Livius: nono ferme ætatis anno cum pater Amilcar perfecto Africano bello in Hispaniam trajecturus sacrificaret, puellus Hannibal altaribus admotus, tactis sacris, jurejurando se obstrinxit: cum primum per ætatem liceret, illaturum se populo Romano cladem, & cum regnatrice tum temporis toto orbe republica, gesturum se perpetuas simultates. Eximium sane futuræ magnanimitatis rudimentum, aut qui tantillus ætate, tanto esset animo. Leunculus simul ac lucem aspicit, suos explorat ungues, & regium velut ostentans animum, præludit pugnæ. Ipsa se pueritia innocenter delegit, & imbellem aut ferocê animum, etiam in prima ætatula juvat observare. Viderant Carthaginenses, Hannonem etiamnum juve-

a Sivedra symb. 1. *b* Livius lib. 1. dec 3.

juvenem, inter homines primum, manu leonem tractare, & metuere cœperunt, ne & ipsos tandem subjugaret, qui ferarum immanitatem domuisset. Omnis natura adhuc doli, aut simulationis expers, seipsam manifestat, atque in fronte, in oculis, in risu, in manibus, aliisque corporis motibus, suos sine fuco prodit affectus. a Bearnæ Legati, facultate sibi facta ab illustrissimo Domino Guilielmo de Moncada, ut alterutrum e duobus ipsius filiis legerent principem, cum unius manus in pugnum clausas; alterius contra explicatas in palmam observassent, hunc pro illo elegerunt, quod liberalitatis, & munificentiæ signum id interpretarentur; nec vano omine ut eventus docuit. Si infans generoso & excelsiori sit animo, ad suas laudes frontem exporrigit, serenat oculos, subridet ore; contra si qua in re vituperetur, tristitiam præ se fert, suffunditur rubor, & oculos dimittit. Si animo infracto, obfirmat vultum, non umbris terretur aut minis. Si liberalis, munuscula respuit, aut prompte largitur iterum aliis. Si appetens vindictæ, fovet iras, nec lachrymis facilè ponit modum, donec sibi satisfiat. Si biliosus, exardescit levi de causa, deprimit supercilia, limis cõtuetur, minitatur pugno. Si benignus, suaviter arridendo, & blandientibus ocellulis sibi conciliat animos. Si Melancholicus, fugit consortia, amat loca sola, nullus est in ejulatu & lachrymis, in risu parcus, fronte ut plurimũ tristiore. Si hilaris, nunc frontem explicat, & grato oculorum obtutu lucem amœnam spargit, nunc eosdem inflectendo, & palpebris suaviter connictantibus, animi serenitatem prodit. Pari modo ceteras quoque virtutes & vitia in exteriori corporis motu, & vultu, cor exhibet, donec cautior ætas, ea contegere noverit. Quid, quod etiam usus parvulorum, ad quos naturæ feruntur impetu, actionum maturiorum signa sunt, & prognostica, ut in ipsis Sanctis videre licuit. b Cum aliquando Thermutis filia Pharaonis, Moysen pumilionem venustissimum, in sinum Pharaonis collocasset, Rex (ut ait Josephus) blande exceptum puerum pectori appressit, & ut filiæ gratificaretur, comiter diadema suum, infantis capiti imposuit. Moyses verò diadema capiti detractum, indignabundus in terram abjecit, ac pedibus conculcavit.

Et tunc animus illi excelsus erat, & hic ad majora gradus, ut Deus Pharaonis posthac audierit. Generosi pectoris indoles, vel in ipso naturæ, & actionum suarum primordio, si quid occurrerit gloriosum, si quid excelsum, si quid divinum, emicat. c S. Vincentius Ferrariensis, & Bernardin. Senẽsis, ut fari poterant, sedilia conscendebant, & ad puerorum cœtus concionabantur. Sic S. Athanasius puer lusitans cum pueris, per ludum Episcopus creatur: ipsi clerum referentes, adducebãt infideles, ut ab Athanasio baptizarentur. Quem ludum Alexand. Archiepiscopus è fenestra conspicatus, puerum hunc aliquãdo magnum

a Pont. Heuter. in Gent. comit. Bearn.

b Iosephus l. 2. antiq. c. 5. c Sanche Royaume de Dieu. l. 5. c. 4. § 4.

gnum futurum præsagiebat. Id ipsum quotidiana experientia compertum, quosdam à teneris totos esse in arulis exstruendis, in icunculis adornandis, in sacris canticulis balbutiendis, quæ non semel manifesta fuere status Ecclesiastici, ac vitæ sanctioris præludia. Edburgæ filiæ adhuc trimulæ sensum investigaturus Pater Eduardus, Rex Angliæ, ex una parte mensæ, monilia, pretiosaq; cimelia; ex altera Sacrum Calicem & Euangeliorum codicem obtulit: illa mundi splendorem mundum torvo vultu despiciens, reptavit ad sacra. Magnum, quæ postea reluxit in matura Virgine, sanctitatis argumentum. Unum addo, & finem impono. *a* S. Carolus Borromæus, à pueritia sapientiæ, & sanctimoniæ futuræ specimẽ dedit: cum enim quodam die in occulto paterni castri cubiculo ageret, inventus est pomũ in diversas partes secare, illasque in ordinem varium distribuere, rogatus verò quid ageret? respondit: *Totus hic eram occupatus in orbe, variis in partes, regionesque dividendo:* Ex quibus verbis puerum ad summa Reip. gubernacula natum, prudenter à peritis observatum est; cumque totus esset in arulis exornandis, ac Ecclesiasticis frequens & assiduus officiis interesset, ea boni ominis signa dedit, ut R. P. Bonaventura Præpositus S. Ambrosii, vir gravis, cum forte præteriret Carolus puer, substiterit, eumque obtutu defixo bene diu intuitus, submissam illi eandem reverentiam exhibuerit, aliisq; circumstantibus id admirantibus dixerit: *Non miraremini, nisi puer hic vos lateret: futurus est ennim aliquando totius Ecclesiæ lumen & columen,* sed quoniam hæc initia pietatis à parentibus, & moderatoribus fovenda sunt, sic & in malis perhaustæ [illegible] restinguendus est. [illegible] hoc moneo, si scire vultis *quis puer iste erit,* dũ in lucem editus est. Hortulanos æmulari juvat, qui teneriores plantulas, quas ante etiam quã è terra protuberent, muniunt sepimentis, ne pede cujusdam opprimi, aut manu effodi possint. E delineatione prima, ultima picturæ pendet perfectio; haud secus bona educatio, ab iis quæ tenerior hauserit ætas, priusquam affectus vires sumãt, & rationis detrectent imperiũ. E glande ingens quercus enascitur: sed sub initium non nisi tenella virgula est, quæ in omnẽ se flecti partem facile patitur; post ubi in durum corticem, & in ramos se effuderit, nulli robori cedit. Affectus in pueritia veneni haud multo sunt absimiles, quod ubi semel ad cordis interiora pervaserit, nullum postea superest remediũ. Virtutes quæ cum ipsa ætate incrementa capiunt, non aliis præstant solum, sed quod mireris, etiam seipsis. E quatuor animalibus alatis, quæ vidit Ezechiel, Aquila ex hoc ipso numero una, omnibus iis quatuor ferebatur sublimior: *b Facies Aquilæ dessuper ipsorum quatuor,* quia ipsa ex primo suo statim ortu alas habere inceperat; alia vero nõ nisi longe post hinc non supra hæc solum, sed supra seipsam etiam eminebat. Id quia non æque omnes ac par est expendunt, hinc fieri reor, inquit, Nobilissimus ac eruditissimus scriptor

a Guissanus in vita.

b Ezech. 1.

Didacus Savedra, quod filios suos bene multi, mox ab incunabulis, muliercularum curæ committere soleant, quæ pro genio sui sexus, parvulorum deinde effœminant animos, aliasque muliebres iis imprimunt affectiones, quibus toti imbelles, meticulosi, molles evadunt, ut enucleate alibi tractabimus.

FESTUM
SS. PETRI ET PAULI
APOSTOLORUM.

Ego confirmavi columnas ejus. Psalm. 74.



His ego nec metas rerum, nec tempora pono. Virg. l. 1. Æneid.

ARGUMENTUM.

OMnes, quas olim antiquitas erexit, aut Roma, vel Ægyptus suspexit columnas, infinitis parasangis, binas hasce Ecclesiæ colu-

ſiæ columnas antecellere comprobabo. Hæ olim per geminas illas portentoſas, ac prodigioſas *ignis*, & *nubis* columnas, adumbratæ, nobis hodie documento erunt, ut divini verbi præcones, Prætores, Præſides, Prælati, Parentes, ſe ſuis quandoque ut columnas ignis, quandoque ut columnas nubis, præbere conentur. Aliæ quoque quas ſapientiſſimus mortalium Salomon, in veſtibulo auguſtiſſimi illius Templi collocavit, *a* quarum una *Iachin*, altera *Boos* nuncupata, Petrum & Paulum: Eccleſiæ Romanæ columnas, ex mente doctiſſimorum virorum deſignarunt. Ut verò & nos in morales columnas effingi, ac efformari poſſimus, has proprietates Hugo Cardinalis *b* obſervavit: ut quis ſit Columna, debet eſſe *firmus per fidem, rectus per æqualitatem, erectus per intentionem, ſublimis per proprietatem*: Quæ ſingula ad mores, enucleate exponemus. Demum ex Petri, aliorumque graviſſimorum lapſu, meritò quemque cum tremore ſalutem operari oſtendemus; quoniam *columnæ cœli contremiſcunt*, ac penitùs collabaſcunt. At ubi geminæ noſtræ columnæ, virtute roboratæ, ex alto, contra omnes Heterodoxorum injurias, & inferorum minas, ſtabiles ac inconcuſſæ permanſere.

a Alcazar. in Apoc. c. 3 v. 12 not. 1. b Hugo Card. In Apoc. c 3. v. 12.

§. I. *Variæ è ſacris paginis figuræ duas has Eccleſiæ columnas deſignant.*
§. II. COLUMNÆ *cœli contremiſcunt.* Job 26.
§. III. *Ego confirmavi* COLUMNAS *ejus.* Pſalm. 74.

FESTUM PRINCIPUM APOSTOLORUM SS. PETRI ET PAULI.

Ego confirmavi columnas ejus. Pſalm. 74.

INter exquiſita Urbis Romanæ opera, & excelſas fabricas, tum ab arte ſpectandas, tum antiquitate & raritate commendandas, potiſſimùm prædicere dicuntur binæ illæ Columnæ, quarum altera Trajano, altera Antonino Imperatoribus erecta, utriuſque victoriis, & triumphis exornatæ, ac cœlatæ: tam illuſtres, ut ſimile quid in orbe non reperias, ſive materiã, ſive artem, ipſamque molem, ac amplitudinem ſpectes: *a* Trajani quippe Columna, centum viginti pedes altitudinis, craſſitudinis tantæ, ut ſex viri expanſis ulnis eam complecti nequirent; intus vero per trochleam, centum octo-

ginta

a Cornel. in Apoc. c. 3. v. 12.

ginta quinque gradibus in culmen ascenditur; ea latitudine, ut plures simul, circumcirca inambulare per cancellos possint.

a *Nec hoc sine numine Divum*, & peculiari Dei providentia factum, ut tam præcelsæ ac excelsæ columnæ, in ipsa religionis arce, ad hodiernum diem asserventur: debebantur enim non tam Trajano, & Antonino, quàm *Petro* & *Paulo*, Ecclesiæ Principibus, qui ut per orbem universum, gloriosissimè, tamen in urbe Romana, orbis domina triumpharunt. Unde jure longè meritissimo eas sanctissimus Dominus Sixtus V. illis consecravit; Columnæ quidem Trajani, statuam *S. Petri*: Antonini verò, statuam *S. Pauli*, utramq; ex aurichalco fusam, eleganti ac spectabili forma imposuit. Hi porrò Apostoli, præstantissimæ orbis Christiani Columnæ erant, ut eas disertè appellat Sanctus Dionysius, *b* in Epist. ad Timoth. de morte Pauli: *Adveniente*, inquit, *terribili tempore consummationis ipsorum, cùm separarentur ab invicem, ligaverunt* COLUMNAS ECCLESIÆ. Et aureo suo stylo Chrysostomus, in Mundi excidio, ubi omnes tyranni dejecti ac prostrati erunt, stabunt hæ Columnæ erectæ, & toti orbi spectabiles; *c Considerate quale spectaculum sit Roma visura in Resurrectione: hinc rapietur Paulus, inde Petrus in occursum Domini. Propterea celebro hanc Urbem, non propter copiam auri: non propter* COLUMNAS, (Trajani, & Antonini) *neque propter aliam phantasiam, sed propter* COLUMNAS ILLAS ECCLESIÆ. His etenim Religio, ac fides nostra firmissimè nititur, ac inconcussa persistit. Petrus & Paulus, inquit *d* Gaudentius, *duo Mundi lumina*, COLUMNÆ FIDEI, *Ecclesiæ fundatores*. Celeberrimæ sunt orbi universo Columnæ Herculeæ, quarum unam Alcides in Mauritaniæ, alteram in Hispaniæ littoribus collocavit, illum monte intermedio sublato, in sinum Hispalensem Oceanum immisit: ultra quas, mortalium nemo, usque ad Caroli V. Imp. tempora navigarat: ipse verò dimissis in Indiam classibus, feliciter excessit, assumptis sibi hisce in symbolum Columnis, adjecto lemmate: PLUS ULTRA. Europæo nostro Alexandro perpetua comes fuit constantia, & animi fortitudo: Quidquid in magno desiderari Principe potest, *e* in Carolo V. reperies: ut meritò *Maximi* nomen Paulus III. PP. illi indiderit. Contra Ottomanicam lunam lunavit arcus: sexcenta Turcorum Chiliades Deus in eum allisit, ut frangeret. Nec hoc satis. PLUS ULTRA. Bis conspectu suo Solimannum ante Viennam, velut præmuntia fulminis luce, sic præstrinxit, ut nunc trecentis, nunc propè sexcentis Turcorum millibus armatum, obsidionem solvere, & fugere compulerit. PLUS ULTRA. Suo, suorumque ductu quadraginta illustres ab hoste victorias reportavit. PLUS ULTRA. Bella & numero, & hostium potentia, ac viribus magna, supra septuaginta, Deo auspice

a Virg. 2. Æneid. b S. Dionys. in Epist. ad Timoth. c Chrysost. hom. 32. in Epist. ad Rom.

d S. Gaudentius in festo SS. Petri & Pauli. e Scriban. Polit. Christ. l. 2. c.

auspice, foortiter suscepit, & feliciter connfecit. PLUS ULTRA. Hujus bellilatrice manu, relatæ manubiæ, a fuere decies octingentas urbbes, & totidem naves spolia: Caastella supra centum millia. PLUS ULTRA. Hunc orbem, in orrbem novum Columnas promoovit, ubi octodecim præliis, ttotidem Reges debellavit, è quuibus Atabalida, ultimus Cusccorum Regum, septuaginta aurreorum milliones intra dies ssseptuaginta appensurum se spooponderat, si libertati restitueeretur. PLUS ULTRA.

Jam annn. 1552. quasi coronidem triuumphis suis imposituus, appetttente hyeme, imporuno temppore, Metim Urbem amplissimaam, ac munitissimam 22. Octobb. tribus castris obsidere cœppit. Numquam ferè tantas coppias eduxisse legitur, in quibus numerati duodecim millia equiitum, præter domesticos ejus, ac Principum famulos: pedituum ad centum millia: fossorum sseptemmillia, tormenta majora centum quatuordecim. Cæsaar 20. Nov. venit in castra: tunnc verò tanta vi urbs oppugnataa est, ut tormentorum horrenda tonitura, ultra viginti duo milliliaria Germanica seu quadraginnta Belgica, *b* audita sint. Invictissimus hactenus Imperatorr, nunquam castris exutus, nnunquam acie, aut prælio victtus, rerum humanarum succeessus, suis finibus ac limitibus, contineri hic didicit: obsidionem enim Metensem solverre coactus est, nec PLUS ULTRRA, victoriæ Columnas ducere valuit: unde quidam acutè, & arguté lusit:

c *Herculeas victor poteras superare* COLUMNAS:
Sisto gradum Metis; hæc tibi meta datur.

Quo factum nonnulli arbitrantur, ut Carolus veritus, ne fortuna *plus ultra*, sed *plus citra* posthac decurreret, Columnas Herculeas in extremo Mundi confinio, in Regni termino, ac vitæ metâ, regno ac mundo excedens, sui nobilissimus victor extenderit, unde non injuria, in exequiis illius, Herculeas Columnas circumlatas referunt, in quas *d* Gordius Poëta:

Iure tibi Herculeas sumpsisti signa COLUMNAS,
Monstrorum domitor, temporis ipse tui.

Ubi ad rem nostram maximè facit, quòd Urbs Metensis, Caroli Columnis metam fixerit: verùm sanctissimis ac solidissimis Ecclesiæ columnis PETRO & PAULO:

e *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.*

Hi semper PLUS ULTRA sine termino, sine limite, sine metâ, in omnem terram extenderunt. De S. Petro ait *f* Leo Pontifex: *Iam populos qui ex circumcisione crediderant, erudieras: jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras:* PLUS ULTRA. *Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleveras:* PLUS ULTRA. *Nec ut dubius de proventu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi, Romanis arci-*

a Spondan. i. in annal a 1552. Surius annales rerum in orbe gest. a. 1552.
b Stradade bello belg. a. 1552.

c Roy des Armes per P. Varenn. pag. 369. d Novarin. Sacra electa tom 5. pag. 76. e Virg. l. 1. AEneid. f S. Leo serm. 1. festo S. Petri & Pauli.

arcibus inferebas. Sunt qui eum in Africam, & Britanniam pervenisse scribunt.

Huic ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Paulus autem, ut testatur ipse ad Romanos cap. 15. ab Hierosymis usque ad Illyricum, per omnes interjacentes Provincias, & ab Illyrico, in Italiam, & Hispaniam peragravit. Chrysostomum *a* audite hom. 4. de laudibus Pauli: *In tantum virtute progressus est, ut vix 30. annorum spatio, Romanos, Persas, & Parthos, & Medos, & Saracenos & omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis.* Porrò quantum corporis passibus, tantum virtutum gressibus *Plus ultra* semper progrediebatur. Has Columnas æmulari studeamus, ut semper PLUS ULTRA, in via perfectionis progredi, cum Apostolo nitamur, qui quamtumvis in sui despicientia, laborum tolerantia, invicta animi patientiâ, virtutum omnium singulari excellentia profecisset, *b non arbitratur se comprehendisse*; sed semper PLUS ULTRA, ad anteriora se extendens. Bernard. *Ibi Christiane fige tu cursus, profectusque tui metam, ubi Christus posuit & suam.* Quibus ne pluribus inhæreamus, & more nostro cœptum prosequamur, vide dicta in *c* Luce Evangelica. Nos interim Apostolos hos, Columnas exstitisse, demonstrare pergimus.

a Chrysost. hom. 1. de laudibus Pauli. b Philipp. 3. v. 13. c Lux Euang. p. 1. Dom. infr. Oct. Nativ.

§. I.

Variæ è sacris paginis figuræ, duas has Ecclesiæ Columnas designant.

EXodi 13. COLUMNA *ignis* per noctem, & COLUMNA *nubis* per diem, Israëliticum populum per Arabiæ deserta, quadraginta annos deduxere: quas proinde non nemo uno symbolo expressas, hac Epigraphe donavit: *d Este Duces.*

Petrus COLUMNA NUBIS per diem; quia Judæos initio Ecclesiæ, Dei cognitionem habentes;

Paulus COLUMNA IGNIS per noctem; quia Gentiles in nocte ignorantiæ oberrantes, ad terram promissionis duxit, rectè indigitantur; *Hi enim duo,* inquit *e* Augustinus, *electi sunt ad duorum populorum salutem: Petrus ad Iudaeorum, Paulus ad gentium.*

Petrus COLUMNA NUBIS, qui velamento, seu umbrâ suâ, febricitantium ardorem, temperabat, & quavis infirmitate affectos, umbrâ sua sanitati restituebat. Atque utinam hodierna die, non corpora, sed animos nostros longa infirmitate dejectos, obumbraret, & febres libidinis, avaritiæ, invidiæ, iracundiæ, umbrâ suâ temperaret!

Petrus COLUMNA NUBIS; quia jugi imbre lachrymarum admissum semel peccatum constanter diluebat. COLUMNA NUBIS; quia suo verbo, & exemplo, innumeros peccatores i

d Virg. 6 AEneid. e August. serm. de SS. Petro & Paulo.

in uberrimum fletum, fecit colliquescere.

Paulus verò COLUMNA IGNIS; quia, ut de eo testatur *a* Chrysostomus; *ignem spirabat, ut nemo ad eum propiùs accedere posset*; qui non solùm divino amore calefieret, sed totus accenderetur. Atque ut penitius *Columnæ* hujus *igneæ* vim, & efficaciam perspiciatis; Paulus, cujus *sermo ut facula*, tot corda pigro gelu torpentia, inflammavit.

Paulus vastissimas scelerum & flagitiorum silvas, ardentissimo zelo incendit, atque consumpsit. Quàm porrò ipse arserit, dum quempiam adverteret, innoxiæ ac innocenti animæ suis verbis, aut factis offendiculo esse, testatur *b* dicens: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* & non totus in flammis abeo? Hoc enimvero Paulum acerrimè urebat, quòd cœlestes flammas, & divinum ignem, à perversis ac protervis hominibus, cerneret velut injectâ frigidâ suffocari.

Paulus COLUMNA IGNIS per noctem, virtutum splendore lucendo, suoque exemplo prælucendo: unde ait, *Imitatores mei estote:* Illud quippe gratissimum ac utilissimum Israëlitis, Columna ignis per noctem præstitit obsequium, quòd obices in quos impingerent, voragines in quas deciderent, pericula quæ incurrerent, luce sua detegeret, rectumque, ac tutum iter, ephebi instar, face sua monstraret. Vos quoque Auctores, oportet esse Duces: in omni familia duæ Columnæ sint, *c quibus domus inclinata recumbit:* Paterfamilias, ut COLUMNA *ignis*; Mater, ut COLUMNA NUBIS, præluceant suis, morum probitate, verborum honestate, integerrimæ vitæ exemplo; non splendore vestium, non inani fastu, non auri fulgore, & opum affluentia, ut ignes fatui; qui, ut Delrio *d* ait, in stagnorum, fluminumque voragines, ac præcipitia deducunt, sed tanquam COLUMNA IGNIS, quæ Israëlitas deduxit per vias tutas, ac securas; nam, ut SS. Concilii *e* Patres: *Integritas præcedentium, salus est subditorum.*

Præluceant suis, ante cubitum preces fundendo, conscientiæ latebras discutiendo, indies sacrum audiendo, quot hebdomadis, ut summum mensibus, sacram Synaxim præ via exhomologesi, frequentando: Dominicis & festis diebus, Dei verbum avidè excipiendo. Ejusmodi exstitere Pipinus, Paula Romana, Elzearius: qui, quàm exemplariter suis præluxerit, ex Regulis quas Domesticis præscripsit, discere potestis. Primò, ut Domestici indies Missæ sacrificio intersint. Secundò, ut vivant castè & purè, qui secus fecerit, domo sua exturbandũ, neque enim quemquam peccato mortali infectum, pane suo vesci volebat. Tertiò, quot hebdomadis peccata confiteantur, & sacram Eucharistiam frequentent. Quartò, abstineant à blasphemiis, perjuriis, verbis lascivis. Quintò, diem ab oratione auspicentur, & omnia opera Deo offerant, nec domi nostræ, otium lo-

V 3 cum

a Chrysost. hom. 25 in 2. ad Corinth. b 2. Cor. 11. c Virg. l. 12. AEneid.

d Delrio in Disquis. Mag l. 2. q. 10.
e Concil. Trident. sess. 6. c. 1.

cum habeat. Sextò, nulli fas sit ludere tesseris, aliove lusu vetito. Septimò, ad pacem, & concordiam fovendam, nemo alium verbo, factove lædat, quin mox cum offenso in gratiam redeat, &c. Atque hæc ut ipse in se eximiè observabat, ita à suis constanter, instar Columnæ, ad ultimum Spiritum exigebat. Quisquis es Paterfamilias, *Columnam ignis* te tuis præbeas, exurendo quidquid lascivum, quidquid lubricum, quidquid vitiosum, nudas tabulas, libros obscœnos, verba turpia, consuetudinem filiorum, filiarum noxiam, divino amoris zelo consumendo. Mater familias sit COLUMNA NUBIS, quæ virum quandoque cholera ac ira æstuantem temperet: liberos, servos, ancillas, quandoque nimis fervidè à viro perstrictos, ac ædibus exturbandos deliniret, & imbrem lachrymarum provocare satagat. Hoc officium utriusque hujus Columnæ esse, docet Gregorius hom. 21. in Euang. *Quid in igne nisi terror? in nube autem ultionis leve blandimentum.*

Talis fœmina merito *a* COLUMNA, & requies viri, ab Ecclesiastico nuncupatur. Denique vos, ô parentes, *este duces*, non ad tabernas, non ad choreas, non ad conversationes lascivas; sed ad Ecclesias, ad cœtus Marianos ad omnem pietatem, Dei, Sanctorumque cultum, ac religionem, S. Gregorius Oratione 20. S. Basilii parentes, qui tales liberis se duces præbuere, SPIRANTES COLUMNAS indigitavit; ut meritò de iis, deque omnibus, qui eorum gesta sectantur, prædicari possit, quod in Regum Principumque atriis laudatur capita columnarum. Istic aurea coruscare, juxta illud Hieronymi: *Auro fulgent laquearia, auro fulgent capita* COLUMNARUM. Quod morali sensu perappositè Chrysostomus *c* exponit, dum capita familiæ, curiæ, Reip. Regni vocat *aureis capitibus* COLUMNAS. Ejusmodi porrò inauratis capitellis longè antecellunt, dum aureos sensus atque divinos in capite gestant, & virtutum splendore corufcant. In sacris Regum Annalibus, dicitur sapientissimus mortalium Salomon, ante templum illud augustissimum collocasse *d* duas ingentes COLUMNAS, quarum una vocabatur *Iachin*, altera *Boos*. Per Salomonem Christus, per templum Ecclesia, per Columnas, Apostoli, & potissimùm, doctissimo interprete Ludovico Alcazar *e* asserente, Apostolorum Principes designantur. *Certè*, inquit, *si quis in eis* COLUMNIS *assereret designari* PETRUM *&* PAULUM, *Ecclesiæ Romanæ* COLUMNAS, *nemini potest ea expositio displicere*. Horum firmitudinem, constantiamque fidei robur, tanto antè in divinis literis sapientissimus Rex Salomon expressit, & velut bono in lumine collocavit: nam cùm duas magnificentissimas illas columnas, & artis vel prodigio affabrè factas, 18. cubitorum in altum porrectas, seu, ut dicitur 2. Paralip. cap. 3. v. 15. 35. cubitorum, quantitatem basis & capitelli supputando, easque in vestibulo temp[li]

a Eccl. 36 v. 26.

b Hieron. Epist. 12. c Chrysost. ho[m.] 10. in Epist. ad Ephes. d L. 3 Reg. c[.] e Alcazar. in Apoc. c. 3. v. 12. notat. [..]

sui erexit, atque a unam *Iachin* Hebraice, id est, *directio seu rectitudo*; alteram *Boos*, id est, *fortitudo*, nuncupavit; quid aliud significare voluit, quàm Magistros Religionis, quos Deus in sanctissimi templi vestibulo constituit, esse vita, moribusque, ut scapi, in cœlum erectos, atque ad tuendam, firmandamque fidem fortissimos: *Iachin* quippe, ut docet Cornelius, repræsentat Doctores, & Rectores Ecclesiæ: hi enim alios docent, & dirigunt in viam virtutis, & salutis. *Booz* significat Martyres, virosque fortes. Unde S. Hieronymus, Beda, Eucherius, Angelomus: COLUMNÆ *sunt Apostoli*, & Doctores; quia contemplatione ad suprema erecti, ac fortes fide & opere: sunt duæ; quia Judæos & gentes fulciunt; sunt ante fores templi, ut utrosque in templum, id est, in cœlum inducant.

Insuper quilibet Sancti in fide eminentes, in adversis constantes, *b Columnæ sunt* æneæ, propter firmitatem in bonis operibus, erectæ per intentionem, altæ per contemplationẽ, striatæ, excavatæ, ac politæ, per mortificationem. Ut & nos columnæ esse possimus, audire juvat S. Gregorium Nissenum hom. 14. in Cant. *Discere convenit, quo pacto quis* COLUMNA *fieri possit, & nos digni hac appellatione fiamus.* Discere convenit quo pacto vos mercatores; vos Senatores, non modò viri, sed & vos infirmæ, ac imbecillæ fœminæ, vos teneri adolescentuli, vos puellulæ, stabiles ac firmæ Columnæ fieri possitis. Ad quod conducet, columnarum proprietates, ac conditiones penitus investigare. Hugo Cardinalis in Apocalyp. c. 3. v. 12. *Ut quis sit* COLUMNA, *debet esse firmus per fidem, rectus per æqualitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem.* Ut & 1. tu Columna sis, esto *firmus fide*, non divina dumtaxat, sed & humanâ; fidem alicui obstrinxisti, secretum spopondisti, opem vel operam condixisti: subsidium, patrocinium, beneficium promisisti: debitum tali die, tali moneta persolvendum adjurâsti, esto *firmus in fide.* Talem nepotẽ, neptem, cognatũ tenuioris fortunæ, amplum legatum: pauperibus illis, isti Religioni summã tot aureorum, testamento conscripsisti, tene illud constanter: Quod *scripsi, scripsi.* Non calumniæ, non leves offensæ, non falsæ suspiciones, cogant immutare; sed *esto firmus in fide.*

2. Columna recta sit, oportet. Si in unam alteramve partem inclinet aut deflectat, brevi ruinam minitatur, eoq; graviore casu in terram corruet, quò graviore & celsiori mole constiterit. Ut tu Causidice, tu Senator, Judex, Prætor, Præses, Columna sis, debes esse *rectus per æqualitatem*; non odio aut amore, aliove affectu, in unam vel alteram partem propendere: nullis promissis muneribus à rectitudine deflectas. Columnæ marmoreæ, si crumenam auro oppletam, si saccum aureis refertum, si pateram, si torquem aureum affigas, non se inclinat; sed manet recta & erecta. Ita & tu sis *rectus per æqualitatem.* Ludimagister Columna

a Cornel. in l. 2. Paralip. cap. 3. v. 13. In Apoc. cit. b Cornel. cit.

lumna sit, non magis inclinet in pueros nobiles, divites, speciosos, quàm in plebeios, pauperes, minusque gratiosos. Paterfamilias, non uni filio, aut filiæ propensiorem se exhibeat: Superior nemini se præ ceteris inclinet, ut prudenter monet Scribanius. Alias Columnæ proprietates, ut in te exprimas: *a* ut sis erectus per intensionem, sublimis per contemplationem, alibi prolixè exposuimus. Uni hic, ac præcipue, id est, *firmitati* ejus inhærebimus.

3. Columna constantiæ, ac fortitudinis symbolum est; hac Apostoli adeò excelluere, adeò firmi in fide perstitere, ut nulla vi, nullis turbinibus, ne sanguineis fluctibus concuti potuerint. Chrysostomus *b* Pauli constantiam collaudans, ubi labores, sudores, pericula ejus enarrasset, *In his omnibus superabat, ac quemadmodum si Miles unus ab universo terrarum orbe, bello impetitus, inter medios hostium cuneos versetur, & FIRMUS PER FIDEM CONSISTAT: Sic etiam PAULUS, solus inter barbaros, inter gentiles, ubique terrarum, atque in omnibus maris partibus, invictus manebat: Et quæ Sancti omnes in tot corporibus pertulerunt, ea hic universa in uno suo pertulit.* Quare quod ipse de aliis gloriosè prædicavit, ad Galat. 2. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur* COLUMNÆ *esse*, hoc in Paulum, qui inter maximè adversa constantissimè fidem servavit, vere cadere, mecum omnes suffragantur. Præ his, firmissimam Ecclesiæ Columnam Guarricus abbas extollit Deiparam serm. 4. in Nativ. *Maria*, inquit, COLUMNA COELI, *gloria generis humani, miraculum Mundi*, illa sub Cruce, non fracta jacuit, sed stetit. Ruere tunc videbantur omnia; stetit tamen Maria; corruit ad arborem Eva, stetit ad Crucem Maria; Sol extingui, sidera mori, montes cadere, terras deficere, totum cœlum ruere videbatur, stetit Maria; omnia irati Numinis manu fulminari credebantur, stetit tamen Maria; fractus videbatur illabi orbis, stetit nihilominus Maria. Stetit hæc inter Judæorum rabiem, inter militum sævitiam, inter plebis impudentiam inconcussa. Hanc *c* STANTEM COLUMNAM mille telis impetebant linguæ: mille audiit maledicta, imprecationes, blasphemias; & tamen stetit inter tot Molossos, tot inter Leones, qui unicum illius agnellum, maledicis dentibus laniabant. Huic alteram in sexu fragili STANTEM COLUMNAM, ad animos vestros, ô mulierculæ, firmandos adjungo, quæ etiam gravissime concussa, stetit immobilis. Ut eam terso suo stylo depingit *d* Hieronymus: *Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua mihi Dominus concedat in die sua habere partem, calente adhuc mariti corpusculo, & nec dum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret, more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? Lachrymæ gutta non fluxit:*

a Scriban. superior. Relig. pag 215.
b Chrysost hom. 25. in 2. ad Cor.
c Horat. l. 1. Ode 35. d S. Hieron. ad Paulam de obitu Blesillæ cap. 5.

fluxit: : STETIT IMMOBILIS; *& ad pedes aadvoluta Christi, quasi ipsum teneret; arrisit. Expeditius*, inquit, *tibi servitura sum. Domine*; *quia tanto me onere liberasti*. Stetit hæc immobbilis; stetit & mater Christi, mediis cruciatuum procellis impetita. Constantiam pingebant prisci, in rupe seu columna stantem, marinis fluctibus undique allidentibus, addita inscriptione: *In motu, immota manet*. a Stetit COLUMNA CÆLI, dolorum fluctibus vallata; illud tamen de illa verissimè usurpatur: *In motu, immota manet*. Heu quam paucas huic similes columnas reperire est! ah! quoties levi vento dejicimur? Levis injuria, asperius verbulum, minima molestia, oculus austerior, quicumque demum infelitior casus, nos concutit, subvertit, humo affligit. Quam multas Reip. ipsiusque Religionis nostræ columnas, adversitatis turbo evertit, & persecutionis tempestas fœde prostravit! Vidit Silva-ducis, vidit Trajectum, vidit Breda, vidit Hollandia, vidit Belgium universum, vidit Anglia, ubi aut de bonis, aut de patria excedendum, aut à fide & religione recedendum: ubi vel vita periclitatur, vel anima, quàm pauci constantia verè Christiana se columnas profiteantur. Alterum est, quod vos propius concernit, ut quæ toties animo concepistis, ore prompsistis, sanctè ipso Dei Vicario teste, proposita firmastis, constanter servetis; Hîc quemque vestrûm *b fortem &* TENACEM PROPOSITI VIRUM, instar columnæ esse pervelim.

a Guarr. cit. b Horat, lib. 3. Ode 3.

Id olim c Socrates etiam gentili præscripsit, cum hoc inculcat: *Sicut statua, vel* COLUMNA *basi, ita vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoveri debet*. Quoties tu homo temulente, dum capitis, dum stomachi, dum podagræ dolores, dum infamia, rerum temporalium penuria excruciabat, propositum firmasti; tabernas, socios, pocula vitandi? quoties tu avare, à fraude, à lucro injusto, ab usura manum continendi, restituendi propositum fecisti? quoties tu, lascive Adolescens, colloquium puellæ, tu conjugate, consuetudinem pedissequæ ædes noxias declinandi; propositum concepisti? tu iracunde, quoties sacram synaxim sumpturus, Confessario monenti, ut cum adversario in gratiam redires, omnem bilem evomeres, sanctè affirmasti, & propositum sanxisti? quot vos pietatis, mortificationis, virtutis exercendæ, quot festis diebus S. Synaxim sumendi, verbum Dei audiendi fecistis proposita: sed eheu! ventis exposita, decreta excreta fuere. R.mus Antistes Camus, pro concione edixit: Columnas se 42. numerare, Auditores constantes designans, qui plurium annorum spatio constantes, ipso perorante steterant: quàm paucas hîc columnas reperire est, quæ per annum se non subducant, ac instabiles, nunc huc nunc illuc fluctuant? quæ cum quisque in se verissima deprehendat, cum ingenti animi rubore, coram Domino fateatur necesse est: Ah, mi bone Deus, quàm ego fragilis & instabilis homo

c Stobæus serm. 1.

ſum! vel aura leviuſcula me dejicit, aſperius verbum turbat, & ad omnem impatientiam exaſperat. Ego hactenus & ſcivi, & expertus ſum temulentiam corpori & animo obeſſe, centies devitare conſtitui; & tamen cum in oculis, in manibus vitrum eſt, contra ſcientiam & & conſcientiam, & experientiam meam, liberrimè delinquo. Scivi hactenus, & expertus ſum, mulierum conſortium, ac libidinis malum mihi plurimum nocuiſſe; & tamen cum tentatio invitat, in præceps voluntariè ruo. Quapropter & hæc, & illa, & iſta ſexcenties, imò millies, & millies decrevi, & ſtatui cavere conſtantiſſimè, at ubi vel levis tentatio, aut occaſio titillat, aut invitat, illa omnia jam toties ejurata, in meam perniciem avidiſſimè reſumo, & meipſum capitis ego ipſe damno. O quoties bone Jeſu! animo firmiſſimo propoſui gulæ nil indulgere, temperantiæ limites bibendo, & edendo, non excedere, ex iis quæ noxia, etſi palato grata, nil attingere, at cum epulæ & vina placent oculis, mox natant ſaliva dentes, manus præcipitant & citò corruunt tam firmiter ſtabilita propoſita *Fortem, & tenacem propoſiti virum*. a Thomam Sanchez in exemplar propono, is quæ ſemel animo propoſita ſtatuerat, totis quadraginta tribus annis, quibus in ſocietate vixit, nunquam infregit: non exigua aut levia, ſed magna & planè ardua fuere hæc ejus propoſita: ſemel in die ſub noctem cibum capere: quater in hebdomada pane tantum & oleribus victitare: tota Quadrageſima, & Adventu ad panem nihil præter legumina, & fructus aridos adhibere; pervigiliis Chriſti Domini, & B. Virginis, pane dumtaxat & aqua jejunare: atque ut alia innumera omittam, pietatis, ac Religionis hæc fuere: quotidie SS. Sacramentum quinies ſalutabo, diebus Jovis octies, adhibita unâ verberatione, & geſtatione cilicii: octo diebus ante feſtum corporis Chriſti, & totidem poſt, quotidie diſciplinam faciam, & cilicium geſtabo, ſolitis orationibus, unius præterea horæ ſpacium adjiciam, atque octies quot diebus SS. Euchariſtiam viſitabo. Hactenus ex ejus manuſcripto: in quo illud maximè admirandum, *quod totis 44. annis, nihil prædictorum propoſitorum, quovis impedimento, vel ſemel interruperit.*

Ita quæ primo anni exorientis diluculo Didacus Martinez propoſita firmarat, atque in ſyllabum redegerat, eorumdem ſub anni exitum rationem exigendo, ne jota unum, aut apicem violaſſe deprehenſus eſt.

b Joannes Lorinus, quem virtus, & eruditio, orbi celebrem fecit, hoc conſtantiæ ſpecimen dedit ſingulare: Propoſitum ad primum nolæ pulſum quarta matutina ſtrato exiliendi, tam firmiter ſervavit, ut ad quinquaginta annos nunquam violarit. O viros vere conſtantes! ô columnas Herculeas! quales vel ipſi Ethnici ſibi erigi optabant. Narrat Livius Hannibalem Carthaginenſium Ducem, cùm videret ſuos priuſquam

a Biblioth. Script. ſoc. Crombec de perf. l. 2. cap 32. Rho. variæ virt. hiſt. l. 6. c. 7. n. [illegible]

b P. Rho. l. 6. c. 7.

quam confligerent, magnos animos præ se ferre, & ad mira patranda se ultro offerre, dixisse illis: *Si tales animos in prælio habueritis, quales hic & nunc ostenditis, vicimus*, id de pœnitentibus non incongruè dicendum, & sentiendum est, qui dum confitentur, dum bene dispositi, dum tempus pugnæ & tentationis necdum advenit, spondent se potius Martyrum tormẽta subituros, quàm propositum violare; in quo si steterint, vicerunt, sed plures videmus indies, in quos cadit illud Psalm. 77. *Filii Ephraim intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Appositè Bellarminus *a* sic exponit; *Filii Ephraim, seu Isaelitæ, similes sunt militibus, qui incipiunt præliari cum hostibus, & mox hostibus terga vertunt; sic filii Israël in deserto proposuerunt, non semel se Deo parituros, & statim mutata voluntate, cogitabant de reditu.* Israelitis hisce plerique Christiani similes, in progressu virtutis, ac perfectionis inconstantes, de quibus Princeps Apostolorum *b* quæritur: *Animæ instabiles, filiæ vagæ*, quæ nullam habent in bono constantiam, sed inconsideratissima levitate, ut arundines huc illuc feruntur. Quæ ut casum suum prospiciant, ac ruinam prævertant, terrificam illam Jobi sententiam audiant.

§. II.

Columnæ cæli contremiscunt. Job 26.

Mirari quis meritò, & sciscitari posset, quo porrò consilio *c* Simon Machabæus, in Mausolæo, quod Patri ac fratribus exædificasse legitur, *naves super columnas* collocarit? res adeò inter se toto elemento dissitas, contraria adeo inconstantiæ ac constantiæ symbola, *Simon vir consilii* copularit? Respondet *d* doctissimus ac disertissimus Ecclesiastes, hoc symbolo significari mortales, qui hic quantumvis fortissimæ ac firmissimæ columnæ videantur; minimo quandoque vento, navis instar jactari ac in profundum præcipitari. Exponere intendit, inquit, omnes nos mundi hujus pelago vehi, ubi *omnium* FORTISSIMA COLUMNA, *tam parva constat securitate, quanta vel una navis, ad cujus submersionem, unicus ventus, turbo fluctusque sufficit.* Hipponensis Antistes *e* gravissimum illum Petri lapsum explorans & deplorans, ait: *Ecce* COLUMNA FIRMISSIMA; *ad unius auræ impulsum contremuit. Ubi est illa promittentis audacia, & de se præsumentis? Ubi sunt verba illa quando* ait: *Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Hoccine est sequi Magistrum, se negare discipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc fiat, vox ancillulæ formidetur?* Quid non admirationis, ac commiserationis habet, Petrum COLUMNAM FIRMISSIMAM, in fide tam fundatam, in charitate radicatam, tanta solidarum virtutum mole stabilitam adeò fœdè collapsam! Eandem ruinæ causam observat Chrysostomus, quam

 suprà

a Bellarm. in Psalm. 77. b 1. Petri 2.

c 1 Mach. 13. v. 29. d Lanuza in quad. hom. 4 num. 13. & 31. e August. tract. 11. in c. 38. Ioan.

ſuprà Auguſtinus,dum ait,ſuam præ ceteris Petrum in fide ac dilectione conſtantiam, præfidenter nimium jactitaſſe: *a Etſi omnes ſcandalizati fuerint,ego nunquam ſcandalizabor.* Ubi *b* ſic Petrum differentem inducit: *Quid ais Domine? omnes ſcandalum propter te patiemur, & cum omnibus me quoque annumeraſti? Siccine meæ conſtantiæ diffidis? etiamne ego te negabo, qui in mari ambulavi? nonne ego te omnium primus agnovi, & exclamavi: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi. Egone igitur te negabo, Princeps Apoſtolorum,* COLUMNA ECCLESIÆ? *quamobrem & mihi ipſi præfidens vociferor. Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor.* Imbecillis omnis noſtra fortitudo eſt, humanis viribus nixa. Recordari debuerat ſe ita ſuper aquas ambulaſſe, ut mergi cœperit: & fluctibus hauriendus fuerit, niſi auxiliatricem Chriſtus manum porrexiſſet. COLUMNAS COELI, Doctor Angelicus *c* ſupremas illas intelligentias non injuria nuncupavit: quæ etenim præſtantiores, excelſiores, elegantiores, unquam columnæ extitere? à ſummo illo rerum omnium artifice conditæ, erectæ, politæ, naturâ incorruptibiles, tot donis, gratiis, virtutibus ſtabilitæ? has tamen tantas moles, omniumque celſiſſimam & fortiſſimam, unus turbo ſuperbiæ evertit, dejecit, ad ima demerſit. Quis hic non obſtupeſcat? quis non exhorreſcat? ad levem ſuperbiæ ventum: COLUMNÆ *cœli,* non ſolum *contremiſcunt*, ſed cadunt. Eodem colliſæ ac collapſæ ſunt, duæ illæ ſolidiſſimæ columnæ, divina manu, in Paradiſo voluptatis exædificatæ, quibus totius generis humani ſalus, ac naturæ noſtræ nobiliſſimum ædificium nitebatur columnam non modo è robore, aut marmore ſectam; ſed velut ære fuſam, quis meritò non ſuſpexerit Davidem, qui quaſi nullis ventis, aut turbinibus concuti, aut proſterni poſſet, gloriatur: *d Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*; Cum ecce peſtilens libidinis flatus, eum adeò jactavit, concuſſit, proſtravit, ut vociferari compulſus ſit: *e Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me.* Quare altum quiſque in animum inducat illud Pauli monitum: *f Qui ſtat, videat ne cadat.* Non es ſanctior Davide, ſapientior Salomone, fortior Sampſone: hæ tamen Columnæ corruerunt. Tragicos eorum caſus, qui pro fide Orthodoxa etiam carceres, & verbera experti, alibi *g* commemoravimus. Unde non eſt quod quis, vitæ rigori, virtuti ſuæ, ac animi robori confidat. D. Auguſtinus *h* ſic omnes terret: *Experto crede, coram Deo non mentior: Cedros Libani, Duces gregum ſub hac peſte cecidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabor, quam Hieronymi, vel Ambroſii.* Clemens Alexandrinus lib. 7. Recognitionum, rem ſcitu digniſſimam poſteris tradidit Neophytos cum S. Petro in Inſulam Aradum excurriſſe, atque iſtic illos quidem permagnifica Phidiæ opera, alias ab

arte

a Matth. 26. b Chryſoſt. to 6. ſerm. de negat. Petri. c S. Thom. in c. 26 Iob v. 11

d Pſalm 29. e Pſalm 68. f 1. Cor. 10. g Lux Evangel part. 1. Dom. 13. poſt Pent. h Aug. cit. Cantip. lib. 2. apum c. 10. Lec. 47.

arte & materia ſtatuas contemplatos fuiſſe; *Petrus vero ubi ſolas templi* COLUMNAS *miratus eſt* VITREAS, *egreſſus eſt:* Suffecerat quippe Petro, ut Clemens Alexandrinus oculatus teſtis aſtruit, vidiſſe columnas, quæ fortitudinis ac conſtantiæ ſymbolum ſunt, è tam fictili ac fragili materia, aptiſſimum humanæ fragilitatis, infirmitatis, ac inconſtantiæ, ut exemplo ſuo didicit, typum referre: audis virum in toga, in ſago, curiæ, ac Reip. Columnam, omnibus ſpectabilem, in adulterium, in perjurium, inque gravem injuſtitiam corruiſſe, & lapſu ſuo ſe vitream profeſſam fuiſſe; virum Eccleſiaſticum, Religioſum, doctrina ac ſanctimonia conſpicuum, ordinis ſui columnam, aut arrogantiæ turbine afflatum, aut alio turpi ſcandalo collapſum vides, vitream fuiſſe deprehendis.

Puellam vitæ integerrimæ, moribus virgineam, voto inſuper caſtitatis Deo firmatam, quæ ex iis columnis cenſeri poſſet de quibus 3. Reg. 7. *capita* COLUMNARUM, *quaſi opere lilii fabricata erant;* Subinde conſuetudine liberiori, contremuiſſe, in lutum decidiſſe, ac fragore ſuo vitream exſtitiſſe cognovimus. Infirmitatis ac fragilitatis noſtræ memores nos quoque eſſe convenit, quia habemus *Theſaurum*, Paulo *a* atteſtante, *in vaſis fictilibus*, in quæ verba Doctor mellifluus: *Si ſtillantem*, inquit, *b è cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo quod & portari ſæpius oporteret: quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? & certè id ſervandum accepi, pro quo Mercator non inſipiens (ipſa utique Sapientia) ſanguinem illum dedit. Sed & habeo Theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & quibus multo plura quàm vitris, imminere pericula videantur.* Hac fragilitate ſua nos commonente, ut in quotidianis congreſſibus cautè ambulemus, in feſtivis conviviis caſtè & ſobriè agamus; quæ uti raró celebrantur, quin aliquot vitra frangantur, ita frequentius pudicitiæ, & animæ integritas violatur. Quiſque ſe marmoreos, ac ferreos arbitrabantur, ubi ſe occaſione noxiæ inſeruerint, caſu ipſo quàm fragiles ſint, experiuntur. Alypius modeſtiſſimus ille, & caſſimus juvenis, inanitatum omnium contemptor ſingularis, Coloſſum ſe, & *ſtantem* COLUMNAM arbitrabatur: fruſtra inquiebat, ſociis: Ero & non ero in theatris, claudam oculos chalybeo ſigillo, veſtri, & populari inſaniæ victor inde recedam. At ille turpiter ſui, & conſtantiæ oblitus ſuccubuit, & everſus eſt. Ita fit quod S. Gregorius Naz. & S. Hieronymus deplorant: *Ut videatur ſubinde non nemo, qui heri fuit in ſacrario, hodie ſit in gurguſtio: heri devotus, hodie profanus: jam inter clericos, mox inter ſaltatores: nunc præco juſtitiæ, mox impudentiæ, nunc in cœlo, mox in cœno.*

a 2. Cor. 4. v. 7. b Bern. ſer. 3. Advent.

Quæ execranda, ac maximè deteſtanda inconſtantia, ne in principes Apoſtolorum caderet, ſuâ ſingulari providentiâ ac peculiari gratiâ, has Eccleſiæ Columnas ſtabilivit potens & bonus Deus.

§. III,

§. III.

Ego confirmavi COLUMNAS EIUS. Psalm. 74

ECclesiæ Columen, ac Columna August. *a* in illud Psalmi; *Ego confirmavi* COLUMNAS EIUS; sic excurrit: *quas* COLUMNAS *confirmavit?* COLUMNAS *Apostolos dicit. sic Apostolus Paulus de Coapostolis suis, qui videbantur, inquit,* COLUMNÆ ESSE *Et quid essent illæ* COLUMNÆ *nisi ab eo firmarentur? quia terræ motu quodam, etiam ipsa* COLUMNÆ *nutaverunt in passione Domini, omnes Apostoli desperaverunt.* Ergo, COLUMNÆ *illæ quæ in passione Domini nutaverunt, resurrectione firmatæ sunt.* Præ ceteris vero eos solidius confirmavit, quos in Ecclesiæ firmamentum ab æterno delegerat. S. Leo: *b Nec mundi Dominam timet Romam, qui in Caiphæ domo, expaverat Sacerdotis ancillam. Nunquid aut judicio Pilati, aut sævitia Iudæorum, minor erat in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? causam nostram ipse confirmavit* COLUMNAS *ejus*, ut nullis calumniantium telis, nullis invidorum incursibus, nullis hostium machinis, nullis tyrannorum ac carnificum viribus, vel levissimè commoverentur, sed sua invicta constantia, omnibus essent stabilitatis fundamentum.

Ambr. serm. 47. *Petrus fidelior factus est, postquam fidem se perdidisse deflevit: atque ideo majorem gratiam reperit quam amisit. Tanquam bonus pastor enim, tuendum gregem accepit, ut qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse tentatione nutaverat, cæteros fidei stabilitate fundaret*; Nutantes firmaret, vacillantes fulciret, claudicantes consolidaret. Ubi observandum occurrit, non caruisse Mysterio, primum quod divina virtute prodigium patravit, fuisse claudicantis gressum firmare; rursus facundia sua dulci DULCIor aMbrosIa: *c Rectè primum signum mirabilium suorum, Petrus fecit solidando plantas hominis claudi, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.* Rectè, inquam, primum in Christiano pedes curat, ut jam non trepidus, & imbecillis possit super Petram Ecclesiæ, sed robustius & fortius incedere. Imitare Petrum columnam peccatorum firmissimam, tremuit ille ad Ancillæ vocem, & primus in terram corruit: at resipuit ad Christi aspectum, ac deinde stetit in omni vita, inter omnes turbas ac turbines tyrannorum; stetit, inquam, pro virtute, pro lege, pro grege, pro Deo, & ita quidem, ut teste S. Maximo, *e qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.* Crederes, ab infirmitate, fortitudinem, ab inconstantia stabilitatem, a casu constantiam hausisse. Quare nemo queratur, se tanto pondere, ac mole peccatorum in terram dejectum, ut nullo molimine erigi valeat. Doctorem Gentium in exemplum ducit Bernardus serm. 1. in conversione S. Pauli *Quis desperet ultra pro magnitudine cujuslibet cri-* *mini-*

a August. in Psal. 74. b S. Leo ser. 1. de SS. Petro & Paulo.

c S. Ambros. serm. 66. de natali SS. Petri & Pauli. d August. serm. 2. eodem festo. e S. Maxim. hom. 4.

minis, quandoquidem Paulum audit adhuc spirantem minarum, & cædis in discipulos Domini, subito factum Vas electionis? quis dicat, iniquitatis pondere pressus; assurgere jam ad studia meliora non valeo? Cùm Paulum videt pondere peccatorum dejectum, in cœlum erectum. Vide, non recidas ubi semel erectus, jactura hæc nimis gravis est. Refert naturæ panegyristes a nobilissimus, Thebis viginti hominum millia elaborasse, in columna, seu obelisco ingenti effingendo: quem cum subrecturus ipse Rex esset, vereretur que ne machinæ non sufficerent moli, quò majorem curam ac solertiam operis adderet, filium suum vertici alligari præcepit, ut cùm in unius filii regis vitâ, omnium capita periclitarentur, omni nisu ac industriâ, ruinam, & casum avertere molirentur. Haud aliter cujusque anima, cui cœlestis Pater pretium filii alligavit, ubi omni obelisco, ac Columnâ præstantior assurgere cœpit, id omni studio ac viribus satagat ne corruat, ac dilabatur. Franciscus Villava b inter symbola pinxerat erectam Columnam, hoc lemmate adjecto: *Plus recta valebo?* Collapsa enim, aut dejecta, nulli usui, telluris inutile pondus est, dejectam Damasci columnam Paulum vidimus: sed Redemptor noster eandem erexit, ac firmissimè stabilivit: nam ut August. c supra cit. COLUMNA *una erat ex illis Paulus Apostolus, quas confirmavit:*

Inter omnes turbines ac tempestates, coram sævissimo tyranno Nerone, omnibus corruentibus, stetit intrepidus & inconcussus. 2 ad Timoth. c. 4. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur Dominus autem mihi adstitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.* Illustre olim prima veritas de Jeremia dedit testimonium: d Ego dedi te hodie *in civitatem munitam, & in* COLUMNAM FERREAM *& in murum æneum, regibus Iuda, loquere ad eos omnia quæ præcipio tibi, ne formides a facie eorum. nec enim timere te faciam.* Orator aureus, hoc splendidum elogium COLUMNÆ FERREÆ, primo Apostolorum principi accomodat. *Pater ad Ieremiam dicebat: Sicut* COLUMNAM FERREAM, *& sicut murum æneum posui te: sed ipsum quidem gentium pater, hunc autem Petrum, orbi universo Christus.*

Vis videre & alteram *columnam ferream,* imò adamantinam? idem Chrysostomus e extollens Patriarchæ Jacob in adversis constantiam, sic in laudes S. Pauli excurrit: Jacob admiratur scriptura: *At quænam illa est* ADAMANTINA PRORSUS ANIMA, *quæ Pauli patientiam possit imitari? neque enim bis septem annorum: sed totius vitæ servitium pro sponsa pertulit Christi: non adustus solum æstu diei, & noctis gelu; sed tentationes mille perpetiens Et nunc quidem verberibus, nunc vero lapidibus cæsus atque collisus, & nunc quidem cum bestiis, modo autem cum fluctibus pugnans, modo etiam continue reluctans fami, diebus & noctibus*

a Plinius l. 36. c. 9. b Pise tom. 2. pag. 14. c August. in Psalm. 74.

d Ier. c. 1. e Chrys. hom. homil. 1. de Laud. Pauli.

vibus inter certamina.

Columnæ è vario lapide confictæ reperiuntur; sed aureo ore, Paulus Jobo compositus: *a Omni lapide tolerantior* prædicatur. At *b hodie* COLUMNÆ ECCLESIÆ *sunt* testeæ, fictiles fragiles sunt, ligneæ sunt, atque utinam non fiant igneæ!

Sed pergo porrò: Columnæ marmoreæ quamtumvis duræ ac solidæ, sudare tamen deprehenduntur, quòd Chrysostomus in Paulo commendat. *Moyses quidem Pharaoni, Paulus autem quotidie diabolo repugnabat. Et ille pro una gente, iste pro universo orbe certavit, non sudore, sed sanguine, vice sudoris undique profluente.*

Talis Columna exstitit in Galliis, Pictaviensis Antistes Hilarius, quem Hieron. *c* inter calumniarum, persecutionum, adversitatis tempestates inconcussum suspiciens, illustri elogio commendavit, dicens: *Inter procellas Mundi Magnus* SUSTENTATOR *Ecclesiæ.* Epiphanium verò Cypri Antistitē, cujus fuit in tuenda religione clarus & sudatus labor, COLUMNAM VERITATIS, *ac fidei*, indigitavit. Greg. Naz. *d* non minus Theologiæ, quam dicendi elegantia princeps, Basilium magnum, validè imperitum vocat COLUMNAM *ac firmamentum Ecclesiæ:* Hi omnes, quod proprium columnarum est, humeris suis Ecclesiam sustentarunt, omne in se pauperum, miserorum, viduarum, pupillorum onus susceperunt, infirmos ac debiles sustentarunt.

Cant. 5. *Crura illius* (Christi) COLUMNÆ MARMOREÆ *quæ fundata sunt super bases aureas*, Columnæ marmoreæ sunt pedes Christi, Petrus & Paulus, fortissimi ac firmissimi, ut nascentis Ecclesiæ infirma membra sustentent, Neophytorum onera in se suscipiant, omnium imbecillitatem sustentent. August. serm. 29. de SS. Petrum extollens, dignum ait, *e* fuisse, qui *ædificandis in domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum*, COLUMNA AD SUSTENTACULUM, & alterum Ecclesiæ fulcrum Paulus ad Roman. 15. *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere:* alter alterius onera portare, defectus mutuos, infirmitates, miserias, *f supportantes invicem in Charitate.* Ad hoc & nos hortatur Petrus *g* Apostolus: *Si benefacientes, patienter* SUSTINETIS; debetis vos ditiores pauperiem miserorum sustinere, homines tenues, exhaustos, morbidos, qui non habent quo se sustentent, sublevare. debetis vos viri potentes, causidici, senatores, judices, causas pupillorum, viduarum avidè suscipere. Exstat illud hominis miseri, qui patrocinio & adminiculo viri misericordis, è gravi penuria, ad honestam sustentationem erepserat, præclarum in benefactorem, suum monumentum; columnam depingi curarat, quam hedera circumplexa cum hac Epigraphe: *Te stante virebo*, quam multi repunt humi, quos vos aureæ Columnæ, si auxilio vestro, si complexu vestro dignaremini, assurgerent, vire-

a Chrys. cit. b Hugo Card. in illud ad Gal. 2. Videbantur Columnæ esse.
c Hieron. in Psalm. 57. idem Epist. 61.
d Greg. Naz. orat. 19.

e Aug. serm. 29. de Sanctis.
f Coloss. 3. v. 13. g 1. Petri 2.

virerent ac florerent! Hanc sibi laudem meruit Reverēdissimus Gandensis Antonius Triestius, cujus munificentiam, in sublevanda militum potissimum, hic in castro degentium penuria, vel ipsum nomen testatur: *Antonius Triestius Episcopus.* a Anag. *Pios sustentat viros pecuniis.* Vos quoq; piæ animæ, Religiosi ac Religiosæ humeros ad sustentandum subjicite: columnas vos præbete sacrificiis, precibus, ac sanctis operibus, cœlum ne ruat, fulcite: quippe non injuria Ruffinus, Justos, *orbis Atlantes*, & Telamones appellandos putavit, qui precibus suis, velut humeris cœlum sustentent, ne peccatores obruat & opprimat, sic enim ait b in præf. l. 2. de vitis Patrum, de justis loquens: *Dubitari non debet, eorum meritis, adhuc stare Mundum*; dum vicli animi robore, ad omnia infracti ac stabiles, velut Colūmnæ cœlum sustentant. Unde de ...s Job c. 9. *Sub quo curvantur, qui* PORTANT *orbem.* Quod primum quidem Deiparæ convenit, de qua S. Fulgent. l. 4. Mytho. *Cœlum & terra jam dudum ruissent, si Maria precibus non sustentasset.* S. Hieron. *cujus ingenium* (teste Aug.) c *divino dono aureum*, exponens illud Job c. 9. v. 13. *sub quo curvantur, qui* PORTANT ORBEM, *sic ait:* PORTANTES *orbem, sancti rectè intelliguntur, qui gloria meritorum suorum magni, & potentes sunt apud Deum; hi ergo cordis humilitate, ad interveniendum pro peccatoribus, in conspectu ejus sunt incurvati: Ita sancti portant Mundum, dum eum ne ruat ac pereat, orationum fortitudine* SUSTINENT. Quemadmodum in breviario Rom. 4. Octob. de Seraphico Francisco legitur, quod eum summus Pontifex Innocentius III. in somnis viderit divinitus, collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere, & alteram Ecclesiæ Columnam Dominicum, cum ipso ruentem Mundum sustentasse novimus.

Hoc corruptissimo sæculo, quo orbis excidium merito timendum est, vos d *orationum fortitudine sustinete:* Videmus enim quod curia corruat, pietas, justitia, veritas, corruat; dū qui Atlantes; qui Columnæ sunt, omne onus abjiciunt, humeros subducunt. Præclarè de his Senec. Epist. 86. ubi luxum Romanorum perstringit, *quantum* COLUMNARUM *est, nihil sustinentium! sed in ornamentum positarum, impensæ causa.* In caminis vides Atlantes, Telamones quandoque effictos, velut humeris suis gravissimo oneri succollantes, cum interim tota ædificii moles, parietis alicujus fulcro, quod à tergo est, innitatur.

Juvat hac tempestate illud Romani Philosophi e usurpare: *Quantum est* COLUMNARUM NIHIL SUSTINENTIUM, dum in Magistratu, in militia, in curia sæculari & Ecclesiastica, ii assumuntur, qui nec ætate, nec maturitate, nec probitate, nec prudentia, nec æquitate, quidquam virtutis, roboris, ac constantiæ habent, ut onus sibi impositum sustentent, sed in unum, alterumve rejiciunt. Hæc pro loci ac temporis opportunitate, prudens orator divina sua facundia exaggeret. Demum, ut

a Anagramma. b Ruffinus l. 2. de vitis Patrum in præf. c August. Epist. ... Hieron. in Iob c. 9. v. 13.

d Hieron. cit. e Seneca cit.

ut eo revertamur unde exorsi sumus, unam Redemptor noster, Orbis domitor, ad rubrum sanguinis mare *a* Columnā, vel ut alii duas posuit, quas præterire non possumus. Has posuit, virtuti nostræ, patientiæ nostræ dolori nostro, amori nostro terminos. *Non plus ultra*. Ad has, duo Ecclesiæ Principes feliciter pertigerunt, has amplexi sunt, his confixi & immortui sunt. Aptè Hieronymus in Psal. 95. *Est*, inquit, *Crux Christi, humani generis* COLUMNA.

Ad has Columnas Petrus, utrasque palmas extendit. Ubi solerter observat Augustinus, Sampsonem, dum manus ad ambas columnas extendit, figuram Christi Crucifixi exhibuisse, at longè perfectius eam Petrus dum brachia in Crucem porrexit, expressit. Ipsum audite. *b Iam hic imaginem Crucis attendite: expansas enim manus ad* DUAS COLUMNAS, *quasi ad duo ligna Crucis extendit:* Paulus verò ensi gladio Neronis occubuit, per omnem vitam, Christo Crucifixus, Crucis columnæ colligatus fuit.

Unum super est, ut Coronidis loco, *aureas* Columnis *coronas imponamus, quibus longè gloriosius* Ecclesiæ Principes, quàm illustrissimi Italiæ Duces *Columnenses* gloriantur: fateor omni posterorum memoria dignum censeri, dum Anno Christi 1216. Joannes Cardinalis Columna, sacram Christi sanguine tinctam Columnam, Hierosolymis Romam asportavit, vel hoc facto gentilitia sua parmulā, in qua Columnam argenteam deferebat, illustrior, quàm propter majorum in Rempublicam merita quibus illam obtinuisse narratur.

Hanc gentilitiam tesseram, non multò pòst, corona aurea, columnæ imposita nobilitavit, ut deinceps *Columnenses* non simplicem columnam, sed aureā coronā impositā, radiantem gestare conspiciantur.

At longè illustrius ambæ, de quibus egimus, cœli terræque Columnæ, Coronā gloriæ redimitæ, in omni æternitate refulgebunt.

a Columnæ ad quas Christus flagellatus. b Aug. serm. 107. de temp.

FESTUM

FESTUM
S. PHILIPPI APOSTOLI

Invenit Philippum. Joann. cap. I.

EMBLEMA XXIV.

NUMMUS QUI PHILIPPEUS DICITUR IN quo ostenditur Sanctorum Patrum testimoniis, animam cujusque pretiosum nummum esse, insignitum Dei Imagine.



Regale numisma Philippi. Horat. l. 2. Epist.

ARGUMENTUM.

NOlim hic Pharisaico more vobis obtrudere numismæ census, & percunctari, cujus sit hæc imago? Sed

 Christia-

Christiano more & amore , *Regale numisma* Philippi proponere & exponere cujus hic nummus imaginem referat, decrevi. Ubi imprimis comprobabo non *Philippum* duntaxat à Christo inventum, nummum fuisse pretiosissimum ; sed & quemque nostrûm, juxta illud Hipponensis Præsulis: Nummus *a Dei homo est, imaginem habens Dei* ; qui tanto fuit Redemptori nostro in pretio & æstimatione, ut sanctus Bonaventura affirmare non dubitaverit: Pro *isto* nummo *b Christum serviviffe plusquam tringinta annis.*

Tum illud moraliter deducemus, quam indignum, ut peccator inductâ imagine Regis sui, pecudis imaginem assumat, hic porci, ille Leonis, alius ursi , equi vel muli.

Alterum erit, ut nummis omnia comparentur, nullum hactenus unum repertum quo omnia venalia sint, nisi unum *Philippum*, qui imaginem Christi crucifixi perfectissime expressit.

Ac tandem concludam, unum hunc sanctum *Philippum* , Philippis magnis, Philippis pulchris , Philippis bonis, ac Philippis sanctis antistare.

a August. tract. 40. in Joan. *b* Bonavent. Dom. 22. post Pent. serm. 2.

§. I. Cum homo sit numisma Dei, monet Apostolus: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* 1. Cor. 15.

§. II. *Multis valet ille* Philippis.

FESTUM

FESTUM
S. PHILIPPI APOSTOLI.

Invenit Philippum. Joan. cap. 1.

GRammaticos inter, ea quæstio ventilatur, ut eruditè Lacerda *a* noster disceptat, quid discriminis sit inter *reperire*, & *invenire?* dum exagitat illud Ovidii: *Et non inventa, reperta est.* Ubi, ut plures Philosophi se torqueant, & res frivola videatur, in re nostrâ, eâque Euangelicâ, ubi nec jota unum, aut apex mysterio caret, Doctor Seraphicus diviniſſimè differit, dum ait: *Reperire* nil aliud esse, quam in rem aliquam fortuito incidere, ut thesaurum reperire, gemmam reperire, nummum aliquem inter deambulandum reperire, Philippeum casu reperire.

At non sic Christus Philippum invenit, ut scite observat Bonaventura *b* in 1. cap. Joan. *Invenit Philippum*, quod sic exponit: *Talia dicuntur*, INVENIRI *quæ non essent, nisi essent quæsita, & inventa.* Ac tandem subdit: *Notetur quod Christus eum* QUÆREBAT. Dominus Servum, Magister discipulum, creator creaturam quærebat.

Quod nemo quisquam demirabitur, qui expenderit illud Lucæ 19. *Filius hominis venit* QUÆRERE, *& salvum facere, quod perierat.* Qui attenderit benigniſſimum Pastorem reliquisse *c* nonaginta novem oves in deserto: *d Quia scilicet novem Ordines Angelorum in cœlo dimisit, & vadit ut requirat errabundam ovem*; per vepres, sentes, spinas, labore, sudore, sanguine suo ardentiſſimè quæsivit: *Et quærens me*, dilectiſſime Jesu, *sedisti lassus.* Ubi & S. Lucas & alteram similitudinem de drachma perditâ inducit; *e Mulier autem ad quærendam Drachmam, lucernam accendit: id est, Dei sapientia ad quærendum hominem, in carne apparuit; per drachmam vero significatur qualibet anima, Dei imagine insignita.* Quæ prolixius S. Thomas *f* prosequitur, dicens: *Genus humanum comparatur drachmæ quæ periit: per quam ostendit nos ad similitudinem, & imaginem regiam factos: nam Drachma* NUMMUS *est, impressam habens regiam imaginem.*

Talis nummus Philippus noster exstitit, qui in vitâ, & morte, dum Christo confixus est cruci, regiam imaginem in se diviniſſime expreſſit, & quod amplius, aliis impreſſit. Eruditè de spiritualibus nummis Philosophatur Sanctus Paulinus, E-

pist.

a Lacerda in lib. 1. metamor.
b Bonavent. in Ioan. c. 1.

c Luc. 15. d Hugo Card. in Luc. 15. e Idem ibid. f S. Thom. in Luc. c. 15.

pist.4. ubi viros Apostolicos illis recte confert: *Christus in iis*, inquit, *a sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus & linguis eorum, veritatis suæ verbum: eosdemque ipsos statuens Nummularios, ut secundum suam formam, probabiles Domino cuderent* NUMMOS *& abolitâ de nobis figurâ Cæsaris, vivum Regis æterni* NUMISMA *signarent.* Quod Philippus luculenter præstitit, dum Scythiam profectus, *ubi*, ut Tertullianus *b* loquitur, *omnia rigent & nihil nisi feritas calet.*

> *c* Barbaros, *non homines, vix isto nomine dignos*
>
> *Quamque lupis homines plus feritatis habent.*

Illos, inquam, signaculo fidei, & imagine Regis nostri Jesu signavit; quam ut & nobis impressam servare, & si qui eâ obliteratâ, imaginem pecudis aut cacodæmonis induxere, hac luce inducere conentur, juxta illud Apostoli:

§. I.

Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. 1. Cor. 15. v. 49.

NOn abs re olim Venusinus vates *d* percunctatus est: *Nescis quid valeat* NUMMUS, *quem præbeat usum; Panis ematur, olus, vini sextarius* &c. Lana, linum ematur, *quidvis nummis præsentibus opta*, veniet, & eveniet tibi; at nullus hactenus unicus repertus nummus, quo universa hæc compararentur: nullus tanti pretii nummus argenteus, aut aureus, quantumvis magnus, & densus à Principibus, aut Regibus excusus, qui unus rebus omnibus humanis æquivaleat. Ejusmodi vobis nummum, qui non modo res omnes caducas infinitis parasangis excedat, sed & cælestibus, & æternis æquivaleat, vel unum Philippum, imo vel animam cujusque vestrûm æstimari, irrefragabili sanctorum Patrum probabo testimonio.

S. Augustinus *e* tract. 40. in Joannem: NUMMUS *Cæsaris est argentum, habens imaginem Cæsaris:* NUMMUS *Dei homo est, imaginem habens Dei.* Paschasius lib. 10. in Matth. NUMISMA *Dei totus, homo est, ad imaginis Dei creatus.* Vult hic ut lingua, manus, pedes, pectus, cor, & brachia denique *totus homo* referat imaginem, quam auctor impressit.

Bonaventura *f* ad illa verba: *Ostende mihi* NUMMISMA *census*, sic differit: NUMMUS *est anima, quam Dominus maxime in morte examinat, ut imaginem suam quærat.* At forte hujus nummi pretium ignoras, hic *Nescis, quid valeat* NUMMUS, *quem præbeat usum?* non panis, non olus, non vinum, non lana aut linum, sed virtus, sed gratia, sed cælum, Deus ipse ematur, qui eum tanto in pretio habuit, ut Doctor Seraphicus diserte asserat: *Pro isto* NUMMO *Christus servivit plusquam triginta annis*, eumque suo sibi sudore, ac sanguine comparavit, ut rectè *g* Eusebius Emissenus: *Quam pretiosus sis, si factori forte non credis, interroga Redemptorem.* Exstat & illu

a S. Paulin. Epist. 4. b Tertull. l. 1. in Marcion. c Ovid. l. de ponte. d Horat. l. 1. Sat. 1.

e S. Aug. tract. 40. in Joan. f Bona[v.] Dom. 22. post pen. serm. 2. g Euseb. [E]miss. hom. 2. de symb. circa med.

illud aureum Hipponensis Præsulis *a* pronuntiatum: *Homo chara, & amica possessio Dei.*

Verum enim vero illud maxime deplorandum, ac gravissime detestandum, numisma hoc regium, nummum hunc adeò pretiosum, inductâ Imperatoris sui imagine, à multis sacrilege adulterari, falsâ immanis belluæ, ac tartarei tyranni monetâ signari. Quod quisque vestrûm, quam enorme flagitium sit, ex pœnis ac suppliciis, quæ Iudices humani, monetæ falsariis inflixerunt, facile dijudicabit.

Nihil reperire est, quod adeo incolumitatem Reipublicæ labefactari quod adeò utilitatem communem; & politiam omnē subvertat; nihil quod adeo Regum, ac Imperatorum Auctoritatem violet, & pessumdet, quam nummi, regiæque monetæ falsificatio. Rationes ponderat Cassiodorus, *b* apud quem leges: *Omnino* MONETÆ *debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur, & generalis utilitas invenitur: quid enim erit tutum, si in nostrâ peccatur effigie?* Quare qui nummum adulterare ausus fuerit, læsæ Majestatis reus, capitali supplicio afficiendus, *c qui æternales vultus Imperatorum duxerit violari* & lege 2. Codice de falsa moneta libr. 9. tit. 24. Constantinus Imperat. sanxit: *Si quis* NUMMOS *falsa fusione formaverit, universas ejus facultates fisco nostro addicimus: & nullo omni dilatione submota, flammarum exustionibus mancipetur, & manus amputetur.* Nostro etiam more patriæ receptum, ut istiusmodi falsarii, bullienti oleo vivi exurantur.

At quanto gravius flagitium, quanto enormius sacrilegium committit, quanto atrociori supplicio afficiendus, atque omnibus tum corporis, tum animi bonis privandus, qui cœlestis Imperatoris effigie deletâ, mali dæmonis, ferique tyranni imaginem in se expresserit! graphice S. Ambrosius *d* rem exaggerat: *Si tyranni,* inquit, *aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi? Tu deponis imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Ejice de* NUMISMATE *animæ tuæ imaginem Diaboli, & attolle imaginem Christi.* Ejice à te imaginem pecudis: ejice à te, ô iracunde, imaginem Leonis: ejice à te, ô gulose, imaginem lupi: ejice à te, ô libidinose, imaginem porci: Ejice à te, ô calide, imaginem serpentis, *& attolle imaginem Christi:* harum quippe omnium belluarum effigies in vobis exprimitis, dum *e facies peccatorum sumitis,* ut jam videbimus. Divo Joanni hæc olim objecta species, signum in cœlo: *f Et ecce draco magnus, habens capita septem & cornua decem.* In quæ verba Alcazar, per capita septem intelligi credit, septem peccata, quæ vulgo capitalia dicimus superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, iræ, gulæ, acediæ: quæ à feris animantibus mutuari voluêre vel ipsi Ethnici, qui infamem hydram, informe draconis monstrum oculis objecêre, è cujus collo eminebant capita septem: Leonis, tigridis, ursi, viperæ, lupi,

 serpen-

a August. serm. 225. de temp. b Cassiod. ... 7. variar. cap. 32. c Lege ult. de vet. numism.

d S. Ambros. l. 1. officio. c. 49. e Ps. ... f Apoc. 12.

ſerpentis, aſini. Appoſite *a* B. Laurentius Juſtinianus: *Suas imagines exſtruxerunt* (de peccatoribus verba facit) *alius ferocitate* factus eſt *Leo*; *alius ſus, libidinis ſorde: alius aſinus torpore, &c.* Non potuit expreſſius nobis proponere, quo pacto homines pravis moribus pecora referentes, Dei imagine amiſſâ, induant belluinam.

Barbara nunc & belluina rediere ſæcula, quibus nummi imagine pecudis cudebantur, ut Plinius *b* teſtatur: *Servius Rex primus ſignavit as. Antea rudi uſos Romæ, Remeus tradit. Signatum eſt nota pecudum, unde & pecunia appellata*; quia bovis, urſi, ſerpentis effigiem nummi referebant. Chryſoſtomus *c* ad interius numiſma, Dei imagine ſignatum traducit, quam dum & in homine requirit, ſic ait: *Unde mihi exploratum eſſe queat, humanam animam tibi ineſſe, cũ ut aſinus calcitres, ut camelus memor ſis injuriarum, ut urſus mordeas, ut lupus rapias, ut vulpes fureris, ut ſerpens vafer ac fraudulentus ſis, ut canis impudenter te geras? Unde, inquam, te humanâ anima* (id eſt Dei imagine) *præditum eſſe intelligere queam?*

Ac primum quidem, ut ex hydra ſepticipiti, Summum caput ſuperbiæ attingam, quam illa Belluinam animo ſpeciem imprimat, attendite. Humani generis parentes, ſuperbiâ inflati, fructum ſcientiæ deguſtare, & Diis ſimiles eſſe cupiebant; at qualis derepentè matamorphoſis facta eſt? Adamus *e* *Dei numiſma, in quo Dei imago figurata* ipſius Dei manu perfectiſſime excuſa, ſuperbiendo, in belluinam deformata eſt; Gen. 3. Deus *fecit eis tunicas pelliceas.* Quorſum hoc? rem tetigit S. Gregorius Nyſſenus: *f Ut foris*, inquit, *pelle belluina uterentur, qui intus belluinâ cupiditate animum deformarant: & qui aſpirarant ad divinam naturam ſuperbiendo, intelligerent ſe peccando degeneraſſe in belluinam.*

Terras infami, & cœlos ipſos inſolenti faſtu læſerat, ac fatigarat Rex Nabuchodonoſor, divinamque animo impreſſam imaginem obliterarat. Non tulit ſummus Imperator impotentes animos, ſibique injuriam illatam, ad belluas abjecit: ſi enim divo Epiphanio, & Dorotheo credimus, Nabuchodonoſor, non externâ tantum ſpecie ac moribus, belluam induit; ſed omnino depoſitâ hominis naturâ, ferinam, aſſumpſit, quæ capite & ventre bovem, pedibus Leonem referrent; ut ipſa exterior forma, totius vitæ anteactæ ſcelera proderet; ut in bove, ventris ingluviem, ac libidinem: in Leone ferociam agnoſceret. In hanc ſententiam inclinat S. Auguſtinus Epiſt. 187. ad Bonifacium & D. Gregorius libr. 5. mor. cap. 6. Confirmat idipſum D. Paulinus Epiſt. 4. ad Severum: *Nabuchodonoſor*, inquit, *non ſolum à regnis, ſed etiam à ſenſibus exulabat humanis; comâ triſti Leonem, uncis unguibus vulturem, ſenſu & pabulo bovem referens; ne unius tantum belluæ ſimilitudinem ferret, in pœnis, qui multarum ſimilis fuiſſet in*

a B. Laurent. Iuſtin. in Pſam. 72.
b Plinius l. 3. c. 3. c Chryſoſt. hom. 16. in Epiſt. 2 ad Corinth. d S. Thom. in Mat. h. c. 22.

e Greg. Nyſſ. in vita Moyſis.

in moribus. Quantum alii malint extrinsecus quidem hominem fuisse: at intrinsecus in belluam degenerasse, & quidem ex sententia D. Justini Martyris, quadriformem habuisse speciem, nempe ex homine, leone, aquila, & vitulo compositam, cui sententiæ favet primum ipse textus Scripturæ Sacræ, quæ ita habet: *a Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, & fænum ut bos comedes*, & infra vers. 33. ita ipse loquitur: *Figura reversa est ad me.* Abierat ergo & in belluinam defecerat. I, modo quisquis es, & teipsum contemplare, ac hominem, Deique imaginem externa specie mentire. At intrinsecus non es homo, sed infamis bellua, informe monstrum, & è multis malè coagmentata brutorum colluvies. Puderet enim vero tæderetque illius formæ, si ea in corpus ipsum elabi, si in oculos incurrere posset; sed quia sese animo continet, quia aspectum fugit, te tui ipsius non pudet, nec miseret; cum tamen vel maxime pudere debuisset: quantum enim distat corpus ab animo, tantum inter utriusque imaginis deformitatem distare necessum est. Sed quia qua vivimus ætate, eo malorum, eo cæcitatis & amentiæ ventum est, ut nihil fere moveat nisi quod oculos ferit, & male corpus afficit, aliquas habe à peccato Metamorphoses, ex quibus intelliges ascititias illas belluarum imagines, non animo tantum adhærescere, sed in ipsum quoque corpus effundi. Sic vindice Dei manu comperimus, externâ etiam specie in belluas, complures abiisse, ut iret in ipsum corpus, quod jam in animo expresserant.

Tiridates Armeniæ Princeps, Gregorium Magnum, intollerando fastu, & per summam injuriam in vincula conjecerat, & in porcorum stabulum abjeceret. *a* Nō tulit è cœlo Deus tam invisum nefas: ut pari pœnâ scelus elueret, ipse cū aliquot eodem typho incensis consiliariis in porcum est mutatus. Cui divino prodigio, aliud non absimile subjicio, ut noveris, qui animo belluinam jam pridē formam induerunt, etiam specie externâ palam omnibus exhibuisse. *b* Silvester Giraldus Cābrensis in Typographia Hiberniæ, narrat in eadem Hiberniâ familiam fuisse Ossyriensium, in qua post septimum quemq; annum, per imprecationem sancti cujusdam Natalis Abbatis, duo videlicet mas & fœmina in lupos vertūtur, & à patria procul extorres in silvis ac nemoribus, vitam belluino more ducunt; donec tandem elapso septennio ad pristinam hominis formam redeant, suaque tecta repetunt; verū vix ad se, suosq; illi rediere, cum eadem species belluina (marē & feminam) ex illa ipsa familia transformat, & luporū in morem in saltus, & vasta nemora abripit. Hæc adeo insolēs & nova metamorphosis, illatæ quondam Sancti Abbati injuriæ pœna fuit, & extus omnibus comprobavit, quales intus essent in animo? Quæ si hodie à Deo vindice plaga peccatoribus infligeretur, quot, quā horrenda, quam enormia inter hic stan-

a Daniel 4.

b Cap. 19 & Niersnb. in hist. nat

ſtantes monſtra, parentes filiis, filii parentibus: uxores maritis, mariti uxoribus terrorem incuterent? Sed cœptum proſequamur: inſolentem hominum faſtum & arrogantiam, explorans pſaltes regius, miſerandam eorum ſortem deplorat: *Homo*, inquit, a *cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Ubi D. Bern. b ſermone de primordiis, mediis, & noviſſimis noſtris, ſic ait: *Erubeſce quod pro conſortio Angelorũ, conſortiũ ſortitus es peccatorũ: non modo in neceſſitatibus corporis, ſed etiam in affectibus cordis. Cum jumentis partiris panem terræ, qui panem Angelicum faſtidiſti. In corpore manet humanæ animæ ſimilitudo, in anima vero beſtiali ſimilitudine, mutata eſt ſimilitudo Dei.* Ubi vides hominem ſuo peccato effeciſſe, ut forma humana, deformitatem indueret belluinam. Inter alia beneficia quæ David à miſericordia ſperabat, unum erat, ut de laqueis venantium liberaretur: *Ipſe*, inquit, c *liberabit me de laqueo venantium.* At quis ignorat laqueos non hominibus, ſed beſtiis præparari? quare D. Bernardus: d *Ergone beſtiæ ſumus nos? beſtiæ prorſus. Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus. Beſtiæ profecto ſunt homines. Quid ſuperbis, ô homo? quid te ſciolum jactas? vide quia beſtia factus es, cui venandæ laquei præparantur.* Graviſſimam mortales illam, & non ferendam contumeliam ducunt, ſi *beſtias* nuncuparis: ſi avarum, qui pauperum ac pupillorum ſanguinem exſugit, *lupum:* ſi ſalacem fœminam, libidinis cœno immenſam, *ſuem:* ſi hominem iracundum, furibum, qui domeſticos ſuos evertit, *Leonem* compellas, in rabiem aguntur, ad ferrum & faces provolant; ac interim eſſe volunt, quod nuncupari non volunt. Hoc in numero innumeri cenſendi ſunt, qui crapulâ & ebrietate, belluis longe tetriores ac deteriores evadunt, ut vel gentiles ipſi obſervarunt.

Deteſtanda fuit illa metamorphoſis quâ Circe venefica, ſocios Ulyſſis medicato vino in porcos convertit? quod cautus Ulyſſes ſolus vitavit, ut Poëta canit:

e *Sirenum voces, & Circes pocula noſti:*
Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupiduſque bibiſſes,
Sub Domina meretrice fuiſſes turpis, & excors
Vixiſſes canis *immundus, vel amica luto* ſus.

Has belluinas formas quotidie ebrietas inducit, teſte f Magno Baſilio: *Qua in re, dic ô homo miſer, à brutis differs, nonne rationis munere, reliquæ creaturæ factus Dominus, & Imperator? Hoc igitur tu mentis lumine per ebrietatem privatus, inter beſtias ratione carentes numerari poteris, & illis ſimilis videri.* Quod ingenioſo apologo, geſta Romanorum moralitate exponunt. Tradunt hæc, Noë quatuor animalium fimeto, vineas ſtercoraſſe, eorumque ſanguine rigaſſe: nempe porci, ſimiæ, ovis, & Leonis; atque inde vinum has quatuor proprietates habere, ut iis animalibus homines ſimiles reddat.

a Pſal. 48. b Bernard. c Pſalm. 90. d Bernard. in Pſalm. 9. ſerm. 3.

e Horat. l. 1, Epiſt. f S. Baſil. Hom. in ebrioſos.

reddat: quosdam enim ebriosos videas fœtentes, ructantes, vomentes, in sordibus sterrentes, ut porcos. Alios facetos, lepidos, histriones, Mimos, meras Simias. Alios taciturnos, capitosos, ad omnia flagitia, velut oves ad occisionem duci. Alios denique reperire est, qui rixentur, tumultuentur, mactent, evertant, & sunt *a sicut Leones in domo sua.*

Hos helluones brutis pejores esse ex aureo tripode Chrysostomus *b* pronuntiavit: *Quanto melior asinus ebrioso est, quanto canis præstantior? omnes certe animantes, quæ rationis expertes sunt, cum bibunt, aut comedunt ultra satis est, etiamsi mille homines cogerent, nunquam elabuntur*; pejores igitur irrationabilibus. *Vos estis, qui inebriamini.* Hujus rei Pastor quidam suburbanus amœnum documentum dedit: is ubi acriter in ebriosorum Rusticorum turbam fuisset invectus, à concione cum Prætore, aliisq; Scabinis tabernam adit, atque illicò cauponi jubet, ut largiter promat, se bestiarum in morem bibere velle. Aliis mirantibus, ac percunctantibus, num hic fructus concionis? imo inquit, bibamus ut bestiæ: hæ enim ubi sitis expleta, desistunt; at vos longè pejores estis bestiis, qui quamvis saturi, non desistitis. Vidistis sæpe equos ad flumina, ad copiam aquarum duci, sed quantum satis est, potant. Augustinus: *c Animalia ducuntur ad aquas, ubi saturaverunt sitim suam, bibere nolunt, nec possunt. Considerent ebriosi an non peiores animantibus: cum enim animalia amplius quam eis bibere nolunt, illi & duplum, & triplum quam eis expedit, potum accipiunt.* Ut verissime Aristoteles *d* asseverarit: *Ebrius non modo pejor, sed decies millies deterior est bestiâ.*

Quod vel ex eo compertum est quod ebrius gravissima scelera, & pecudi indigna committat: *Quod pecus, per Deum immortalem,* exclamat S. Basilius, *e ita ut ebriosus visu & auditu delinquit? nam vino obrutus, familiarissimos suos non agnoscit: sæpe ad extraneos tanquam ad suos accurrit: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.*

Tandem ne hic pluribus immorer, suffecerit in medium adduxisse vitium, quod ex hominibus camelos, elephantos, imo plusquam Insulares balænas facit. Nihil fingam, vera dicam, & nemo credet, nisi digitis monstraro. Reperiuntur fœminæ tam magnæ, ut iis vestiendis, non unus, non duo, non centum sartores sufficiant; sed ut tegantur, totæ debent nationes laborare. Sunt tam robustæ, ut totos agros, & fundos possint manibus, & digitis portare. Sunt tam validæ, ut capiti domos, & arces, & turres imponant. Sunt tam artificiosæ, ut alium, quam Auctor naturæ dedit, assumant. Ejusmodi non paucæ in oculos nostros incurrunt. Dudum hæc omnia, & plura scripsit Tertullianus, scripserunt & alii Patres. An non pro unica tegenda, & vestienda Cleopatra, aut Messalina, totæ laborarunt nationes? *f Milesii oves tonderent, & Seres ar-*

 bores

a Eccles.4. b Chrysost. hom. 58. in Matth. c Aug. serm.231. de temp.

d Arist l.10.Ethic. e Basil. hom in ebriosos. f Tertull.l.de habitu mulierum c. 1.

bores verent & Tyrii tingerent, & Phryges insuerent, & Babylonii intexent & margaritæ canderent, & Ceraunia coruscarent? In sandalia unius Reginæ, quos urbes sumptum conferunt. Athenæus memorat, subacta à Persis Ægypto, Anthyllam urbem, Regis uxori datam *in calceamenta.* Herodotus tradit plurimos pagos, in quibus fixerat tabernacula, Parysatidi Reginæ datos *in cingulum.* Ex his perspici potest, quam vere dixerit Tertullianus: *Uno lino decies sestertiûm inseritur Saltus & insulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno & muliebri corpusculo bajulare.*

Vides robustas fœminas, quibus in capite lucet gemma tribus arcibus empta, & de turrita capillorum structurâ, pretia domorum splendescunt. Parum hoc, inquit a Senec. *Video uniones non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent*, & alibi b quærit: *Quare uxor tua locupletis Domus censum auribus gerit?*

Atque ita mulier procedit *laudato pavone superbior,* de qua arroganti animali usurpare licet illud Poëtæ:

c *Et præter pennas nihil in pavone placebat.*

De fuco, stibio, cerussa, aliisque pigmentis, quibus chameleontis instar, novam indies formam inducunt, aliàs dicturi sumus. Nunc ut eò revertamur, unde exorsi sumus, cum tot, adeoque terrificas belluarum formas, per lethales noxas mortalium animus imprimi contingat, superest ut illud Bonaventuræ attentius perpendamus, aliquando adfore tempus, quo Imperator noster, rationem exacturus, nummisma animæ nostræ inspiciet, cujus imaginem præ se ferat. *In Morte,* inquit, d *diligenter hunc* Nummum *examinat, utrum Dei, an Diaboli imaginem habeat. O felix qui* (cum Philippo) *in morte bonum* nummum (cum imagine Crucis Christi) *ostendet: Dominus enim ostendet bonum præmium:* ostendet illi Patrem, quod sufficit illi.

e Alterum est hoc, *Regale numisma Philippi.*

Quod pro symbolo oculis subjecimus, tanto apud Deum, hominesque in pretio, ac veneratione esse, ut omnibus qui ab condito *Philippi* magni, *Philippi* boni, *Philippi* pulchri extitere, nimium quantum S. PHILIPPUS antecellat, quod quo manifestius fiat, attendite, & expendite, quia

§. II.

Multis valet ille PHILIPPIS.

P*Hilippus* Magnus Macedonum Imperator, Thebis optimo Magistro Epaminonda, usus, f *ad dicendum, sapiendum, faciendum;* Hoc major Alexandro, quod mitior & moderatior. Hic, inquam, *Philippus*, famam & immortalitatem vel hac sol[a] vir[...]

a Seneca l.7. de benef. c.9 b Idem de vita beata c.17. c Ovid. l.6 fast.

d Bonavent. Dom. 22 post Pent. serm. [...] e Horat. f Lipsii monita & exem[pla] P[...] c. 3.

virtute meruit. Amici stomachantur, & deferebant, quod Peloponnesi *a* tot beneficiis affecti, criminarentur eum, atque adeo ludis Olympicis exsibilarent. Ille in jocum rem vertit; *Et quid ergo*, inquit, *facient, si læsi a nobis fuerint?* Idem suadentibus ut severius paulo cum Atheniensibus ageret palam ingratis: *Nihil agitis*, inquit, *an ego, qui ad gloriam omnia refero, theatrum gloriæ meæ evertam?* At illud in hoc ipso incredibilis non modo clementiæ, sed & patientiæ: quod cum iidem Athenienses legatos super aliqua re ad eum misissent, atque ipse benignè audiisset, ac indulsisset; dimittens pro cumulo adjecit: *Ecqua alia in re gratificari iis possit?* Hic Demochares è legatis: *Ita vero*, inquit, *si tu ipse suspenderis.* O vocem & convicium importunum, & ut rem dicam, flagro ac cruce dignum! Itaque Amici adstantes exarserant; sed compescuit se, & illos *Philippus*, ac Thersitem illum nulla vel re, vel voce acerbiore læsum dimisit. Tantum hoc ad Legatos alios: *Nunciate Atheniensibus impotentiores esse qui ista dicunt, quam qui dicta comiter audiunt.*

Suspexit Antiquitas & aliam in homine gentili virtutem, illum *Philippum*, Nobilem in Alexandri militia Juvenem depraedicat, quod per quingenta stadia Regem vectum, pedes & armatus, per aspera & ardua quævis comitatus sit. Verum præ his, de quo agimus,

Multis valet ille PHILIPPIS.

Stupenda quidem in Imperatore Barbaro inter opprobria patientia, atque invicti animi moderatio; at minime conferenda Christianæ fortitudini, quam S. PHILIPPUS non inter verba, sed atrocissima verbera; non inter convicia dumtaxat, sed inter vulnera, & saxeum imbrem exercuit.

Quis his verbis illectus: *Sequere me*, cruenta Regis sui vestigia, propius quam miles Alexandri pressit, vitaq; & morte expressit. Quid ad hæc vos Auditores, qui vel sinistro oculo præstricti excandescitis: qui levi verbo lacessiti, vita & sanguine, id vindicare statuitis; Quod si cum PHILIPPO lapidantium ictus ferre reformidatis; at saltem à *Philippo* Rege gentili, convicium etiam ab interiori vobis illatum Christianâ fortitudine tolerate. Si PHILIPPO sanguinolentis Christi vestigiis insistere non potestis, Ducem saltem vestrum quoquo modo sequi, viam mandatorum currendo, ne defatigemini animis vestris.

Sed ut Ethnicos mittamus, *Philippus* Diaconus vir Apostolicus, *b* de quo Actorum. 8. *Descendens in civitatem Samariæ, prædicavit illis Christum*, illumque Sacris dignum literis Apostolicum actum per transennam exercuit, quod Eunucho in curru sedenti *Euangelizavit Iesum, eumque baptizavit.* Huic uni vel unum Nathanaelem à PHILIPPO ad Christum adductum conferre possem, verum noster ejusmodi longe,

Multis valet ille PHILIPPIS.

c Is porro accepto Spiritu sancto, cum ei Scythia ad prædicãdum

a Idem c.12.

b Act 8. c Breviar. Rom. 1. Maii.

dum Euangelium obtigisset, (non unum, alterumve homi,, nem) omnem ferè illam gen,, tem, ad Christianam fidem ;, convertit. Quæ dum adfero, nemo quisquam vestrûm hæc ad se minime spectare, magisque miranda quam imitanda arbitretur. Quasi vero non sit qui Nathanaëlem, verum *Israëlitam, in quo dolus non sit*, vicinum aliquem bonum, cœlestis disciplinæ ignarum, ad Christum, ejusque vicarios adducere, ad Sacramenta frequentanda inducere possit.

Quasi vero & vos Legisperiti, Judices, Tutores, Patrini, Patresfamilias, cum S. PHILIPPO animas convertere non possitis. Hoc Apostolico munere functa est Cæcilia, quæ sponsum suum Valerianum & fratrem Tiburtium convertit. Fecit hoc Catharina, quæ quinquaginta Doctores ad Christum adduxit.

Fecit hoc S. Elzearius, S. Bernardus, & Euangelicus ille Regulus, qui *a credidit, & domus ejus tota*. Hoc & vos piis monitionibus, sanctis correptionibus, castis moribus, & potissimum domesticis exemplis facere potestis.

Anno salutis 1214. *b Philippus* Francorum Rex, contra Othonem Imperatorem pugnaturus, in paterâ aureâ buccellas panis vino prægnantes; Principibus suis propinans: *Bibite ex hoc omnes*, exclamavit: *Commune hoc, aut victoriæ, aut gloriosæ mortis poculum erit*. Qua voce animati Franci, hostes mira alacritate superarunt. Longe nobiliori ratione

a Ioan 4. b Corrozetus de dictis & factis memorab. syntb. l. 3. c. 52.

Christus Dominus, cum suos commilitones adversus mundi tyrannos, & Principes tenebrarum animaret, communes laborum, & crucis ærumnas, communem cuique pro meritis palmam gloriæ proposuit, & simul suo sanguine calicem, PHILIPPO prælibavit, quam ille cum omni amaritudine, amore domini sui generosissime epotavit.

Hunc calicem passionis rogavit Christus, *ut transiret à se*, id est, ut S. Hilarius exponit, ut ad nos quoque deveniret, & propinanti nos aliquo consimili haustu responderemus. Hoc non largâ solum sui sanguinis amystide S. PHILIPPUS Apostolus fecit; sed & alii ejusdem calicis participes præstiterunt. c *S. Philippus Nerius* ænei Crucifixi imaginem à Cruce sejunctam, apud se assiduo habebat, qua posset liberius ori & pectori admotâ, sui cordis affectum explere: atque ex hac Dominicæ passionis assidua meditatione, sitis in eo exarsit fervens in Indos proficiscendi, ut sanguine suo, Redemptori respondere posset, ut quod à Deo filio tam liberaliter factum noverat, ipse & suo sudore & sanguine litaret. Sed cum voti compos fieri nequaquam posset, aliâ viâ clementissimus Dominus, ejus ardentem sitim explere visus est, dum effervescenti amoris æstu, tantam sanguinis copiam ex ore profudit, ut quandoque aciem oculorum perdidisse, atque arteriarum pulsu, omnino destitutus videretur.

In quod dulcissimo, ac de-

c In vita.

deratiſſimo animi deliquio, hoc dicere identidem ſolebat: O utinam pro te, bone Jeſu, tantum ſanguinis effundam, donec minima ſaltem ex parte, amori tuo maximo, quo Calicem paſſionis pro me bibiſti, reſpondeam.

Quid quod etiam, quod ſitientibus Chriſti Calicem orexim excitet, in vino, ſui contemptum & deſpectum *Philippus* generosè epotavit.

Erit profectò opportunum ætatis noſtræ Exemplum proferre. *Philippus* itaque ficuti novi vivendi inſtituti Auctor probatiſſimus, ita inauditis poſt hominum memoriam inventis, illuſtrioribus veluti radiis ſanctitatis eluxit. Eluxit, inquam, eo plane modo, quo ſeipſo clarior quodammodo videri vult Sol, cum ſeſe paulatim inter nubes abſcondit, ipſoque interpoſito nubium fit ſpectabilior. Ita profectò *Philippus*, ſuæ nitorem virtutis tegere: non raro conatus eſt communibus geſtis, & quæ in ſpeciem laxioris vitæ genus redolerent, cum revera perfectionis eſſet ſublimioris. Illud ſit inſtar omnium, quod omnium linguis oratorum, ſcriptorum omnium monumentis celebrabitur, quamdiu vigebit proborum hominum commendatio. In ea urbis parte, in qua negotiorum conficiendorum cauſa, concurrunt omnium hominum ordines multitudine numeroſiore, offendit forte *Philippus* ut moribus ſimilem, ita charitatis religioſæ nexu conjunctiſſimum caput B. Felicem Capuccinorum familiæ decus eximium, quem peramanter de more ſalutatum, ubi primum vino ex piorum eleëmoſynis corrogato, onuſtum animadvertit *Philippus*, rogare obnixè ut ſitienti ſibi faciat bibendi facultatem.

Eo quo erat morum candore, Felix dolium porrigit ſine mora, eoque ambabus manibus arrepto in nobiliſſimâ frequentiâ hominum bibit *Philippus*. quaſi vero ſitis adeò impatiens, ut neque frequentiſſimi celebritate loci, neque circumſtantium hominum gravitate, neque prætereuntium multitudine, neque ſacerdotis quam gerebat perſona, neque præſtantiſſimorum virorum familia cui præerat, honeſtate coërceri poſſet, ne tam publice, tam avidè, tam inconſiderate, & ſi fas eſt dicere, tam petulanter atque procaciter ſeſe vino ingurgitaret. Ardebas tu quidem *Philippe* ſiti inexſtinguibili, ſed ejus vini, quod opprobriis & contumeliis myrrhatum, Chriſto in cruce oblatum fuit. Æſtuabas ſiti novis ſemper inventis exiſtimationis tuæ, quam veneratione omnium videbas & dolebas ſublimem, proterendæ, conculcandæque.

Erit forte hic, qui commodo, propriæque exiſtimationi impenſius deditus, hæc virorum Religioſorum Sanctorumque exempla ſupra ſe, ſupra captum ſuum arbitrabitur; cum interim reperti ſint, qui inter regias aulæ delicias, calicem Domini largiter bibere non detrectarunt. Talis exſtitit *a* potentiſſimus Hiſpaniarum Rex, & orbis monarcha *Philippus III.* qui cilicium purpurâ palliare noverat, atque ea quam Carolus

a Rho. Exempla virt. l.6.c.5.

lus V, ipsi hæreditatem, flagellum suo sanguine tinctum transcripserat, ita usus est, ut non nisi affuso cruore proprio illud poneret; ac ne à pavimento sanguine infecto proderetur, purpureæ gausapi latè expansæ insistebat, eamque purpuram sepositam clausamque, ipse diligenter asservabat. O vere dibapham, quæque post regium sanguinem, vermiculi se prius sanie infectam erubesceret.

Ad hanc regii sanguinis purpuram, habent molles illi, & effœminati, *a in cute curanda*, toti quod erubescant: qui tantum abest, ut aliqua corporis afflictione sponte suscepta, in se ultro sæviant, & vel guttam unam de suo, largo illi sanguini Redemtoris propinent, ut etiam levissimos dentium, podagræ, calculi cruciatus à paterna Dei manu immissos impatientissimè ferant. Ejusmodi si ad flagelli conspectum perhorrescant, hoc saltem ab altero hujus *b* Parente *Philippo II.* discant. Nulla est morborum reverentia adversus rerum Dominos, & nescio an cuiquam insultarint insolentius, quam *Philippo*, Regi maximo: conjurasse videbantur in unum caput morborum sævissimi, colligatis signis, totaque acie impressionem facere, febrium, ulcerum, podagræ ac chiragræ dolores acutissimi. Unus tamen omnibus par fuit, & qui virtutis tenor fortunam non semel adversam exceperat, non inter valetudinis incommoda mutavit. Nec minor vocis constantia, querelis procul, sed magnas in preces collatæ, non quidem deprecantis ea cruciamenta sed ut criminum ea essent piacula postulantis: jamque animam efflaturus, quam pridem cordi impresserat crucem, cum qua sepeliretur, è collo suspendi voluit.

c Hæc quantumvis illustria virtutum exempla, à variis *Philippis* nobis proposita, unus quem hodierna die celebrat Ecclesia PHILIPPUS APOSTOLUS obscuravit: qui toto corpore horrendum in modum flagris concisus, cruci affixus, lapidibusque obrutus est.

Ex quibus omnibus manifestum est, hoc *d regale numisma* PHILIPPI; vivam Christi crucifixi imaginem in se perfectissime expressisse. Quo illud consecutus est, quod mille votis exoptarat: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

a Horat lib. 1. Epist. 2. b Rho. variæ virt. historiæ l. 6. c. 4. §. 1.

c Cervera. lib. de excelsu Philippi. d Brev. Rom. 1. Maii Metaph.

FINIS.

INDEX

INDEX
FESTORUM ET PARAGRAPHORUM
in hac prima Parte Cælestis Panthei.

EMBLE-

EMBLE-

Fe-

INDEX

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,
quæ in hac prima parte diffusius explicantur.

X in ynē

17 Ante

Petro

Finis Indicis Locorum Sacræ Scripturæ hujus primæ Partis.

INDEX ALPHABETICUS
Rerum memorabilium, quæ in hac prima parte copiosiùs explanantur.

Hu-

B.

Beni-

Cosmi

Quare

E.

I.

Judæi

Men-

P.

Hanc

Indicis cœlestis Panthei primæ Partis

F I N I S.

CENSURA ORDINARII.

CÆLESTE PANTHEON, *Christianæ pietatis Emblematibus festa & Gesta Sanctorum totius anni comprehendens,* A. R. P. HENRICUS ENGELGRAVE SOCIET. JESU *Theologus Lectori exhibet: quod cum fidei aut bonis moribus non adversetur, omniaque sana, pia & docta contineat, insuper fidelem animam stylo concionatorio ad cælum novum invitet, præsentem tractatum typis committi posse concedo. Coloniæ* 20. *Augusti* 1657.

Adrianus de Walenburch Metrop. Ecclesiæ Colonienf. Presbyter Canonicus & Cenfor Librorum Ordinarius.

Coll. Jur. Canon.
Heinr. Engel.
quare.
Pars d. tZ.

D